

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

C550.1
*

HARVARD COLLEGE
LIBRARY



FROM THE BEQUEST OF
JAMES WALKER
(Class of 1814)
President of Harvard College

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XVIII.

S. MARTINUS TURONENSIS, TICHONIUS, HILARIUS DIACONUS, NOVATUS CATHOLICUS, AUCTOR INCERTUS, AURELIUS SYMMACHUS, MAXIMUS GRAMMATICUS, MAMERTINUS, PUBLIUS VICTOR, ULFILAS.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1848

Digitized by Google

C 550.1

ELENCHUS OPERUM

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., L.L.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

QUÆ IN HOC TOMO XVIII CONTINENTUR.

S. MARTINUS TURONENSIS.

Confessio S. Trinitatis. . . . . col. 9

TICHONIUS.

Liber de septem regulis. 15

HILARIUS DIACONUS.

Commentarius in duodecim epistolas B. Pauli. 63

Quæstiones utriusque Testamenti (*hic memoratæ, requirendæ autem inter Spuria S. Augustini, hujus Patris Operum tom.* III, *part.* II). 67

NOVATUS CATHOLICUS.

Sententia de humilitate et obedientia. . . . . *Ibid.*

ANONYMUS.

Exhortatio ad monachos. 71

Exhortatio ad sponsam Christi. 77

S. AMBROSII OPP. SUPPLEMENTUM.

Sermones ex codice Sessoriano. 89

AUREL. SYMMACHUS.

Libri decem epistolarum. 141-405

MAXIMUS GRAMMATICUS.

Epistola ad Augustinum (*hic tantum memorata, requirenda autem Patrol. tom.* XXXIII, *col.* 81). 407

MAMERTINUS.

Panegyricus Juliano Augusto dictus. 429

PUBLIUS VICTOR.

Descriptio urbis Romæ. 437

ULFILAS.

Scripturæ sanctæ versionis in linguam Gothicam fragmenta quæ supersunt. . 497

Grammatica Gothicæ linguæ. 879

Glossarium Gothicæ linguæ. 1237

Paris.— Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 57.

Digitized by Google
PSEL 41/132 1-53

Anal.

ULFILÆ

GOTHORUM EPISCOPI

OPERA OMNIA

SIVE

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

VERSIONIS GOTHICÆ

FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT,

AD FIDEM CODICUM CASTIGATA, LATINITATE DONATA, PROLEGOMENIS HISTORICIS ET PHILOLOGICIS NECNON ANNOTATIONE CRITICA ET PERPETUA INSTRUCTA, EX EDITIONE DOCTISSIMORUM ET ERUDITISSIMORUM

H. C. DE GABELENTZ ET J. LOEBE.

ACCESSERUNT

GRAMMATICA ET GLOSSARIUM

LINGUÆ GOTHICÆ,

AB IISDEM AUCTORIBUS ELUCUBRATA, E GERMANICO SERMONE IN LATINUM CONVERSA, NECNON NOTIS HISTORICIS, GEOGRAPHICIS, CRITICIS ET EPEXEGETICIS ADORNATA,

INTERPRETE F. TEMPESTINI.

PRÆCEDUNT

S. MARTINI TURONENSIS, TICHONII, NOVATI CATHOLICI, ANONYMI, AURELII SYMMACHI, MAXIMI GRAMMATICI, MAMERTINI, PUBLII VICTORIS,

SCRIPTA UNIVERSA

EX OPTIMIS EDITIONIBUS GALLANDII, MARGARINI DE LA BIGNE, JACOBI DE LA BAUNE, EDMONDI MARTENE COLLECTA.

TOMUS UNICUS.

PRIX : 10 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, ou PETIT-MONTROUGE.

1848

Digitized by Google

C 550.1

ELENCHUS OPERUM

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D. D., L. L. D.
(H. U. 1814.)
President of Harv. Univ.

QUÆ IN HOC TOMO XVIII CONTINENTUR.

S. MARTINUS TURONENSIS.

Confessio S. Trinitatis. . . . . col. 9

TICHONIUS.

Liber de septem regulis. 15

HILARIUS DIACONUS.

Commentarius in duodecim epistolas B. Pauli. 63

Quæstiones utriusque Testamenti (*hic memoratæ, requirendæ autem inter Spuria S. Augustini, hujus Patris Operum tom.* III, *part.* II). 67

NOVATUS CATHOLICUS.

Sententia de humilitate et obedientia. . . . . *Ibid.*

ANONYMUS.

Exhortatio ad monachos. 71

Exhortatio ad sponsam Christi. 77

S. AMBROSII OPP. SUPPLEMENTUM.

Sermones ex codice Sessoriano. 89

AUREL. SYMMACHUS.

Libri decem epistolarum. 141-405

MAXIMUS GRAMMATICUS.

Epistola ad Augustinum (*hic tantum memorata, requirenda autem Patrol. tom.* XXXIII, *col.* 81). 407

MAMERTINUS.

Panegyricus Juliano Augusto dictus. 429

PUBLIUS VICTOR.

Descriptio urbis Romæ. 437

ULFILAS.

Scripturæ sanctæ versionis in linguam Gothicam fragmenta quæ supersunt. . 497

Grammatica Gothicæ linguæ. 879

Glossarium Gothicæ linguæ. 1237

Paris.— Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 57.

Digitized by Google
7381
41.1736
1-53

Anal.

ULFILÆ

GOTHORUM EPISCOPI

OPERA OMNIA

SIVE

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

VERSIONIS GOTHICÆ

FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT,

AD FIDEM CODICUM CASTIGATA, LATINITATE DONATA, PROLEGOMENIS HISTORICIS ET PHILOLOGICIS NECNON ANNOTATIONE CRITICA ET PERPETUA INSTRUCTA, EX EDITIONE DOCTISSIMORUM ET ERUDITISSIMORUM

H. C. DE GABELENTZ ET J. LOEBE.

ACCESSERUNT

GRAMMATICA ET GLOSSARIUM

LINGUÆ GOTHICÆ,

AB IISDEM AUCTORIBUS ELUCUBRATA, E GERMANICO SERMONE IN LATINUM CONVERSA, NECNON NOTIS HISTORICIS, GEOGRAPHICIS, CRITICIS ET EPEXEGETICIS ADORNATA,

INTERPRETE F. TEMPESTINI.

PRÆCEDUNT

S. MARTINI TURONENSIS, TICHONII, NOVATI CATHOLICI, ANONYMI, AURELII SYMMACHI, MAXIMI GRAMMATICI, MAMERTINI, PUBLII VICTORIS,

SCRIPTA UNIVERSA

EX OPTIMIS EDITIONIBUS GALLANDII, MARGARINI DE LA BIGNE, JACOBI DE LA BAUNE, EDMONDI MARTENE COLLECTA.

TOMUS UNICUS.

PRIX : 10 FRANCS.


PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
ou PETIT-MONTROUGE.


1848

Digitized by Google


II




III



IV





V



Digitized by Google

ειαναανκακναστανσατσαιαλη:
Nihaaaisïstoλfnarinisψa
teinigabaikhtsaiaan·nihyakψ
anaaanganakeisyiknnψyaikψai
saβaioashaβaiansanahans
sanangahansai:
sahuaψanïmsaioiψoλπanseiψ
ïnψizaieimitaψmitiψmitaaa
ïzyis·sahbiankaaaïzyisψaim
gaaanβsananaam: nntεψisoλm
mehsaeihaβaiψgiβdaaïmma·
sahsaeinihaβaiψsahψateiha
βaiψafnimaaaimma:
sahuaψsyaïstψiinaanganai
gψssyasyesaβaimannayaikpiψ
fkaiyaanaaikψasahsaepiψsah
nkkeisiψnahtsahaaga· sah
ψatafkaiykeinψsahainaiψ
syeniyaitïs· siaβrankaikψa
akkanβaikiψfknmistkas·





Digitized by Google

APPENDIX AD SÆC. IV.

AUCTORES ET MONUMENTA VEL INCERTÆ ÆTATIS, VEL DUBIÆ AUCTORITATIS, VEL TANTUM CONNEXIONIS CAUSA PATRIBUS ADJUNCTA.

ANNO DOMINI CCCXCIX.

SANCTUS MARTINUS

EPISCOPUS TURONENSIS.

(Ex Galland. Vet. Patr. Biblioth. t. VII.)

PROLEGOMENA.

I. Non tantum vitæ sanctitate, verum etiam doctrinæ laude præstantissimum fuisse beatum MARTINUM ecclesiæ Turonicæ antistitem, luculenter satis testatur qui eum probe noverat Sulpicius Severus. Sic enim ille (*a*) : « Jam vero, inquit, in verbis et confabulatione ejus quanta gravitas, quanta dignitas erat! quam acer, quam efficax, et quam in absolvendis scripturarum quæstionibus promptus et facilis! — Jesum testor spemque communem, me ex nullius umquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam boni et tam puri sermonis audisse. Quamquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio! nisi quod mirum est, homini illitterato ne hanc quidem gratiam defuisse. » Et alibi (*b*) : « Jam si ad lævam, Achaiæ sinum paululum devexus intraveris, sciat Corinthus, sciant Athenæ, non sapientiorem in Academia Platonem, nec Socratem in carcere fortiorem : felicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem ; sed nequaquam a Christo Gallias derelictas, quibus donaverit habere Martinum. » Hæc Sulpicius.

II. Porro sub tanti Patris nomine circumfertur *Confessio Trinæ unitatis et unius Trinitatis*, stylo simplici et alicubi obscuriore, librariorum fortasse inscitia, conscripta ; quam anno 1512 primus edidit cum aliis veterum opusculis Jodocus Clichtoveus. Deinceps vero sæpius idem libellus, virorum eruditorum Petri Pithœi, Casparis Barthii, Christiani Daumii aliorumque opera, typis denuo consignatus comperitur. Exstat præterea in plerisque Patrum bibliothecis et in collectionibus conciliorum excusus. De eo autem hæc habet Combefisius (*c*) : « Exscripseram, inquit, sermonem *de sancta Trinitate*, ejus (Martini) prænotatum nomine, ex codice em. card. Mazarini ; sed ita in eo vitiosum, ut non visum sit repræsentare : id inde factum videtur, quod antiquarius ex vetustioribus membranis aut ceris non satis feliciter potuerit exscribere. Est tamen ille, conjecturæ his quæ Severus de illitterati Martini eruditione ac facundia, tanta scribit obtestatione. » Ita Combefisius, ea respiciens quæ modo ex Sulpicio recitavimus. Ex priscis item membranis eamdem Confessionem Trajecti evulgavit anno 1514 Theod. Pulmannus, cujus varias lectiones ad suæ editionis calcem quæ Cygneæ prodiit 1677 rejecit Daumius.

III. Verum præ cæteris commendanda videtur Thomæ Beauxamis solertia ; qui tres vetustissimos codices nactus, eorum collatione diligenter instituta, eumdem sancti præsulis Turonensis libellum brevi commentario illustratum subjectumque Vitæ beati Martini a Sulpicio Severo conscriptæ, prelo commisit Parisiis anno 1571. Quandoquidem vero hanc editionem reliquis multo emendatiorem secuti sumus, quæ præterea inter rariores recensetur (*d*) ; juverit proinde nonnulla ex eodem Parisiensi editore in medium proferre, quibus dum ille studium suum in hanc opellam impensum prodit, ejus pariter sive integritatem, sive pretium astruit. Sic igitur ille (*e*) : « Tria, inquit, e diversis bibliothecis volumina mihi prolata sunt, quæ manus ipsa, satis antiquissima esse contestabatur : characteres enim aliis qui ante mille annos in usu erant, collati, persimiles omnium

(*a*) Sulp. Sev. de Vit. B. Mart. cap. 25. opp. tom. I, pag. 34, edit. Veron. 1741.
(*b*) Id. Dial. III, cap. 17, ibid. page 146.
(*c*) Combef. Bibl. Conc. tom. VIII, pag. 470, not. (*).
(*d*) Daum. præfat. ad opusc. de S. Trinit. pag. 7. *Hist. litt. de la France*, tom. I, part. II, pag. 417.
(*e*) Beaux. præfat. pag. 251 seq.

Digitized by Google

testimonio habiti sunt. Porro tribus hisce voluminibus emendicatis, triplex Severi Sulpicii historia contexebatur.... Verum cum primo in libri cujusque vestigio *compendium nostræ fidei* a D. MARTINO conscriptum agnovissem; obstupui sane, cur cum toties Severus e prelis prodiret, illius ne mentio quidem facta sit. Sed, ut arbitror, præter characterum antiquitatem, rei ipsius eos difficultas deterrebat. Nec enim suis periodis, virgulis cæterisve notulis contextus definiebatur : adeo ut quibusdam ambiguus, aliis mancus, omnibus abstrusior appareret. Nam cum summa brevitate rem omnium difficillimam complectatur; quis inter dictiones incircumscriptas adeo perplexas, quid certi elicere potuisset?... Operæ prætium igitur duxi suis punctis, quasi vinclis, effluentes dictiones cohibere, sicque facile D. MARTINI *Confessionem* reddere. Et ne quid deesset, annotatiunculas addidi, ne cujus vocis obscuritas diutius lectorem suspenderet. » Deinceps vero noster editor Parisiensis libelli præstantiam edisserere pergens, complures hæreses hac sua Confessione B. Martinum evertere ostendit, Ebionis, Cerinthi, Marcionis, Manetis, Apollinarii, Arii, Macedonii ac Eunomii. Quibus enarratis, ita concludit : « Vides, Christiane lector, ut compendiose multas hæreses noster Martinus enecet? Illis quippe temporibus exstitit, quibus aut qui Trinitatem, aut qui unicam divinitatem evertere nitebantur, pullularunt.... Expende vero quot schismata, factiones et sectæ, quo tempore floruit, emerserint : tum facile agnosces non abs re hanc de Trinitatis et unius divinitatis fide editam sententiam. » Hæc ille. Quæ quidem omnia si quis accurate perpendat, arguet enimvero, mea quidem sententia, nonnullos viros eruditos ejusmodi Confessionem minus recte suspectam habuisse; quæ nimirum in primis vetustissimorum codicum fide et auctoritate munitur : digna plane quæ cum *Expositione fidei* Gregorii Thaumaturgi conferatur (*a*), si paucas demas duriusculas voces, librariis forte vitio vertendas.

(*a*) Vid. nostr. Bibl. PP. tom III, pag. 385.

SANCTI MARTINI

TRINÆ UNITATIS ET UNIUS TRINITATIS

CONFESSIO.

Clemens Trinitas est una divinitas, ut autem per sacramentum cognoscatur : unitas est [a] ab eo qui est sanctus, et spiritus : a quo, qui est, et unigenitus sic exsistens divinæ naturæ, lucis, spiritus, a se, se per naturam, per substantiam majestatis, potestatis, virtutis, divinæ lucis. Spiritus unus in duobus, et uterque in id ipsum : pater in filio, filius in patre, in sancto Spiritu. Sic tribus personis, confitemur [b] corpus præscientiæ : quod super omnia, cuncta concludit. In hoc mysterium ergo credimus, esse ex nullis exstantibus cuncta orta, quod mysterium mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermonis bibliothecarum volumina, si totum mundum libri repleant, divina scientia non possit inenarrabilis enarrari : qui est indicibilis, nullo modo possit describi, neque concludi aut verbum aut substantia propria divinitatis suæ. Qui est fons divinæ lucis, luminis, suæ substantiæ, naturæ. Sileat lingua oratoria, quia deficit sermo de indicibili : cum consummaverit mens humana de divina majestate dicere, tunc incipit. Quanta sit autem divina clementia, nemo scit, nisi qui genuit : et nemo comperit secreta patris, nisi is qui per naturam, nascendi initium amisit. Omnis ergo mansuetudo et modestia peritorum, convertatur ad prophetam : et dominica auctoritate præsumat, dicendo : *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10). Quod autem per mysterium simplex sit professio, ut fundamentum Ecclesiæ, solidatæ Apostolica auctoritate, prædestinatio sequens præsumat, dicendo. De cætero nemo mihi molestus sit, ego credo in Christum, et hunc crucifixum. Quia cum confitetur filium hominis, confitetur et sanctum Spiritum : quia e sancto Spiritu, et Maria virgine mediator nascitur : cum confitetur primogenitum, necesse est de unigenito, qui testimonium dicat, unum et solum sine origine esse : [c] tertiam personam patrem confitetur, exsistentem divinæ naturæ, lucis. Spiritus ut dixi, qui secundum divinam naturam, ut supra dixi, est unus in duobus, et uterque in id ipsum; pater in filio, filius in patre, in sancto Spiritu [d] in sancta Ecclesia. Nunc et in immortalia sæcula sæculorum. Amen.

[a] *Ab eo*, etc. Al. *ab eo qui est Spiritus sanctus, a quo*, etc.

[b] *Corpus præscientiæ*. Id est, ipse qui præscit ab æterno omnia, cujus præscientia est ipsius substantia. BEAUX.

[c] *Tertiam personam patrem*. Pater tertia est persona, quia trium una est. ID. — Al. *unum et solum sine origine esse in tertiam personam patrem*.

[d] *In sancta ecclesia*. Al. *unum in sancta ecclesia*.

Digitized by Google

ANNO DOMINI CCCXCIX.

TICHONIUS AFER.

(Ex Galland. Vet. Patr. Biblioth. t. VIII.)

PROLEGOMENA.

I. « Tichonius natione Afer, in divinis litteris eruditus juxta historiam sufficienter, et in sæcularibus non ignarus fuit : in ecclesiasticis quoque negotiis studiosus. » Verba sunt Gennadii (*a*). De eo passim sermonem habens sanctus Augustinus, qui et ipsum probe noverat, et complura ejus scripta perlegerat, « Hominem ait (*b*) fuisse et acri ingenio præditum et uberi eloquio, sed tamen Donatistam. Qui aliquando sanctarum paginarum vocibus circumfusus, evigilavit; ut propterea adversus ipsos suos calamum strinxerit. Hoc ergo suscepto, subdit sanctus Doctor, Tichonius cum vehementer copioseque dissereret, et ora contradicentium multis et magnis ac manifestis sanctarum scripturarum testimoniis oppilaret, non vidit quod consequenter videndum fuit. Nimirum, inquit (*c*), contra Donatistas invictissime scripsit, cum fuerit Donatista; et illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit. » Hæc sanctus Doctor. Floruit auctor ætate qua Rufinus, teste Gennadio (*d*), Theodosio et Filio ejus regnantibus. Qua de re accurate, ut fere semper, eruditissimus Tillemontius (*e*).

II. Ex iis quæ litteris consignavit Tichonius, quamque satis diligenter enumerat Gennadius, unum superest opusculum *de septem Regulis* inscriptum; « quibus, quasi clavibus, ut inquit sanctus Augustinus (*f*), divinarum Scripturarum aperirentur occulta.... Quæ quidem consideratæ, sicut ab illo, aperiuntur, non parum adjuvant ad penetranda quæ tecta sunt divinorum eloquiorum : nec tamen omnia, quæ ita scripta sunt ut non facile intelligantur, possunt his regulis inveniri, sed aliis modis pluribus; quos hoc numero septenario usque adeo non est iste complexus, ut idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam; quoniam nec opus est. » Nonnullisque interjectis, deinceps hæc addit (*g*) : « Quod ideo dicendum putavi, ut liber ipse et legatur a studiosis, quia plurimum adjuvat ad Scripturas intelligendas, et non de illo speretur tantum quantum non habet. Caute sane legendus est, non solum propter quædam in quibus ut homo erravit, sed maxime propter illa quæ sicut Donatista hæreticus loquitur. » His vero ita enarratis, easdem Tichonii Regulas expendit sanctus Pater : cujus propterea recensionem infra sub hujus voluminis finem exeudendam curavimus.

III. Cæterum alibi quoque operis Tichoniani mentionem injicit idem sanctus Augustinus. Scribens enim ad Aurelium Carthaginiensem episcopum, hæc habet (*h*) : « De Tichonii septem regulis vel clavibus, sicut sæpe jam scripsi, cognoscere quid tibi videatur, exspecto. » Quanti vero fecerit ejusmodi opus sanctus ille Doctor, ex eo compertum fit, quod locum Paulinum retractans *de vasis aureis et argenteis in domo magna constitutis* (*i*), cum antea in eo exponendo sancti Cypriani sensum fuisset secutus, mutata deinde sententia, in Tichonii interpretationem concessit (*j*) : « Sed magis approbo, inquit, quod apud Tichonium postea reperi vel adverti, in utrisque intelligendum quædam in honorem, non sola scilicet aurea vel argentea; et rursus in utrisque quædam in contumeliam, non utique sola lignea et fictilia. » Hæc ille. Neque aliter censuere de Tichonii Regularum præstantia Cassiodorus ac sanctus Isidorus Hispalensis. Et ille quidem *de introductoribus scripturæ divinæ* sermonem habens (*k*), *qui modos elocutionum explanationis causa formantes, per exemplorum diversas similitudines intelligi faciunt quæ prius clausa manserunt*, Tichonio Donatistæ primum locum tribuit, eumque cum sancto Augustino, Hadriano, Eucherio et Junilio consociat. Atque alibi præterea monet, eumdem scriptorem *in libris Regularum latius diligenterque disseruisse*. Alter vero, id est, sanctus Isidorus, easdem septem Regulas Tichonianas tanto in pretio habuisse comperitur, ut illas

(*a*) Gennad. de Vir. illustr. cap. 18.
(*b*) Aug. contr. Epist. Parmen. lib. I, cap. 1, opp. tom. IX, pag. 11.
(*c*) Id. de Doctr. Christ. lib. III, cap. 30, num. 42, tom. III, pag. 57.
(*d*) Gennad. l. c.
(*e*) Tillem. Mem. Eccl. tom. VI, pag. 718, not. 32, sur les Donatistes.
(*f*) Aug. de Doctr. Christ. l. c.
(*g*) Id ibid. num. 43.
(*h*) Id epist. 41, num. 2, opp. tom. II, pag. 88.
(*i*) II Tim. II, 20.
(*j*) Aug. Retract. lib. II, cap. 18.
(*k*) Cassiod. de Instit. divin. litter. cap. 10.

Digitized by Google

in compendium redactas suis intexuerit Sententiarum libris (*a*), earumque auctorem inter *Sapientes* retulerit.

IV. Quod superest, Tichonii liber Regularum primum prodiit Basileæ anno 1569 in Orthodoxographis Grynæi. Postmodum vero in prima Bibliothecæ Patrum Parisiensis editione Bignæana anno 1575. Præterea idem opus Tichonianum ad mss. codices exactum evulgavit anno 1622 Andreas Schottus in Supplemento seu Auctario bibliothecæ Patrum Coloniensis : atque ita recensitum Lugdunensi postremum intextum comparuit. Hanc autem Schotti editionem typis expressimus ; sacræ scripturæ loca diligentibus subnotavimus; menda complura quibus antea scatebat exemplar, sustulimus ; nonnullisque observationibus auximus.

(*a*) Isid. Hisp. Sentent. lib. I, cap. 19.

TICHONII AFRI
LIBER
DE SEPTEM REGULIS.

Necessarium duxi ante omnia quæ mihi videntur, libellum Regularum scribere et secretorum leges, veluti claves et luminaria fabricare. Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ universæ legis recessus obtinent, et veritatis thesauros aliquibus invisibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine invidia, ut communicamus, accepta fuerit, clausa quæque patefient, et obscura dilucidabuntur, ut quis prophetiæ universam silvam perambulans, his regulis quodammodo lucis tramitibus deductus, ab errore defendatur. Sunt autem regulæ istæ.

I. *De Domino et corpore ejus.*
II. *De Domini corpore bipartito.*
III. *De promissis et lege.*
IV. *De specie et genere.*
V. *De temporibus.*
VI. *De recapitulatione.*
VII. *De diabolo et ejus corpore.*

REGULA I.

De Domino et corpore ejus.

Dominum ejusque corpus, id est, Ecclesiam, Scriptura loquitur (II *Tim.* I, 20), sola ratio discernit : dum quid cuique conveniat, persuadet; sed quia tanta est vis veritatis, extorquet. Alias ulla persona convenitur, quam duplicem esse, diversa duorum officia edocent. Sic per Isaiam : *Hic*, inquit, *peccata nostra fert, et pro nobis dolet, et ipse vulneratus est propter facinora nostra. Deus tradidit illum pro peccatis nostris*, etc. (*Isa.* LIII, 4, 6, *sec.* LXX), quæ in Dominum convenire omnis Ecclesiæ ore celebratur. Sequitur autem et dicit de eodem : *Et Deus vult eum purgare a plaga, et vult Deus a dolore auferre illi lucem, et formare illum prudentia* (*Ibid.*, 10, 11). Numquid ei, quem tradidit pro peccatis nostris, vult ostendere lucem, et eum formare prudentia, cum ipse sit lux et sapientia Dei? et non corpori ejus? Quare manifestum est, sola ratione videri posse quando a capite ad corpus transitum faciat. Daniel quoque lapidem de monte præcisum impegisse in corpus regnorum mundi, et in pulverem comminuisse Dominum dicit. Montem vero effectum, et implevisse universam terram corpus ejus. Non enim sicut quidam dicunt, in contumeliam regni Dei, invictæque hæreditatis Christi, quod non sine dolore dico. Dominus totum mundum potestate (*Matth.* XXVIII, 18), et non sui corporis plenitudine occupavit. Dicunt enim eo monte mundum impletum ; quod liceat Christiano in omni loco, quod antea non nisi in Sion licebat, offerre. Quod si ita est, non opus erat dicere, ex lapide montem effectum, et incrementis mundum cœpisse. Dominus enim noster Christus, ante mundi constitutionem (*Joan.* XVII, 2), hanc habuit claritatem, et cum homo ille, Dei filius fuerit, non paulatim, ut lapis, sed uno tempore accepit omnem [a] pietatem in cœlo et in terra. Lapis autem incrementis factus est mons, et crescendo terram omnem texit. Quod si potestate implesset universam terram, non corpore, lapidi non compararetur. Potestas enim res est impalpabilis, lapis vero corpus palpabile. Nec sola ratione monstratur corpus, non caput crescere : sed etiam Apostolica auctoritate firmatur : *Crescatis*, inquit, *per omnia in eum, qui est caput Christus, ex quo omne corpus constructum et connexum, per omnem tactum subministrationis in mensuram uniuscujusque partis, incrementum corporis facit, in ædificationem sui* (*Ephes.* IV, 15, 16). Et iterum : *Non tenetis caput, ex quo omne corpus per tactum et conjunctione constructum et subministratum, crescit in incrementum Dei* (*Coloss.* II, 29). Non ergo caput quod ex origine idem est, sed corpus crescit ex capite. Ad propositum redeamus. Scriptum est de Domino et ejus corpore; quid cui conveniat, ratione discer-

[a] Potestatem.

Digitized by Google

nendum : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis : in manibus ferent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem. Quoniam in me speravit, eripiam eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Invocavit me, et ego exaudiam eum, cum eo sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum adimplebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XC, 11-16). Numquid de cujus obsequio mandavit angelis suis Deus, eidem ostendit salutare suum, et non corpori ejus? Iterum : *Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornatu* (*Isa.* LXI, 10, *sec.* LXX). Unum corpus dixit utriusque sexus sponsi et sponsæ : sed quid in Dominum, quid in Ecclesiam conveniat, ratione cognoscitur. Et idem Dominus dicit in Apocalypsi : *Ego sum sponsus et sponsa* (*Apoc.* XVIII, 23). Et iterum : *Exierunt obviam sponso et sponsæ* (*Matth.* XXV, 1). Et iterum, quid capiti et corpori, ratione discernendum sit per Isaiam declaratur : *Sic dicit Dominus* [a] *Christo Domino meo, cujus ego tenui dexteram,* [b] *ut exaudiant eum gentes* (*Isa.* XLV, 1-3). Sequitur et dicit, quod non nisi corpori conveniat : *Et dabo tibi thesauros absconditos et invisibiles aperiam tibi, ut scias quoniam ego sum Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel, propter Jacob puerum meum, et Israel electum meum.* Propter testamentum enim quod disposuit Patribus, ad agnoscendum se, Deus aperit corpori Christi thesauros invisibiles, *quos oculus non vidit, nec auris audivit, nec illi in cor hominis ascenderunt* (I *Cor.* II, 9), sed nec [c] obturati hominis, qui non est in corpore Christi : Ecclesiæ autem revelavit Deus per Spiritum sanctum ista quidem, quamvis hoc gratiæ Dei sit. Adhibita tamen ratione, aliquando facilius videntur. Sunt alia in quibus hujusmodi ratio minus claret ; eo quod, sive in Domino, sive in corpore ejus recta conveniat dictum. Quamobrem sola et majore Dei gratia videri possunt. Sic in Evangelio : *Amodo*, inquit, *videbitis filium hominis sedentem ad dextram virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXVI, 64). Alio loco dicit : *Non visuros venientem in nubibus cœli, nisi novissimo tantum die plangentes omnes tribus terræ. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXIV, 30). Utrumque autem fieri necesse est. Sed primo corporis est adventus, id est Ecclesiæ jugiter venientis in eadem claritate invisibili ; deinde capitis, id est, Domini in manifesta claritate. Si enim diceret : *Amodo videbitis venientem*, solius corporis intelligendus esset adventus. Si autem *videbitis*, capitis adventus. Nunc vero *amodo*, inquit, *videbitis venientem*, quoniam corpore suo jugiter venit nativitate et similium passionum claritate. Si enim renati Christi membra efficiuntur, et membra quæ corpus efficiunt, Christus est qui venit, quoniam nativitas adventus est sicut scriptum est : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Et iterum : *Generatio vadit, et generatio venit* (*Eccle.* I, 4). Et iterum : *Sicut audistis, quia Antichristus venit* (1 *Joan.* II, 18). Iterum de eodem corpore : *Si enim iste qui venit, alium Christum prædicat* (II *Cor.* XI, 4). Unde Dominus, cum de signo adventus sui interrogaretur, de illo adventu suo cœpit disputare, qui ab inimico corpore signis et prodigiis imitari potest : *Cavete*, inquit, *ne quis vos seducat* (*Matth.* XXIV, 4). *Multi venient, in nomine meo*, id est in nomine corporis mei. Novissimo autem adventu Domini, id est, consummationis totius adventus ejus, nemo, ut aliqui putant, moreretur. Sed quo plenius ista dicantur, ordini suo relinquamus. Nec illud erit absurdum, quod ex uno totum corpus volumus intelligi, ut Filium hominis Ecclesiam, quoniam Ecclesia, id est Filii Dei redacti in unum corpus, dicti sunt Filius Dei, dictus unus homo, dicti etiam Deus, sicut per Apostolum : *Super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (II *Thess.* II, 4). Qui dicitur Deus, Ecclesia est. Quod autem colitur, Deus summus est : *ut in templo Dei sedeat, ostendens se, quod ipse sit Deus*, id est, quod ipse sit Ecclesia. Quasi diceret : In templo Dei sedeat, ostendens se quod ipse sit Dei templum. Aut in Deo sedeat, ostendens se, quod ipse sit Deus. Sed hunc intellectum non minus, ut novimus, voluit obscurare Daniel de rege novissimo : *In Dominum*, inquit, *locus ejus glorificabitur* (*Dan.* XI, 38, *sec.* LXX) : id est clarificabitur, velut Ecclesiam in loco Ecclesiæ, in loco sancto, abominatione vastationis, in Deum, id est, in Ecclesiam subornavit. Et Dominus totum populum, sponsam dicit et sororem. Et Apostolus Virginem sanctam, et adversum corpus, hominem peccati. Et David totam, Christum, Ecclesiam dicit : *Faciens misericordias Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum* (*Psal.* XVII, 51). Et apostolus Paulus, corpus Christi, Christum appellat : *Sicut enim unum corpus est, membra autem habet multa ; omnia autem membra ex uno corpore, cum sint multa, unum corpus sunt : sic et Christus* (I *Cor.* XII, 12), id est Christi corpus, quod est Ecclesia. Iterum : *Gaudeo in passionibus pro vobis : et repleo, quæ desunt pressurarum Christi* (*Coloss.* I, 24), id est, Ecclesiæ. Nihil enim defuit Christi passionibus : quoniam sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus. Sic ergo adventum Christi pro locis accipiemus. Item in Exodo, omnes filios Dei, unum filium, et omnes primogenitos Ægyptiorum, primogenitum esse, sic Deo dicente, cognoscimus : *Hæc dices*, inquit, *Pharaoni : Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi : Dimitte populum meum, ut serviat mihi. Tu autem noluisti dimittere eum* (*Exod.* IV, 22). Unde ergo : *Ecce ego occidam filium tuum primogenitum.* Et David, vineam Domini, unum filium, sic ait :

[a] Pro Κύρῳ, Cyro, legit κυρίῳ, Domino.
[b] *Ut subjiciam ante faciem ejus gentes.* Vulg.
[c] Obdurati.

Digitized by Google

Deus virtutum, convertere : respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi (*Psal.* LXXIX, 15). Et Apostolus filium Dei dicit, qui filio Dei mixtus est : *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei, ex semine David secundum carnem. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri* (*Rom.* I, 1-4). Si diceret de filio suo, ut ex resurrectione mortuorum, unum filium ostenderet ; nunc autem, *de filio*, inquit, *suo, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Sed qui factus sit filius Dei ex resurrectione Christi, apertius ostendit de filio suo, quia factus est ei, ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei. Dominus etenim noster, non est prædestinatus filius Dei, quia Deus est, et cœqualis est Patri, qui ex quo creatus est, hoc est. Sed ille, cui secundum Lucam dicit in baptismo : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Qui ex semine David, mixtus est principali Spiritui, et factus est ipse filius Dei, *ex resurrectione Domini nostri Jesu Christi :* id est, dum resurgit in Christo semen David : non ille, de quo ait ipse David : Sic *dicit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX, 1). Itaque facti sunt duo, una caro, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), et caro Deus : quia non ex sanguine, sed ex Deo nati sumus. Apostolus dicit : *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Unum namque semen promisit Deus Abrahæ ; ut quantiscumque Christi miscerentur, unus esset in Christo, sicut Apostolus dicit : *Omnes vos, unum estis in Christo Jesu. Si autem vos unum estis in Christo Jesu : ergo Abrahæ semen estis, et secundum promissionem hæredes* (*Gal.* III, 28, 29).

Distat autem, inter *unum estis :* et *unus estis*. Quotiescumque alter alteri voluntate miscetur uni, unum sunt. Sicut Dominus dicit : *Ego et Pater, unum sumus* (*Joan.* X, 3). Quotiescumque autem et corporaliter miscentur, et in unam carnem duo solidantur : unum sunt corpus. Itaque in capite suo filius est Dei ; et Deus in corpore suo, filius est hominis, qui quotidie nascendo venit, et crescit in templum sanctum Dei. Templum enim bipartitum est. Cujus pars altera, quamvis lapidibus magnis extruatur, destruitur : neque in eo lapis super lapidem relinquetur. Istius nobis jugis adventus cavendus est, donec de medio ejus discedat Ecclesia.

REGULA II.

De Domini corpore bipartito.

Regula bipartiti corporis Domini multo necessarior et a nobis tanto diligentius perspicienda, et per omnes Scripturas ante oculos habenda est. Sicut enim, ut supra dictum est, a capite ad corpus ratione sola videtur : ita a parte corporis ad partem, a dextra ad sinistram, vel a sinistra ad dextram reditus in supradicto capite claret. Dum enim dicit uni corpori : *Thesauros absconditos aperiam tibi invisibiles, ut scias, quoniam ego sum Deus, et assumam te* (*Isa.* XLV, 3) : et adjecit : *Tu autem me non cognovisti, quoniam ego sum Deus, et non est alius absque me Deus, et nesciebas me* (*Ibid.*, 4, 5). Numquid, licet unum corpus alloquitur, in unam mentem convenit, *thesauros invisibiles aperiam tibi, ut cognoscas, quoniam ego sum Deus, propter puerum meum Jacob :* Et *tu autem me non cognovisti?* In eadem : et non accepit Jacob, quod Deus promisit. Aut in unam mentem non convenit : *Tu autem me non cognovisti, et nesciebas me : Nesciebas* enim non dicitur, nisi ei, qui jam scit. *Non cognovisti* autem illi dicitur, qui licet ad hoc vocatus sit, ut cognosceret, et ejusdem corporis sit visibiliter, et Deo labiis quidem appropinquet ; corde tamen separatus sit. Huic dicit, *tu autem me non cognovisti*. Iterum : *Ducam cæcos in viam, quam non noverunt, et semitas quas non cognoverunt, calcabunt : et faciam illis tenebras in lucem, et prava in directum. Hæc verba faciam, et non derelinquam eos. Ipse autem conversi sunt retro* (*Isa.* XLII, 16, 17). Numquid, quos dixit *non derelinquam*, iidem conversi sunt retro, et non pars eorum? Iterum dicit Dominus ad Jacob : *Noli timere, quia tecum sum. Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente colligam te. Dicam Aquiloni, da ; et Africo, noli vetare. Adduc filios meos de terra longinqua, et filias meas a summo terræ, et omnes in quibus vocatum est nomen meum. In gloriam enim meam paravi illum, et finxi illum, et produxi plebem cæcam, et oculi eorum sunt similiter cæci, et surdas aures habent* (*Isa.* XLIII, 5, 8). Numquid, quos in gloriam suam paravit, iidem sunt cæci et surdi? Iterum : *Patres tui primo ; principes eorum facinus admiserunt in me, et inquinaverunt principes tui sancta mea, et dedi perire Jacob, et Israel in maledictum* (*Ibid.* 25). *Nunc audi me, puer meus Jacob, et Israel quem elegi* (*Isa.* XLIV, 1). Ostendit illi Jacob dedisse perire, et Israel in maledictum, quem non elegerat. Iterum : *Finxi te puerum meum, meus es tu, Israel, noli oblivisci mei. Ecce enim delevi velut nubem facinora tua, et sicut nimbum peccata tua. Convertere ad me, et redimam te* (*Ibid.*, 21). Numquid, cujus peccata delevit, cui dicit, *meus es tu :* Et, *ne obliviscatur sui :* commemorat eidem, et dicit, *convertere ad me*, aut alicujus antequam convertatur, peccata delentur? Iterum : *Scio quoniam reprobatus reprobaberis : propter nomen tuum, ostendam tibi dignitatem meam, et præclara mea superducam tibi* (*Isa.* XLVIII, 8, 9). Numquid reprobato ostendit dignitatem suam, et præclara sua inducit ei? Iterum : *Non* [a] *senior, non Angelus : sed ipse consideravit eos propter quod diligeret eos, et parceret illis. Ipse redemit eos. Sed ipse salvavit eos.*

[a] LXX, οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος. *Non legatus, neque angelus* : Et statim : ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς.

Digitized by Google

mit illos, et assumpsit illos, et exaltavit illos omnes dies sæculi. Ipsi autem contumaces fuerunt et exacerbaverunt Spiritum sanctum (*Isa.* LXIII, 9, 10, *sec.* LXX). Quos omnes dies sæculi exaltavit, quo tempore fuerunt contumaces, aut exacerbaverunt Spiritum sanctum? Iterum aperte Deus uni corpori firmitatem, et interitum promittit, dicens : *Hierusalem civitas dives, tabernacula quæ non commovebuntur, neque agitabuntur pali tabernaculi tui in æternum tempus, neque funes ejus rumpentur* (*Isa.* XXXIII, 20, 21, *sec.* LXX). Et adjecit : *rupti sunt funes tui, quia non valuit arbor navis tuæ, inclinaverunt tua vela et non tollet signum, donec tradatur in perditionem* (*Ibid.* 23). Iterum ostendit breviter bipartitum Christi corpus : *Fusca sum et decora* (*Cant.* 1, 4). Absit enim, ut Ecclesia, quæ *non habet maculam, aut rugam* (*Ephes.* v, 27), quam Dominus suo sanguine mundavit, aliqua ex parte fusca sit, nisi in parte sinistra, per quam nomen Dei blasphematur in gentibus; alias, *tota speciosa est*, sicut dicit. *Tota speciosa es, proxima mea : et reprehensio nulla est in te* (*Cant.* IV, 7). Etenim dicit qua de causa sit fusca et speciosa : *ut tabernacula Cedar, et pelles Salomonis.* Duo tabernacula ostendit : Regium et servile. Utrumque tamen semen Abrahæ. *Cedar* enim filius est Ismael. Alio denique loco, cum isto Cedar, id est, cum servo ex Abraham, diuturnam mansionem sic ingemuit Ecclesia dicens : *Heu me! quia peregrinatio mea longinqua facta est : Habitavi cum tabernaculis Cedar, multum peregrinata est anima mea. Cum odientibus pacem, eram pacificus : cum loquerer illis, debellabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 5-7, *sec.* LXX). Non possum autem dicere, *tabernaculum Cedar*, præter Ecclesiam esse. Ipse enim dicit : Tabernaculum *Cedar et Salomonis :* Unde *fusca sum*, inquit, *et decora.* Non enim Ecclesia in his qui foris sunt, fusca est. Hoc mysterio Dominus in Apocalypsi septem angelos dicit, id est, Ecclesiam septiformem, nunc sanctos et præceptorum custodes : nunc eosdem et multorum criminum reos, et pœnitentia dignos ostendit. Et in Evangelio unum prælatorum corpus, diversi meriti manifestat, dicens : *Beatus ille servus, quem adveniens dominus illius, invenerit ita facientem* (*Luc.* XII, 43.) Et de eodem : *si autem nequam ille servus, quem Dominus dividit in duas partes* (*Luc.* XIX, 21). Dico : numquid omnem dividet, aut findet? Denique totum non totum : sed *partem ejus cum hypocritis ponet* (*Matth.* XXIV, 51). In uno enim corpus ostendit. Hoc itaque corpus accipiendum est per omnes scripturas, sicubi Deus dicit, ob meritum Israel periturum, aut hæreditatem suam exsecrabilem. Apostolus enim copiose ita disputat, maxime ad Romanos, in parte accipiendum, quidquid de toto corpore dictum est. *Ad Israel*, inquit, *dicit : Tota die expandi manus meas ad plebem contradicentem* (*Rom.* X, 21). Et ut ostenderet de parte dictum : *Dico*, inquit, *Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abrahæ, tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit* (*Rom.* XI, 1, 2). Et postquam docuit, quemadmodum hæc locutio intelligenda esset; eodem genere locutionis ostendit, unum corpus et bonum esse et malum, dicens : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos : secundum electionem autem, dilecti propter patres* (*Ib.* 28). Numquid idem dilecti, qui inimici, aut potest in causa utrumque convenire? Ita Dominus in omnibus Scripturis. Unum corpus seminis Abrahæ in omnibus gentibus crescere et florere atque perire testatur.

REGULA III.

De promissis et Lege.

Exponitur Paulus ad Rom. et ad Gal., *et Isai.* c. XLVIII.

Auctoritas divina est, neminem aliquando ex operibus legis justificari potuisse. Eadem auctoritate firmissimum est, non defuisse, qui legem facerent, et justificarentur.

Scriptum est : *Quæcumque lex loquitur, his dicit qui in lege sunt : ut omne os obstruatur, et subjectus fiat omnis mundus Deo. Quia non justificatur ex lege omnis caro in conspectu ejus. Per legem enim agnitio peccati* (*Rom.* III, 19, 20). Iterum : *Peccatum vestri non dominabitur. Non enim estis sub lege* (*Rom.* VI, 4). Iterum : *Et nos in Christum credimus : ut justificemur ex fide, et non ex operibus legis* (*Gal.* II, 16). Iterum : *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnimodo ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato : ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Gal.* III, 21, 22). Sed dicet quis : a Christo, et infra non justificat lex, suo tamen tempore justificavit. Huic occurrit auctoritas apostoli Petri, qui, cum gentes a fratribus cogerentur sub jugo legis, sic ait : *Quid tentatis Dominum imponere volentes jugum super collum discentium, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare* (*Act.* XV, 10). Et apostolus Paulus : *Cum essemus*, inquit, *in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum afferrent morti* (*Rom.* VII, 5). Et contra, idem Apostolus dicit : *Justitia, quæ ex lege est, conservatus sine querela* (*Philipp.* III, 6). Quod si tanti Apostoli auctoritas deesset : quid dici potuit contra testimonium Domini dicentis : *Ecce! vere Israelita in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Quod et si Dominus hoc testimonium non dignaretur perhibere : quis tam sacrilegus, quis tam tumore stuporis elatus diceret, Moysen et Prophetas, vel omnes Sanctos justitiam non fecisse, aut justificatos non esse? cum Scriptura dicat de Zacharia et uxore ejus : *Erant justi ambo in conspectu Dei, ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Dei sine querela* (*Luc.* I, 6). Et Dominus non venerit *vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 13). Lex autem, quomodo justificari potuit a peccato, quæ ad hoc data est : *Lex autem subintravit, ut multiplicaretur peccatum* (*Rom,* V, 20). Illud autem scire debemus et tenere : numquam omnino interceptum esse semen Abrahæ, ab Isaac usque ad hodiernum. Semen autem Abrahæ non carnale, sed spirituale, quod non ex lege est, sed ex repromissione est. Alterum enim semen carnale est, quod ex lege est a monte Sina, *Quod est Agar in servitute generans. Ille quidem, qui*

Digitized by Google

ex ancilla carnaliter natus est. Qui autem ex libera, ex promissione (*Gal.* IV, 23, 24). Non esse autem semen Abrahæ, nisi quod ex fide est, Apostolus dicit: *Cognoscitis ergo, quoniam qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ* (*Gal.* III, 7)? Et iterum: *Vos autem, fratres secundum Isaac, promissionis filii estis* (*Gal.* IV, 28). Semen ergo Abrahæ, non ex lege, sed ex promissione est, quod ex Isaac jugiter transit. Si autem constat semen Abrahæ, quod ex fide est, constat, quia numquam fuit ex lege. Non enim potuit ex lege esse, et ex fide. Lex enim et fides, diversa res est. Quia lex non est fidei, sed operum. Sicut scriptum est: *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis* (*Gal.* III, 12). Abraham ergo fide semper filios habuit, lege numquam. Non enim ex lege promissio est Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui per legem ipsi sunt hæredes, vacua est fides, et vacua est promissio. Lex enim iram operatur. Si ergo nec fides, nec promissio Abrahæ destrui potest, ab ortu sui jugiter mansit. Nec, data lege, impedita est: quominus Abrahæ filii secundum promissionem fidei generentur. Dicit enim Apostolus, post quadringentos et triginta annos datam legem non obfuisse, nec destruxisse promissionem: *Si enim ex lege* [a], *jam non ex promissione. Abrahæ autem, per repromissionem donavit Deus* (*Ibid.*, 18). Et alio loco: *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit* (*Ibid.*, 21). Videmus legem ad promissa non pertinere, nec aliquando alteram in alteram impegisse, sed utramque ordinem suum tenuisse. Quia sicut lex numquam fidei obfuit, ita nec fides legem destruxit. Sicut scriptum est: *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus* (*Rom.* III, 31), id est, firmamus: invicem namque firmant. Ergo filii Abrahæ non ex lege sunt, sed ex fide per repromissionem. Quærendum autem quemadmodum hi, qui ex operibus legis negantur potuisse justificari, in lege positi, et legem operantes, justificati fuerint. Quærendum præterea, cur post promissionem fidei, quæ nullo modo destrui potest, data est lex, quæ non est ex fide: ex cujus operibus nemo justificaretur, quia, *Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea* (*Gal.* III, 10). Apostolus denique huic quæstioni prospiciens, cum asserat omnimodo filios Abrahæ dono Dei semper fuisse per fidem, non per legem factorum, ex alterius persona respondit sibi, dicens: *Quid ergo lex factorum* (*Rom.* III, 27)? Id est: Si ex fide filii, cur data est lex factorum, cum sufficeret promissio generandis filiis Abrahæ, et fide essent nutriendi? *Quia justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17; *Gal.* III, 11; *Heb.* X, 30). Antequam enim se interrogasset: *Quid ergo lex factorum?* jam dixerat, ut viverent, qui ex fide justificari non possent, hoc modo: *Quoniam autem ex lege nemo justificatur apud Deum: justus autem ex fide vivit* (*Gal.* III, 11). Ostendit præterea, dictum esse per Prophetam, *Ex fide vivit*: ut manifestum fieret, quemadmodum viverent, qui legem facere non possent. Sed minus lucet, quid sit: *Justus ex fide vivit* (*Habac.* II, 4). Non enim potuit quisquam justus in lege positus vivere, nisi opera legis fecisset, et omnia opera: sin minus, maledictus esset. Dedit Deus legem, et dixit: *Non concupisces* (*Exod.* XX, 17; *Deut.* V, 21). Statim occasione accepta, peccatum, per mandatum operatum est omnem concupiscentiam. Necesse est enim passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operari in membris ejus, qui in lege est. Propterea ea data est: *ut abundaret peccatum* (*Rom.* V, 20), quia virtus peccati, lex. Venundatus autem sub peccato, jam non quod vult operatur bonum, sed quod non vult malum: consentit enim legi, secundum interiorem hominem. Expugnatur autem aliter lege membrorum, trahiturque captivus, neque aliquando liberari potuit, nisi sola gratia per fidem. Est autem magnum crimen perfidiæ, non attendisse genus armorum, quibus violentia peccati expugnaretur, et e contra, magnificæ fidei est inquisisse et vidisse. Est ergo sacrilega mens, et male de Deo sentiens, quæ cum legem nullo modo humanitus posse fieri, et ad ulciscendum paratam videret; non intellexerit esse aliquod remedium vitæ: nec fieri potuisse, ut bonus Deus, qui sciebat legem non potuisse fieri, alterum vitæ aditum non reliquisset: et adversum homines, quos ad vitam fecerat, undiqueversum vitæ vias clausisset. Hoc fides non tulit, non admisit. Sed cum infirmitate carnis, et virtute peccati urgeretur: Deus dedit claritatem. Sciens Dominum bonum et justum, et viscera suæ miserationis contra opera manuum suarum non clausisse: intellexit esse iter ad vitam, et faciendæ legis remedium vidit. Deus enim cum diceret: *Non concupisces*; non denudavit, quemadmodum id provenire posset, sed vere atque decise dixit: *Non concupisces;* quoniam id reperiendum reliquit. Si enim mandaret a se proventum postulari, legem destruxerat et fidem. Ut quid enim legem daret, si legem in omnibus factorum polliceretur? Aut quid fidei relinqueretur, si fidem, auxilium pollicendo, præveniret? Nunc autem bono fidei dedit legem, ministram mortis: ut amatores vitæ, fide vitam viderent, et justi, fide viverent, qui opus legis non ex sua virtute, sed ex Dei dono fieri posse crederent. Lex enim a carne fieri non potest: quæ cum facta non fuerit, punit. Quæ ergo spes homini faciendæ legis, et fugiendæ mortis: nisi opis et misericordiæ Dei, quam fides invenit? *Caro legi Dei subjecta non est; neque enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu; siquidem Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 7, 9). Ostendit Spiritum Dei et Christi, idem esse. Ostendit præterea,

[a] *Hæreditas.*

Digitized by Google

qui Spiritum Dei habuerit, in carne non esse. Si ergo unus est Spiritus Dei et Christi; prophetæ et sancti quia Spiritum Dei habuerunt, Spiritum Christi habuerunt. Si spiritum Dei habuerunt, in carne non fuerunt, et legem fecerunt : quia caro est inimica in Deum, et legi ejus subjecta non est. Qui ergo ad Deum confugit, accepit Spiritum Dei, quo accepto, mortificata est caro; qua mortificata, potuit facere legem spiritualis, liberatus a lege, quia justo non est posita. Et iterum : *Si Spiritu Dei agimini, non estis sub lege* (*Gal.* v, 18). Qua re manifestum, quia patres nostri, qui Spiritum Dei habuerunt, non fuerunt sub lege. Quamdiu enim quis in carne est, id est, Spiritum Dei non habet, dominatur ei lex. Si autem tradiderit se gratiæ, moritur legi, et facit in illo legem spiritus, mortua carne, quæ legi Dei subjecta esse non potest. Quod enim gerebatur, id etiam nunc geritur, non enim quia sub lege non sumus, cessavit interdictio illa concupiscentiæ, et non magis aucta est; sed nos in revelatam gratiam concurrimus per fidem, edocti a Domino, opus legis de ejus misericordia postulare et dicere : *Fiat voluntas tua* : Et, *Libera nos a malo* (*Matth.* vi, 10, 13). Illi autem in non revelatam per eamdem fidem coacti metu mortis, quam ministra lege parato gladio intentari videbant. Lex data est, donec veniret semen, cui promissum est et evangelizare fidem. Antea vero, lex cogebat in fide; quasi sine lege non possit exprimi fides, ad exquirendam Dei gratiam, eo quod peccatum virtutem non haberet. Data vero lege, passiones quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, urgentes in peccatum, ut vel necessitate, urgerentur in fide, quæ imploraret gratiam Dei in auxilio tolerantiæ. Custodiam carceris passi sumus, lege minante mortem, et undiqueversum insuperabili muro ambientem, cujus ambitus sola una janua fuit gratia. Huic januæ custos, fides præsidebat : ut nemo illum carcerem effugeret, nisi cui fides aperuisset; et qui hanc januam non pulsaret, intra septa legis morereturⁿ. Legem pædagogum passi sumus, qui nos cogeret studere fidei, qui nos cogeret in Christo. Dicit enim Apostolus, propterea datam legem, ut nos custodia sua concluderet in fidem, quantum futurum erat revelari in Christo, qui est finis legis, quo vixerunt omnes, qui fidem gratiæ Dei exquisierunt. *Prius*, inquit, *quam veniret fides*, sub lege custodiebamur, conclusi in fidem, quam futurum erat revelari. *Lex itaque pædagogus noster fuit in Christo* (*Gal.* iii, 24) : ut ex fide justificemur. Lex, inquam, [a] *fides* erat demonstratrix. Sed dicet quis : si in utilitate fidei data est lex, cur non ab origine seminis Abrahæ, siquidem juge fuit? Revera, juge fuit. Jugis et fides, ut genitrix filiorum Abrahæ. Jugis et lex, per dignoscentiam boni et mali. Sed post promissionem filiorum Abrahæ, multiplicatis eis secundum carnem, multiplicandum erat et semen Abrahæ, quod non est ex fide. Quæ multiplicatio, evenire non possit sine adjutorio legis multiplicatæ, et multitudo in fidem necdum revelatam, sicut jam dictum est, vel necessitate deduceretur. Providentia itaque Dei, sanctum ex augendo gubernandoque semen Abrahæ, ut severitate et metu legis, multi compellerentur in fidem, et semen fulciretur usque ad fidei revelationem: *Lex autem subintravit, ut multiplicaretur peccatum. Ubi*, inquit, *multiplicatum est peccatum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20). Non dixit, *nata*, sed *superabundavit*. Ab initio enim data est fugientibus legis molestias atque dominium. Abundavit autem multiplicata lege, superabundavit vero in omnem carnem, revelata in Christum. Qui veniens restaurare, quæ in cœlo, et quæ in terra, evangelizavit fidem his, *qui proxime et qui longe* (*Is.* lvii, 19; *Ephes.* ii, 17), id est, peccatoribus Israel et gentibus. Justi enim Israel ex fide, in eamdem fidem vocati sunt. Idem namque spiritus, eadem fides, eadem gratia per Christum semper data est. Quorum plenitudinem veniens, remoto legis velamine, omni genti largitus est, quæ modo, non genere a futuris differebant. Aliter enim numquam fuit semen Abrahæ. Quod si quisquam præter fidem justificatus est : filius Abrahæ non fuit. Quoniam filius Abrahæ dici non potest, si ex lege, et non sicut Abraham, ex fide justificatus est. Ab eadem namque imagine gratiæ et spiritus, in eamdem transisse Ecclesiam, docet Apostolus, dicens : *Nos autem omnes, revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem commutamur, a claritate in claritatem* (II *Cor.* iii, 18). Dicit et ante passionem Domini gloriam fuisse, et negat ex lege excludi, id est, exprimi, produci, effici potuisse. Unde, manifestum est, ex fide fuisse. *Ubi ergo*, inquit, *gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Et numquid operum? Non; sed per legem fidei* (*Rom.* iii, 27, 28). *Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei in justitiam* (*Rom.* iv, 3). Ad gloriam ex eadem gloria transivimus : quæ non fuit ex lege. Si ex operibus fuit, habet gloriam, sed non ad Deum. Etenim impossibile est, sine gratia Dei, habere aliquam gloriam. Una est enim gloria, et uno genere semper fuit. Nemo enim vicit, nisi cui Deus vicerit, quod non est ex lege : sed qui fecerit. In fidem autem, Deus infirmum facit adversarium nostrum. Propterea, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31). Si enim quod vincimus, nostrum non est : non est ex operibus, sed ex fide. Nihil est igitur quod ex nobis gloriemur. Nihil enim habemus, quod non accepimus. Si sumus, ex Deo sumus : ut magnitudo virtutis sit Dei, et non ex nobis. Omne opus nostrum, fides est. Quæ quanta fuerit, tantum Deus operatur in nobis. Cum in hoc gloriatur Salomon fuisse non ex homine; sed ex Dei dono esse hominis continentia : *Cum scivi*, inquit, *quia aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit. Et hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus hoc*

[a] *Fidei.*

Digitized by Google

donum esset. Adii Dominum, et deprecatus sum (*Sap.* VIII, 21). Judicio Salomonis credendum est, non ex operibus, sed ex gratia Dei, omnes justificatos, qui scierunt opus legis a Deo implendum, quo possint gloriari. Dicit autem Apostolus : *Ut omnis caro non glorietur in conspectu Dei* (I *Cor.* I, 29). Mali omnimodo, quod Deum non cognoverunt : justi, quod non suum, sed Dei sint opus. *Inutilia*, inquit, *et abjecta elegit Deus, quæ non sunt : ut ea, quæ sunt, evacuarentur, ut non glorietur in conspectu Dei omnis caro. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est vobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctimonia, et redemptio : ut secundum quod scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*Ibid.*, 28-30). Et iterum : *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis* (*Ephes.* II, 8). Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis glorietur : ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo. Sic nulla caro aliquando ex lege, id est ex operibus justificari potest, ut omnis justus ex Deo gloriam haberet. Est aliud, quod nemo glorietur in conspectu Dei : Deus enim sic suis operatur, ut sit quod et dimittat : *Nemo est enim mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus* (*Job.* XIV, 4). Et David dicit : *Non introeas in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Ps.* CXLII, 2). Et Salomon in dedicatione templi : *Non est*, inquit, *homo qui non peccavit* (III *Reg.* VIII, 46). Et iterum : *Tibi soli deliqui* (*Ps.* L, 6). Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum esse a peccato? Parum fuit de corde casto, id est, a cogitationibus, nisi et a peccato se mundum nemo gloriaretur. Omnis victoria non ex operibus, sed Dei miseratione conceditur, sicut scriptum est : *Qui te coronat in miseratione et misericordia* (*Ps.* CIV, 4). Et mater martyrum filio suo sic dicit : *Ut illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam* (II *Machab.* VII, 29). Justi autem perfecerunt voluntatem Dei voto atque conatu, qui nituntur et concupiscunt Deo servire, non tamen in lege. Quæ si justificasset, omnes justi unius essent meriti, quia parem de omnibus exigit observationem : sin minus, operaretur maledictio : si autem disparis erat meriti, quis quantum credidit sibi dari, tantum gratiæ Dei miserentis accepit, transformatus a gloria in gloriam, sicut a Dei spiritu, id est, ex eodem in eumdem? Tale est enim, quia post Christum fides data est : quale, quia Spiritus sanctus, cum semper omnes prophetæ et justi eodem spiritu vixerunt. Non enim aliter vivere potuerunt, quam spiritu fidei. Quotquot enim sub lege fuerunt, occisi sunt. Quia *littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). Et tamen dicit Dominus de eodem Spiritu : *Nisi ego abiero, ille non veniet* (*Joan.* XVI, 7), cum et Apostolis jam dedisset eumdem spiritum. Apostolus autem dicit, eumdem spiritum apud antiquos fuisse : *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum* (II *Cor.* IV, 13). Eumdem spiritum fidei, dixit habuisse eumdem, qui dixit : *Credidi propter quod locutus sum* (*Ps.* CXV, 1) : et id confirmat, dicens : *Et nos credimus ; ideoque et loquimur*. Dicendo : *Et nos*, ostendit et illos eodem spiritu fidei credidisse. Unde manifestum est, quia hæc justi non ex lege, sed spiritu fidei semper habuerunt. Quidquid per Dominum venit, plenitudo est, cujus pars fuit per eumdem. Sicut parvulus, qui cum nihil minus habeat a viro, tamen vir non est, et per incrementa non novorum, sed eorumdem membrorum, in eum venit plenitudo corporis, ut sit perfectus, idem tamen qui fuerat parvulus. Revera non erat in omnibus Spiritus sanctus ante passionem Domini ; sed in illis qui per ipsum præsentem credebant, ut ipso victore, et cuncta perficiente, signati perficerentur. Nam justi, quos hic invenit, habuerunt Spiritum sanctum, ut Simeon et Nathanael, et Zacharias, et Elisabeth, et Anna vidua filia Phanuel. Promissio a lege separata est ; neque cum sit diversa, immisceri potest. Non conditio infirmat promissionem ; cogimur autem nos loqui ea, quæ sine igne doloris audire non possumus. Dicunt enim quidam, qui promissionum firmitatem, et quæ ex lege est, transgressionem nesciunt : promisisse quidem Deum Abrahæ, omnes gentes (sed salvo libero arbitrio), si legem custodissent. Et si pericula imperitiæ quorumdam justorum salute patefacere prodest ; sed cum de Deo omnipotente sermo est, moderari dicenda debemus, ne silenda reputando memoremus, et ex ore nostro, aliena licet, audiantur. Quare cum tremore loquentes, sua cuique pericula consideranda relinquamus. Manifestum est, præscisse Deum, futuros de libero arbitrio, quos Abrahæ promisit, aut non futuros. Alterum est duorum : si futuros, finita quæstio est ; si non futuros, [a] fidelis Deus non promitteret. Aut si hoc est statutum apud Deum, tunc promissos dare, si promissi vellent : profecto diceret, ne servus ejus ac credens, quia, quod promisit, potens est et facere, ludificaretur Abraham. Promissio autem illa est, quæ nihil conditionis incurrit. Sin minus ; nec promissio est firma, nec fides integra. Quid enim stabile remanebit in Dei promissione, aut in Abrahæ fide, si id, quod promissum et creditum est, in eorum, qui promissi sunt, penderet arbitrio? Ergo et Deus alienum promisit, et Abraham incaute credidit. Ut quid etiam ipsa promissio, debitum postmodum facta est, dicente Deo : *Benedicentur in te omnes gentes terræ, pro eo quod audisti vocem meam, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Gen.* XXII, 18)? Neque autem ex his, quibus facile est, et adversum Abrahæ meritum liberi arbitrii calumnia strepere ; etiam post mortem ipsius Abrahæ, debitorem se ipsius confirmat Deus, et propter eum, se facturum, quod ejus filio promittebat, dicens : *Ero tecum, et benedicam te. Tibi enim et semini tuo dabo terram hanc, et statuam jurationem meam, quam ju-*

[a] Alias, *fideles*.

Digitized by Google

ravi Abrahæ patri tuo, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et dabo tibi et semini tuo omnes gentes terræ, pro eo quod audivit Abraham pater tuus vocem meam (*Gen.* XXVI, 3-5). Ecce firmatum est debitum Abrahæ. Non enim potuit per liberum arbitrium, post mortem amittere, quod vivus meruerat; noluerunt autem gentes credere. Quid faciet Abraham, cui debetur? quomodo accipiet fidei et tentationis suæ debitum, cujus debere Deo securus fuit? Cui si dictum est : *Dabo quod promisi, et reddam quod juravi* (*Ibid.*, 4) : si voluerint gentes, non crederet, sed exspectaret fortuitum. Si conditione opus est, cum operario esse debet, non cum mercede. Operarius enim potest velle accipere aut nolle, non merces reddi aut non reddi. Omnes enim gentes in mercedem fidei datæ sunt Abrahæ, sicut Deus dicit : *Merces tua multa est* (*Gen.* XV, 1). Non enim si futuri essent, et non quia futuri erant, promisit. Quia non propter fidem Abrahæ, placuit Deo, salvas fore omnes gentes : quas non modo ante fidem Abrahæ, sed ante mundi constitutionem possedit. Sed quæsivit fidelem, cui id donaret, ex quo esset, cui id futurum statuerat. Abraham ergo non id meruit, ut essent, qui futuri erant, quos Deus elegerat, et conformes imaginis filii sui futuros esse prævideret. In Genesi namque de præscientia Dei omnes gentes Abrahæ promissas, Scriptura testatur, dicens : *Abraham autem fiens fiet, et erit in gentem magnam et multam et benedicentur in eo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXVI, 16). Sciebat etiam quia disponebat Abraham filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant vias Domini, facere justitiam et judicium, ut superducat Deus in Abraham quæcumque locutus est ad eum. Invenimus autem et conditiones, ut : *Si me audieritis, et volueritis.* Ubi præscientia Dei, ubi firmitas promissionis in hujusmodi conditionibus? Dixit etiam Apostolus, propterea ex fide, et non ex lege, datam esse promissionem, *ut firma esset promissio* (*Rom.* IV, 16). *Lex*, inquit, *iram operatur; ubi etiam non est lex, neque transgressio* (*Ibid.*, 15). Propterea ex fide ut secundum gratiam *firma esset promissio omni semini.* Recte, *ut firma esset promissio.* Adjecit enim, *conditione non est firma.* Satis enim stultum est credere, in totum corpus convenire, quod bipartito corpori dicitur. Absit ut his dicat Deus : *Si me audieritis*, quos sciebat audituros, quos antequam faceret, noverat in imagine Dei perseveraturos, quos et promisit. Non est data conditio, id est lex, nisi impiis et peccatoribus : ut aut ad gratiam confugiant, aut justius puniantur, si irritam fecerint. Ut quid lex ad justos, quibus lex non est posita, qui propitio Deo legem sine lege faciunt, qui serviunt, quid ad imaginem et similitudinem Dei et Christi vivunt, qui volentes, boni sunt? Qui enim sub lege est, metu mortis, non est talis, misericors, non est imago Dei. Displicet illi lex : sed timet ultricem, nec perficere potest; quod non voto, sed necessitate faciendum putat. Tradatur necesse est, propriæ voluntati; ut voluntas profecto præmium recipiat, quia animam non miscuit voluntati Dei. Displicet illi, quod Deus voluit. Etenim voluntate malus est, qui necessitate bonus est. Lex operi impedimentum est, non voluntati. Non est conjunctus Deo, qui si mali pœna non esset, malum sequeretur. Nec voluntatem Dei facit, qui gemit quod non suam faciat. Non est misericors, qui timet esse crudelis. Sub lege est, servus est. Non furtum odit, sed pœnam metuit. Furetur autem necesse est, persuasus et victus, qui carnalis est sub virtute peccati, Spiritum Dei non habens. Qui autem amat bonum, imago Dei est, fide Dominica vivit, et *hæres, jam non est ancillæ filius* (*Gal.* IV, 30, 31), qui accepit legem in timore; *sed liberæ*, secundum Isaac, *qui non accepit Spiritum servitutis in timore : sed adoptionem filiorum, clamantem Abba pater* (*Rom.* VIII, 15). Qui diligit Deum, non timet serviliter. Scriptum est, timor enim servilis, cum odio est disciplinæ. Filii autem cum honore patris. Aliud est timere ex lege, aliud pro veneratione tremendæ Dei majestatis. Ejusmodi similes sunt patri suo, qui in cœlis : commemorati et docti amant bonum, oderunt malum. Sine lege sunt, liberi sunt, ipsi promissi sunt : non ipsi dicitur : *Si me audieritis*, potest etenim audire : numquid conveniet in eum, quem Deus nondum prævidit auditurum? Et justi quidem, *quos Deus præsciit* (*Ibid.*, 29), sunt in ista lege. Dicitur et ipsis : *si me audieritis;* sed alia causa, non quia possunt non audire : sed ut semper solliciti sint suæ salutis, et certi exitus sui. Non enim securus est unusquisque ex numero se esse præscitorum, Apostolo dicente : *Ne ipse reprobus fiam* (I *Cor.* IX, 27). Non est ergo illis, iræ operatrix ista lex, sed fidei exercitium, quo jugiter Dei gratiam quærant laborantes, ut perficiatur quod in illis Deus prævidit, et de libero arbitrio fuerint in vitam destinati. Alias impossibile est non audire eum, quem Deus auditurum prævidit, promisit, juravit. In quam vero partem lex proprie conveniat, licet uni detur corpori, Dominus in Evangelio declarat, dicens Apostolis : *Si hæc scitis, beati estis si feceritis ea. Non de omnibus dico vobis : Ego scio, quos elegi* (*Joan.* XIII, 17, 18). Magna brevitas ostendentis unum corpus et separantis. Si enim diceret : Non de omnibus vobis dico; aut, non de omnibus dico, non ostenderet unum corpus. Nunc autem *non de omnibus dico* : ostendit quia et si non de omnibus, de illis tamen dixit. Sicut quis dicat, non de toto te dixi, duo enim corpora mixta sunt, velut unum, et in commune, unum corpus laudatur aut increpatur. Sicut in Exodo, cum quidam contra vetitum, Sabbatis exisset ut manna colligeret, ait Deus Moysi : *Quousque non vultis audire legem meam* (*Exod.* XVI, 26)? cum Moyses semper audierit. Quid de illa lege dicimus, quæ aperte promissioni videtur adversa? Scriptum est in Isaia : *Si me audisses, Israel, esset sicut arena maris numerus tuus* (*Isa.* XLVIII, 18). Ecce increpatur Israel, quod vitio suo non fuerit factus sicut arena maris. Superest intelligere, quia si semper non audierit, semper exiguus erit. Et ubi

Digitized by Google

firmitas promissionum ? Sed hoc fit, quia prius volumus intelligere, quam credere et fidem rationi subjicere. Si autem credamus omnimodo ita fieri, ut Deus juravit, dabit rationem fides. Quam perfidum est ratione quærere, et intelligimus firmitatem majorem esse promissionum, quam putamus infirmitatem. Hoc enim dictum : *Si audisset Israel*, commemoratio est justitiæ Dei, et confirmatio promissionum, dispositione Dei quosdam factos ad mortem, quosdam vero ad vitam. Propterea, præsentibus dixit, *Si me audissetis :* ut manifestum fieret, quia quos promisit, ut arenam futuros, ideo promisit, quia prævidit audituros. Ante Dominum enim Christum, cum hoc dictum est, [a] *numquam* fuit *semen Abrahæ, sicut arena maris ?* Quod probare facile est. Primum, quia in Christo promisit hanc multitudinem : *Non in seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus* (*Gal.* III, 16). Deinde, quia omnes gentes promisit, quod ante *Christum* fieri non potuit. Et si fuit ante Dominum numerus filiorum Israel sicut arena maris : sed cum falsis fratribus, qui non sunt filii Abrahæ. Non enim, quia omnes ex Abraham, omnes filii Abrahæ ; aut quia Israel, omnes Israel. Sicut Apostolus, cum se *Anathema optaret esse pro Israel* (*Rom.* IX, 3), quorum esset filiorum adoptio et testamenta, ostendit, non esse cujusmodi filios Abrahæ, sed de affectu carnalis necessitudinis dolere, quod ex ipso numero non essent. Non quod promissio Dei excidisset, dicens : *Non tamen excidit sermo Dei, non enim omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israel, neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filii sunt : sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui sunt filii carnis, hi sunt filii Dei : sed filii promissionis deputantur in semen* (*Ibid.*, 6-8). Ergo in antiqua multitudine non fuit Abrahæ semen : nisi illis, qui secundum Isaac fidei et promissionis filii erant. Etiam hoc exemplum inducit : *Si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris : reliquiæ liberabuntur*, id est, exiguum (*Isa.* X, 12 : *Ose.* I, 10). Et, *nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus* (*Isa.* I, 9). Ipsæ reliquiæ fuerunt semen Abrahæ : ne omnis Judæa, ut Sodoma esset. Iterum cum assereret, numquam Deum hæreditatem suam reliquisse : sed sicut in adventu Domini, *pars Israel salva facta est :* ita semper fuisse. *Quid*, inquit, *dicit responsum divinum? Reliqui mihi septem millia vivorum, qui non curvaverunt genu ante Baal* (III *Reg.* XVIII, 19 ; *Rom.* XI, 4). Sic nunc reliquiæ secundum electionem salvæ factæ sunt, dicendo : Si nunc in hoc tempore : ostendit et ante sic factum in Israel, ut reliquiæ, id est, modicum salvum fieret. Si autem, nec fides, nec ratio persuadet fidei, qui promissus fuerat, dictum esse : *Si me audisses, Israel; esset sicut arena maris numerus tuus* (*Isa.* XLVIII, 18). Et Jacob, qui antequam nasceretur, datus est : idem libero arbitrio postmodum reprobatus est. Sicut Osee dicit : *Judicium Domini ad Judam, ut vindicet in Jacob, secundum vias ejus, et secundum studia ejus retribuet ei* (*Ose.* XII, 2) : quia in utero supplantavit fratrem suum, et in laboribus suis invaluit ad Deum, et invaluit cum angelo, potens factus est (*Gen.* XXV, 23 ; *Rom.* IX, 10). Si autem constat, in Jacob dilectum consummasse, non est idem qui in laboribus invaluit ad Deum et supplantator, sed duo in uno corpore. Figura est enim duplicis seminis Abrahæ, id est duorum populorum in uno utero matris Ecclesiæ luctantium. Unus est, secundum electionem de præscientia dilectus : Alter electione suæ voluntatis, iniquus. Jacob autem et Esau, in uno sunt corpore, ex uno semine. Sed quod perspicue duo procreati sunt : ostensio est duorum populorum. Et ne quis putaret, ita perspicue fore separatos duos populos : ostensum est, ambos in uno corpore futuros in Jacob, qui et dilectus vocatus est, et fratris supplantator expressus. Itaque in duobus quantitas expressa est, non qualitas separationis. Cæterum, ambo qui separati sunt in uno futuri, antequam dividuntur, ostensi sunt. Et Isaac, *venit*, inquit, *frater tuus cum dolo, et accepit benedictionem tuam* (*Gen.* XXVII, 35). Nisi ita locutio mystica sit, breviter ostendentis duo in uno corpore : nonne contra rationem est, ut benedictionem in proximum dolose acceperit, Scriptura dicente : *Qui non juravit proximo in dolo ; iste accipiet benedictionem a Domino* (*Psal.* XXIII, 4) ? Numquam autem Jacob, id est Ecclesia venit ad benedictionem, non comitante dolo, id est, falsis fratribus. Sed non, quia innocentia et dolus simul veniunt ad benedictionem, simul benedicuntur : quia *qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12), et unum semen pro qualitate terræ, provenit. Non est autem contrarium, quod malum fratrum videtur supplantasse, quia non dixit : *In utero supplantavit Esau*, sed *fratrem suum*. Esau autem, ubique signum est, et nomen malorum : Jacob autem, utrorumque : illa ratione, quod pars mala simulet se Jacob, et sine dubio, uno nomine : pars autem bona, non potest se simulare Esau. Est hoc nomen malorum tantum : illud vero bipartitum. Cæterum de libero arbitrio, nec Jacob omne semen bonum, nec Esau omne malum, sed ex utroque utrumque. Ex Abraham ita bipartitum semen ostensum est. Natum est unum ex ancilla in figura (*Gal.* IV, 22) : ut ostenderetur etiam servos futuros ex Abraham, et recessit cum sua matre. Postquam vero recessit, inventum est in alterius semine, quod est ex libera, quod est ex Israel, qui accepit legem in monte Sina, quod est Agar in servitute generans. Illic in eodem populo secundum Isaac ex libera promissionis filii, id est, sancti et fideles multi procreati sunt. Separatis itaque a credentibus figuris Israel et Esau, in uno populo totum postmodum provenit. Illic ab origine utrumque testamentum Agar et Isaac; sed pro tempore alterum sub alterius nomine delituit

[a] *Numquam.*

Digitized by Google

et delitescit, quia neque revelato novo quiescit vetus generando. Non ergo dixit, *Agar, quæ in servitutem generans*. Oportet autem simul ambos crescere usque ad messem. Sicut ergo tunc sub professione veteris Testamenti latuit novum, id est, gratia, quod secundum Isaac promissionis filios generaret ex libera, quod in Christo revelatum est : ita et nunc obtinente nova, non desunt servitutis filii generante Agar, quod in Christo revelabitur. Confirmat Apostolus, id nunc quoque inter fratres geri, quod tunc inter illos gerebatur, dicens : *Vos autem, fratres secundum Isaac, promissionis filii estis*. Sed *sicut tunc, qui secundum carnem natus est, persequebatur spiritualem, ita et nunc* (*Ibid.* 28, 29). Et necessario addidit, *sed quid dicit Scriptura? Expelle ancillam et filium ejus : non enim cohæres erit filius ancillæ, filio liberæ* (*Ibid.*, 30). Quod autem dixit, *sicut tunc persequebatur ; ita et nunc*, non est inane. Apostolus enim interpretatus est *persequebatur*. Nam Scriptura dicit : *Ludebat Ismael cum Isaac* (*Gen.* XXI, 9). Numquid fratres, qui circumcisiones Galatis prædicebat, aperte illos, et non per lusum, id est, sine indicio persecutionis insequebatur? Sicut ergo de genere ludendi persecutorem dixit : ita et istos, qui Filios Dei, velut per communem utilitatem, id est, disciplinam legis, a Christo separare, et matri suæ Agar, filios militant. Alia enim non est causa, qua filii diaboli irrepant, ad explorandam libertatem nostram, et simulent se fratres, et in Paradiso nostro velut Dei filios ludere : quam de subacta libertate filiorum Dei glorientur, qui portabunt judicium, qualescumque illi fuerint, qui omnem sanctum persecuti sunt, qui prophetas occiderunt, qui semper Spiritui sancto restiterunt ; inimici crucis Christi, negantes Christum in carne, dum ejus membra oderunt, corpus peccati, filii exterminii, ministerium facinoris, qui veniunt secundum operationem Satanæ in omni virtute, signis et prodigiis, spiritualia nequitiæ in cœlestibus : quos Dominus Christus, quem in carne persequuntur, interficiet spiritu oris sui, et destruet manifestatione adventus sui. Tempus est enim, quod hæc non [a] *ministeriis*, sed aperte dicantur, imminente discessione, quod est revelatio hominis peccati, discedente Lot a Sodomis.

REGULA IV.

De specie et genere.

Lux allata Ezechiel, capp. XXVII et XXXII et XXXVI et XXXVII, *Isai.* XIII et XXIV, *Hierem.* XXV.

De specie et genere loquimur, non secundum virtutem Rhetoricam humanæ sapientiæ, quam qui magis omnibus potuit, locutus non est, ne crucem Christi fecisset inanem, si auxilio atque ornamento sermonis, ut falsitas, indiguisset. Sed loquimur secundum mysteria cœlestis sapientiæ magisterio Spiritus sancti. Qui in quod veritatis pretium fidem constituerit mysterii, narravit in speciem genus abscondens, ut in veterem Hierusalem, totam, quæ nunc est per orbem Ecclesiam assumeret, aut in unum membrum, totum corpus, ut in Salomone. Sed hoc non minus occultum est, quam cætera, quæ non solum specie verbi, sed etiam multiformi narratione occultantur. Quamobrem, Dei gratia in auxilium postulata ; elaborandum nobis est, ut spiritus multiplicet ingressus legendi, eloquiumque subtile, quod ad impedimentum intellectus, speciei genus, aut generi speciem inserit : genus species ne sit, facile possit videri. Dum enim speciem narrat, ita in genus transit, ut transitus non statim liquido appareat : sed talia transiens ponit verba, quæ in utrumque conveniant, donec paulatim speciei modum excedat, et transitus dilucidet, cum, quæ a specie cœperant, nonnisi in genus convenerint, et eodem modo genus relinquit, in speciem rediens. Aliquando autem a specie in genus non supradicto modo revertitur. Aliquando supradicto modo transit, et evidenter revertitur simili ordinis varietate : aut a specie in genus, aut a genere in speciem, finit narrationem. Aliquando redit ex hoc in illud non semel : et omnis narratio nec speciem excedit, nec genus præterit, in utrumque conveniens. Hæc varietas translationis et ordinis exigit fidem, quæ gratiam Dei quærat. Sic Dominus per Ezechielem loquitur, et regibus eorum, qui ab Hierusalem capti et dispersi fuerant, gentium jungit adventum, et in terra, quam Patres nostri possederunt, exprimit mundum. Septem enim gentes Abrahæ promissæ, figura sunt omnium gentium. *Factus est*, inquit, *ad me sermo Domini, dicens : Fili hominis, domus Israel habitaverunt in terra, et polluerunt illam in via sua, et in idolis suis et peccatis : secundum immunditiam menstruatæ facta est via eorum ante faciem meam. Et effudi iram meam super eos, et dispersi illos inter nationes, quas ingressi sunt, et polluerunt illic nomen meum sanctum : dum dicunt ipsi, populus Domini hi, et de terra tua egressi sunt : et peperci illis, propter nomen tuum sanctum, quod polluerunt domus Israel in nationibus, in quas ingressi sunt illic. Propter hoc, dic domui Israel : Hæc dicit Dominus : Non vobis ego facio, domus Israel : sed propter nomen sanctum quod polluistis in nationibus, in medio quarum ingressi estis.* Illic incipit jungere genus : *Et sanctificabo nomen meum, sanctum illud magnum, quod pollutum est inter nationes, quod polluistis in medio earum, et scient gentes, quoniam ego sum Dominus, qui sanctificabor in vobis ante oculos eorum, et accipiam vos de gentibus, et congregabo vos ex omnibus terris, et inducam vos in terram vestram.* Aperte excedit speciem : *Et aspergam vos aqua munda, et mundabimini ab omnibus simulacris vestris, et mundabo vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo in vos, et auferam cor lapideum de carne vestra : et dabo vobis carneum, et spiritum meum dabo in vos, et faciam, ut in justitiis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris. Et eritis mihi in po-*

[a] *Mysteriis.*

Digitized by Google

pulum, et ego ero vobis in Deum, et mundabo vos ex A *omnibus immunditiis vestris* (*Ezech.* xxxvi, 17, 28). Attingit speciem, non tamen relinquens genus : *Et vocabo triticum, et multiplicabo illud : et non dabo in vos famem, et multiplicabo fructum ligni, et quæ nascuntur in agro : ut non accipiatis ultra opprobrium famis, in nationibus, et reminiscemini vias vestras pessimas, cogitationes vestras non bonas, et non odietis eas ante faciem eorum in iniquitatibus vestris, et in abominationibus eorum. Non propter vos, ego facio, dicit Dominus. Notum est vobis, confundimini et revertimini de viis vestris, domus Israel. Hæc dicit Adonai Dominus : In die, qua mundabo vos ab omnibus iniquitatibus vestris, et inebriari faciam civitates, in figura terræ Judæ, quæ bellis vastata fuerat, coletur, propter quod fuit exterminata sub oculis omnis* B *prætereuntis. Et dicent, Terra illa, quæ fuerat exterminata, facta est sicut hortus deliciarum, et civitates desertæ et exterminatæ et demolitæ, munitæ consederunt. Et scient gentes, quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quoniam ego sum Dominus. Ædificavi demolitas, et plantavi exterminatas : quia ego Dominus locutus sum et feci* (*Ibid.* 29, 38).

Apostolus quoque ingressu Jacob promissum esse introitum gentium, sic interpretatur dicens, *Donec plenitudo gentium intret, et sic omnis Israel salvabitur, sicut scriptum est : Veniet a Sion, qui liberet et auferat impietates ab Jacob* (*Rom.* xi, 25, 26). Et eodem genere locutionis redit in speciem, dicens : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos.* Item in Ezechiele incipit ab specie, quæ conveniat C et in genus, et finit in solo genere, ostendens, terram patrum mundi esse possessionem : *Hæc dicit Dominus : Ecce ego accipiam omnem domum Israel de medio gentium, in quas ingressi sunt illic, et congregabo eos ab omnibus qui sunt in circuitu eorum, et inducam eos in terram Israel, et princeps unus erit eorum. Et non erunt ultra in duas gentes, nec dividentur ultra in duo regna : ne contaminentur adhuc in simulacris suis. Et liberabo eos ab omnibus iniquitatibus eorum, quibus peccaverunt in eis, et emundabo eos, et erunt mihi in populum, et ego Dominus ero illis in Deum* (*Ezech.* xxxvii, 21,23).

Aperte transit in genus : *Et servus meus David princeps in medio eorum erit, Pastor unus omnium, qui in præceptis meis ambulabunt, et judicia mea cu-* D *stodient, et facient ea, et inhabitabunt in terra sua, quam ego dedi servo meo Jacob, ubi habitaverunt patres eorum, et habitabunt in ea ipsi, et David servus meus princeps eorum in sæcula, et disponam illis testamentum pacis, et testamentum æternum erit cum illis. Et ponam sancta mea in medio eorum in sæcula, et erit habitatio mea in illis, et ero illis Deus : et ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego sum Dominus qui sanctifico eos, dum sunt sancta in medio eorum, dicit Dominus* (*Ibid.*, 24,28). Item illic egressui dispersionis Israel, gentium inserit adventum.

Eremum figuram fuisse populi deserti, in quo Ecclesia nunc esse, manifestatur : et quod iidem mali quamvis una cum populo Dei ex gentibus revocentur in terram Israel, tamen in terra non sint. *Vivo ego, dicit Dominus, si respondero vobis, et si ascenderit in cor vestrum hoc, et non erit, quemadmodum dicitis vos. Erimus sicut gentes, et sicut tribus terræ, ut serviamus lignis et lapidibus. Vivo ego, dicit Dominus, nisi in manu forti et brachio excelso, et in ira effusa regnabo super vos, et educam vos de populis et recipiam vos de regionibus, in quibus dispersi estis in manu forti et brachio excelso, et ira effusa, et adducam vos in desertum populorum, et disputabo ad vos facie ad faciem : quemadmodum disputavi ad patres vestros in deserto terræ Ægypti, sic judicabo vos, dicit Dominus, et redigam vos sub virga mea, et inducam vos in* [a] *numero, et eligam impios de vobis et desertores : quoniam ex transmigratione eorum educam eos, et in terram Israel non intrabunt, et cognoscetis, quia ego sum Dominus* (*Ezech.* xx, 31,38).

Item illi captivitati montium Israel promittit Deus ubertatem, et multiplicationem populorum usque in finem : *Quoniam,* inquit, *dederunt terram tuam sibi in possessionem cum jucunditate inhonorantes animas, atque exterminaverunt in vastationem : propterea, propheta super terram Israel, et dic montibus et collibus, et rivis et nemoribus : Hæc dicit Dominus : Ecce ego in zelo meo, et in ira mea locutus sum, propter quod opprobrium gentium portatis. Ecce ego levabo manum meam super nationes, quæ sunt in circuitu vestro. Hi injuriam suam accipient : vestri autem montes, Israel, uvam et fructum vestrum manducabit populus meus, qui appropinquat venire. Quia ecce ego super vos, et colemini, et seminabimini : et multiplicabo super vos totam domum Israel usque in finem, et habitabuntur civitates, et quæ desolatæ erant, ædificabuntur* (*Ezech.* xxxvi, 5,10). Item illic velut in novissima resurrectione, prima significatur : *Locutus est,* inquit, *ad me, dicens : Fili hominis, ossa hæc, omnis domus Israel est. Ipsi dicunt : Arida facta sunt ossa nostra, interiit spes nostra, exspiravimus. Propterea propheta et dic : Hæc dicit Dominus : Ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos in terram Israel, et scietis, quia ego Dominus, cum aperiam sepulcra vestra, et educam de monumentis populum meum, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis : et ponam vos super terram vestram, et scietis quia ego sum Dominus* (*Ezech.* xxxvii, 11,14).

Numquid perspicue, cum resurrexerimus, tunc sciemus Dominum, et non nunc, cum per baptismum resurgimus? Aut mortui poterunt dicere : *Arida facta sunt ossa nostra* (*Ibid.*, 11), ut merito mortuis id promissum esse credamus? Quid enim est sacramenti, ne in ambiguum veniret, aperuit Deus. Nam de novissima carnis resurrectione, neminem Christianum credimus dubitare. Et Dominus secundum Joannem has resurrectiones manifestat, dicens :

[a] *In vinculis fœderis* Vulg. in Ezech. xx, 37.

Digitized by Google

Amen dico vobis : quia, qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte ad vitam. Amen dico vobis, quoniam venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint, vivent. Sicut enim habet Pater vitam in se : sic dedit Filio vitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei et judicium facere : quia filius hominis est (*Joan.* v, 24,27). Jungit novissimam resurrectionem : *Nolite mirari hoc : quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et exient qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui autem mala fecerunt, in resurrectionem judicii* (*Ibid.*, 28,29). Primo dixit, *mortui qui audierint, vivent.* Secundo, *omnes, qui in monumentis sunt, exient.* Item quod in uno homine totum corpus significetur, in Regum libro promittit Deus David, de Salomone dicens : *Suscitabo regnum ejus : ipse ædificabit mihi domum* (II *Reg.* VII, 15).

Conveniunt ista : sed excedit speciem, dicens : *Et dirigam thronum ejus usque in æternum.* Item in utrumque : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Et si venerit injustitia ejus, arguam eum in virga hominum, et in artibus filiorum hominum ; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli, a quibus abstuli a conspectu meo, et fidelis fiet domus ejus.* Iterum excedit speciem : *et regnum ejus in æternum in conspectu meo, et fidelis fiet domus ejus.* Iterum excedit speciem : *et regnum ejus in æternum in conspectu meo, et thronus ejus erit confirmatus usque in æternum* (*Ibid.*, 13, 16). Quod autem videtur in excessus specie thronum Christi promittere in æternum, thronum filii hominis promittit, et ita *Corpus* Christi, id est, Ecclesiæ. Non enim propter David promisit Deus regnaturum Christum : cui ante constitutionem mundi promisit hanc claritatem. Et per Isaiam sic dicit Deus Christo : *Magnum tibi erit istud : ut voceris puer meus, et statuas tribus Jacob, et Israel dispersionem convertas. Ecce posui te in testamentum generis, in lumen gentium, ut sis in salutem usque in novissimum terræ* (*Isa.* XLIX, 6). Quid majus Filio Dei vocari *puer meus*, et Israel dispersionem convertere, aut per eum factum esse ipsum Israel et cœlum et terram, et quæ in eis sunt visibilia et invisibilia? Sed ei dixit magnum esse, qui Filio Dei mixtus est ex semine David. Omnis enim promissio Abrahæ et David, ipsa est, ut semen eorum misereretur ei, cujus sunt omnia, et esset cohæres in æternum : non propter eos regnaret Christus, qui est omnium rex a Patre constitutus. Quid dicimus de Salomone? cum Deo est, an post idololatriam reprobatus est? Si cum Deo dixerimus : impunitatem spondebimus idolorum cultoribus. Non enim dicit Scriptura, pœnitentiam egisse Salomonem, aut recepisse sapientiam. Si autem reprobatum dixerimus : occurrit vox Dei, quæ dicit, nec terræ quidem regnum auferre Salomoni propter David, sicut scriptum est in libro Regum : *Dirumpens dirumpam regnum tuum de manu tua : et dabo illud servo tuo. Verum, in diebus tuis non faciam hæc, propter David patrem tuum. De manu filii tui accipiam illud. Verum omne regnum non accipiam, sceptrum unum dabo filio tuo : propter David servum meum, et propter Hierusalem civitatem, quam elegi,* (III *Reg.* XI, 11, 14). Quid enim prodest David, si propter eum filius ejus regnum terræ consequeretur, cœleste perditurus? Quo manifestum est, cum Deo esse Salomonem : cui regnum quidem terræ ablatum non est propter David, quod et dixerat : *Arguam in virga hominum peccata ejus : misericordiam autem meam non auferam ab eo* (II *Reg.* VII, 14). Quod si neque reprobatus est, neque idolorum cultores regnum Dei possident : manifestuum est, figuram fuisse Ecclesiæ bipartitæ, Salomonem, cujus latitudo cordis et sapientia, sicut arena maris, et idololatria horribilis. *Disrumpens*, inquit, *disrumpam regnum tuum de manu tua : verum in diebus tuis non faciam. De manu filii tui accipiam illud.* Jugis operationis est, *disrumpens disrumpam :* sicut *benedicens benedicam, et multiplicans multiplicabo semen tuum.* Ostendit enim semper futurum Salomonem in filio, id est, in posteris : cujus posthumis Salomonis temporibus non aufert Deus regnum, secundum promissa Patrum : sed corrigit illud usque in æternum, ut auferat jugiter secundum idololatriam Salomonis, in suo peccato perseverantis. Alias, quomodo de manu Salomonis disrumpens disrumpit aut non disrumpit, si non nunc est Salomon in filiis bonus aut malus? Quod autem dicit : Verum, non omne regnum accipio : in speciem redit, incipiens aliam figuram in filio Salomonis et servo. In Jesu Nave quoque sic dicit Dominus, manifestans in uno homine futurum corpus ostendit : sed hoc loco malum tantummodo. *Peccavit*, inquit, *populus et transgressus testamentum, quod disposui ad illos, furati sunt de anathemate, miserunt in vasa sua* (*Jos.* VIII, 11) : cum solus Achar de tribu Juda id fecisset. Quod corpus semper futurum intelligens Jesus, sic ait, cum eum occideret : *Exterminet te Deus sicut et hodie* (*Ibid.*, 25). Illud autem multo magis necessarium est scire : omnes omnino civitates Israel et gentium, vel provincias quas Scriptura alloquitur, aut in quibus aliquid gestum refert figuram esse Ecclesiæ. Aliquas quidem partis malæ tantum, aliquas bonæ, aliquas vero utriusque. Et si sint aliqua, quæ etiam in gentes, quæ foris sunt videantur convenire : in parte tamen, quæ intus est, convenitur omne corpus adversum, sicut in Israel captivo, promittitur gentibus ad Deum reditus. Impossibile est enim legem loqui ei, qui in lege non est : de eo loqui, ad ipsum tamen non : et sive alicubi sine ista occasione non in Israel specialiter alienigenas alloquitur, intus omnimodo credendi sunt : quoniam, etsi eveniebat specialiter quod prophetatum est, Ecclesia tamen est. Proprietas denique non omnibus speciebus[a] convenit. Nam et Damascus et Tyrus et Soor et aliæ multæ

[a] Al. *evenit.*

Digitized by Google

usque nunc exstant, quas Deus penitus tolli, nec restaurari dixerat. In alienigenis autem civitatibus Ecclesiam conveniri apertum est in Ezechiele, cui cum Dominus diceret, prædicere interitum in Theman, quæ est Esau, et in Dagon, quod est idolum allophylorum, intellexit parabolam esse adversum Hierusalem et templum. *Factus est*, inquit, *sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, confirma faciem tuam super Theman, respice in Dagon, propheta in silvam summam Nages : Audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus : Ecce, ego incendam in te ignem, et comedet in te omne lignum viride, et omne lignum aridum. Non exstinguetur flamma incensa et cumburetur in ea omnis facies a subsolano usque ad aquilonem, ut cognoscat omnis caro, quia ego Dominus succendi illud, non exstinguetur ultra. Et dixi, non, Domine. Ipsi dicunt ad me : Nonne parabola est hæc, quæ dicitur* (*Ezech.* xx, 45,49)? *Et factus est*, inquit, *sermo Domini ad me, dicens : Propterea, fili hominis, propheta et confirma faciem tuam ad Hierusalem, respiciens sancta eorum : et prophetabis super terram Israel. Hæc dicit Dominus : Ecce ego educam gladium meum de vagina sua : et disperdam de te inimicum et injustum. Sic exiet gladius meus de vagina sua super omnem carnem a subsolano usque ad aquilonem, et sciet omnis caro, quia ego sum Dominus, qui emisi gladium meum de vagina sua, non egredietur ultra. Confirma*, inquit, *faciem tuam, super Theman, et respice in Dagon* (*Ezech.* xxi, 1,5). Et interpretatus est dicens : *Confirma faciem tuam ad Hierusalem, et respice in sancta eorum.* Et ostendit in omnem Hierusalem, dicens : *Disperdam de te inimicum et injustum.* Ita futurum generaliter ait : *Sic exiet gladius meus super omnem carnem a subsolano usque ad aquilonem.* Ostendit in Hierusalem esse Theman, quam illic Deus interficit, et Dagon, et omnia exsecrabilia gentium operante filio David Salomone in filiis suis, quo etiam evidenter dejecta templa Dei et demolita, atque spiritualiter exusta, projecit in torrentem, id est, sæculum, qui nascitur filius David Josias, ut disrumpatur altare in Bethel, sicut scriptum est : *Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur de domo David : Josias nomen illi* (III *Reg.* xiii, 2). Ninive civitas alienigenarum, bipartitæ Ecclesiæ figura est. Sed quia ordinem lectionem interpretando prosequi, longum est : satis erit, quod specie convenire non potest dicere. *Erat*, inquit, *Ninive civitas magna* (*Jonæ* iii, 3) : adeo, cum esset adversa Deo, ut metropolis Assyriorum, quæ et Samariam delevit, et omnem Judæam semper oppressit : sed in figura Ecclesiæ prædicante Jona, id est, *Christo*, omnis omnino liberata est. Eadem Ninive omnino insequenti Propheta peritura describitur, cui prædicans Dominus : *Signum est Jonæ in ventre ceti* (*Matth.* xii, 40 ; *Luc.* xi, 30). Atque ut et ipse Propheta ostendit, non esse illam civitatem specialem, interponit aliqua, quæ speciei modum excedant.

A *Non erat*, inquit, *finis gentilibus illius : cum esset civitas unius gentis.* Et iterum : *Multiplicasti mercatus tuos super astra cœli*, id est, Ecclesiam. Et iterum : *Super quem non venit malitia tua semper?* Numquid potuit unius civitatis malitia, super omnem hominem, aut semper venisse, nisi illius, quam Cain fratris sanguine fundavit nomine filii sui, id est, posteritatis? Manifestius adhuc docet Propheta, Ecclesiam esse Ninive. *Et extendet*, inquit, *manum suam in Aquilonem* (id est, populum solis alienum adversus Meridianum) *et perdet Assyrium* (*Soph.* ii, 13). Et illud : *Ninive, exterminium sine aqua in desertum : et pascentur in medio ejus greges, omnes bestiæ terræ et cameleonti, et hirci in laquearibus ejus cubabunt, et bestiæ vocem dabunt in fossis ejus, et corvi in portis ejus,* B *quoniam cedrus altitudo ejus. Civitas contemnens, quæ habitat in spe, quæ dicit in corde suo : Ego sum, et non est post me* (*Ibid.*, 13, 15). Et adhuc : *Quomodo facta est in exterminio, pascua bestiarum? Omnis, qui transit per illam, sibilabit et movebit manus suas* (*Ib.*, 15). *O illustris et redempta civitas, columba, quæ audivit vocem, non recepit disciplinam, in Domino non est confisa, et ad Dominum suum non appropinquavit. Principes ejus in ea, ut leones frementes; judices ejus, ut lupi Arabiæ, non relinquentes in mane. Prophetæ ejus, spiritu elati, viri contemptores. Sacerdotes ejus prophetant sacra, et* [a] *conscelerant legem; Dominus autem justus, in templo ejus non faciet injustum* (*Soph.* iii, 1,5). Ægyptus item bipartita est. *Ecce*, inquit, *Dominus sedet super nubem* C *levem, et venit in Ægyptum* (*Isa.* xix, 1,3). [Nubes, corpus est spirituale post Baptismum, et claritas filii hominis. Primus est enim adventus Domini jugiter corpore suo venientis, sicut dicit : *Amodo videbitis venientem in nubibus cœli*] *et comminuentur manufacta Ægypti a facie illius, et cor ipsorum minorabitur in illis, et exsurgent Ægyptii super Ægyptios, et* [b] *expurgabit homo fratrem suum et homo proximum suum, et pugnabit civitas contra civitatem, et exsurget gens super gentem* (*Matth.* xxiv, 30), id est, Ægyptus super Ægyptum, et lex supra legem, sensus scilicet diversitate sub una lege : *Et turbabitur spiritus Ægyptiorum in ipsis, et cogitationes eorum dispergam.* Et postquam nunc generi speciem, nunc genus speciei miscuisset, adjecit, dicens : *Die autem illo erit* D *altare Domini in regione Ægyptiorum, et tituli ad terminos ejus Domino. Erit autem in signum in æternum Domino, in regione Ægyptiorum* (*Isa.* xix, 19). Non dixit : licebit esse altare ad terminos Ægypti in æternum : sed, erit. Ezechiel vero apertius ostendit totum mundum esse Ægyptum, dicens : *O dies! quia prope est dies Domini, dies nubis, finis gentium erit : et veniet gladius super Ægyptios.* Et jungit speciem : *Et erit tumultus in Æthiopia, et cadent vulnerati in Ægypto, et cadent fundamenta ejus, Persæ et Cretes, et Lydi, et omnes commesticii, et*

[a] Græce βεβηλοῦσι *profanant.*

[b] Lege *expugnabit.*

Digitized by Google

filii testamenti mei, gladio cadent in ea cum ipsis (*Ezech.* xxx. 3-5). Hoc autem factum est, cum post excidium descenderent in Ægyptum, et occiderentur illic a Nabuchodonosor secundum Hieremiæ prophetationem. Fiet autem et generaliter, novissimo die, quando cum Ægyptiis filii testamenti ceciderint, Ægyptiorum more viventes. Item per Ezechielem minatur Deus regi Ægyptiorum, et ejus multitudini, quod essent terribiles in sanctos, inter circumcisos deputati : quod non convenit, nisi in eos, qui sibi circumcisione, id est, sacris blandiuntur. Quoniam igitur dedit timorem suum super terram vitæ : ut dormiret in medio incircumcisorum vulneratus gladio Pharao, et omnis multitudo ejus cum ipso, dicit Dominus. Et illic a genere ad speciem : *Hæc dicit Dominus : Circumjaciam te super terram populorum multorum et extraham te in hamo meo, et extendam te super campi tui : et constituam super te omnes aves cœli, et saturabo omnes bestias universæ terræ : et dabo carnes tuas super montes, et saturabo sanguine tuo colles, et rigabitur terra ab his, quæ de te procedunt; a multitudine tua in montibus vepres implebo abs te, et cooperiam cœlum cum exstingueris, et obscurabo astra ejus, solem in nube contegam, et lunæ non lucebit lumen ejus. Omnia quæ lucent lumine in cœlo obscurabuntur, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus.* Jungit speciem : *Et exasperabo cor populorum multorum : cum ducam captivitatem tuam in nationes, in terram, quam non noveras* (*Ezech.* xxxii, 4-8). Excedit speciem : *Et contristabuntur super te multæ nationes, et reges earum, mentis alienatione stupebunt, cum volabit gladius meus super facies eorum, in medio eorum erit ad ruinam ex die ruinæ tuæ.* Redit ad speciem : *Quoniam hæc dicit Dominus : Gladius regis Babylonis venit tibi in gladiis gigantum, et dejiciam virtutem tuam, pestes a nationibus omnes, et pendent contumeliam Ægypti, et conteretur omnis virtus ejus.* In genus : *Et perdam omnia pecora aqua multa : et non turbabit eam pes hominis ultra, et vestigium pecorum non calcabit eam. Tunc requiescent aquæ eorum, et flumina eorum, ut oleum habebunt, dicit Dominus* (*Ibid.* 9-14). Species : *Et dabo Ægyptum in interitum, et desolabitur terra cum plenitudine sua, et dispergam omnes inhabitantes in ea* (*Ibid.*, 15). Genus : *Et scient, quia ego Dominus sum. Operiam,* inquit, *cœlum, cum exstingueris : et obscurabo astra ejus, solem in nube contegam et lunæ non lucebit lumen ejus. Omnia, quæ lucent lumine in cœlo obscurabuntur super te : et dabo tenebras super terram tuam* (*Ezech.* xxxii, 7, 8). [In passione Domini, non in terra Ægypti tantum fuerunt tenebræ : sed in toto orbe. Sed nec, capta Ægypto, obstupuerunt gentes, exspectantes ruinam suam ex die ruinæ ejus. Nam et de Soor sic scriptum est : *Hæc dicit Dominus ad Soor : Nonne, a die ruinæ tuæ, in gemitu vulneratorum, dum interficiuntur gladio, in medio tui commovebuntur insulæ, et discedent a sedibus suis omnes principes maris, et auferent mitras et vestem aurium suarum : dispoliabunt se in stupore mentis, stupebunt et timebunt in interitu tuo, et ingemiscent super te, et accipient lamentationem et dicent tibi : Quomodo destructa est de mari civitas illa laudabilis, quæ dedit timorem suum omnibus inhabitantibus in ea? et timebunt insulæ ex die ruinæ tuæ* (*Ezech.* xxvi, 15-18, *sec.* LXX) : *Ad clamorem vocis tuæ, gubernatores tui timore timebunt, et discedent de navibus omnes remiges tui et vectores et proretæ maris super terram stabunt, et ululabunt super te voce sua, et clamabunt super te amarum, et imponent super caput suum terram, et cinerem sternent, et accipient super te lamentationem filiorum, lamentum Soor. Quantum inveniti mercedis de mari? Satiasti gentes multitudine tua, et a commixtione tua locupletasti omnes reges terræ. Nunc autem contristata es in mari, in profundo aquæ commixtio tua, et omnis congregatio tua in medio tui. Ceciderunt omnes remiges tui : omnes qui inhabitant insulas contristati sunt super te, et remiges eorum mentis alienatione stupuerunt, et lacrymatus est vultus eorum super te. Mercatores eorum de gentibus exsibilabunt te : perditio facta es, ultra non eris in æternum, dicit Dominus* (*Ezech.* xxvii, 28-36, *sec.* LXX).] Numquid in unam insulam conveniunt, quæ dicta sunt : aut sola potuit locupletare omnes reges terræ? Sed aliqua relinquimus locis opportunis : quibus etsi strictim dicuntur, videri possunt. Tyrus bipartita est, sicut per Isaiam dicitur, qui post multa speciei et generis, hoc quoque adjecit, dicens : *Erit post septuaginta annos Tyrus, sicut canticum fornicariæ. Accipe citharam angularem, civitas fornicaria, oblita bene citharizare, multa cantica canta : ut tui commemoratio fiat. Et erit post septuaginta annos, respectionem faciet Deus Tyri, et iterum restituetur in antiquum* (*Isa.* xxiii, 15-17). | Numquid credibile est, universa regna terrarum, Tyrum venisse negotiandi causa? Quod si veniant; quæ utilitas, prædixisse futura Tyro commercia omnibus regnis terræ, si non *Tyrus*, Ecclesia est, in qua omne terrarum negotium est æternæ vitæ? Sequitur enim et ostendit, quod sit ejus negotium, dicens : *Et erit negotiatio ejus et merces sancta Domino* (*Isa.* xxiii, 15-17). Non enim in illis colligitur : sed illis, qui habitant in conspectu Domini. *Omnis negotiatio ejus, edere et bibere et repleri, in signum memoriæ in conspectu Domini* (*Ibid.* 18). Si ergo negotiatio ejus, sancta Domino : quomodo potest omnibus esse regnis, nisi ubique fuerit ista Tyrus? Sequitur enim aperte, ostendit quid sit Tyrus, dicens : *Ecce Dominus corrumpet orbem terrarum, et vastabit illum, et nudabit faciem ejus : disperget eos, qui inhabitant in eo, et erit populus sicut sacerdos* (*Isa.* xxiv, 1-6). [Num illius orbis, cujus negotiatio sancta Domino? *et famulus sicut Dominus et famula sicut domina.*] *Et erit emens sicut et vendens : et qui debet, sicut ille cui debetur; et qui fœnerat, sicut ille qui fœneratur : quia corruptione corrumpetur terra, et vastabitur vastatione terra. Os enim Domini locutum est hæc. Planxit terra, curvatus est orbis terræ, planxerunt alti terræ. Terra autem facinus admisit, propter eos, qui inhabitant in ea : quia*

Digitized by Google

transierunt legem, et mutaverunt jussa testamenti æterni. Propterea ergo maledictio comedit terram : quia peccaverunt, qui inhabitant in ea. Propter hoc egentes erunt, qui inhabitant terram (Isa. XXIV, 1-6). [Numquid illi [a] gentes esse possunt, quibus in omnibus regnis terræ negotiatio est edere, et bibere, et repleri, non quodam tempore, sed in signum memoriæ in conspectu Domini? *Et relinquentur homines pauci. Lugebit vitis, lugebit vinum. Gement omnes quorum jocundatur anima. Cessabit jocunditas tympano, cum cessabit impudicitia et divitiæ impiorum.* Numquid sanctorum cessabit vox citharæ? *Confusi sunt : non biberunt merum, amarum factum est vinum illis, qui bibunt illud. Deserta est omnis civitas : plaudent omnes ne introeant, ululate divini, ubique cessabit omnis jocunditas terræ, et relinquentur civitates desertæ, et domus derelictæ peribunt (Ibid., 6-8).*] Hæc omnia erunt terræ in medio gentium. Si deserta est omnis civitas; quæ sunt gentes, in quarum medio ista faciant? Etsi aliqua horum videntur inperspicue fieri, tamen omnia spiritualia sunt. Omnem civitatem desertam spiritualiter *mortuam* dicit : sed Tyri illius meretricis, non cujus negotiatio sancta toto orbe. Hierusalem autem relinquentur homines pauci, salvo utique statu eorum, qui perimunt. Pauci relinquentur ex eis, quos spiritualiter mortuos dicit : qui per recordationem vixerunt, quos Ecclesiasticus non interfecerit : sicut multis in locis legimus. Sed quia propositum nobis implendum est, duobus contenti sumus exemplis. Minatur Deus iguem ex igni Israel, regi Assyriorum, id est, adverso corpori, et dicit ad Syrum vel ad stipulam, post paululum, ignem futuros. *Mittet*, inquit, *Dominus sabaoth, in tuum honorem, ignominiam : et in claritatem tuam, ignem ardentem : et ardebit Israel lumen, et erit tibi ignis, et sanctificabit illud in flamma ardente* (scilicet lumen Israel), *et manducabit quasi fenum, silvam. In illo die ardebunt montes : et per præcipitia fugiunt, quasi qui fugit a flamma ardente ; et qui remanserint ab illis, numerabuntur, et puer scribet illos (Esa. X, 16-19). Qui remanserint*, inquit, *ab illis.* Non enim potest ignis, qui comburit [b] ardere? Qui autem ex combustis superaverint, ignis efficientur. In Zacharia legimus, illos remeare quos Ecclesia non occiderit, quod ad se convertantur : cæteros vero spiritualiter cruciatibus interficere. Siquidem stantibus oculos erunt, et carnes tabescere faciet : *Habitabit*, inquit, *in Israel confidens : et hæc erit strages, qua cædet Deus populos, quotquot militaverunt adversus Israel. Tabescent carnes eorum stantibus eis sub pedes suos : et oculi eorum fluent a foraminibus suis, et lingua eorum tabescet in ore eorum. Et erit in illa die alienatio magna super illos, et apprehendet unusquisque manum proximi sui, et implebitur manus ejus, manu proximi ejus* (id est, cæcus cæcum ducens). *Et Judæa præliabitur in Hierusalem, et collijet viros omnium populorum, et aurum, et argentum, et vestem, in multitudinem nimis. Et hæc erit strages equorum, et mulorum, camelorum, et asinorum, et omnium pecorum, quæ erunt in castris illis secundum stragem istam. Et erit, quicumque relicti fuerint ex omnibus gentibus convenientibus super Hierusalem, et ascendent quotannis adorare regem Domini Deum omnipotentem, celebrare diem festum scenopegiæ (Zach. XIV, 11-16).* Elam alienigenarum est. Hic specialli jungit generalem, monstratque bipertitum. *Hæc dicit Dominus : Confringam Nair arcus, in Elam principatus eorum.* Et excedit speciem. *Superducam*, inquit, *quatuor ventos, a quatuor cardinibus cæli, nec erit gens quæ illuc non veniat, quæ expellat Elam.* Redit in speciem : *Et terrebo illos, coram inimicis eorum, qui quærunt animas eorum, et superducam eos secundum iram indignationis meæ, et mittam post eos gladium meum, donec consumat eos.* Jungit genus : *Et ponam sedem meam in Elam : et perdam inde regem et potentes. Erit in novissimis diebus in æternum captivitatem, Elam, dicit Dominus (Jerem. XXV, 35-38, sec. LXX; sed juxta. Vulg. XLIX, 35-39).*] Numquid credendum est non fuisse gentem, quæ non venerit ad expugnandam Elam, aut illic sedes Domini, cujus captivitatem vertit, nisi Ecclesiastica sit figura? Quæ vero species : Sinistræ tantum sunt, ut Sodoma, sicut scriptum est : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum (Isa. I, 10)*, et *quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus : ubi et Dominus eorum crucifixus est (Apoc. XI, 8).* Ex his Sodomis exiet Loth, quod est, *discessio, ut revelatur homo peccati (II Thess. II, 3).* Babylon civitas adversus Hierusalem : totus mundus est in parte sua, quam in hac Israel. Hæc conveniuntur : *Visio*, inquit, *adversus Babylonem*, et dicit adversus orbem terrarum venturos sanctos Dei milites : *Tollite vicem et exsultate vicem illis, nolite timere, exhortamini; manus aperite magistratus : quia ecce ego præcipio. Sanctificati sunt et vocati gigantes veniunt iram meam lenire gaudentes simul et injuriam facientes. Vox multarum gentium in montibus similis gentium multarum, vox regum et gentium collectarum (Isa. XIII, 1-4, sec. LXX)*: cum Babylonem gens et rex Medorum everterit. Sequitur enim et dicit, qui sint isti reges, et quæ Babylon. *Deus sabaoth præcepit genti bellatrici venire de longinquo, de summo fundamento cæli. Dens et bellatores ejus corruperunt universum orbem terræ. Ululate, proximus est enim dies Domini, et contritio a Deo aderit. Propter hoc omnes manus resolventur, et omnis anima hominis trepidabit. Turbabuntur legati parturientis, et parietes circumstantes, alius ad alium expavescent, et facies eorum sicut flamma commutabuntur. Ecce enim dies Domini insanabilis venit indignationis et iræ ponere orbem terrarum desertum, et peccatores perdere ex eo (Ibid., 4-9).* [*Diem Domini*, ex quo passus est, dicit : ex quo spiritualiter interficitur mundus, interficiente exercitu Dei : dum ejus lumen iniqui non vident, sicut servantur, dicens : *Stella enim cæli exterioris et omnia luminaria ejus, lumen dabunt et tenebrescet, et non permanebit lumen ejus. Et infligam mortuis terræ mala, et injustis pec-*

[a] *Egentes*, recte.

[b] *Forte* turdare, *vel* manere, *vel* non ardere

Digitized by Google

cata eorum, et quærelam injuriam ecclesiarum, et injuriam superborum humiliabo.] Et erunt qui remanserint (id est quos supradicti milites non occiderint), *honorati magis quam aurum, quod non tetigit ignem, et homo honoratus erit magis quam lapis ex Saphir: Cœlum enim indignabitur, et terra commovebitur a fundamentis, propter animationem iræ Dei in die, qua aderit indignatio ejus.* Jungit speciem: *Et erit qui relictus est: quasi capreola fugiens, et sicut ovis errans, et non erit qui colligat, ut homo ad populum suum convertatur, et venire in tribum suam festinet. Qui enim inciderit, superabitur: et si qui collecti sunt, gladio cadent, et filiæ eorum, in conspectu eorum cadent, et domus eorum diripient, et uxores eorum habebunt. Ecce, excito vobis Medos, qui non computant pecuniam, neque auro opus est illis* (*Isa.* XIII, 10-17). [Subtiliter inserit genus: cum enim [a] ceteris, non opus est auro et argento: nisi Ecclesiasticus, qui fruitur spiritualiter vita. *Sagittationes juvenum confringent, et filiis vestris non misererentur, et super natos vestros non parcent oculi eorum* (*Ibid.*, 18).] Omnia spiritualiter, sicut de eadem Babylone, scripta sunt: *Felix est, qui obtinebit, et collidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* CXXXVI, 9). Neque enim regem Medorum, quod obtinuerit adversus Babylonem, dixit felicem, et non Ecclesiasticos, qui obtinent et collidunt filios Babylonis ad petram scandali. Obtinet enim, sicut scriptum est: *Qui obtinet modo, teneat, donec de medio fiat* (II *Thess.* II, 7). Et post multa speciei et generis, clausura periochæ aperte omnes ostendit esse Babylonem, et eos in terra atque in montibus suis, id est in Ecclesia perdere. *Hæc dicit Dominus: Ponam Babylonem desertum: ut inhabitet in ea erici, et erit in nihilum, et ponam illud luti voraginem in perditionem. Hæc dicit Dominus exercituum, dicens: quomodo dixi, sic erit: et quemadmodum cogitavi, sic perseverabit, ut perdam Assyrios in terra mea et in montibus meis, et erunt in conculcationem, et auferetur ab eis jugum eorum, et gloria ab humeris eorum auferetur. Hæc cogitatio, quam cogitavit Dominus in orbem terræ totum, et hæc manus ejus super omnes gentes orbis terræ. Deus enim exercituum quod cogitavit, quis dispergat, et manum ejus fortem quis avertet* (*Isa.* XIV, 22-27)? Quotiescunque autem post excidium minatur ruinæ civitatis habitationem bestiarum, spiritus immundos dicit habitatores in hominibus, quos sanctus Spiritus dejecerit. Non enim hanc injuriam possunt inferre domus habitationes, aut ruinam sentire. *Sermones* (inquit Amos) *quos vidit super Hierusalem, et secit. In tribus impietatibus Damasci et in quatuor non avertebor eam, eo quod secuerant sorores* [b] *ferreis in utero habentes* (*Amos* I, 1-3). Et iterum: *In tribus impietatibus Idumææ et in quatuor non avertebor eam, propterea quod persecutus est in gladio fratrem suum* (*Ibid.*, II). In omnibus aliis civitates alienigenarum in Ecclesiæ figura convenit. Ubicumque aut *Idumæam*, *Theman*, *Bosor*, *Seir* nominat, fratres malos significat. Sunt autem possessiones Esau, *Serras* vero *ferreas*; homines dicit duros et asperos, qui secant parturientes Ecclesias. Item; omnes gentes quæ sub cœlo sunt, in civitate Dei jram Dei bibere et illic percuti, Jeremias testatur, dicens: *Sic dicit Dominus Deus Israel; Accipe calicem vini meri de manu tua, et potabis omnes gentes ad quas ego mitto te: et vomient et insanient a facie gladii, quem ego mitto in medio illarum. Et accepi calicem de manu Domini, et potavi gentes ad quas misit me Dominus ad ipsas Hierusalem et civitates Judæ, et reges ejus, et principes ejus: ut ponerentur in desolatione, et in devastatione, et in sibilatione, et Pharaonem regem Ægypti, et pueros ejus, et potentes ejus, universum populum ejus, et omnes promiscuos ejus, et reges omnes alienigenarum, Ascalonem et Gazam et Accaron, et quæ contra faciem Azoti, et Idumæam et Moabitem, et filios Ammon, et regem Tyri, et regem Sidonis, et reges qui trans mare sunt, et Dedan et Theman et Bosor, et omnem circumtunsam a facie, et omnes promiscuos qui commorantur in deserto, et omnes reges Elam, et omnes reges Persarum, et universos reges a subsolano, qui longe et qui juxta sunt, unumquemque ad fratrem suum, et omnia regna terræ quæ super faciem terræ sunt, et dices illis: Hæc dicit Dominus omnipotens: Bibite et inebriamini, et vomite, et cadetis et surgetis a facie gladii, quem ego mitto in medium vestrum. Et ad eos qui noluerunt accipere calicem, ita ut bibant, dices: Sic dicit Dominus: Bibentes bibetis, quia in civitate in qua invocatum est nomen meum, super ipsam incipio vexare vos: et vos purgatione non eritis purgati, quia gladium ego invoco super inhabitantes terram* (*Jerem.* XXV, 15-29).] *Potabis*, inquit, *Hierusalem, civitates Juda, et reges ejus et principes ejus.* Deinde dicit: *Et universa regna terræ, quæ super faciem terræ sunt:* ut o tenderet, ab speciali Hierusalem transitum fecisse ad generalem, in qua sunt omnes gentes terræ, quas illic Deus percutiet, sicut et interpretatus est, dicens: *Quoniam in civitatem in qua invocatum est nomen meum, in ipsa incipio vexare vos, et vos purgatione non eritis purgati.* Numquid Jeremias, cum esset in corpore qui de Judææ carcere nunquam, nisi tractus, isset in Ægyptum: perspicue adjecto nero in calice id potum daret omnibus gentibus quæ sub cœlo sunt, aut nunc per Ecclesiam prophetat? Quod si tunc quoque et nunc in Ecclesia locus est, manifestum est, et omnes gentes, ad quas ille Jeremias loquitur, convenire in principali eorum parte. Si quid enim summum Sathanas, si quid grave, si quid dextrum in suo corpore habet: cœlestibus miscuit, ut bellantium mos est, fortibus fortes opponere. Unde Apostolus dicit, non esse sanctis *pugnam adversus humanitatem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12).

REGULA V.

De Temporibus.

Temporum quantitas in his ipsis frequenter mistica est tropo synecdoche; aut legitimis numeris, qui

[a] Forte *istis*.

Digitized by Google

multis modis positi sunt, et pro loco intelligendi. Synecd. che vero, aut a parte to um est, aut a toto pars. Hoc tropo, 400 annos servivit Israel in Ægypto. Nam dicit Deus Abrahæ : *Sciens scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et dominabuntur eorum et affligent eos annis* 400 (*Gen.* xv, 13). Exodi autem Scriptura dicit : 4 0 *annos fuisse in Ægypto* (*Exod.* xii, 40). An non omni tempore servivit? Quærendum ergo, ex quo tempore: quod invenire faci e est. Dicit enim Scriptura non serviisse populum, nisi post mortem Joseph, et omnium fratrum ejus, et omnium sæculi illius. *Filii autem Israel creverunt et multiplicati sunt, et* [a] *Cethæi fuerunt et prævaluerunt, multiplicabat autem eos terra. Exsurrexit autem rex alter super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, et dixit genti suæ : Ecce gens filiorum Israel magna multitudo, et valent super nos. Venite ergo circumveniamus eos* (*Exod.* i, 7-10). Si autem post mortem Joseph cœpit servire populus, et 330 annis, ex quibus in Ægypto demoratus est, deducimus 80 annos regni Joseph (regnavit enim a 30 annis usque in 110) erunt reliqui servitutis Israel, [b] anni 340, quod Deus dixit 400. Si autem omne tempus peregrinationis suæ servivit Israel, plus est quam Deus dixit. Si ex morte Joseph secundum Scripturæ sanctæ fidem, minus est. Quo manifestum est, 100 a toto partem esse. Nam post 300 annos, pars aliorum, 100 anni sunt. Propterea dixit, 400 annos. Si hic in omni summa temporis, ut puta post 9 dies est, aut post 9 menses : primus dies mensis 10 est, sicut scriptum : *In utero matris figuratus sum caro* 10 *mensium coagulatus in sanguine* (*Sup.* vi, 2). Sicut autem in prima parte temporis cujusque tempus est, ita in novissima hora totus dies sit; reliquiæ mille annorum, mille anni sunt. Sex dies sunt mundi ætas, id est 6000 annorum. In reliquiis sexti diei, id est mille annorum natus est Dominus, passus et resurrexit. Item reliquiæ mille annorum dictæ sunt mille anni primæ resurrectionis. Sicut enim reliquiæ sextæ feriæ, id est, tres horæ, totus dies est, unus ex tribus sepulturæ Domini : ita reliquiæ sexti diei majoris quo surrexit Ecclesia, totus dies est, mille anni. Hoc enim tropo, constant tres dies et tres noctes. Noctis autem et diei, 24 horæ unum tempus est, nec adjiciuntur noctes diebus, nisi certa ratione. Alias, dies solos dicimus, sicut Apostolus dicitur mansisse apud Petrum 15. Numquid opus erat dicere, totidem diebus et noctibus? Sic enim scriptum est : *Vespere et mane dies unus* (*Gen.* i-5). Quod si nox et dies, unum tempus est : novissima hora diei, et diem totum et noctem transactam retinet. Similiter et novissima hora noctis, totam diem et noctem futuram. Hora enim pars est utriusque temporis. Hora qua sepultus est Dominus, pars est sextæ feriæ cum sua nocte quæ transierat, et hora noctis, qua surrexit, imminentis est pars diei. Cæterum, si neque in die præsenti nox est præterita, neque in nocte præsenti dies crastinus : non die resurrexit Dominus, sed nocte. Quoniam dies ab ortu solis est, sicut scriptum est : *Luminare majus initium diei* (*Ibid.*, 16). Dominus autem ante solis ortum resurrexit. Nam Marcus dicit : *Oriente sole* (*Matth.* xvi, 2), non orto, sed oriente, id est, ad ortum eunte : Lucas autem, *diluculo* (*Luc.* xxiv, 1). Sed ne de hac locutione ambigeretur, alii Evangelistæ aperte noctem fuisse testantur. Nam Matthæus nocte dicit venisse mulieres ad monumentum, et vidisse Dominum (*Matth.* xxviii, 1). Joannes vero, *cum adhuc tenebræ essent* (*Joan.* xx. 1). Si autem Dominus ante solem, id est, ante initium diei resurrexit, nox illa, pars erat illucescentis diei. Quod et competit operibus Dei, ut non dies obscuraretur in noctem, sed nox lucesceat in diem. Ipsa enim nox illuminatur, et efficitur dies : quod est figura eorum, quæ facta erant in *Christo*. Quoniam Deus qui dixit : *De tenebris lumen fulgere in cordibus nostris* (II *Cos.* iv, 6). Qui illuminavit tenebras, sicut scriptum est : *Tenebræ tuæ sicut meridies erunt* (*Isa.* lviii, 10). Et : *Nox transivit, dies autem appropinquavit ; sicut in die decenter ambulemus* (*Rom.* xiii, 12). Prius est enim quod carnale est, deinde quod spirituale. Dies ergo primus et novissimus, a toto pars est. Solus medius plenus fuit, a vespera in vesperam, secundum conditionem atque præceptum. Sicut Moysi dicit : *A vespera in vesperam* [c] *obscuravi diem sabbatorum* (*Lev.* xxiii, 33). Quidam autem dicunt, ex die computandum : quoniam Dominus *tres dies et noctes* dixit, non tres noctes et dies. Sed hoc non longa ratione destruitur. Si enim ex die initium sepulturæ, in nocte finis : si autem in die finita est, a nocte cœpit. Nam si dies utrimque concluditur, plus erit unus dies. Dicunt præterea, non posse in die esse noctem præteritam, nec in nocte diem futurum : separatos tres dies et noctes oportere assignari, computantes primum diem, quo crucifixus est: alteram, trium horarum reparatarum, tertium sabbati, erit Domini dies 4. Qui autem hanc circumventionem vitant, consentiunt a nocte quidem computandum : sed noctes a diebus debere separari, dicentes, in 3 horis tenebrarum importunarum primam noctem, alteram sabbati, tertiam illucescentis Dominicæ. Noctes quidem veluti tres sunt, sed dies duo. Primus in tribus horis post tenebras : secundus, sabbati. Non enim qui separatos dies promit, potest dicere in nocte qua resurrexit, fuisse diem futurum. Quod si id consentiat, consentiat necesse est, in reliquis diei sextæ feriæ, fuisse noctem præteritam. Quæ si tenebræ importunæ fuerunt, tres tamen horæ lucis, ejusdem sunt diei : nec amiserunt ordinem, quominus pars essent diei ac noctis suæ. Taceo 3 horas tenebrarum noctem esse non potuisse, quod præter ordinem fuerint conditionis Dei. Quidquid enim signi est, non turbat elementorum rationabi-

[a] *Cethæi fuerunt.* LXX, Exod. i, 7. χυδαῖοι ἐγένοντο, *effusi facti sunt.*

[b] Immo quadringentis et 30, ut reliqui fiant, demptis 80, anni 350; et ita Exodi xii, 40; Joseph. lib. ii Antiquitat. cap. 6.

[c] *Obscuravi.* Leg. cum Vulg. *celebrabitis*, aut cum LXX, *sabbatizabitis*, σαββατιεῖτε.

Digitized by Google

em cursum. Non enim quia stetit sol et luna diebus Josue (*Jos.* x, 13) et Ezechiæ (IV *Reg.* xx, 10), solus sol reversus est: aliquid cursus inter solem et lunam mutilatum est et detractum, vel additum diei aut nocti, et nova exinde cœpit temporum aut neomeniæ supputatio, quam statuit Deus in solem et lunam, esse in temporum dies et annos, sicut in Genesi scriptum est (*Gen.* I, 17). Multo magis in illo die, nihil turbatum est, cui non sunt adjectæ 3 horæ tenebrarum, ut essent 15. Namque si solem obscuratum, et rursum ostensum diem dicimus, quod nomen, quem ordinem damus ipsi diei, qui fuisse dicitur, inter sextam feriam et sabbatum, nisi bis sabbatum fuit et hebdomada illa 8 dies habuit? Certe, si contentio ratione minime sedari potest, compendio probamus, 3 horas tenebrarum non pertinere ad sepulturam Domini, eo quod adhuc viveret. Non enim potuit esse in corde terræ, nisi ex quo mortuus vel sepultus est, quod factum est in tribus horis sextæ feriæ, intra duodecimam. Quoniam post occasum solis, non licebat Judæis sepelire: cum esset pura cœna initium sabbati sicut Joannes dicit (*Joan.* XIII, 2; XIX, 42). Illic ergo, propter cœnam puram Judæorum, quoniam proximum fuerat monumentum posuerunt Jesum. Dies autem noctibus dignitate, non novitatis ordine præferuntur; ut omnes masculi primogeniti sunt, sicut dictum est: *Genuit filios et filias, et obiit* (*Gen.* V). Quod contra legem naturæ fit, ut omnes illi masculos primum genuissent. Nobis autem totum tempus, dies est. Omnia nova sunt, figuræ transierunt. Ex legitimis numeris sunt, *septenarius, denarius, duodenarius.* Idem est autem numerus, et cum multiplicatur: ut septuaginta, vel septingenti, vel toties in se: ut septies septem, aut decies deni. Sed aut perfectionem significant, aut a parte totum, aut simplicem summam. Perfectionem, ut *septem spiritus, Ecclesiæ septem* (*Apoc.* I, 4-11). Aut ut dicit: *Septies in die laudabo te* (*Psal.* CXVIII, 164): aut *septies tantum recipiet in isto sæculo* (*Matth.* XII; *Eccl.* XXXV, 15). Similiter, *denarius*, ut alius Evangelista dicit: *Centies tantum recipiet in isto sæculo* (*Marc.* X, 30). Et Daniel, angelorum et cœli vel Ecclesiæ innumerabilem multitudinem denario numero complexus est, dicens: *Mille milia apparebant illi, et decies millies denaria circumsistebant* (*Dan.* VII, 10). Et David: *Currus*, inquit, *Dei decies millies tantum* (*Psal.* LXVII, 18). Et de omni tempore, David: *in mille sæcula* (*Psal.* CIV, 8). Item, per duodenarium de omni Ecclesia dictum est [a] 14400 *et duodecim tribus* (*Apoc.* VII, 4, 5), omnes gentes, sicut: *Judicabitis duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). A parte totum: quoniam [b] centum tempus legitimis numeris difinitur, ut in Apocalypsi: *Habebitis pressuram* 10 *dies* (*Apoc.* IV, 10): cum significet usque in finem. Septuaginta autem in Babylone, idem tempus esse, importunum est nunc probare. Præter legitimos etiam numeros, quodcumque tempus in quocumque numero frequenter breviavit scriptura, sicut supradictum tempus, hora appellatum est, dicente Apostolo: *Novissima hora est* (I *Joan.* II, 18). Et dies: sicut, *Ecce, nunc dies* [c] *salutationis* (II *Cor.* VI, 2). *Et annum prædicare:* sicut per Isaiam: *Prædicare annum Domino acceptabilem* (*Isa.* LXI, 2) Quoniam non ille, quo Dominus prædicavit, solus fuit acceptabilis: sed et iste quo prædicat, sicut dictum est: *Tempore accepto exaudivi te* (*Isa.* XLIX, 8); et Apostolus interpretatur: *Ecce nunc tempus acceptabile* (II *Cor.* VI, 2). Finis denique hujus anni, id est, judicii junxit, dicens: *Prædicare annum Domini acceptabilem, et diem retributionis.* Et David: *Benedices*, inquit, *coronam anni benignitatis tuæ* (*Psal.* LXIV, 12). Aliquando *hora, dies et menses*, annus est, sicut in Apocalypsi: *Parati in horam, et diem, et mensem, et annum* (*Apoc.* IX, 15), quod est, tres anni et dimidium. Ibidem, *menses* pro annis: *Datum est ei delere homines, menses quinque* (*Ibid.*, 5). Aliquando, dies denario numero 100 dies sunt, sicut in Apocalypsi: *Dies mille ducenti sexaginta* (*Apoc.* XI, 3); nam millies ducenties sexagies centeni centum vigenti sex millia dies sunt, qui sunt anni trecenti quinquaginta, mensibus triccnorum dierum. Ibidem: unus mensis denario numero, 100 menses, ut: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus* (*Ibid.*, 2). Nam quadragies bis centeni, 4200 menses sunt, qui sunt anni trecenti quinquaginta. Tempus, aut annus est, aut 100 anni: sicut *tempus, et tempora, et dimidium temporis* (*Dan.* VII, 25; XII, 7), quod est, aut 3 anni et dimidius, aut 350. Item: Unus dies aliquando centum anni sunt: sicut de Ecclesia scriptum est: *Jacere in civitate, ubi et Dominus ejus crucifixus est, et post tres dies et dimidium* (*Apoc.* XI, 8, 11). Et *oportet filium hominis Hierusalem ire, et multa pati a senioribus et principibus sacerdotum, et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere* (*Matth.* XX, 18; *Marc.* X, 33; *Luc.* XVIII, 32). Ipse enim tertio die resurrexit. Generatio aliquoties et centum anni sunt: sicut Dominus dicit Abrahæ: *Quarta autem generatione revertetur huc* (*Gen.* XV, 16). In Exodo vero, non de servitutis, sed de totius peregrinationis tempore dictum est: *Quinta autem generatione, ascendit populus ex Ægypto* (*Exod.* XII, 42), id est, post 450 annos. Item *generatio*, aliquoties 10 anni sunt: sicut Jeremias dicit: *Eritis in Babylonia, usque ad generationes septem* (*Baruch.* VI, 2). Ternarium numerum, eumdem esse, qui et denarius, idem plenius in Evangelio deprehenditur. Matthæus enim dicit: *tribus* servis creditam Domini substantiam (*Matth.* XXV, 15). Lucas vero *decem* (*Luc.* XIX, 13): quos decem in tres redigit, dum et ipse a tribus dicit exactam rationem. Aliquoties unus dies mille anni sunt: sicut scriptum est: *Qua die gustaveritis ex arbore, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Et septem dies primi, 7000 anni sunt. Sex diebus operatus est Deus, et requievit ab omnidem II Cor. VI, 2, legimus σωτηρίας. Sic et apud Isaiam XLIX, 8, quo respexit Apostolus.

[a] Lege 144000, excitato loco Apocal.
[b] Certum.
[c] *Salutationis.* Forte *salvationis*, aut *salutis*. Sigul-

Digitized by Google

bus operibus suis die septimo, et benedixit et sanctificavit illum (*Ibid.*, 2, 3). Dominus autem dicit: *Pater meus usque modo operatur* (*Joan.* v, 17). Sicut enim istum mundum sex diebus operatus est: ita mundum spiritualem, qui est Ecclesia, per 6000 annos operatur, cessaturus die septimo quem benedixit, fecitque in æternum. Id est quod Dominus inter cætera mandata nihil aliud crebrius præcepit quam observemus et diligamus *diem sabbatorum*. Qui autem præcepta Dei facit, sabbatum Dei diligat: id est, septimum diem quietis æternæ. Propterea Deus hortatur populum non intrare portas Hierusalem cum onere in die sabbati, et minatur portis, et intrantibus per eas et exeuntibus, sicut Hieremiæ mandat, dicens: *Vade, sta in portis filiorum populi tui, in quas ingrediuntur reges Juda et egrediuntur, et in omnibus portis Hierusalem, et dices ad eos: Audite verbum Domini, qui intratis portas istas. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, et nolite tollere onera in die sabbatorum, et nolite exire portas Hierusalem, et nolite ferre onera de domibus vestris in die sabbatorum, sicut mandavi patribus vestris: et non obaudierunt in auribus suis, et induraverunt cervicem suam super patres suos, ut me non audirent, neque perciperent disciplinam. Eritque si me audieritis, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbatorum, ut non facialis omne opus vestrum, et sanctificetis diem sabbatorum, et intrabunt per portas civitatis hujus reges et principes, sedentes in sede David. Et ascendent in curribus et equis, ipsi principes eorum viri Juda, qui inhabitant Hierusalem. Et habitabitur civitas hæc in æternum, et venient de civitatibus Juda, et de civitatibus Hierusalem, et de terra Benjamin, et de terra campestri, et de terra quæ ad austrum, afferentes holocausta et incensa, et manna, et thus, ferentes laudationem in domo Domini. Et si me non audieritis, ut sanctificetis diem sabbatorum, ut non portetis onera, neque intretis per portas Hierusalem: succendam ignem in portis ejus, et consumet domos Hierusalem, et non extinguetur* (*Jerem.* XVII, 19-27). Sufficeret breviter mandasse non operari sabbatis. Ut quid: *Nolite inferre onera per portas Hierusalem?* Aut, si opus erat: et operis speciem diceret, id est, *nolite inferre per portas*. Non enim aliqui per muros et tecta inferebant onera in civitatem. Hierusalem bipertita est, et portæ ejus bipertitæ. Per portas inferorum exitur de Hierusalem sancta: et per easdem intratur in maledicta. Qui autem intrant per portas, intrant in æternam Hierusalem, *ut reges in curribus, et in equis, sedentes in sede David*, sicut per Isaiam: *Adducent filii filiorum ex omnibus gentibus donum Deo cum equis et curribus* [a] *in splendore multorum, cum umbraculis in sanctam civitatem* (*Isa.* LVI, 20). Portæ sanctæ civitatis Jerusalem, *Christus est*, et vicarii ejus, custodes legis: interficientes vero prophetas et lapidantes ad se missos. Porta diabolus est, et vicarius ejus pseudoapostoli prævaricatores legis, claves regni cœlorum alto sensu abscondentes. Ipsi sunt portæ, quæ non vincunt Ecclesiam, quæ supra petram fundata est. *Quoniam fundamentum Dei stat*, sicut scriptum est: *Cognovit Deus, qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Si quis autem per præcepta præsidentium cathedræ Moysi introiit, per Christum intrat. Ipsius enim sunt præcepta, ipse exponit onus peccatorum suorum, et sine illo non intrat in requiem sabbati. Si quis vero non per præcepta, sed per facta præsidentium cathedræ Moysi intrat, filius est gehennæ magis quam ipsi. Et requiescentibus universis, qui ante sabbatum manna collegerunt: ille cum onere suo inveniatur in die sabbati, in quo non est, manna colligere, neque onus exponere. Quia nolunt audire vocem filii Dei clamantis in Ecclesia et dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* (*Matth.* XI, 28). Isti sunt fures, qui non per januam veram, sed per portas suas intrant in suam Hierusalem. Et succendet Deus ignem in portis Hierusalem, et comburet itinera ejus, et non exstinguetur. Ignis enim qui specialis Hierusalem portas exussit, exstinctus est. Apostolus autem sabbatum, et alia legis mandata, figuram esse futuri, sic ait: *Nemo ergo judicet vos in cibo et potu aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quod est umbra futuri* (*Coloss.* II, 16). Multis in locis, unius temporis diversi eventus in speciem separatim describi duo tempora fecerunt, quasi ex ordine se insequentia. In genere autem, uno tempore et uterque eventus: Si 14 anni sub Joseph, ubertatis et sterilitatis 7 anni sunt tantum (*Gen.* XLI), id est omne tempus passionis Domini, in cujus figura factus est Joseph dominus Ægypti, cum esset 30 annorum. Qui sunt itaque nobis 7 anni ubertatis et saturitatis: idem cæteri 7 sterilitatis et famis. Isto enim tempore minatur Dominus divitibus famem, pauperibus vero saturitatem. Promittit hæc bona; et mala duplicis temporis uno tempore futura. Testatur scriptura Exodi (*Exod.* X), quia manifestum est, omnium plagarum Ægypti immunem esse Israel: et per tres dies tenebrarum lumen habuisse. Quod nunc spiritualiter geritur, sicut Deus eidem Pharaoni postea comminatus est dicens: *Dabo tenebras super terram tuam* (*Ibid.* 21). Aliquoties unum tempus in multas dividit partes: quarum singulæ totum tempus sint. Sic annus quo fuit Noe in arca, dividitur in omnes numeros. Quoties tamen temporum mentio est, quaternarius numerum specialiter tempus est a Domini passione usque in finem. Quaternarius est autem, quoties aut plenus est, aut post tertium pars quarti, ut 340 aut tres et dimidio. Cæteri vero (nam pro locis intelligendi sunt), signa sunt, non manifestæ definitiones. Quadraginta ergo diluvii dies totum tempus est. Nam isti sunt 40 anni in Ægypto, et 40 anni in eremo, et 40 dies jejunii Domini et Moysi et [b] Ecclesiæ, quibus in Ecclesia jejunat Ecclesia, id est, abstinet

[a] *In splendore multorum.* LXX. Isa. LXVI, 20, ἐ λαμπήναις ἡμιόνων, *in lamponis mulorum.*

[b] Eliæ v. c. recte ut III Reg. XIX.

Digitized by Google

a mortuorum voluptatibus. Idem 40 dies quibus manducat et bibit Ecclesia cum Domino post resurrectionem 40 anni sunt quibus erat Ecclesia manducans et bibens sub Salomone, pace undique versum profunda, premente tamen eos bipertito Salomone : sicut eadem Ecclesia dicit : *Pater unus oppressit nos* (III *Reg.* XII, 30). Quadraginta dies, fuit aqua in statu suo, et totidem defecit : ut bis et defectio æque 40 mense, id est, perfecto tempore compleretur. Sed in genere, non ita est, ut quodam tempore invalescat, et deinde deficiat. Quoniam tempore quo valescit carnaliter, eodem deficit spiritualiter, ut ipsa elatio sit defectio, usque dum perficiatur tempus. Sic mundus regnans ponitur sub pedibus Ecclesiæ filii hominis. Qui sunt itaque 40 dies, exsolvit peccata Juda, et Israel 149, quod est unum atque idem. Et 7 mense sedit Arca, idem tempus : Et deficiebat aqua usque in 10 mensem, idem tempus. Exivit de arca 12 mense (*Gen.* VIII, 14). Hic est annus libertatis Domini acceptabilis. Quo completo, manifestabitur Ecclesia, mundi pertransisse diluvium. Unaquæque pars hujus anni, idem annus est. Quale si diceret, exiit de Arca quadragesimo die, aut mense 7 aut 10.

REGULA VI.

De Recapitulatione.

Recapitulationes sunt istæ partes ab initio usque in finem : sicut Adam usque Enoch, id est, Ecclesiæ translationem, septem generationes, quod est, omne tempus. Rursus ab Adam usque ad Noe, id est, reparationem, decem generationes, quod est omne tempus : et a Noe usque ad Abraham decem generationes. Nam et centum anni, quibus ab Arca fabricata est, omne tempus est quo Ecclesia fabricatur, et eo tempore, in diluvio pereuntibus universis, gubernatur. Quod prudentibus plenius investigandum data via relinquimus. Quoniam ne copia Scripturæ interpretando foret ; singula persequenda, et ea quæ hunc intellectum forte impediunt, removenda non putavimus, alio properantes. Inter regulas quibus spiritus lege signavit : quo luminis via custodiretur, nonnihil custodit recapitulatione sigillum ea subtilitate, ut continuatio magis narrationis, quam recapitulatio videatur. Aliquotiens enim sic recapitulat : Tunc illa hora, illo die, eo tempore : sicut Dominus loquitur in Evangelio, dicens : *Die qua exivit Loth a Sodomis, pluit ignem de cœlo, et perdidit omnes* (*Gen.* XIX, 24). Secundum hæc, *erunt dies filii hominis* (*Matth.* XXIV, 37), quando revelabitur illa ora, *qui erit in tecto, et vasa ejus in domo, non descendat tollere ea, et qui in agro similiter non revertatur retro* (*Matth.* XIII, 15, 16). Meminerit uxoris Lot (*Luc.* XVII, 32). Numquid illa hora, qua Dominus revelatus fuerit adventu suo, non debet quis converti ad ea, quæ sua sunt, et uxoris Lot meminisse, et non antequam reveletur? Dominus autem illa hora, qua revelatus fuerit, jussit ista observari ; non solum ut abscondendo quærentibus gratiosum faceret veritatem ; sed etiam, ut totum illud tempus, diem vel horam esse monstraret. Eadem itaque hora, id est, tempore, ista observanda mandavit : sed antequam reveletur. Eadem quidem hora : sed in qua parte horæ, ratione agnoscitur. Aliquoties autem non sunt recapitulationes hujusmodi, sed futuræ similitudines, sicut Dominus dicit : *Cum videritis, quod dictum est per Danielem prophetam, tunc qui in Judæa sunt, fugient in montes* (*Matth.* XXIV, 15; *Dan.* IX, 27). Et inducit finem. Quod autem Daniel dixit : In Africa geritur neque eodem tempore finis. Sed quoniam licet non in eo tamen titulo futurum est. Propterea tunc dixit, id est, cum similiter factum fuerit per orbem : quod est discessio et revelatio hominis peccati. Hoc genere locutionis dicit Spiritus in Psalmis. *Cum converterit Dominus captivitatem Sion : facti sumus velut consolati : Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum illis. Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes* (*Psal.* CXXV, 1-3). Dicendo vero : *Cum averterit Dominus captivitatem Sion :* tunc dixerunt [a] in gentibus. *Nunc avertet,* inquit. Tunc dicent in gentibus. Nos enim gentes, quorum captivitatem avertit. Sicut illorum in figuram, tempus habemus dicentes : *Magnificavit Dominus facere cum eis, magnificavit Dominus facere nobiscum.* De similitudine itaque tempus suum et nostrum, unum fecit et junxit, dicens : *Tunc dicent in gentibus,* id est, cum similiter gentibus fecerit. Nec illud prætereundum puto, quod spiritus sine mysteriis vel allegoria aliud intelligi voluit. Super Joannem multi Pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum. In isto cognoscite spiritus Dei. *Omnis spiritus qui solvit Jesum, et negat in carne venisse, de Deo non est, sed hic de Antichristo est. Quod audistis quoniam venit, et nunc in isto mundo præsens est* (I *Joan.* IV, 3). Numquid omnis qui non negat Jesum in carne venisse, Spiritum Dei habet? Sed hanc negationem, in opere non in voce esse, et unumquemque non ex professione, sed ex fructibus intelligi debere : in omni Epistola qua non nisi de fructibus bonis et malis scripsit, subtiliter admonet, eodem genere locutionis, sicut dicit : *In isto cognoscimus eum, si præcepta ejus custodiamus* (I *Joan.* II, 3, 4). *Qui autem dicit : Quoniam cognovi eum et mandata ejus non servat, mendax est.* Numquid ex professione dixit intelligi fratrem qui Deum nescit, et non ex operibus? *Et qui dixerit, quoniam diligit Deum, et fratrem suum odit : mendax est* (I *Joan.* IV, 20). Si enim ut dicit, diligit Deum : doceat operibus, adhæreat Deo, diligat Deum in fratre. Si credit Christum incarnatum ; quiescat odire membra Christi. Si credit Verbum carnem factum : quid persequitur in carne, *Verbum caro factum* (*Joan.* I, 14). Quid persequitur verbum in carne? Quod dixit Dominus : *Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis in me*

[a] Lugentibus V. C.

Digitized by Google

credentibus, mihi fecistis (*Matth.* xxv, 40) : non operetur malum in Christi carne, id est, in servis ejus, quoniam Dominus et Ecclesia, una caro est. In qua carne si credit esse hominem : cur non diligit, aut quod crudelius est, cur odit, sicut scriptum est : *Qui non diligit fratrem, permanet in morte* (I *Joan.* III, 14). Et, *qui fratrem suum odit, homicida est* (*Ibid.*, 14). Aliud majus evidentius signum cognoscendi Antichristi non esse dixit, quam qui negat in carne, idem odit fratrem? Tale autem quod dicit : *Quoniam qui negaverit Christum in carne, de Deo non est* (II *Joan.* XVII) : quale, *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) : cum multi dicant Dominum Jesum, ipso contestante : *Non omnes qui mihi dicunt, Domine, Domine, introibunt in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Sed hoc loco Apostolus, *neminem posse dicere Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto* secundum conscientiam dixit (I *Cor.* XII, 3), secundum interiorem hominem, non secundum solam professionem, ut ostenderet illis, qui dicunt Dominum Jesum, nihil minus habere ab his, qui charismatum generibus extolluntur. Sed unum atque eumdem Spiritum possidere omnem, qui Dominum Jesum crediderit, idem operibus credidisse monstraverit. *Nemo*, inquit, *potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto : Divisiones autem sunt charismatum, idem vero spiritus. Et divisiones ministeriorum sunt : et idem Dominus* (*Ibid.*, 4, 5). Solvere autem Jesum, est non facere quod Jesum fecisse confitetur, sicut idem Dominus dicit : *Qui solverit unum ex mandatis istis minimis, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 20). Et quid sit *solverit*, ex consequentibus aperit, dicens : *Qui autem fecerit, et sic docuerit.* Hanc ergo negationem, operum esse, non vocis, et Paulus apostolus confirmat dicens : *Dominum scire confitentur, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Et iterum : *habentes formam pietatis, virtutem autem ejus negantes* (II *Tim.* III, 5). Hoc sensu dicit quosdam fratres, Christum non voce sancte prædicare, sed corde. Nam voce sancte prædicant. Consentit denique prædicationi eorum, et mandat audiri, dicens : *Quid interest sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur* (*Philipp.* I, 18). Dominum enim Christum Antichristus non voto, sed occasione prædicat. Alio tendens, per Christi nomen ingreditur : quo sibi viam sternat, quo sub *Christi* nomine, ventri pareat, et his (quod turpe est dicere), sanctitatis et simplicitatis nomen imponat, signis et prodigiis cubiculorum opera Christum esse asseverans. Quos salubri cautione vitare admonet Apostolus dicens : *Filiis abstinete vos a simulacris* (I *Joan.* V, 21).

REGULA VII.

De diabolo et corpore ejus.

Loci duo illustrati, Isaiæ cap. XIV, *Et Ezech.* XXVIII.

De diabolo et corpore ejus breviter videri potest, si id quod de Domino et ejus corpore dictum est, id quoque observetur. Transitus namque a capite ad corpus, eadem ratione dignoscitur, sicut per Isaiam de rege Babylonis dicitur : *Quomodo cecidit Lucifer de cœlo, mane oriens? contritus est in terra qui mittebatur ad omnes gentes? Tu autem dixisti in animo tuo : In cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam, sedebo in monte alto super montes altos in aquilonem, ascendam super nubes, ero similis Altissimo. Nunc autem ad inferos descendisti in fundamenta terræ. et qui viderint te, mirabuntur super te, et dicent : hic est homo, qui concitat terram, movet reges, qui ponit orbem terræ totum desertum. Civitas autem destruxit abductosque non solvit. Omnes reges gentium dormierant in honore, in domo sua. Tu autem projectus es in montes velut mortuus. abominatus cum omnibus qui ceciderunt in desertis gladio, et descenderunt ad inferos. Quomodo venisti : sicut vestimentum sanguine conspersum, non erit mundum, ita nec tu eris mundus, quia terram meam perdidisti, et plebem meam occidisti. Non eris in æternum tempus semen nequam, para, filios tuos interfice, peccatum patris tui non resurgant* (*Isai.* XIX, 12, 22). In regem Babylonis, et omnes reges, et omnis populus significatus, unum enim est corpus. *Quomodo*, inquit, *cecidit de cœlo lucifer, mane oriens, confractus in terra : qui mittitur ad omnes gentes? Tu autem dixisti in animo tuo : In cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam.* Diabolus hoc sibi promittit. Non enim sperat retinendo in cœlum posse ascendere, qui ne dejiceretur, resistere non valuit. Multo magis ista homo sperare non potest : et tamen hominem esse sic dicit : *Hic est homo qui incitat terram.* Sed præter hanc rationem, quam neque diabolus, neque homo sperare potest, se posse in cœlum ascendere, et super stellas Dei sedens, similem se Deo fieri, et ipsa Scriptura aliud inquirendum admonet. Nam si in cœlum et supra stellas Dei dicit se sedem suam positurum : quomodo in monte alto sedebit, aut super montes in aquilonem vel in nubibus ut similis sit Altissimo? non enim Altissimus in hujusmodi habet sedem. Cœlum, Ecclesiam dicit : sicut procedente Scriptura videbimus. De hoc cœlo cadit lucifer matutinus. Lucifer enim bipertitus est : sicut Dominus dicit in Apocalypsi de se et de suo corpore : *Ego sum radix et genus David, et stella splendida matutina, sponsus et sponsa* (*Apoc.* XXII, 16). Item illic : *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam* (*Apoc.* II, 28) : id est, ut sit stella matutina sicut Christus, quem accepimus. Pars ergo lucifer, id est, adversum corpus, quod est diabolus, reges, et populus, cadit de cœlo, et confringitur in terra. His regulis dicit Sapientia : *Audite ergo reges et intelligite : discite judices finium terræ, præbete aures, qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est vobis potestas a Domino, et virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem* (*Sap.* VI, 2, 3). Rex ergo Babylonis totum corpus est : sed pro locis intelligimus, in quam partem corporis conveniat. *Cecidit de cœlo lucifer*, in omne corpus potest con-

Digitized by Google

venire. *In cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam*, similiter, et caput : majores, qui stellarum Dei, id est, sanctorum dominum dominandum putant, cum ipsorum minores dominentur, sicut scriptum est : *Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 25). Huic Esau, id est, fratribus malis, sic dicit Dominus per Abdiam prophetam : *Exaltans habitationem suam, dicens in corde suo : Quis me deducet ad terras? Si exaltatus fueris sicut aquila, et inter stellas ponas nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus* (*Abd.* I, 3, 4). *Sedebo in monte alto super montes altos, in aquilonem, ascendam super nubes, ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Mons altus, populus est superbus. Montes alti, singuli quique, qui adunati montem faciunt, id est, corpus diaboli. Multos enim esse montes malos, dicit Scriptura : *Transferentur montes in corde maris* (*Psal.* XLV, 3). Iterum : *Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est Deus* (*Psal.* XVII, 8). Nam et corpus Domini, id est, Ecclesia, mons dicitur : et singuli qui Ecclesia, faciunt montes, sicut scriptum est : *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, annuntians imperia ejus* (*Psal.* II, 6). Et iterum : *Perdam Assyrios in terra mea, et in montibus meis* (*Isa.* XIV, 25). Et iterum : *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam* (*Psal.* LXXI, 3). Et iterum : *Montes exsultabunt velut arietes, et colles velut agni ovium* (*Psal.* CXIII, 4). Deus in monte Sion habet sedem, et in montibus Israel, et in nubibus sanctis suis : quod est Ecclesia. Scriptum est : *Timeat a facie Domini omnis terra : quoniam exsurgit de nubibus sanctis* (*Psal.* XXXII, 8). Iterum, *nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V, 6). Iterum : *Nimbus et nubes in circuitu ejus* (*Psal.* XCVI, 2). Et quod in monte Sion habitet, sic dicit : *Cognoscetis, quia ego sum Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo* (*Ezech.* XXXV, 5). Et diabolus in monte sedet, sed Seir, qui est Esau, id est, fratrum malorum : quem montem Deus increpat per Ezechielem, et dicit in lætitia universæ terræ desolaturum, quod adversum Israel inimicitias exerceat. Ipse est mons, ipsi montes Aquilonis. In his diabolus sedet; et nubium cœli veluti dominatur. Hactenus, *se similem dicit altissimo* (*Isa.* XIV, 14). Duæ sunt partes in Ecclesia, *Austri et Aquilonis*, id est, Meridiana et Septentrionalis. In parte meridiana, Dominus manet. Scriptum est : *Ubi pascis, ubi manes in meridiano* (*Cant.* I, 6)? Diabolus vero, in Aquilonem, sicut Deus dicit populo suo : *Illum persequar ab Aquilone a vobis, et expellam illum in terra sine aqua*, id est, in suos; *et exterminabo faciem ejus in mare primum, et posteriora ejus in mare novissimum*, quod est in populos primos et novissimos (*Joel.* XI, 10). Instar Ecclesiæ, fabricatus est iste mundus, in quo Sol oriens, non nisi per Austrum, id est, meridianum iter habet; et decursa Australi parte, invisibilis vadit in locum suum rediens. Sic et Dominus Deus noster Jesus Christus, Sol æternus partem suam percurrit, unde et meridianum vocat. Aquiloni vero, A id est, adversæ parti non oritur : sicut iidem cum in judicium venerint, dicent : *Justitiæ lumen non luxit nobis* (*Sap.* V, 6). Timentibus autem Dominum, *oritur Sol justitiæ : et sanitas in pennis ejus*, sicut scriptum est (*Malach.* IV, 2). Malis vero meridie nox est : sicut scriptum est : *Dum sustinent ipsi lumen, factæ sunt illis tenebræ, fulgorem obscura nocte ambulaverunt, palpabunt sicut cæcus parietem, et cui non sunt oculi, palpabunt et cadent meridie, quasi media nocte* (*Isa.* LIX, 9, 10, *sec.* LXX). Iterum : *Occidet sol meridie, et tenebricabit super terra dies luminis* (*Amos* VIII, 9). Iterum : *Propterea nox erit vobis de visione, et tenebræ vobis erunt ex divinatione, et occidet sol super prophetas, et obscurabit super eos dies luminis* (*Mich.* III, 6). Huic populo ex Austro comminatur Deus, B sicut per Ezechielem Soor increpat, dicens : *Spiritus Austri contrivit te* (*Ezech.* XXVII, 16). Is enim confringere permittit, dicens : *Exsurge, Aquilo, et veni, Auster : perfla hortum tuum, et defluent unguenta mea* (*Cant.* IV, 16). Exsurgente enim nequam spiritu, resistit Spiritus sanctus, qui Domini hortum perflat, et *eliciuntur unguenta*, id est, odor suavitatis offertur. Et per Ezechielem, idem ex reliquiis populi mali sic dicit Deus, *adducere super populum suum*, partem ejusdem populi, quod est mysterium facinoris : *Ecce ego super te Gog, principem Mosoch et Tobel : et congregabo te, et adducam te, et ponam te a novissimo Aquilone, et adducam super te montem Israel : et perdam arcum de manu tua sinistra, et sagittas tuas de manu dextera, et dejiciam te super mon-* C *tes Israel* (*Ezech.* XXXIX, 1-4). Hoc autem geritur, a passione Domini : quoadusque de medio ejusdem mysterii facinoris discedat Ecclesia, quæ detineat, ut in tempore suo detegatur impietas, sicut dicit Apostolus : *Et nunc quid detineat, scitis, ut in suo tempore detegatur : Mysterium enim jam nunc operatur iniquitatis : tantum, ut qui detinens detinet modo, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille impius* (II *Thess.* II, 6-8). Et in Hieremia legimus, peccatores Israel in Aquilone convenire, Domino dicente : *Vade et lege sermones istos ad Aquilonem, et dic : Convertere ad me, domus Israel, dicit Dominus* (*Jerem.* III, 5). Meridianum vero pars est Domini; sicut et in Job scriptum est : *A meridiana parte germinabit ibi vita* (*Job.* XI, 17). Aquilo diaboli : Utraque au- D tem pars, in toto mundo. *Ascendam*, inquit, *nubes : ero similis Altissimo. Nunc autem ad inferos descendes in fundamenta terræ. Qui viderint te, mirabuntur super te, et dicent : Hic est homo qui concitat terram, commovet reges, qui ponit orbem terræ totum desertum.*

Numquid in diabolum convenit, *Qui viderint te, mirabuntur super te?* Aut in regem novissimum, *cum ad inferos descendes?* Ipso enim ad inferos descendente, non erit qui miretur, mundo finito. Non enim dicent : *Hic est homo qui concitavit terram, reges, et posuit orbem terræ totum desertum :* sed *incitat, et commovet et ponit.* Hominem enim totum corpus dicit tam in regibus quam in populis : cujus hominis superbi partem cum Deus percutit, et ad

Digitized by Google

inferos dejicit, dicimus : *Hic est homo qui incitat terram, commovet reges*, scilicet sanctos : *Qui ponit orbem terræ totum desertum* : irridentium vox est, non confirmantium, sicut ibi : *Qui dissolvit templum, et triduo illud suscitat* (*Marc.* XV, 29). *Dixit enim : Fortitudinem faciam, et sapientiam intellectus. Auferam terminos nationum, et fortitudinem illarum vastabo, et comminuam civitates cum habitantibus : et totum orbem comprehendam manu, velut nidum, et velut ova derelicta auferam, et non erit qui effugiat me, aut contradicat mihi* (*Isa.* X, 13, 14). Numquid ista quæ sibi promittit, valet implere? Ponit quidem *orbem terræ totum desertum*, sed orbem suum. *Civitates autem destruxit*, utique sui orbis. Est enim bipertitus, mobilis et immobilis : sicut Paralipomenon : *Commoveatur a facie Domini omnis terra. Etenim fundavit orbem terræ, qui non commovebitur. Abductosque non solvit* (I *Par.* XVI, 30; *Ps.* XCV, 9). Potest, inquit, in speciem convenire ; quod captivis in nullo relaxasset, sed *inimicis* raptum æstimans, principali tota in eos uteretur potestate. Quod objurgat Deus, dicens : *Ego quidem iratus sum modice : ipsi autem adjecerunt in mala* (*Zach.* I, 15). Veruntamen in figuram generalitatis facta et dicta sunt, et spiritualiter implentur : dum hi qui dominantur, humilitatis subditos aut tentationis causa vel merito sibi subditos sine respectu pietatis atque communis conditionis affligunt, quibus non sufficit potestas, sed ea immoderatius uti contemnunt, quod culpat, dicens : *Persequentes retributionem* (*Isai.* I, 23). Et iterum : *Extendit manum suam ei in retribuendo* (*Ps.* LIV, 21). Putum est enim quod inimicus est ; adhuc gestit et in subditum vindicare, sicut scriptum est : *Omnes subditos vobis compungitis*. Dissimulans odisse Dominum, inimicum et vindicatorem : quod per vindictam quam soli sibi Deus exceptavit, aliquid sanctitatis usurpet. Scriptum est enim : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19). *Omnes reges terræ dormierunt in honore, homo in domo sua* (*Isai.* XIV, 18, 19). *Reges*, sanctos dixit. Nam non omnes reges vel privati in domo sua dormierunt, sicut sancti in domo (sua) quam delegerunt. *Tu autem projectus es in montes velut mortuus abominatus, cum omnibus qui ceciderunt inserti gladio, et descendunt ad inferos.* Diabolo dicit, *Projectus es in montes*, in quibus sedet. Denique non dixit mortuus : sed *velut mortuus abominatus*. Adhuc enim vivit : licet ipse in suis gladio perimatur, et *ad inferos descendat*. Sicut enim Dominus, quidquid sui patiuntur, se pati dixit (*Matth.* XXV, 40) : ita et diabolus ipse in suis inculcatur, ipse abominatus confringitur, sicut scriptum est : *In diminutione populi, comminutio principis* (*Prov.* XIV, 28). Diabolus ab homine suo non separatur : nec homo in quo diabolus non est, potest dicere : *Ero similis Altissimo*. Nec diabolus, hic homo, qui incitat terram : nisi in homine fuerit. Sicut Dominus, homo dici non potest, nisi in homine ; nec homo, nisi in Christo. Sed quid in quem conveniat, pro locis observandum est. Iterum corpus ipsius diaboli convenit dicens : *Quomodo venisti? sicut vestimentum sanguine conspersum non est mundum, ita nec tu eris mundus : quia terram meam perdidisti, et plebem meam occidisti. Non eris in æternum tempus, semen nequam : para, filios tuos interfice peccatis patris tui, ut non resurgant* (*Isai.* XIV, 19-21, *sec.* LXX). Hic ostendit non convenire in speciem. Rex enim Babylonis, qui terram Domini vastavit, et populum occidit, id est, Nabuchodonosor mundus obiit, in æternum vivit : corpori dicit sui cujusque temporis parare quos genuerit, interfici peccatis ejus quo ipse, qui convenitur gentilis. Novissimus enim rex non filios, sed fratres habere potest. Neque *velut mortuus* cum ad inferos descenderit, sed *mortuus*. Per Ezechielem sic Deus increpat regem Tyri : *Quoniam exaltatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, habitatione Dei habitavi in ordine maris. Tu autem homo es, et non Deus : et dedisti cor tuum tamquam cor Dei. Numquid sapientior es tu Daniele? Sapientes arguerunt te sapientia tua. Numquid sapientia tua aut doctrina tua fecisti tibi virtutem et aurum et argentum thesauris tuis? Numquid in multa doctrina tua, et in mercatu tuo multiplicasti virtutem tuam? Propterea hæc dicit Dominus : Quoniam dedisti cor tuum, sicut cor Dei : propter hoc, ecce ego induco super te alienas pestes ex gentibus, et exinanient gladios tuos super te, et super decorem doctrinæ tuæ : et vulnerabunt decorem tuum in perditionem, et deponent te, et morieris morte vulneratorum in corde maris. Numquid dicturus es in conspectu interficientium te : Deus ego sum? Tu vero homo es, et non Deus. In multitudinem incircumcisorum peribis, in manibus alienorum : quia ego locutus sum, dicit Dominus. Tu es signaculum multitudinis et corona decoris : in deliciis paradisi Dei fuisti, omnem lapidem optimum habens in te alligatum ; Sardium, Topazum, Smaragdum et Carbunculum et Sapphirum, et Jaspin, et argentum et aurum et Ligyrium et Achatim et Amethistum, Chrysolithum et Beryllum, et Onychium : et auro repletsi thesauros tuos et apothecas tuas. Cum Cherubin posui te in monte sancto Dei : fuisti in medio lapidum igneorum, abiisti sine macula in diebus tuis, ex qua die creatus es, donec inventerentur iniquitates tuæ in te. A multitudine negotiationis tuæ implesti promptuaria tua iniquitate et peccatis : et vulneratus es a monte Dei. Abduxit te Cherubin de medio lapidum inferorum, exaltatum est cor tuum in corde tuo : corrupta est doctrina cum decore tuo. Propter multitudinem peccatorum et iniquitatem negotiationis tuæ, contaminata sunt sancta tua : educam ignem de medio tui, hic te devorabit. Et dabo te cinerem in terra tua, in conspectu omnium videntium te, et omnes qui te noverunt inter nationes, constristabuntur super te. Perditio factus es, et non eris in æternum tempus* (*Ezech.* XXVIII, 2-19, *sec.* LXX). [*Quoniam exaltatum est*, inquit *cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, habitatione Dei habitavi in corde maris* : et in hominem convenit dicentem : *Ego sum Christus* ; et in diabolo qui *in corde maris*, id est, populi

Digitized by Google

habitat, sicut Deus in corde sanctorum suorum sedet. Populus, *in corde maris*, id est, in voluptate vel altitudine sæculi habitat, sicut in alio loco dicit Deus eidem civitati : *Satiata et honorata es nimis in corde maris. In* [a] *qua multa deduxerunt te remiges tui : Spiritus Austri contrivit te in corde maris virtutis tuæ.*] *Tu autem homo es, et non Deus* (*Ezech.* XXVII, 25-26). Et diabolus in homine, homo dictus est : sicut Dominus dixit in Evangelio : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 28). Et interpretatus est, dicens : *Qui ea seminat, diabolus est* (*Ibid.*, 39). Homo diaboli, Deus esse non potest. Propterea in utrumque convenit : *Tu homo es, et non Deus. Dedisti cor tuum, tamquam cor Dei. Numquid sapientior es tu Daniele?* In *Daniele*, totum corpus est Ecclesiæ : quia non potest esse peccati sapientior in negotiis vitæ, sicut ille sapientior est in suoquam filii lucis. Potest etiam in speciem convenire : quoniam *Daniel* specialiter confundit regem Babylonis, in figuram, qui Prophetico spiritu regem superbum ad confessionem unius Dei, Ecclesiastica majestate prostravit ; qui confessione suarum virtutum, et cœlesti sapientia, Babylonis superstitiones evertit. *Sapientes te* [b] *non arguerunt sapientia tua.* Non solum enim Daniel sapiens, sed etiam tres pueri, qui regem et omne regnum ejus cum ipsis diis suis, unum Dominum asserendo, *eodem Deo* præsente confuderunt. Idem nunc usque generaliter ejusdem tam externas quas intestinas Babylonis, lumine veritatis disrumpunt. *Numquid in scientia tua, aut sapientia tua fecisti tibi virtutem, et aurum et argentum thesauris tuis? Numquid in multa scientia, aut in mercatu tuo multiplicasti tibi virtutem tuam?* et exaltatum est cor tuum in virtute tua. Putant enim superbi et beneficiorum omnipotentis Dei ingrati, sua virtute aliquid posse, et sapientia ditari, nescientes scriptum esse : *Non levibus cursus, non fortibus prælium, neque sapienti panis* (*Eccl.* IX, 11). Et iterum : *Numquid magnificabitur securis sine concisore* (*Isa.* X, 15)? Et non quidem prudentibus divitiæ, et non scientibus gratia. Hæc enim non sunt in nostra potestate, sed a Deo conferuntur. *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, tamquam non acceperis* (1 *Cor.* IV, 7)? Et iterum : *Non glorietur sapiens, in sapientia sua* (*Jerem.* IX, 23). *Propterea hæc dicit Dominus : Quoniam dedisti cor tuum, sicut cor Dei : Propterea, ecce ego induco super te alienos, pestes ex gentibus : et eximanient gladios suos super te, et super decorem scientiæ tuæ.* (*Ezech.* XXVIII, 7, 8). Etsi potest in speciem convenire, quod reges sæculi per suam superbiam, dominos se appellari patiuntur ; tamen hoc quoque convenit in genus. Frequenter enim inducit Deus in Ecclesiam alienigenas, et multos in morte vulnerat. Sed etiam occulta persecutione multos inducit ex gentibus, in quibus tentet populum suum, et occidat nequam per similes, sic Matthatiam. *Et vulnerabant decorem tuum in perditionem.* Aliquos enim non in perditionem, sed cum spe sanitatis vulnerant. *Et dejicient te*, id est, humiliabunt : et morieris morte vulneratorum in corde maris. Non diceret vulnerato, *morieris morte vulneratorum* : nisi quia non aperte vulneratur, et moritur : sed ipse est, in quibus vulneratur. *Numquid narrans narrabis in conspectu interficientium te : Deus sum ego?* Id est, numquid divini generis titulis terrebis eos, quibus traditus fueris, tam spiritualiter quam carnaliter? *Tu vero homo es non Deus, in multitudine incircumcisorum perituris es manibus alienorum : quia ego locutus, dicit Dominus.* Nunc aperuit, quo genere se ille dicat Deum : dum minatur et in multitudine incircumcisorum periturum manibus alienorum : quod non convenit, nisi in eum qui sibi circumcisus videtur. Rex enim Tyri, mortem solam potuit timere : *Nonne a circumcisis*, aut cum eis moreretur. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis accipe lamentum super principem Tyri, et dic illi : Hæc dicit Dominus : Tu es signaculum similitudinis, et corona decoris in paradiso Dei fuisti.* Numquid diabolo factus es paradisus, ut ipse quod paradisum perdiderit, increpetur? Homo fuit in deliciis paradisi, ipse est *signaculum similitudinis*, qui ad similitudinem Dei factus est. *Signaculum* autem *ad decorem* dixit : sicut per Aggæum dimicantibus hujus adversum se fratribus promittit Deus Ecclesiæ, dicens : *Ego commovebo cœlum et terram, mare et aridam ; et convertam currus et sessores. Et descendent equi et sessores eorum unusquisque in gladio ad fratrem suum. In die illo dicit Dominus omnipotens, accipiam te Zorobabel filium Salathiel, servum meum, et ponam te signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus omnipotens. Zorobabel*, omne corpus est (*Aggæi* II, 22-24 ; *Eccl.* XLIX, 13). Etenim exinde nusquam legimus comparatum supra se venisse Zorobabel. Hic est ex tribu Juda, qui sub Dario meruit ædificare Hierusalem. Ipse quoque in figura fundavit domum Dei, et perfecit sicut idem Dominus dicit : *Manus Zorobabel fundaverunt domum hanc, et manus ejus perficient eam* (*Zach.* IV, 9.) Quod est autem signaculum hoc et corona speciei, sicut Deus promittit Ecclesiæ dicens : *Videbunt gentes justitiam tuam, et reges claritatem tuam, et vocabunt nomen tuum, quod Dominus nominavit. Illud erit corona speciei in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Tu etiam non vocaberis derelicta : et terra tua non vocabitur deserta. Tibi etiam nomen vocabitur, voluntas mea, et terra tua orbis terrarum* (*Isa.* LXII, 2-4.) Homo est itaque signaculum similitudinis, et corona speciei : cujus pars, in ipso decore divinæ similitudinis, et deliciis paradisi, id est, Ecclesiæ perseverat. Altera vero pars, ne in æternum vivat, inter ipsam atque arborem vitæ, flammeus ensis evolvitur (*Gen.* III, 24). Adam namque, sicut Apostolus dicit, *umbra futuri est* (*Rom*, V, 14). Sic et hi fratres, divisus est in Cain et Abel. *Omnem lapidem optimum habens in te*

[a] Lege *aqua*.

[b] Supra deest *non*.

Digitized by Google

alligatum; Sardium, et Topazium, et Smaragdum, et Carbunculum, et Sapphirum, et Jaspin, argentum et aurum, et Ligurium et Achaten et Amethistum et Chrysolitum et Beryllum et Onychium : et auro replesti thesauros tuos, et apothecas tuas in te. Hæc et in diabolum conveniunt, et in hominem. Isti enim duodecim lapides et aurum et argentum, omnesque thesauri diabolo adhærent delegati. Denique, *habes in te alligatum:* Et iterum: *Apothecas tuas in te.* Sicut corpus Domini a sanctis ornatur: promittente Deo et dicente: *Extolle oculos tuos in circuitu; vide omnes filios tuos, collecti sunt, et venerunt ad te. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus illis indueris, et superimpones illos : sicut ornamentum novæ nuptæ, quia deserta tua et diruta, et quæ ceciderunt, nunc angustiabuntur ab inhabitantibus* (*Isa.* XLIX, 18, 19; LX, 14). Et in Apocalypsi, eadem civitas duodecim lapidibus fundata construitur (*Apoc.* XXI, 19, 20). *Omnia*, inquit, *lapidem optimum*, et enumeravit duodecim: ut ostenderet in duodenario numero perfectionem. *Omnia*, enim, *quæ fecit Deus, bona sunt* (*Gen.* I, 25). Horum diabolus usum, non naturam mutavit. Et omnes homines excellenti sensu et potentis ingenii, aurum sunt et argentum, et lapides pretiosi secundum naturam: sed ejus erunt in cujus obsequio, natura, suis fruuntur. Quoniam, cui se signaverit quis in obedientia: servus est ejus, cui obaudit, sive peccati, sive justitiæ. Ita fit, ut et diabolus habeat aurum et argentum, et lapides pretiosos. Omnia quidem, non sua secundum originem: sed sua, secundum voluntatem. Nam et in Job scriptum est diabolo: *Omne aurum maris sub eo est* (*Job.* XLI, 21). Et Apostolus, *vasa aurea et argentea*, dicit *esse quædam in contumeliam* (II *Tim.* II, 20). Non enim, sicut quidam putant, omnia lignea et fictilia reprobavit, cum ex eis sint aliqua in honorem, ipso dicente: Figulum luti, aliud quidem fingere *in honorem*, aliud vero *in contumeliam* (*Rom.* IX, 21). Et ex ligno, aliud ad præparationem esse, aliud in sacrilegium: ex auro et argento, id est, ex magnis et perspicuis dixit immundos. Nam et in Apocalypsi: *Meretrix* (id est, corpus adversum) *purpura, cocco, et auro, et argento, lapidibusque pretiosis ornatur: habens poculum aureum in manu, plenum exsecrationum et immunditiarum totius terræ* (*Apoc.* XVII, 4). Ista sunt ergo diaboli ornamenta, lapides pretiosi: quibus *lapidæs igneos* imitatur, et homo in se habet thesauros tam facinorum quam perspicuos. Ipse enim suorum portator est, quem facultates suæ velut compedes ligaverunt. Præter illa, quæ ab utroque sexu corporis diaboli ornanda eduntur: etiam his, quæ defossa habent, insitum est cor. *Ubi enim erit thesaurus, illic erit et cor hominis* (*Matth.* VI, 21). Vetus enim homo et terra ejus, unum corpus est: quoniam ipse quoque terra est. Unde Apostolus non solum ea, quæ corpore admitti possunt, sed et avaritiam, membrum esse possidentis, ita definivit dicens: *Mortificate itaque membra vestra, quæ in terra sunt, fornicationem, immunditiam, passionem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus. Propter quæ venit ira Dei* (*Coloss.* III, 5, 6). *Ex qua die creatus es tu cum Cherubim, imposui te in monte sancto Dei* (*Ezech.* XXVIII, 14), id est in Christo, vel Ecclesia. *In medio lapidum igneorum fuisti*, id est hominum sanctorum, qui adunati, montem Dei faciunt. Angeli enim alterius substantiæ, lapides dici non possunt, quia corpus non habent. *Abiisti sine macula tu, in diebus tuis : ex qua die creatus es tu, donec inveniretur iniquitates tuæ in te, a multitudine negotiationis tuæ* (*Ibid.*, 15). *Lapides*, Ecclesiam esse sic dicit Petrus: *Ecce vos fratres, tamquam lapides vivi, coædificamini in domos spirituales* (I *Pet.* II, 5). Quam domum, igneam esse; et hanc, malos fratres ardere sic dicit Deus: *Erit domus Jacob, ignis: domus autem Joseph, flamma: Domus vero Esau, stipula. Exardescent in illos et comedent eos: et non erit ignifer in domo Esau, quoniam Dominus locutus est* (*Abd.*, 18). Cum enim peccat homo dejicitur de monte Dei, et non erit ignifer, amisso Spiritu, et succendetur in cinerem. *Peccasti, et vulneratus es a monte Dei : et abduxit te Cherubim de medio lapidum igneorum.* [*Cherubim*, ministerium Dei est: quod exclusit universos malos de Ecclesia, sed spiritualiter. Qui enim vestimentum nuptiale non habet, hic in sæculo excluditur de medio recumbentium. Denique in tenebras, id est, in obdurationem mittitur: donec in ignem in æternum descendat. Futuro enim sæculo, nemo miscebitur choro sanctorum, qui postea excludatur. *Exaltatum est cor tuum in decore tuo, corrupta est scientia tua in decore tuo.*] Corrupta est scientia ejus, qui sciens prudensque erat et studio affectatæ sapientiæ asserit dissimulata veritate, mendacium: sicut Spiritus dicit: *Cum cognovissent Dominum, non ut Dominum magnificaverunt, aut gratias egerunt : sed nugati sunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes* (*Rom.* I, 22). [*Corrupta est scientia* eorum, qui alios docent, se ipsos non docent. Corruptus est decor, qui generi suo operum similitudine non respondet. *Propter multitudinem peccatorum tuorum. In terram projeci te: In conspectu regum dedi te dehonestari* (*Ezech.* XXVIII, 18). Et diabolus est in terram, id est, in hominem, et homo de sublimitate Ecclesiæ, in conculcationem, si Hieremias dicit: *Dejeci de cœlo in terram gloriam. In conspectu regum* (*Thren.* II, 1). Christianorum dixit: quorum pedibus conculcatur diabolus et homo ejus: *Propter multitudinem peccatorum tuorum, et iniquitatem negotiationis tuæ, contaminantur sancta tua.*] Videtur veluti principalem titulum exprobrasse, *corpore* diaboli, negotiationis magis dicit, et *thesauros*, spirituales nequitiæ. Sicut enim spiritualis justitiæ negotiatio, est thesaurus, ut dicit Dominus: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori* (*Matth.* XIII, 45). Et iterum: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI, 20). Iterum: *Dedit servis suis substantiam suam, ut negotiarentur* (*Luc.* XIX, 13). Iterum: *Negotiatores Carthaginenses resistentib.* etc. (*Ezech.* XXVII, 12). Iterum: *Negotiatio ejus et merces sancta Domino*

Digitized by Google

(*Isac.* XXIII, 18). Et Apostolus: *Est*, inquit, *negotiatio magna, pietas* (I *Tim.* VI, 6). Ita spiritualis nequitia, negotiatio est thesaurus peccatorum, sicut Dominus dicit: *Homo malus, de thesauro cordis emittit mala* (*Matth.* XII, 35.) Et Apostolus: *Thesaurizas tibi iram in die iræ* (*Rom.* II, 5).

Propter iniquitatem, inquit, *negotiationis tuæ contaminantur sancta tua.* Qui enim non recte sanctitate Dei utitur, suam efficit, sicut Deus dicit de sabbatis suis: *Sabbata vestra odit anima mea. Educam ignem de medio tui: hic te devorabit* (*Isa.* I, 13). Ignis, Ecclesia est: quæ cum discesserit e medio mysterii facinoris, tunc pluet ignem Dominus a Domino, de Ecclesia, sicut scriptum est: *Sol exortus est super terram, et Lot intravit in Segor: et pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham, sulphur et ignem a Domino de cœlo* (*Gen.* XIX, 23). Hic est *ignis*, quem supra dixit: *Domus Jacob, ignis: domus autem Esau, stipula. Exardescent in eos, et comedent illos: et non erit ignifer in domo Esau* (*Abd.*, 18). In Genesi iterum scriptum est: *Cum contereret Deus omnes civitates in circuitu, commemoratus est Deus Abrahæ, et emisit Lot e medio subversionis: cum subverteret Deus civitates, in quibus inhabitabat in eis Lot* (*Gen.* XIX, 29.) Numquid Lot non merebatur propria justitia liberari, ut diceret Scriptura: *Commemoratus est Deus Abrahæ, et emisit Lot e medio subversionis?* Aut, *In civitatibus habitabat*, et non *in civitate*: ut diceret, *Civitates, in quibus habitabat?* Sed prophetia est futuræ discessionis. Memor enim Deus promissionis ad Abraham, ejecit Lot de omnibus civitatibus Sodomorum, quibus veniet ignis ex igni Ecclesiæ, quæ de medio eorum educetur. *Et dabo te in cinerem in terra tua*, (*Ezech.* XXVIII, 18.) Id est, in hominibus vel ipsos homines in terra sua, qui in terra Dei esse noluerunt. *In conspectu hominum videntium te*, id est, intelligentium. Numquid diabolus in homine videri potest? *Et omnes, qui te noverunt inter nationes, contristabuntur super te* (*Ibid.*, 19.) Cum enim Dominus percutit aut delegit malos, constristantur qui eorum auxilio fuiciri solent, corporis sui parte debilitata *Perditio facta es: et non eris in æternum.*

Has Regulas Tichonii expendit Augustinus tom. III, lib. III de Doctr. Christ. capp. 30-37.

ANNO DOMINI CCCXCVIII.

HILARIUS DIACONUS

PROLEGOMENA.

(Ex Schœnemanno, tom. I, p. 506.)

1. *Hilarii Diaconi vita.*—Patriam habuit Sardiniam. Diaconus erat Ecclesiæ Romanæ, quo nomine a Lucifero episcopo Calaritano post concilium Arelatense ad Constantium missus, cum in concilio Mediolani habito strenue Athanasii causam defensisset, virgis cæsus et una cum Lucifero et Pancratio in exsilium missus est. Postea Lucifero se adjunxit, sed eo temeraria opinione processit, ut Arianos et qui cum his communicassent, omnesque omnino aliqua hæresi pollutos iterum baptizandos esse statueret, antequam in societatem Ecclesiæ cath olicæ reciperentur. Hinc lepide, sed parum scite ad Hieronymo mundi Deucalion dictus est. Bene vero actum tunc cum Ecclesia fuit, quod Diaconus tantum esset Hilarius, cui, quoniam nulla erat clericos ordinandi copia, nemo fere adhæsit, adeoque hæc ejus doctrina quæ alioquin ingens schisma excitatura fuisset, cum ipso auctore an..... interiit.

2. *Scripta ejus.*— Scripta quæ Hilario tribui solent, sunt fidei admodum incertæ et dubiæ, videlicet *Commentarius in Epistolas Pauli* cum Ambrosio edi solitus, et *Quæstiones Vet. et Nov. Test.* inter Augustini opera reperiundæ, de quibus fusius, sed ita ut Hilario utrumque abjudicaret, disputavit Oudinus tom. I de SS. Eccl. p. 480-491.

COMMENTARIUS
IN XII EPISTOLAS B. PAUL
HILARIO DIACONO ASCRIPTUS.

(Hunc Commentarium vide inter spuria in Appendice ad opera S. Ambrosii adjuncta, tom. XVII nostræ Patrol.)

Digitized by Google

QUÆSTIONES
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
HILARIO DIACONO ATTRIBUTÆ

(Quæstiones istæ reperientur in inferiori serie nostræ Patrol., inter Spuria S. Augustini operibus annexa tom. III, part. II.)

ANNO DOMINI INCERTO.

NOVATUS CATHOLICUS.
NOVATI SENTENTIA
DE HUMILITATE ET OBEDIENTIA ET DE CALCANDA SUPERBIA.

Sæcularibus aliter in Ecclesia loquimur, aliter vobis loqui debemus. Illis loquimur aliquando res quæ sonum habent, et virtutem non habent, delectantur enim tamquam infirmi sonis verborum, non virtute Dei. Vos autem in nomine Christi, non in hoc delectamini; sed vultis audire salutis verbum, *in quo* vocati estis; et has vestes lugubres in mundo induistis exspectantes meliores apud Deum. Nostis jam et sapitis. Jam multum tempus hic habetis adversum quem vobis est colluctatio, adversarius vester non est foris, sed intus est in visceribus: et in ipsis membris nostris habemus obluctatorem. Si enim *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus* (*Gal.* v, 17); videtis quia intus est adversarius iste. Adversarius autem iste non vincitur nisi humilitate et charitate: quia et ipse Dominus noster Jesus Christus diabolum non vicisset, nisi humiliatus fuisset; humiliatus autem non necessitate, sed charitate. Si enim non amasset, humilis factus non fuisset. Amore nostri factus est humilis. Si ergo *qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt* (*Psalm.* CXLV, 4), Dominus angelorum omnium, qui creavit omnia, propter nos humilis factus est; quare nos propter nosmetipsos recusamus humilitatem? Via ergo salutis non est nobis pervia, nisi humiliatis. Cum cœperis humilitatem, quære eam propter Deum et propter ipsam congregationem sustine. Et in ipsa congregatione quamvis æquales sitis, unusquisque alterum superiorem sibi existimare debet, tametsi non sit superior. Non illud habet, nisi qui humilitatem habuerit. Non est necessarium servis Dei aliud præmium, nisi humilitas: quia humilitas, si fuerit in homine, facit illum obedientem. Obediens vero A qui fuerit, vel qui obedientiam sectatur, non hominibus obedit, sed Deo. Sic enim Dominus ait: *Qui vos audit me audit: qui me audit, audit eum qui me misit* (*Luc.* x, 16). Abbas Pater est, sequentes fratres Patriarchæ sunt. Et quicumque est alius inter vos, qui forte iustam habet vitam, mel orem continentiam, meliores vigilias, meliorem custodiam corporis, et ipse propter imitationem Pater est. Hæc ergo agite inter vos, ut primum humilitatem custodiatis, non ut hominibus humiles videamini, sed Deo. Illa est vera humilitas, quæ Deo, non hominibus, demonstratur. Nam humilitas quæ hominibus monstratur, ficta est, non humilitas, quod a servis Dei omnino alienum esse debet. Non quidem arbitror, quia sint tales in vobis; sed ne surrepat talis morbus, admoneo. Homines enim sumus, et hominibus B loquimur. Ideirco primum humilitatem fratribus vestris monstrare debetis propter imitationem; ut fundata sit ipsa humilitas intus in corde secundum Deum. Cum fuerit enim humilitas fundata in corde tuo propter Deum, tunc dat illi Deus, id est fratri tuo, ut intelligat et imitetur humilitatem tuam. Nam si non fuerit humilitas fundata in corde tuo; ostendit Deus fratri tuo, quia ficta est humilitas tua. Prima ergo via salutis hæc est: humilitatem tenere simplicem propter Deum, non propter hominem: non placere inde hominibus, sed placere inde Deo. Humilitatem sequatur obedientia, et obtemperetis vobis ipsis, sicut sibi obtemperant membra. Numquid cum consilio obtemperant membra, et non naturali charitate? si pes offenderit, manus occurrit, melius corpus lædatur, ut cadat. Sicut ait Apostolus: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (I *Cor.* XII, 26). Unde ergo, nisi ex charitate? Si ergo C

Digitized by Google

dilexeritis vos invicem, nulla erit conturbatio. Scandala nemo patiatur; non propter cibum, non propter potum, non propter vestimentum, non propter vigilias, non propter opera, non propter coquinam, non propter ministerium. Jam cum vos invicem dilexeritis, si quis aliquid faciat, quod non debet; charitas illa non permittit ut offendatis. Habete ergo, fratres, humilitatem et obedientiam, quam sequitur pax, ut sitis filii pacis: *Quia charitas, sicut ait Apostolus, vinculum est perfectionis* (Col. III, 14). Cum quis habuerit humilitatem, Christum imitatur, qui humilis factus est propter nos. Cum quis habuerit obedientiam, Christum imitatur, qui *obediens factus est usque ad mortem* (*Phil.* II, 8). Cum quis habuerit charitatem, Christum imitatur: quia *Deus charitas est* (I *John.* IV, 16). Sed prius elaborate, ut intus vitia vestra vincatis. Fiat pax primo animæ et cordis cum præcepto Dei; ut adversus consuetudinem corporis atque fragilitatem duo sint victores, præceptum Dei, et consensus tuus. Casus enim talis est, medicus, ægrotus et ægritudo. Si iste ægrotus se cum ægritudine dederit, vincitur medicus, efficiuntur duo adversus unum, atque superatur medicus. Si ergo ægrotus cum medico se dederit, vincitur infirmitas. Medicus Christus est; ægroti nos sumus; ægritudinis morbus, consuetudo peccati est. Jam qui ex parte renunciavit sæculo, quamvis vivat in sæculo, attendat ubi debeat inhærere; utrum morbo an medico. Si medico non inhæserit, laborat medicus. Ideo nobis Evangelium in sæculo clamat et dicit: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via* (*Matth.* V, 25). Non nos docet, ut simus consentientes adversario diabolo; sed docet, ut consentientes simus adversario, præcepto divino, quod adversatur malis nostris, et adversatur consuetudini nostræ, adversatur iniquitatibus nostris. Si consentimus, facti sumus concordes cum præcepto Dei, et accipimus quasi jugum Dei; propter quod ait Dominus: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum, quia leve est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 28). Ecce quid tam leve? Denique considera quemadmodum qui aliquid habent in hoc mundo timent ne rapiatur. Quomodo timent ne quod acquisierunt perdant? Quibus modis torquentur, quasi sub gravissimo pondere sollicitudinem habendo? Vos autem non aliud laboratis, nisi ut hoc faciatis quod abbas præcipit. Jam sub jugo es: non cogitas ubi vivas; quia nec debes cogitare. Est qui te regat: est qui tibi curam ferat. Omnino ad vos cogitatio cibi et vestimenti nec pertinere debet. Quod dederit abbas, sic puta quasi Deus dederit: ipsa est enim vera humilitas. Sed forte unus plus habet, et alter minus; et hoc tamquam a Deo factum habete. Sed unus sedet ad alteram mensam; si sic jubet abbas, si sic probaverit, sic habete quasi Deus jusserit. Nolo inde interroges, ut dicas; eras ego ibi sessurus sum. Nolo ut facias consuetudinem ut tibi des illam necessitatem. Si forte non est quod detur, aut non videtur ut detur; sic habe, aut quia non est quod detur, aut visum est non expedire ut detur. Ista, fratres, si servaveritis, prorsus vitam æternam habebitis. Nolite permittere vos verbis malis agi. Si forte aliquis infirmus cadit, ut loquatur perversa; statim cohibete illum: statim dicite: Noli facere, noli, frater, peccas. Debetis enim, propter quod in unum estis, et abbatem unum habetis, e vos vobis abbates esse. Numquid unus, quia duos oculos et duos aures habet, abbas potest omnes audire, aut omnes videre? aut non habet necessitatem alicubi exire et aliquid providere? Vos vobis abbates estote; et quomodo metuistis abbatem præsentem, metuite et absentem, quia præsens est Deus. Omnino hoc timete, hoc metuite, quia Deus semper præsens est. Et si unus curam ferat tantis: quanto magis vos omnes ferre debetis; ne inveniat unde irascatur, unde doleat, unde offendatur, unde ingemiscat, unde putet quia peribit labor ejus tanti temporis? Hæc enim tunc nobis poterunt prodesse, si habuerimus humilitatem, obedientiam et charitatem. Via alia ad Deum non est, nisi humilitas, obedientia et charitas. Ipse est via, veritas, et vita. Nam cruciari, jejunare biduo, triduo, quatriduo, septimanas facere frequenter, inde superbiunt fratres, putantes quia quod ipsi faciunt, alius facere non potest: infinitum putant esse quod alius non potest facere: aut ambulat nudo pede, et arbitratur quoniam ipse solus hoc potest facere: aut forte nec bibit nec ipsam aquam mixtam; exercitatio temporalis est, quia semper illud facere non potest. Sed cogitet magis humilitatem, cogitet pietatem, charitatem, obedientiam. Propter enim frangendas vires corporis, propter domandum sanguinem et carnem debet arripere ista quasi bonus athleta; sed non inde glorietur, ne perdat quod fecit. Nam Pharisæus ille qui ascendit in templum orare, numquid opera, quæ numerabat, modica erant? Immensa erant; jejunare bis in Sabbato; decimas omnium rerum suarum pauperibus dare; non facere frandem; adulterium non committere, infinitum est: sed quoniam jactavit illud in superbiam, totum quod fecit, superbia fuit (*Luc.* XVIII, 9 *et seq.*) Propterea David dicit: *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem* (*Psalm*, XXXV, 12). Ubi ceciderunt? In lapsu superbiæ. Inde enim cecidit diabolus, per superbiam lapsus est. Omnino ergo non admittatur ad servos Dei superbia. Qui ergo jam aliter vivit, vitamque suam melius instituit, non sit quemadmodum ille Pharisæus. Publicanus autem humiliatus non audet nec oculos ad cœlum levare, et sententia Domini collaudatus redit ad domum suam justificatus magis quam ille Pharisæus. Expertum namque habemus, et in ipsis sanctis scripturis, et in fratribus nostris, quia quicumque viam humilitatis tenuit, proficit, et non perit.

Digitized by Google

AUCTOR ANONYMUS.

CUJUS OPERA PRODIERUNT

SUB NOMINE S. ATHANASII.

Ex opp. S. Athanasii tom. III.

ADMONITUM IN SEQUENTIA DUO OPUSCULA ASCETICA.

A multis jam sæculis subsequentes duæ asceticæ exhortationes ad monachos et ad sponsas Christi Athanasii nomine prodiere. In collectione namque Regularum, quæ octavo sæculo a Benedicto Anianense concinnata est, utraque comparet Athanasii nomine inscripta ; cum neutra tamen Athanasii nihil nisi nomen admittat. Nam ipsa luce clarius est, a Latino scriptore, et quidem eleganti Latineque, ut illa ætate, peritissimo, adornatas fuisse. Secunda porro, in Actis Concilii Aquisgranensis extat integra, Athanasioque ascribitur. Unde fortasse suspicari liceat, fuisse illam, pariterque priorem quæ eodem ferme styli genere conscripta est, ab auctore suo commendationis causa Athanasii nomine insignitam. Utrumque autem opusculum in Appendice ad Codicem Regularum, curante Luca Holstenio editum fuit Parisiis anno 1663.

EXHORTATIO AD MONACHOS.

Et si quid gloriari in Christo licet, hujusmodi principiis initiati, ut sit inchoatio vestra perfectio, et ad veram vivendi frugem gradus interpositos prævolantes, apice ipsius culminis occupato, disciplinæ summam teneatis, ut in votis habere debeat, et imitari quisque vos potius quam posse credat instituti : mihi tamen hujus licentiam prærogativæ paternus ascripsit affectus, et amplectenda mihi vestræ expostulationis exactio. Qui dum me auditis, non solum libenter, sed etiam avide impudentem me vestro amore fecistis. Præcedentes duco, et ultra mensuram meæ possibilitatis extensus quos sequi cupio, ducere compellor. Pergam igitur per tramitem vitæ vestræ, ut quasi qui primis litterarum imbuatur elementis depictis, adumbratas præfigurationibus notas stylo imitatore calcabo, accedentibus ad sperata beati instituti præmia, quæ sequenda sunt. Primum abstinentiæ cura, jejunii, patientiæ, orandi assiduitas et legendi, vel si quis adhuc litterarum expers sit, audiendi sit desiderium cum cupiditate discendi. Hæc enim sunt prima quasi lactentium cunabulorum in Dei agnitione crepundia, quibus homo admonitus, ortus sui divini tramitis ingredi viam velle incipiat, dum posse consuescat. Et quidem ista tradens, non de vulgi promiscua fide loquor, quod omnipotentis Dei tantum insinuata confessio, et innocentiæ singularis instillata doctrina, venia sola efficit esse contentum. Quamquam Dominus noster, sicut legimus (*Rom.* VII, 6), omnes velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, tamen quia præeminentis gratiæ cuncti capaces asse non possunt : Non enim (*Genes.* XXI ; *Galat.* IV) omnes, qui ex Israel sunt, Israelitæ sunt (nam et Ismael a consortio fraternæ hæreditatis excluditur, et compugnantes Jacob et Esau, unius uteri claustra ruperunt), vel contenti puteo aquæ vivæ, nos A in holocaustum nostri, hostiam voluntariæ oblationis aptemus, desiderantes escas et parantes, ac primatibus illis ad mensuram venie hanc sententiam largientes : *Omnis creatura Dei bona, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV, 4). Nos ad præmium gloriæ illo labore nitentes, bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum. Et rursus : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (I *Cor.* IX, 25). Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Abstinentia enim continentiæ nutrix est, qua innupta sive nupta, facilius passibilitatis frenos patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur, quam sic eos, qui ad summa nituntur, vel cupio, vel mando colere, ne putent in aliis crimen esse nupsisse, B scientes scriptum esse : *Bonum est nubere, melius est non nubere* (I *Cor.* VII, 37). Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi præmium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cavere, jugum necessitatis est : permissa vincere, munus arbitrii. Malis abstinere, disciplinæ merces est, bona supergredi, libertas meriti est, non finis imperii. Illud legis indultum est terminis, hoc gratiæ reservatum est incrementis.

2. Jejuniorum quoque non sit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, nisu laborantis extensa, quæ præter Dominicam semper sint solemnia, si votiva sint. His sese Moses beatissimus præparans, affatibus Dei dignus ingessit. His prædictas per Jonam Ninivitæ minas, in placidam rursus flexere sententiam. His Bethuliæ populus Assyria obsidione conclusus, et usque ad deditionem sui experta plurima virtute conterritus, ab C Holophernis tumentibus minis constantis manu feminæ meruit vindicari. His Mardochæus Aman crudelem superbia, præparato sibimet ligno acceptæ pœnæ conversione suspendit. His Jesus Salvator

Digitized by Google

noster in carne hominis, quem assumpserat, erudi- A in elatione superba jactetur; sed observans tempus tus, suadelas diaboli tentantis obtundit. Quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen populos voluit hac imitatione formare. Orationibus vero ita frequenter instandum est, ut vix eas aliquod tempus interpolet. Scriptum est enim : *Orationibus instate, vigilantes in illis* (*Matth.* VII, 18). Et iterum : *Quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VI, 19). Per has amicus dormiens excitatur : et quamvis omnem familiam sopor altus obsederit, depromi tamen sibi ac porrigi panes importunus expostulator extorquet. Has, si fieri potest, sola legendi intercapedo disrumpat : cujus rei cura in canonicis ponenda est monimentis : non quod apocrypha debeamus, præsertim ignorata, damnare, sed quod ad scientiam Dei digestam, canonis seriem putemus posse suffi- B cere. Illa enim si consentiunt, supervacua sunt; si dissentiunt, vitanda sunt. Sine legendi studio nemo ad Dominum esse valebit intentus. Primum, quod hujusmodi opera ab aliis actibus caducæ occupationis abducunt, et diversorum exemplorum insinuata cognitio, vel bonorum appetentiam, vel malorum facit esse cautelam. Neque enim alias Petrus apostolus admoneret nos, dicens : *Parati semper estote ad rationem reddendam, ad omnes poscentes vos de verbo spei vestræ, et fidei* (I *Petr.* III, 16). Et Apostolus : *Non cessamus pro vobis orantes, ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia et intellectu spirituali* (*Coloss.* I, 9). Et rursus : *Verbum Christi habitet in vobis abunder in omni sapientia* (*Coloss.* V, 16). Nam et in Veteri Testamento similem hominibus curam sacræ præceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psalm.* I, 1). Et ad Jesum Nave Deus loquitur : *Non recedet liber iste de manibus tuis, et meditaberis in eo die ac nocte* (*Jos.* I, 8). His quoque negotiis malarum cogitationum lubrica frequenter interserunt. Et quamvis ipsa sedulitas animum ad Deum præstet intentum, efficit tamen in sese mordax sæculi cura sollicitum.

3. Quod si hæc frequenter et importune patitur religioso labori deditus, nunquam profecto illis carebit otiosus. Nune quoniam studiorum membra digessimus, morum augmenta cumulemus. Illud autem non extra commonitionem puto, ut sit victus facilis, vestitusque vilis, cum hæc tegendi corporis gratia reperta sint, non ornandi : et illa sustinendæ animæ potius quam obrŭendæ. His ergo, quæ supra ostendimus, actibus mancipatus, omne odium deponat inimici. Nec hoc tantum fine contentus, simultates amore commutet, iram patientiæ temperet freno, avaritiam abstinentiæ forti vincat imperio, et præcipue linguam custodia taciturnitatis obsepiat, ne in litigium contentiosa fervescat, ne in maledictum procax incurrat, ne in obtrectationem maledica serpat, ne in jurationem facilis prolabatur, ne in mendacium ficta simulet, ne in circumventione astuta calleat, ne

tacendi, et tempus loquendi, omne verbum otiosum obnoxium sciat esse rationi. Nam ideo et David beatissimus ori suo custodiam deposcit. Et condiendum sale, benedicti Pauli pagina sacra, sermonem constituit. Et nullum indomabile membrum esse, quam linguam, testificata Jacobi præcepta signarunt. Sit igitur qui hujusmodi viam scandit tacitus, mitis, benignus. Et quia charitatis insolubilis habetur affectus, in studio parili semper alium judicans potiorem. Hoc enim freno adstringit invidiam, quam vicinæ sibi elationis sæpius incitatam judicio, dum gratias referendi sibi honoris appetit, notam miseri livoris incurrit. Nec primum adeo unusquisque percipit, si ab hominibus id requirit : *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (I *Petr.* V, 5). Qui cum de hujusmodi studio discipulos erudiret, ipsum pronuntiat maximum, qui minimus velit esse cunctorum. Esto ab aliquibus frater tuus propensius honoretur, nec illos quasi minus amicos habeas, nec hunc quasi æmulum prælatæ venerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum illius honoris accrescere, sciens scriptum : *Si enim gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra* (I *Cor.* XII, 26). Nam quicunque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quem vos coitis, adscribit. In hoc mite silentium placet, in hoc affabilitas blanda diligitur. Hunc rudis et innata simplicitas, hunc scientia erudita commendat. Hujus in jejunii jugitate patientia, C hujus in abstinentiæ virtute contemptus, hujus in lectionis assiduitate sedulitas, pro divinorum munerum diversitate laudatur. Hæc autem, sicut scriptum est : *Operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Sicut enim corpus unum membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Omnes enim nos in uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus* (*Ibid.*, 11). Singuli vobis potestis omnium bonorum summam præsumere, si nullus se incipiat in eo quod alter præcellit efferre. Sed cum vos invicem nexu astrictæ charitatis arctabitis, tunc eos qui foris sunt, et in sæculari actu adhuc mundialibus vinculis colligantur, nolite attentioris vitæ austeritate damnare, D scientes scriptum : *Nolo judicetis, ne judicemini* (*Luc.* VI, 37). Et iterum : *Tu quis es, qui judicas alienum servum* (*Rom.* XIV, 4)? Domino suo stat aut cadit. Potens est enim statuere illum Deus. Magis benignitatis adhortationibus et illiciente blandimento via veritatis ostensa, nubem erroris aperite, ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi præcedentem.

4. Semper duriora flectenda sunt, ne virilus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens fragmen offendat. Hic enim sæpius scandala vulgi dicaciter gignuntur, dum ad religionis jugum, censorium arrogatur imperium. Vita nostra jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui morum lenis formatio. In omni igitur actu vestro, quasi speculo

Digitized by Google

relucente, fulgete. Ubique circumspecti, ubique solliciti, ne quid livor inveniat, ne quid rumor falsus infligat. Feminas probas et religionis studio vero deditas cum mensura venerationis honorate, ut nec austeritas inhumana, nec sedulitas sit remissa. Accessus ad vos invicem vester non ingestus sit, sed innatus, quem causa fecerit, non quem supervacuitas relaxarit. Plures audite cum pluribus, aut si quando alterius sexus frequentia deerit, vel annorum cujusdam et probata gravitas, vel celebritas loci, vel ratio temporis id honestet, quia præcipue vobis ætas, hora, solitudo, vitanda sunt. Non quo mihi fas sit de his qui vere semel devota Deo pectora dicaverunt secus æstimare aliquid, sed ut ex abundanti sic omne quod fingi potest, tanquam possit et credi caveamus, ne in nullo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina, priusquam linguis nutriantur, intereant. Non tamen nobis fides facti, sed possibilitas etiam religanda mendacii. Beata enim vita est et præclara, de qua nihil licet falsitati. Neque enim ego hoc judicium meum austerus censor arripui, sed cœleste imperium monitor blandus assumpsi : nam et sic ait Apostolus : *Zelans vos Dei zelo, despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2), sciens scriptum esse : *Ne ponatis offensionem, vel scandalum fratri* (*Rom.* XIV, 13); et iterum : *Sine offensione estote Judæis et Gentibus, et Ecclesiæ Dei* (I *Cor.* X, 32); et iterum : *Non ergo blasphemetur bonum nostrum* (*Rom.* XIV, 16); et iterum : *Ut quid enim libertas nostra judicetur ab infidelis conscientia* (I *Cor.* X, 29); et iterum : *Omnia autem vestra, honesta fiant* (I *Cor.* XIV, 40); et iterum : *Commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo* (II *Cor.* IV, 2), et iterum : *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII, 17); et iterum : *Ut is, qui adverso est, confundatur, nihil habens dicere mali* (*Tit.* II, 8). Neque me præterit sæcularis livoris invidiam in obtrectationem semper religionis ardere, et mordacem malignis rumoribus dentem impressum dicacitatis infigere. Utatur sua mundus natura, dum nihil in nostra inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum nec verisimile quidem possit esse quod dicitur. Nemo ideo debet contemnere vulnus infamiæ, quia semper consueverit rumor simulare; sed eo attentius præcavere, quod soleat etiam ficta componere. Nemo ab obtrectationis metu redditur obtrectandi solemnitate securus. Neque est negligentiæ causa sollicitudinis continuata materia. Sit igitur pudoris ac reverentiæ vestræ tuta ac circumspecta custodia. Necessarius e domo, et rarus egressus, quem aut religionis ratio extulerit, aut ad substantiam victus causa exercendi operis ordinarii. Muneribus cunctis, nisi quæ ad quotidianum cibum annuumque vestitum suppetant, abstinentes. Scientes scriptum esse : *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus* (I *Tim.* VI, 8); et iterum : *Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* (I *Thess.* IV, 12). Nec quidem præbendæ eleemosynæ gratia ultra supradictos victus ab ullo quippiam præsumatis, scientes scriptum : Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet acceptum est, non secundum id quod non habet. Sic illa Evangelici sermonis divina sententia, anum pauperem inter larga locupletum munera gemina tantum æra mittentem, magnifica accepta largitione ditavit. Quia non potest parum esse, quod totum est. Neque quisquam amplius dedit, quam qui sibi nihil reservavit.

5. Hæc si cui præter vos nimium videbuntur adstricta, qui Dei claustra pulsare tentaverit, prout ratio sua tulerit, relaxabit : ne quis forte aut connexus sit conjuge, aut liberis impeditus. Habet præter hæc arcta substantia plurima quæ sequantur. Neque se repulsum credat, sed aditu alterius vocationis admissum, sicut scriptum est : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (I *Cor.* VII, 24). Non tamen ut propensiorem curam patrimonio, quam religioni in caducis magis occupatus impendat, agnoscens scriptum esse : et possidentes tanquam non possidentes. Si quem tamen posteritatis compede felicior natura, si intelligatur, absolverit, causam hærendi in mundo, nisi ignarus est Dei munerum, non habebit. Cur enim vivendi voluntate non solvat, quod moriendi lege rumpendum est, faciens de sorte mercedem, ut de necessitate virtutem augeat? Quinimo, qui in sua re familiari de parvis magna, de vilibus pretiosa, æterna facit de caducis, solus est, postquam pervenerit ubi sempiternus patrimonii sui possit esse possessor. Si avarus non est, debet terminanda contemnere; si avarus est, debet desiderare perpetua, sciens scriptum esse : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea, neque ærugo exterminant, et ubi fures non effodiunt, nec furantur* (*Matth.* XIX, 20). Hoc enim ei, qui non caret filiis, hortamentum est : qui caret, imperium. Ista vos cuncta congrua temporibus, apta personis, referta exemplis, condita blanditiis, affatu illice, hortamenti mitis integritate, facilius potest persuadere qui facit. Neque enim aliquo horum omnium fructu invidi estis, cujusquam æstimatione fraudandi. Erat vobis certe corpus firmum, ætas integra, rudes animi, quamvis angusta pro humani generis varietate patebant, vel negotiandi usus, vel studium militandi, diversæ artes, innumera in actibus mundi augendæ facultatis officia. Postremo non deerat, vel pauper uxor, quæ vivendi pararet voluptatem et insita humanis sensibus pignorum blandimenta. Quæ vos omnia quidem corpore et castis sensibus respuentes, divinæ sententiæ formam religiosis actibus custoditis, dicente Scriptura : *Quicunque plus me fecerit domum, aut uxorem, aut filios, non est me dignus* (*Matth.* X, 27). Vestra igitur intuentes exempla, nec illi de moritorum summa angusta sui æstimatione desperent, qui substantia parili ad studium vitæ hujus advenerunt. In hoc ergo filii charissimi vivendi tramite constituti, vacate et videte quoniam suavis est Dominus.

Digitized by Google

Dies noctesque lectionibus atque orationibus ducite, et mei semper, quem in opere et scientia abortivum omnium sacerdotum, præceptorem vobis tanti habuistis eligere, mementote : *Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini, omnia vestra in charitate fiant, et Deus pacis erit vobiscum* (I *Cor.* XVI, 13).

EXHORTATIO AD SPONSAM CHRISTI.

1. Quantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter Scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur : quia discimus peculiare illi subsistere meritum, cujus specialis est consecratio. Nam cum universa turba credentium paria gratiæ dona percipiat, et eisdem omnes Sacramentorum benedictionibus glorientur, istæ proprium aliquid præ cæteris habent, cum de illo sancto et immaculato Ecclesiæ grege, quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis a sancto Spiritu eliguntur, et per summum Sacerdotem Dei offerentur altario. Digna revera Domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, et nulla magis ei quam imaginis suæ hostia placitura. De ejusmodi enim Apostolum præcipue dixisse reor : *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Possidet ergo virginitas et quod alii habent, et quod alii non habent : dum et communem et peculiarem obtinet gratiam, et proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam et Christi sponsas virgines dicere Ecclesiastica nobis permittit auctoritas; dum in sponsarum modum quas consecrat Domino velat : ostendens eas vel maxime habituras spiritale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritaliter copulantur, quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime impletur illud Apostoli : *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17).

2. Grande est et immortale, et pene ultra naturam corpoream, sopire luxuriam et concupiscentiæ flammam adolescentiæ facibus accensam animi virtute restinguere, et spiritali conatu vim genuinæ oblectationis excludere, vivere contra humani generis morem, despicere solatia conjugum, dulcedinem contemnere liberorum, et quæcunque præsentis vitæ esse commoda possent, pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, ut dixi, et admirabilis virtus est, et non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinata. *Dabo*, inquit Dominus, *spadonibus meis in domo mea, et in muro meo locum nominatum meliorem a filiis et filiabus Israel, nomen æternum dabo eis quod non deficiet* (*Isai.* LVI, 4). De quibus spadonibus Dominus in Evangelio repetit, dicens : *Sunt enim spadones qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed majus præmium : temporalis custodia, sed remuneratio æterna. De his enim et beatus Joannes apostolus loquitur, quod *sequuntur agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Quod ita intelligendum puto, nullum eis locum in cœlesti aula claudendum, et cuncta eis divinarum mansionum habitacula reseranda. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et quam Deo digna sit manifestius possit intelligi, illud cogitetur, quod Dominus et salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum. Et ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, et pudicitiæ bonum utrique sexui intimaret, virginem habuit matrem virgo mansurus; in se viris, et in matre feminis præbuit virginitatis exemplum : quo demonstraretur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis haberi, et plenitudinem meruisse; dum totum in matre fuit, quidquid habebatur in filio. Sed quid ego satago excellens ac sublime pudicitiæ meritum revelare, et gloriosæ virginitatis bonum ostendere; cum de hac re plerosque perorasse non nesciam, et ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse, et nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem majoris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius præmii, aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare, aut non voluntarium ferre laborem. Unde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent, aut habere cogentur inviti.

3. Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem quam meritum integritatis ostendimus; ne res quæ grandi virtute constat, et ingenti præmio destinatur, carere fructu suo possit, diligentius excuhandum est. Quanto enim quæcunque species pretiosior fuerit, tanto majori sollicitudine custoditur. Et quoniam multæ sunt quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio : ut est mellis species, quæ nisi cerarum custodia et favorum cellulis conservetur, et (ut verius dixerim) nutriatur, naturalem gratiam perdit, et subsistere per se ipsam non potest. Sicut et vini species, quod nisi boni odoris vas sit, et reparatis crebrius pabulis foveatur, genuinæ vim suavitatis amittit. Attentius ergo providendum est, ne forte et virginitati alia sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat : et tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur quod absque rebus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob cœlestis regni præmium pudicitiæ servatur integritas, quod sine æternæ vitæ merito neminem consequi posse satis certum est. Æternam vero vitam non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri posse Scriptura testatur, dicens : *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Vitam ergo non habet nisi qui cuncta legis mandata servaverit; et qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quæ cœlestis regni glo-

Digitized by Google

riam sperat; nisi et illud habuerit, cui perpetua vita promittitur, per quam cœlestis regni præmium possidetur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque servantibus et ejus remunerationem a Dei æquitate sperantibus mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis et continentiæ labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem, sapiens et legens nullus ignorat; Apostolo dicente : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (I *Cor.* VII, 25). Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum statuit; supra mandatum vel præceptum eam esse professus est. Quicunque ergo virginitatem servant, magis quam præceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est facias. Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum : volens virginitatis præmium consequi, vitæ amplectere merita, ut tua remunerari castitas possit. Nam ut vitam præstat remuneratio mandatorum; ita e contrario eorum generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit; neque pudicitiæ præmium exspectare constitutus in pœna.

4. Tres enim species sunt, per quas cœlestis regni possessio introitur. Prima est pudicitia; secunda mundi contemptus; tertia vero justitia : quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant; ita divisæ prodesse difficile possunt : dum unaquæque earum non propter se tantum, sed propter aliam efflagitatur. In primis ergo quæritur pudicitia, ut facilius subsequatur mundi contemptus : quia ab illis mundus contemni levius potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, ut justitia conservetur; quam implere difficile possunt, qui sæcularium bonorum et mundanarum voluptatum negotiis implicantur! Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, et secundam quæ est mundi contemptus, non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam prima quæsita est. Et si primam et secundam habeat, cui tertia, quæ est justitia, desit; frustra laborat : quoniam superiores duæ propter justitiam præcipue requiruntur. Quid enim prodest propter mundi contemptum pudicitiam habere, et propter quod eam habeas non habere; vel cur res mundi contemnas, si justitiam, propter quam pudicitiam et mundi contemptum habere te convenit, non custodias? Quia ut prima species propter secundam est; ita prima et secunda propter tertiam : quæ si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet.

5. Dicis forsitan, doce ergo me quid sit justitia; ut eam si cognoverim facilius implere sufficiam. Dicam breviter ut valeo, et verborum utar simplicitate communium : quia causa de qua agimus talis est, quæ disertioribus facundiæ sermonibus nequaquam debet obscurari, sed simplicioribus eloquentiæ narrationibus pandi : res enim in commune necessaria communi debet sermone monstrari. Justitia ergo non est aliud quam non peccare. Non peccare autem, est legis præcepta servare. Præceptorum autem observatio duplici genere custoditur : ut nihil eorum quæ prohibentur facias, et cuncta quæ jubentur implere contendas. Hoc est quod dicit : *Recede a malo, et fac bonum* (*Psalm.* XXXIII, 15). Nolo enim putes in hoc constare justitiam, ut malum non facias; cum et bonum non facere malum sit, et in utroque legis prævaricatio committatur. Quoniam qui dixit : *Recede a malo;* et ipse dixit, *fac bonum.* Si a malo recesseris et non feceris bonum, transgressor es Legis; quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed et in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis; sed et ut spoliatum operias tuis : neque ut habenti panem, non auferas suum, sed ut non habenti, tuum libenter impertias : neque solum ut pauperem suo non pellas hospitio; sed ut pulsum et non habentem recipias tuo. Præceptum enim nobis est, *Flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquod eis in his propter quas lacrymantur causis præbemus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quærit humorem; sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas; et quomodo tibi in tali tribulatione si esses subveniri cuperes, ita alteri subvenias propter illud : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis similiter* (*Matth.* VII, 11). Nam cum flente flere, et nihil, cum possis, flenti conferre, subsannationis, non pietatis indicium est. Denique Salvator noster cum Maria et Martha Lazari sororibus flevit; et immensæ misericordiæ affectum lacrymarum contestatione monstravit, et veræ pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cujus causa fundebantur, sororibus redditur. Hoc fuit pie cum flentibus flere, occasionem fletus auferre. Sed quasi potens, inquies, fecit. Verum nec tibi impossibile aliquid imperatur : implevit omnia qui quod potuit fecit.

6. Sed, ut dicere cœperamus, non sufficit Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Quod illo vel maxime testimonio comprobatur, quod comminatur Dominus æterni ignis reos fore, qui quamvis mali nihil gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens : *Tunc dicet Rex his qui ad sinistram sunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV, 41). Non dixit : Discedite a me, maledicti, quia homicidium, quia adulterium, aut quia furta fecistis : non enim quia malum fecissent; sed quia bonum non fecerant condemnantur et æternæ gehennæ suppliciis addicuntur : nec quia quæ prohibita sunt admisissent; sed quia quæ præcepta erant implere noluere. Unde advertendum est, quam spem habere possint qui adhuc aliquid eorum faciunt quæ prohibentur; cum etiam rei sunt qui non fecerunt quæ jubentur. Nolo

Digitized by Google

enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, quia aliqua feceris, cum scriptum est : *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Adam enim semel peccavit, et mortuus est : et tu te vivere existimas illud sæpe committens, quod alium dum semel perpetrasset occidit? An grande illum commisisse crimen putas, unde merito pœna damnatus sit acriori? Videamus ergo quid fecerit contra mandatum. De fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte mulctavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ, ut de arboris fructu non ederet; ipse tibi præcepit ut non maledicas, non mentiaris, non detrahas, non detrahentem auscultes, ut omnino non jures, ut non concupiscas, non invideas, non sis tepidus, non sis avarus; ut nulli malum pro malo reddas, ut inimicos tuos diligas, ut maledicentibus benedicas, ut pro calumniatoribus et pro persecutoribus tuis ores, ut percutienti maxillam alteram præbeas, ut in judicio sæculari non litiges, ut si quis tua auferre voluerit, gratanter amittas, ut nec iracundiæ, nec zeli, nec livoris malum intra pectus admittas, ut crimen avaritiæ fugias, ut omnis superbiæ ac jactantiæ malum caveas, et humilis ac mitis Christi vivas exemplo; malorum consortia in tantum vitans, ut cum fornicatoribus, aut avaris, aut maledicentibus, aut invidis, aut detractoribus, aut ebriosis, aut rapacibus nec cibum capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet et tibi. Imo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis et novellus erat, et nullius ante peccantis et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo! tibi vero post tanta documenta, post legem, post Prophetas, post Evangelia, post Apostolos, si delinquere volueris : quomodo indulgere possit ignoro.

7. An tibi de virginitatis prærogativa blandiris? memento Adam et Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Evæ, non Mariæ comparanda est. Non negamus in præsenti tempore pœnitentiæ remedium; sed hortamur magis præmium sperare debere quam veniam. Turpe est enim illis delicti indulgentiam postulare, quæ palmam virginitatis exspectant; et illicitum aliquid incurrere, quæ se etiam a licitis castravere. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. Et ut laudandæ sunt, quæ propter Christi amorem et cœlestis regni gloriam copulam contempserint nuptiarum; ita damnandæ non sunt, quæ propter innocentiæ voluntatem nondum Deo devotæ remedio apostolico abutuntur. Ergo, ut diximus, quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si detrahentes patiantur audire, si malum pro malo reddant, si cupiditatis in alienis, aut avaritiæ in propriis crimen incurrant, si zeli aut livoris venena possideant, si contra legalia et apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitent; si in carne placendi studio compte et ornate procedant; si aliqua quæ, ut assolet, illicita sunt faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit, et exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licitum contempsisti; vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum enim est timuisse quod minus est, et non timere quod majus est : aut ab his non vitari quæ prohibentur, si subterfugerint quæ conceduntur. Dicit enim Apostolus : *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro* (I *Cor.* VII, 34). Nuptam placere viro asserit, cogitando quæ mundi sunt; innuptam vero Deo, eo quod nulla cura illi sit sæculi. Dicat ergo mihi quæ virum non habet, et tamen quæ sunt mundi cogitat, cui placere desiderat? Nonne incipiet illi nupta præponi? quia illa cogitando quæ mundi sunt, complacet vel marito : ista vero non marito, quem non habet, potest placere, nec Deo.

8. Sed nec illud silentio præterire nos convenit, quod dixit : *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34). Quæ sunt ergo Domini, dicat Apostolus : *Quæcunque sunt sancta, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ. Si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Psal.* IV, 8). Ista sunt Domini, quæ sanctæ et veræ, et apostolicæ virgines die noctuque sine ullo temporis intervallo meditantur et cogitant. Domini est regnum cœlorum; Domini est resurrectio mortuorum; Domini immortalitas; incorruptio Domini est; splendor solis qui sanctis promittitur Domini est, sicut in Evangelio scriptum est : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum* (*Matth.* XIII). Domini sunt plures sanctorum in cœlestibus mansiones; Domini est fructus tricesimus et sexagesimus atque centesimus. Hæc cogitant, et quibus possint operibus promereri quæ Domini sunt cogitant. Domini est etiam lex Novi et Veteris Testamenti, in quibus oris ejus eloquia sancta refulgent; quæ si quæ virgines sine intermissione meditantur, quæ Domini sunt cogitant; et completur in eis illud propheticum : *Fundamenta æterna super petram solidam : et mandata Domini in corde mulieris sanctæ* (*Eccles.* XXVI, 24). Sequitur : *Quomodo placeat Deo.* Deo, inquam, non hominibus : *Ut sit sancta corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34). Non dixit, ut sit sancta membro aut corpore tantum; sed, *ut sit sancta corpore et spiritu.* Membrum enim una corporis pars est : corpus vero omnium compago membrorum est. Cum ergo dicit : *ut sit sancta corpore*, ex omnibus membris eam sanctificari debere testatur. Quia non proderit cæterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta.

9. Sed ut quod dico manifestius et lucidius fiat; esto, sit quæcunque omnium membrorum sanctificatione purgata, et lingua tantummodo peccet, qua

Digitized by Google

aut blasphemet, aut falsum testimonium dicat; nunquid liberabunt omnia membra unum? an propter unum judicabuntur et cætera? Ergo si nec aliorum membrorum sanctificatio proderit, cum in uno sit vitium; quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proderit integritas? Unde quæso te, virgo, neque in sola tibi pudicitia blandiaris, ne in unius membri integritate confidas: sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput: quia crimen est illud post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere sordidari; aut auro vel gemmis cujuscunque terrenæ speciei comi: quod jam cœlestis ornatus splendore refulget. Grandis quippe divinæ gratiæ contumelia est mundani et sæcularis ornamenti prælatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, et illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed Dei gloriam parit, Scriptura dicente: *Est confusio adducens peccatum: et est confusio adducens gloriam* (*Eccli.* IV, 25). Munda collum, ut non aurea reticula capillus portet, et suspensa monilia, sed illa potius ornamenta circumferat, de quibus Scriptura dicit: *Misericordia et fides non deficiant a te, suspende autem illa in corde velut in collo tuo* (*Prov.* III, 13). Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, et ab intuitu pauperum nunquam avertis, et ab omnibus fucis liberos ea quæ a Deo facti sunt sinceritate custodias. Munda linguam a mendacio: quia, *os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11). Munda eam a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo præposterum ordinem putes, quod prius a juramento, quam a perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium facilius effugies, si in toto non jures. Impleatur in te illa sententia: *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII). Et memor esto dicentis Apostoli: *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Sed illud crebrius recordare: *Videte ne quis malum pro bono alicui reddat, neque maledictum pro maledicto; sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis* (I *Petr.* III, 9); et illud: *Si quis autem in lingua non offendit, hic perfectus est* (*Jac.* III, 2). Nefas est enim ut labia illa quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, et laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia et lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus; et ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis et veris auditum præbeant; ut nunquam obscena, aut turpia, aut sæcularia verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 29); ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur, quoniam auditu et visu justus erat; hoc est, nec auribus, nec oculis delinquebat. Manus ne porrectæ ad accipiendum sint, ad dandum autem collectæ, nec ad ferendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ et pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam et spatiosam pergant viam, quæ ducit ad splendida sæculi et pretiosa convivia; sed arduum magis et angustum gradiantur iter, quod tendit ad cœlum, quia scriptum est: *Iter rectum facite pedibus vestris* (*Isai.* LVII, 14). Agnosce tibi a Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata: et cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, et toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum omni fiducia palmam virginitatis exspecta.

10. Quid sit sanctam esse *corpore*, breviter quidem, sed plene me exposuisse arbitror: nunc quod sequitur, *et spiritu*, nosse debemus: hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec fas sit cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quam spiritu, quæ nec mente, nec corde delinquit; sciens etiam cordis esse inspectorem Deum: et idcirco satagit ut omnimodo etiam animum cum corpore mundum habeat a peccato, sciens scriptum esse: *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23); et iterum: *Diligit Dominus sancta corda; accepti sunt autem ei omnes immaculati;* et alibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati. De quibus Joannem in Epistola dixisse reor: *Si cor nostrum nos non reprehendit, fiduciam habemus ad Deum, et quæcunque petierimus accipiemus ab eo* (I *Joan.* III, 20). Nolo existimes te crimen fugisse peccati, si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit: *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V, 17). Nec dicas, cogitavi quidem, sed non perfeci: quia etiam concupiscere nefas est. Unde beatus Petrus præcepit dicens: *Animas vestras castificantes* (I *Petr.* I, 22), qui si nullam animæ constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed et locum illum quo continetur: *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt: hi sequuntur Agnum, quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4), attentius considerare debemus et animadvertere, si solius integritatis pudicitiæ merito ipsi divino comitatui copulentur, et per omnia cœlorum tabulata discurrant: an et alia sint, quibus adjuncta virginitas tantæ beatitudinis gloriam consequatur. Sed unde hoc scire poterimus? De sequentibus, nisi fallor, in quibus scriptum est: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt* (*Ibid.* IV, 5). Vides ergo quod non in uno tantum membro dominicis referantur inhærere vestigiis; sed illi qui præter virginitatem ab omni contagione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcirco virgo vel maxime nuptias spernit, ut dum securior est, facilius, quod etiam a nubentibus quæritur, ab omni se delicto custodiat, et universa legis mandata perficiat. Nam si non nubat, et ea nihilominus faciat

Digitized by Google

a quibus et nuptæ esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit? Quanquam enim nulli Christianorum peccare liceat, et omnes quicunque spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, immaculata decurrere conveniat vita; ut Ecclesiæ quæ sine macula, sine ruga, sine aliquo ejusmodi esse describitur, possint visceribus intimari: multo magis tamen hoc Virginem implere necesse est, quam nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis causa prohibet, quominus divinam Scripturam perficiat; nec aliqua, si peccet, poterit excusatione defendi.

11. O Virgo, serva propositum tibi magno præmio destinatum. Præclara est apud Deum virginitatis et pudicitiæ virtus, si non aliis peccatorum et malorum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris; vide ne quid indignum eo, cui desponsata videris, admittas: cito scribet repudium, si in te vel unum viderit adulterium. Quæcunque enim humanorum sponsaliorum pignoribus subarrhatur, statim a domesticis, a familiaribus, ab amicis sponsi sollicite et diligenter requirit et a servulis, quales juvenis habeat mores, quid potissimum diligat, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, quibus præcipue rebus delectetur et gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se in omnibus temperat, ut sponsi moribus suum obsequium, sua jucunditas, sua diligentia; sua vita concordet. Et tu quæ Christum sponsum habes, a domesticis et familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga, et strenue ac solerter inquire; in quibus præcipue delectetur, qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in epistola sua scripsit: *Mulieres similiter subjectæ viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant: considerantes in timore Dei castam conversationem vestram, quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconsus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, quod est in conspectu Dei locuples* (I *Petr.* III, 1 *seqq.*). Dicat et alius apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens episcopum, eadem de fidelium feminarum disciplina testatur: *Mulieres similiter in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem* (I *Tim.* II, 9).

12. Sed forsitan dicis: cur hæc iisdem apostoli virginibus non jusserunt? Quia non necessarium judicabant: ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur. Sed nec eas unquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut ne nuptis quidem concessa carnalia ornamenta et terrena præsumerent. Revera ornare se et componere Virgo debet: nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita et ornata processerit? ornetur plane, sed interioribus ornamentis, et spiritualiter, non carnaliter componatur: quia Deus non corporis, sed animæ decorem in illa considerat. Ergo et tu, quæcunque animam tuam a Deo diligi et inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, et spiritalibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiæ, gemmis refulgeat sanctitatis, ac pretiosissimo pudicitiæ margarito coruscet. Pro bysso et serico, misericordiæ et pietatis tunica vestiatur, secundum quod scriptum est: *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem*, etc. (*Colos.* III, 12). Et non decorem cerussæ aut alterius pigmenti quærat, sed innocentiæ ac simplicitatis candorem habeat. Roseum verecundiæ colorem et purpureum ruboris pudorisque possideat. Cœlesti abluatur nitro doctrinæ, et lamentis spiritualibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla diaboli macula relinquatur; et ne quando male redoleat odore peccati, unguento suavissimæ sapientiæ et scientiæ perfundatur.

13. Hujusmodi Deus quærit ornatum, et animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici secundum quod ait: *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV, 11). Sed et tu ipsa quotiescunque Deum patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide ne quid eorum facias, quæ Deo Patri incongrua sint; sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus sæculi nobilium ac filiæ gerant, quibus assuescant moribus, quibusve se disciplinis instituant. Tanta quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia, ut cæterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant: et ne quam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiæ inurant notam, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis studeant facere naturam. Et tu ergo originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte: agnosce te non hominis, sed Dei filiam, et divinæ nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te cœlestis nativitas pareat, et ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus, et sermo semper modestus, et suo in tempore proferendus; ut quisquis te viderit, admiretur et dicat: quæ hæc novæ inter homines gravitatis patientia est? Quæ pudoris verecundia? Quæ honestatis modestia? Quæ maturitas sapientiæ? Non est ita humana institutio, nec disciplina mortalis: cœleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te Christi famulam esse cognoverit, majore stupore tenebitur, et cogitabit qualis ille sit Dominus, cujus talis ancilla est.

14. Si vis ergo esse cum Christo, et partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia et nequitia ita fuit extraneus, ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius et pro ipsis oraret. Nolo enim eas animas

Digitized by Google

Christianas existimes, quæ aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quæ proximos toto corde et conscientia coram Dei testimonio non diligunt; cum Christianis, Christi similitudine, inimicos etiam amare necesse sit. Si sanctorum cupis habere consortium, a malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo te fallaci sermone seducat. Non nisi sanctos et justos et simplices et innocentes et puros cœlestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia et dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam exsecrabile Deo, quam aliquem odisse, aliquem velle lædere: nihil tam probabile, quam omnes amare. Quod Propheta sciens testatur dicens: *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* XCVI, 10).

15. Vide ne in aliquo humanam gloriam diligas; ne et tua inter illos portio computetur, quibus dictum est: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab invicem quærentes* (*Joan.* V, 44)? Et de quibus per Prophetam dicitur: *Auge eis mala, auge mala gloriosis terræ.* Et alibi: *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Dei* (*Isai.* XLV). Nolo enim illas respicias, quæ sæculi, non Christi sunt virgines; quæ propositi sui et professionis immemores gaudent in deliciis, in opibus delectantur, et corporeæ nobilitatis origine delectantur. Quæ si profecto Dei filias se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato: si Patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris et complaces? Duos homines fecit ab exordio Deus, ex quibus totius generis humani silva descendit: mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstitit, sed cupiditatis ambitio. Certe omnes per divini lavacri generationem æquales efficimur, et nulla inter eos potest esse discretio, quos nativitas secunda generavit; per quam tam dives quam pauper, tam liber quam servus, tam nobilis quam ignobilis, Dei efficitur Filius; et terrena nobilitas splendore cœlestis gloriæ adumbratur, et nusquam omnino jam comparet: dum qui retro in sæcularibus honoribus impares fuerant, cœlestis et divinæ nobilitatis gloria æqualiter vestiuntur. Nullus jam ignobilitati locus, nec degener quisquam est, quem divinæ nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos, qui non putant humanis cœlestia præponenda: aut si putant, quam vanum est, ut se illis in minoribus præferant, quos sibi in majoribus pares sciunt, et quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi æquales in cœlestibus credunt? Tu autem quæcunque Christi, non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam quæ in futuro promittitur consequaris.

16. Contentionum verba, et animositatis causas evita; discordiarum quoque et litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam: *Servum Domini litigare non oportet* (II *Tim.* II, 24); quanto magis Dei ancillam? cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam a maliloquio cohibe, et ori tuo frenum Legis impone; ut tunc, si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, cave ne quid quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus; quapropter diu antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe labia sunt, quæ nunquam quod revocare iterum velint, emittunt. Pudicæ mentis sermo etiam debet esse pudicus, qui ædificet semper magis, quam aliquando destruat audientes, secundum quod præcepit Apostolus dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* IV, 29). Pretiosa Deo lingua est, quæ non sine divinis rebus novit verba construere; et sanctum os, unde cœlestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos, Scripturæ auctoritate deterre: quia hoc inter virtutes perfecti hominis Propheta commemorat, si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit. Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire; quia nec ab aliis optas recipi tuam (*Psal.* LXXIV, 5). Injustum quippe est quidquid contra Christi Evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri. Semper linguam tuam de bonis loqui adsuesce, et auditum tuum ad bonorum magis laudem, quàm ad malorum vituperationem accommoda. Vide ut omnia quæcunque benefacis, propter Deum facias; sciens ejus rei tantum te a Domino recepturam esse mercedem, quam ejus timoris et dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude: quia nihil prodest æstimari quod non sit: et duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, et quod non habeas simulare.

17. In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo jejuniis et obsecrationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua quidem in Judæa tális erat; qualem nunc virginem convenit esse Christi. Divinæ magis lectionis convivium dilige, et spiritalibus te saturari dapibus concupisce; et illos potius quære cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis et vini species quasi caloris fomenta et libidinis incitamenta fuge, et tunc, si forte, vino exiguo utere, cum stomachi dolor et nimia corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince; animositatem cohibe; et quidquid illud est, quod post factum pœnitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam et quietam convenit esse mentem, et ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat; qui per Prophetam testatur et dicit: *Super quem requiescam alium, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 3)? Omnium operum et cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, et cave ne quidquam quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites.

18. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi quæ sis cum Domino locutura. Cum psalmum dicis, cujus verba dicis agnosce; et in cumpunctione magis animi quam in tinnulæ vocis dulce-

Digitized by Google

dine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam vocis gratiam comprobat, sicut Propheta dicit: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum timore* (*Psal.* II, 11). Ubi timor et tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animæ flebilis et lacrymosa dejectio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe, quia scriptum est: *Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter* (*Jerem.* XLVI, 10). Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia; et fides eo perfectior videatur, quo senior es: quia Dominus noster Jesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, proficiebat non *ætate* tantum corporea, sed et *sapientia et gratia* spiritali *coram Deo et hominibus* (*Luc.* II, 25). Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc te æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtutis est, sicut in Evangelio Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth.* XXII, 10). Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas: quia sponsus tuus Deus zelans est: criminosior est enim Christi adultera, quam mariti. Unde pulchre Romana Ecclesia, Apostolico sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam nuper hujusmodi sententiam statuit, ut vix, vel pœnitentia dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset.

19. Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum; præcede et in actu quos in castitatis sanctificatione præcurris. Virginem te in omnibus exhibe; nihil corruptionis objiciatur capiti tuo, cujus corpus integrum est, ut et tua sit inviolabilis conversatio. Et quoniam sicut in exordio epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium factum; quod utique sanctitatem suam etiam aliis impertit; ut quisquis ex eo digne sumpserit, sanctificationis et ipse sit particeps; ita ergo et per te, quasi per divinam hostiam sanctificentur et cæteræ, cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam aut auditu contigerit aut visu, sanctificationis vim sentiat, et in tantum sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio et ipse sit dignus.

MONITUM
IN S. AMBROSII SERMONES SEQUENTES.

His sane tribus sermonibus locum inter S. Mediolanensis episcopi opera sicut ratio, ita ordo vindicabat chronologicus. Cur ergo in hoc tomo paulo devia editione donati sint, præsertim in causa fuit tanta illos expiscandi difficultas ut non minus tribus vel quatuor mensibus S. Patris operum recusio differri debuisset ut ipsorum accessione compleretur. Quam quidem moram non diligentiæ tantum nostræ, sed etiam avidis subscriptorum votis intolerabilem fore sentientes, Ambrosianarum lucubrationum seriem, quippe quæ locupletissima jam evaderet, cito clausimus, sequentique tomo sermones Sessonianos destinavimus eo magis libenter quod quasi appendicis vice ad quartum sæculum tomus ille functurus esset.

D. LEANDRI PRÆFATIO.*

I. *Sancti Ambrosii scripta summo in honore habita sunt, eaque in multis olim vitiata a Maurinis præpurgata fuere.* — Sancti Ambrosii, qui sæculo quarto episcopalem Mediolani nobilissimam sedem tenuit, plurimi semper scripta fecisse Patres, pontifices maximos, concilia œcumenica, et ipsosmet heterodoxos nemo eruditus ignorat (*a*). Attamen æque norunt omnes, inter opera hujusce sanctissimi præsulis apocrypha multa fuisse relata multisque adeo vitiis referta, ut quiddam etiam a catholico sensu prorsus alienum redderent (*b*). Quare non defuerunt Romani pontifices, qui cum tam veteris tamque bene meriti de Ecclesia Patris scripta ad sanæ doctrinæ laudem cuperent efflorescere, viris doctis vehementer essent auctores, ut collatis curis, ad novam editionem excudendam optimæ notæ codices sedulo perquirerent, simulque conferrent; ex quibus et genuinos possent Ambrosianos fetus seligere, falsos respuere, et certas ejusdem præsulis sententias elicere. Hinc mandatis summorum pontificum Pii IV, et Pii V, Grego-

* Epistolam nuncupatoriam, quæ huic præfationi præponi debebat, errore autem typographico omissa est, legesis ad calcem hujus tomi. EDIT.

(*a*) *Videsis* selecta veterum testimonia, quæ in primo volumine S. Ambrosii oper. sub præfatione a Maurinis collecta habentur.

(*b*) Porro olim S. Ambrosio ad Paulinas epistolas tribuebantur commentaria, quorum sane auctor aliquid cum sana doctrina haud consonum habet. *Certe*, scribunt Benedictini editores in admonit. præv. t. IV, in append. col. 30, *defendi non potest eorum* (id est, commentariorum) *auctor, quin cum Origene senserit, in voluntate dæmonum esse ab errore resilire. Exploratum quoque ulcus est, quod marito fas usque esse contendit, uxore propter adulterium repudiata, aliam ducere: uxori autem ab adultero conjuge separatæ cum alio inire conjugium licere negat* (Hinc Canon, *Uxor a viro* 17, caus. 32, quæst. 7, de quo Romani correctores videndi sunt). *Sed nec illa etiam satis sana sunt, quod factam ad imaginem Dei mulierem esse: episcopos superiorem presbyteris gradum obtinere, aut diversa institui ordinatione, inficiatur; et quædam alia communi catholicorum sensui minus congrua subinde tradit.*

Digitized by Google

rii XIII, ac studio et labore Sixti V, Romana Ambrosii operum editio cæterarum omnium absolutissima prodiit in lucem (*a*). Verum cum et in illa non pauca reperirentur, quæ, ut in ejusdem S. doctoris opera præfati sunt Maurini (*b*), non modo ab hæreticis, verum etiam ab orthodoxis haud sine causa minime probarentur; præsto fuit ipsa Maurinorum manus, qui Herculeis, ut ita dicam, ferme exantlatis laboribus in rimandis bibliothecis, et codicibus conferendis episcopi Mediolanensis scripta omni nævo purgata suoque restituerunt honori, novam pervulgando editionem, quæ superiores omnes judicii maturitate et multitudine eruditionis facile superavit (*c*).

II. Maurinorum editio tribus ditatur sermonibus e codice Sessoriano depromptis. — Jam vero quibus laudata editio augeri possit, ecce, ut ego arbitror, tres mihi sermones inediti in Sessorianis nuper pluteis deprehensi sunt, quos eruditi viri sive fontis unde manant vetustatem spectent, sive documenta utilissima, quæ inde ad informandos Christianorum mores redundare certum est, paulisper respiciant, dignos plane agnoscent, confido, quos cupide omnes ac benevole excipiant.

III. Sessoriani codicis vetustas, et palæographia. — Fons quidem horum sermonum præclarissimus codex ille Nonantulanus est, formæ fere quadratæ, et sottilissimis membranis compactus, qui quondam numeris 60, 90, aut 134 præsignatus, modo in novo catalogo a me confecto quinquagesimum quintum sortitus est numerum. Ejus scripturam, quæ ita evanida est, ut plures occurrant paginæ valde lectu difficiles et obscuratæ, in excuso specimine, quod in Romana S. Maximi editione anni 1784, tab. 1, n. 2, pag. 200 visitur, cognoscent eruditi. Illa quippe secundæ, ut dicunt, Romanæ ætatis ad Longobardicum (*d*) inclinantis, ne cum eminentissimo Besutio dicam VI (*e*), mihi sæculo VII vel ad summum ineunte VIII exarata videtur. Ejusdem enim orthographia ad priscam normam rectissime scripta est; et quidem constanti adeo veterum codicum auctoritate firmata, ut plane ad rectiorem illum scribendi modum reverti necesse sit. Jam vero hoc eodem in codice nunquam forma *V* scribitur, sed semper est *U*; neque ulla alia quam una diphthongus *ae* absque nexu usurpatur; qui in pervetustis codicibus perpetuus fere mos est. Constanter quoque in illo præpositio *ad* retinet litteram *d* ante *c*, *e*, *m*, *n*, *p*, *r*, *s*, eaque ad sequentem consonam non reformatur, nisi in verbis, *accipio*, et *arripio*; *con* vero servat *n* ante *l*, *m*, *p*, *r*; atque *in* nunquam dimittit *n* ante *b*, *m*, *p*, *s*, si *impleo* verbum exceperis. Vocabula autem *aput*, *aliut*, *illut*, *istut*, *jubat*, etc., quorum lectio plerumque a sensu aurium scribentis dictata verba excipientis pendebat, fere semper recitato modo in codice scripta reperies, in quo bona rectaque scriptura habeantur, *caelum*, *condicio*, *intellego*, *querella*, *uincla*, atque alia plurima, quæ in meis scholiis palæographicis textui substratis haud inobservata reliqui. Nulla præterea in codice pausa est, nulla admirationis vel interrogationis signa, nulla verborum distinctio apparet; sed raro puncta et eadem semper media, ac ita temere apposita, ut magis sensus augeant ambiguitatem. Litteræ in fine versuum aliquando minuuntur, vel in monogramma coeunt. Librarius nonnisi parcius litteris singularibus vel siglis utitur, et quidem iis, quæ pri-cis tabellariis obvia fuerunt, ut ex. gr. *Incp*, *Dns*, *Ds*, *ihs*, *xps*, *sps*, *scs*, *nr.*, pro *Incipit Dominus*, *Deus*, *Iesus*, *Christus*, *Spiritus*, *Sanctus*, *noster*, et in fine vocum *b·* et *q·* cum medio puncto pro *bus* et *que*.

IV. Ambrosiani sermones tres in hoc eodem codice contenti qua de re censeantur inediti. — Quod vero in hoc antiquissimo codice sermones tres S. Ambrosii nomine inscriptos inveniri ineditos asseram, coarguat me nemo; nam si id minus recte, haud tamen temere dixero; cum adhibita cura qua non potui majore, illos nec in Ambrosii hucusque vulgatis operibus, nec inter SS. Augustini, Maximi et Fulgentii opera, quæ vetusta ætate cum Ambrosianis scimus ivisse permixta, nec inter aliorum SS. Patrum scripta repererim. Præcipue autem meum hoc præjudicium cumulabant tria illa Isaiæ testimonia X, 33, 34, et XI, 5, quæ integra leguntur in tertio sermone (*f*); quia nempe Sabatierius in suis biblicis antiquæ versionis fragmentis vel, ut illa X, 33, 34, nonnisi mutila referat, vel ut illud XI, 5, prorsus omittat. Cum enim auctor ille in quærendis veterum biblicarum versionum testimoniis, maxime in Patribus, diligentiam omnem adhibere solitus fuerit, hinc haud inconsulte conjiciendum putavi, reapse Sabatierii ætate adhuc membranis hos delituisse sermones.

V. Eorum sermonum tituli et analysis. — Horum autem primus sermo inscribitur, *de Perfecto*; alter de eodem argumento, *Adversus eos qui dicunt possessionem non distrahendam, sed fructibus misericordiam faciendam*, tertius vero, *de Charitate ex lectione sancti Pauli apostoli contra malos qui bonis invident*, titu-

(*a*) Ab anno 1580 ad an. 1585.

(*b*) In præfat., t. I.

(*c*) Hæc editio, incœpta an. 1686, absoluta fuit an. 1690 Parisiis duobus in-folio voluminibus; et iterum Venetiis quatuor in-folio voluminibus an. 1748, qua utor. Hanc etiam formis excudi curavit Franciscus Pitterius in sua officina libraria Veneta octo in-folio voluminib. an. 1781.

(*d*) Id est, non ad eam scripturam, qua Longobardi utebantur, populi quidem rudes et omnium litterarum expertes, sed ad eam, qua Itali usi sunt quo tempore Longobardorum regum parebant imperio.

(*e*) Em. Besutius, vir excellens omni laude virtutis et ingenii, idemque adeo profana et maxime sacra doctus archeologia, ut sibi eum academici Etruscarum antiquitatum vetustissimæ urbis Cortonæ principem *Locumoni* nomine elegerint, hæc de hoc codice in quadam chartacea schedula circa an. 1750 notata reliquit: *Cod. 134, in pergam. in-fol., vetustissimi characteris, et fortassis sæculi sexti, et certe mea quidem sententia plus mille abhinc annis scriptus. Plura continet, et primo sermonem S. Augustini de Nuptiis*, etc.

(*f*) § 10, pp. 27 et 28 (*Infra coll.* 136 *et* 138).

Digitized by Google

lum præfert. In priori sermone auctor nonnullis Scripturarum testimoniis recitatis ostendit, Christianorum esse, ut pervenire valeant ad supremum gradum perfectionis, suas omnes facultates vendere, et pretium pauperibus distribuere, seque Dei providentiæ adeo committere, ut divinæ legis semper meditatione detenti, semperque præceptorum custodia occupati, non habeant vacuum tempus quo cogitent sæcularia, quo vane hujus mundi incommodis perturbentur, quo terrestrium divitiarum spe caduca fallantur. In altero eadem, quæ superiore sermone dixerat, auctor confirmat; atque rerum terrenarum contemptus, et abdicatio quam gloriosa, utilis ac necessaria sit, Christi præcepto atque Pauli apostoli exemplo propositis, contra illius virtutis obtrectatores evincit. Demum in tertio sermone de virtute fraternæ charitatis (qui ita in longius producitur, ut minus sermo quam tractatus inscriberem moralia documenta dogmaticis cumulavit. Illa itaque primo apostolica verba I Corinth. XIII, 1, 2, 3, auctor expendens, nihil nobis omnium virtutum genera prodesse docet absque charitate, utpote quæ una cæteras omnes amplectatur virtutes, atque totius Christianæ perfectionis sit complementum. Secundo ad varia charitatis opera descendens, dum ea præcipue humilitatis, mansuetudinis, benignitatis et simplicitatis esse declarat, eademque in Davidica et apostolica electione, ac in dominico exemplo contemplanda et imitanda proponit; in contraria vitia, scilicet superbiam, invidiam, iracundiam, inimicitiam cæteraque id genus vehementius insurgit. Interim e re nata de Domini nostri Jesu Christi divina et humana utraque perfecta natura, deque hypostatica unione ac de ejus baptismo, passione, morte et gloriosa resurrectione loquitur, nec non quædam de sacramento baptismatis ejusdemque effectibus disserit.

VI. *Quibus indiciis hi tres sermones adjudicantur Mediolanensi episcopo Ambrosio.* — Quod autem hi sermones ipsi Ambrosio Mediolanensi episcopo tribuendi sint, id permulta et idonea indicia demonstrare videntur. 1° In illis quippe Ambrosianæ locutiones frequenter occurrunt, et complures crebro reperiuntur sententiæ, quæ prorsus Ambrosium sapiunt; id quod in scholiis identidem palam feci, multoque plenius et uberius fieri poterat. Cui nec obstare et officere videatur, si aliquando sermonem remissiorem in illis quam in aliis S. præsulis tractatibus advertere sit; nam, ut Maurinorum verbis loquar, « stylum variari ab auctoribus, et pro re ac tempore modo attolli, modo deprimi non ignoramus (*a*). » Quin, ut ipsi cum Gillotio fatentur, scimus, novum « non esse, inquiunt, si sanctus doctor pro re, loco, tempore, personis, stylum mutavit (*b*). » Huc etiam addi potest, reliquis, qui modo habentur, sermonibus Ambrosium iterum ostetriciam, ut ita dicam, manum admovisse, cum illos collectos in libros redegerit; (*c*) nostros autem, cum extra vagarentur disjuncti, eo modo quo ex ejus ore prolapsi sunt, munere tachygraphi ita ad nos permeasse impolitos. Cæterum, his in gratiam eorum, qui nimis naribus indulgent, notatis; nihil sane omnino contineri in illis pronuntio, quod a stylo, (*d*) in-

(*a*) In præfat. ad libros *de Sacramentis*, tom. III.

(*b*) Vide admonit. præfixam opusculo *de Apolog. altera David*, et illam quæ præmittitur lib. *de Tob.* tom. I.

(*c*) *Auctoris quidem*, ait cl. Majus in præf. ad lib. de Re pub. XIII, pag. 56 edit. 1828, *autographum plerumque eram liberiore scriptura schedæ, quas Isidorus Orig.* VI, 14, *definit esse* « quod adhuc emendatur, et necdum in libris redactum est. » Nemo id potissimum moris Ambrosii fuisse negavit, ut ad plebem jam *sine magna præparatione* (Præf. ad lib. *de sacr.*, col. 432, tom. III) habitas conciones, postea emendatas in libros distribueret.

(*d*) In his sermonibus sunt quædam, fateor, paucæ dictiones quæ nonnullis nasutis philologis forsitan stomachum facient, eo quod illas aut non referant hucusque edita scripta Ambrosiana, aut bonæ Latinitatis, pro eorum sententia, notam non præferant. Talia sunt verba, *demandare* pro *valde mandare*, *distrahere* pro *vendere*, *distractio* pro *venditio*, *prærogare pretium* vel *quantitatem* vel *odia*, pro *ante erogare pretium* vel *quantitatem*, vel *ante odium in aliquem habere*, a quo *prærogatio*; et *similare* pro *similem facere* seu *assimilare* cum dativo constructum, Verum quamvis hæ voces, ea significatione qua in his sermonibus ponuntur aut perbene Latine non sonent, aut Ambrosii hactenus auctoritate careant, tamen haud ab Ambrosiano stylo recedunt. Eadem enim vocabula vel jam in auctorum scriptis Ambrosii Mediolanensis ætate superiorum exstabant, vel apud veteres jurisconsultos reperiebantur. Minime proinde mirum si Ambrosius verba adhibuit, quæ jam ejus tempore in usu erant; minime suis moribus alienum, si juridicis verbis locutus est. Ipse enim, ut pote vir forensi arte exercitatus, passim in suis operibus pro loco et tempore juridica verba usurpavit; ut saltem videre est, ex. gr., tom. II, pag. 338, et tom. III, pag. 918, etc. Jurisconsultorum vero vox est *distrahere* pro *vendere*, qua sæpe usus est Ulpianus in ff., qui etiam vocabula *distractio* pro *venditio* ff. 14, 3, 5, a med. et 2, 15, 8, cir. med., et *prærogare* pro *ante erogare* ff. loc. et cond. l. *sed addes* trita habuit, atque usitata. In simili significatione verbum *distrahere* apud Tacit. VI *Ann.*, 17, Just. IX, 1, et apud Suetonium in *Vesp.* XVI, occurrit, apud quem et *prerogare* invenitur in Aug. 53, et illud obtinet *demandare* pro *valde mandare* in Neron. 35, in Aug. 10, et in Cæsar. 83. Vox quidem *prærogatio* a Latinis lexigraphis primum adhibita dicitur a Fulgentio I *Mythol.* 2, init.; at ut antiquius a *distrahere distractio*, ita a *prærogare prærogatio* facile reddi potuit. Verbum autem *similare* pro *similem facere*, seu *assimilare*, et quidem cum dativo constructum, usurpat antiquissimus Esdræ interpres lib. IV, c. 8, pag. 44, quo idem S. Ambrosius non semel in suis operibus usus est. His igitur ex verbis, ut dixi, Ambrosii ætate usitatis vel juridicis nihil contra γνησιότητα horum sermonum potest evinci. Quod enim illa non reperiantur in hucusque Ambrosio scriptis assertis, vel inter vocabula rectæ Latinitatis non sint allata, id quidem non officit; nam pleræque dictiones et in scriptis Ambrosii vulgatis habentur, quæ in uno vel altero libro, et nullo alio in loco leguntur, pleræque quæ a Latinis lexigraphis omittuntur, seu diversa significatione notantur. Ita, ex. gr., lib. IV *Hexaem.*, III, 10, *perfunctio* pro *fruitio*, lib. II de Cain et Abel *conspersio* pro *confusio*, in psal. CXVIII, serm. 1, pag. 13, *colludium* pro *collusio*, atque ne longius sim *lentandum*, pro *lente morandum*, etc. Ut igitur insani hominis esset asserere singulos laudatos libros haud Ambrosii opus esse, quia vocabula nullo

Digitized by Google

genio, et charactere Ambrosiano dissideat. 2° Et re quidem vera quod Ambrosius in priori sermone auditoribus suis bona omnia temporalia relinquere et pauperibus distribuere valde commendet, id apprime ipsimet convenit, quem omnes suas facultates reliquisse, et Ecclesiæ vel pauperibus tribuisse ex historia cognoscimus (*a*); quem hujusmodi rigidis ethices Christianæ dogmatibus passim suam plebem quam diligentissime imbuere solitum fuisse ex ejusdem vulgatis scriptis certo certius habemus (*b*). 3° Ambrosium etiam in suis concionibus habuisse solemne illud præcipua quadam cura inculcare, quantopere Christiani homines ad fugiendas sæculi vanitates et anxietates obstringerentur, ut sacræ lectioni et Deo ipsi posseut die ac nocte liberius vacare tum ex libris *de Isaac et Anima*, *de Bono mortis*, et maxime *de Fuga sæculi*, tumque ex *Enarratione in psal.* CXVIII (*c*) manifestum est; et id hoc nostro sermone confirmatur. 4° Alterius vero sermonis tanta est cum superiore colligatio, ut horum unius cognito, utriusque qui fuerit auctor cognoscatur. 5° Qui nexus si quoque deesset, sententiarum natura et color, atque tempori convenientia dictata satis illum demonstrarent, acceptum Ambrosio referri oportere. Etenim procul dubio non solum suarum facultatum abdicationem ac in pauperes dispersionem in suis scriptis suadet Ambrosius, sed etiam bujusce evangelici perfectionis consilii non semel utilitatem defendit, et in illud obtrectantes perstricto calamo insurgit; cujusmodi exempla in psalmis, et præsertim in psal. CXVIII, ac in epistola quinquagesima octava reliquit (*d*). 6° Nec aliter de tertio sermone, qui eumdem ac alii duo sibi auctorem vindicat, ut ex consecutione patet, dicendum est. In illo quippe Ambrosius, qui in vitiata jam tempora imperatricis Justinæ inciderat, eo præcipue nervos intendit, ut adversus venenum Arianorum, qui Mediolani ea tempestate plurimum poterant, populum suum communiret atque desuescentem schismate fraternæ charitatis morem reduceret. Profecto illic Ambrosius præcipuas Arianorum hæreses, queis Christi divinitas impetebatur, oppugnans, dogmatica, ut supra innuimus, documenta firmandæ Verbi divinitati peridonea tradit; simulque auditores suos impensius hortatur, ne persequantur in fratrem gratiam vel divina ope collatam, vel laboribus jejuniorum, vel assiduitate orationum, vel vigiliarum instantia omnibusque virtutum generibus conquisitam (*e*), neve ullis invidorum perturbentur insidiis, ullis concitentur offensis (*f*); sed dominico exemplo odia mundi non pertimescant (*g*): atque ita patienti animo convicia, proba et maledicta a fratribus fictis, hujusque sæculi principibus (Justina videlicet, et ejus Aulicis, cæterisque Arianis) sibi sustinerent illata, ut humilitatis, et mansuetudinis omnium sint exemplar ac norma (*h*); qui quidem omnes sensus in Ambrosii operibus frequenter occurrunt (*i*), et illis temporibus apprime respondent (*j*). 7° Nec minus Ambrosium redolet mentio, quæ in eo fit de gestis Eliæ; quorum passim in suis scriptis meminisse se narrat Ambrosius. *Plurima enim*, inquit lib. *de Elia et Jejun.* III, 5, *de Eliæ gestis frequenti diversorum librorum sermone digessimus* (*k*). 8° Quin etiam neophytos per se Ambrosium consuevisse docere, eisque ut a redeundo in sæculum, cui per baptisma nuntium remiserant, utilius deterreret, frequentius instasse, ut *abdicatis corporis delectationibus, cupiditatibus omnibus mundique illecebris* (*l*) in perpetuum sæculo morerentur, et cœlo cum Christo resurgerent,

alio in loco usurpata, et non bene Latine sonantia exhibeant; ita non integri esset judicii hos nostros sermones Mediolanensi antistiti abjudicare, quod pauca vocabula præferant, quæ hucusque Ambrosio auctore careant, et haud in lexica aureæ Latinitatis inserta sint. Hac quidem lege multa suis auctoribus deneganda forent, nec opus ullum, vix dicerem, exstaret, cujus de γνησιότητι haud dubitare liceret. Porro et illud præclarissimum opus politicum Ciceronis a cl. Maio nuper vulgatum, Ciceroni prorsus esset abjudicandum, eo quod vocabula plus viginti præ se ferat, quæ vel nec alia Ciceronis scripta, vel nec lexica exhibeant.

Verum etiam obiter adverto, dictionum varietates, quibus nimium quantum nescio, veterum scripta laborant, frequenter amanuensium perplexitati et audaciæ deberi. Ipsi enim aut verba concionantis aut dictantis Patris excipiebant, aut e codice exscribebant, et si aliquos ob temporis angustiam vel codicis difficultatem, vel eorum ignorantiam hiatus relinquere cogebantur in tabulis, eosdem propriis verbis explebant, et sic inde interpolata scripta vulgabant. Siquidem de hoc exceptorum, tachygraphorum, et librariorum arbitrio non semel antiqui Patres, et eruditi omnes conquesti sunt. Argumentum itaque internum ab elocutione desumptum plurimum quidem valet ad dignoscendos genuinos fetus auctorum; non ita tamen, ut cum cætera non desint indicia, fas sit ex una vel altera inusitata voce penitus operum γνησιότητα negare.

(*a*) Paulinus in *Vita S. Ambrosii*, n. 38, et idem Ambrosius in epist. 22, n. 8, tom. III, id plane testantur.

(*b*) Confer saltem libros, quibus titulos fecit *de Abraham*, *de Nabuthe Jezraelita*, tom. I, *de Officiis ministrorum* sparsim tom. III, atque in *Enarration. in psal.* CXVIII, præsertim serm. 12, pag. 37 et seqq., tom. II.

(*c*) Tom. I, a pp. 418, 458, 491, et tom. II, a p. 330.

(*d*) Tom. III, col. 1098.

(*e*) Serm. 3, § 1.

(*f*) Ibid., §§ 4, 5, 11.

(*g*) Ibid., § 7.

(*h*) Ibid., §§ 7, 10.

(*i*) Contra Arianos præcipue decertat Ambrosius in libris *de Interpell. Job et David*, lib. I, 9, et II, 4 et 6, tom. I; in *Enarrat. in psal.* XLIII, XLV, XLVII, XLVIII et LXI; in *Exposit. in Luc.*, tom. II; in lib. *de Mysteriis*, *de Fide*, tom. III, et *de Spir. Sanct.*, *de Incarnat.*, tom. IV, atque alibi sparsim. Quod vero attinet ad fraternam charitatem servandam sensus non absimiles scripta Ambrosiana abunde suppeditant, ut ex. gr., in psal. XXXVII. 45, XXXVIII, 10 et seq., et CXVIII serm. 10, pag. 3, 10, 41, 50; serm. 12, pag. 49, et serm. 15, pag. 15 et seqq.; in Lucam VII, 28, 59, et VIII, 24, tom. II, lib. II *de Offic.*, a cap. 15, atque epist. 41, pag. 9, et 63, pag. 83, tom. III, quæ inter tanta hic citasse sufficiat.

(*j*) Consule Paulinum in *Vita S. Amb.*, n. 12 et seqq., nec non ejusd. Ambrosii epistolas 20 et 21, tom. V, ac ibid. serm. *de Basilicis non tradendis*, fol. 914.

(*k*) Tom. I, col. 645.

(*l*) Lib. *de Bono mortis* III, 9, tom. I, col. 461.

Digitized by Google

res notissima est (*a*). En autem similia leguntur in his Sessorianis sermonibus, quos pariter quoque habuit ad illos, qui jam divina professione deputati sunt cœlo (*b*), quique jam mortui per baptismum natalibus mundi, nobilitati per gratiam nati sunt cœlo (*c*). 9° Nec ut hos sermones tribuamus Ambrosio, inde nihil videtur accedere confirmationis, quod in illis ad vigilias traducendas, hymnosque et psalmos canendos fideles invitet (*d*); nam hoc nihil in suis scriptis familiarius Ambrosio (*e*); quem primum, Justinæ persecutione fervente, vigilias, ac ut hymni et psalmi in ecclesia canerentur secundum morem Orientalium partium instituisse, tum S. Augustinus (*f*), tum Paulinus in Ambrosii Vita (*g*) testantur. 10° et 11° Verum ut argumenta alia non essent, duo, scilicet tam summa eorum, quæ in his sermonibus dicuntur contractius cum eis, quæ in enarrationibus in psalmis, præsertim psalmi CXVIII fusius leguntur, consensio; quam eadem, qua in illis utitur, ut in hucusque admissis Ambrosii operibus reperitur, Vulgata, vel sola sufficerent ut Ambrosianos hos nostros sermones esse, nemini certum non fieret et exploratum. Ingenue tamen fateor illic quandoque aliis aliquod sacræ Scripturæ locos verbis citari; at id nihil prorsus meæ sententiæ officere assero : tum quia « ex operum S. Ambrosii lectione (ut Natalis Alex. verbis utar (*h*), quæ Benedictini editores confirmant (*i*)) constat, eum non iisdem semper verbis eosdem Scripturæ sacræ locos laudasse; » tum quia in Sessorianis sermonibus hæc non confirmatur dissensio, nisi raro, et in iis tantum locis citandis, quos diversis semper verbis usus est Ambrosius citare; tum quia varietates illæ tales sunt, ut quin duplicem arguant versionem, potius excludant; quæ quidem omnia maxime liquent ex variis lectionibus codicis nostri textui subjectis, ut in re oculis ipsis inspicienda diutius immorari supervacaneum omnino sit, ac inutile. 12° et 13° Præterea certe præterire non possum, hisce in sermonibus pro Ambrosiano more nunquam auditores allici, neque accuratum ordinem, neque artificiosam partitionem servari; simulque animadverti, auctorem non semel respicere ad S. Basilii opera, quem fontem Ambrosium in suis pangendis libris prægustasse certissimum est. Exstant quidem præ aliis S. Basilii homiliæ, quæ inter editas sunt 7, 8, 20 et 21 (*j*), cujus sane materia cum istis Ambrosii concionibus haud parum habet affinitatis. 14° Quis demum ignorat multos Ambrosianos excidisse sermones? Profecto Maurini multos Ambrosii deperditos memorant (*k*), pluresque vel inde conjicere est, cum nihil certius sit, Ambrosium non modo singulis diebus dominicis concionatum fuisse, verum etiam quotidiano sermone stato anni tempore catechumenos, competentes, et recens baptizatos (*l*) instruxisse, ut ex ejusdem scriptis (*m*), vel et ex loculentissimis Augustini et Paulini testimoniis compertum habemus (*n*) : anecdotos ergo Ambrosianos invenisse sermones mihi invideat nemo, neque confidentiæ me insimulet. 15° Et re quidem vera nonne horum sermonum Ambrosium auctorem facit Sessorianus optimæ notæ codex miscellus (*o*), qui invidus mille et plus annis has Ambrosianas gemmas obvolvit? In eo quippe, manu codicis antiquitate pari, S. Ambrosii nomine hi tres inscribuntur sermones. Cui ergo hujus nominis viro, ne codicis prætergrediamur ætatem, illos, præter Mediolanensem, tribuemus? Non certe Ambrosio Ori-

(*a*) *Videsis* hac de re Augustini *Confessionum*. lib. VI, cap. 3 et 4, nec non Ambrosii opera, *de Fuga sæculi*, *de Jacob et Vita beata*, et *de Mysteriis*.

(*b*) Serm. 1, § 1, p. 12 (*Infra coll.* 109-112).

(*c*) Serm. 3, § 10, p. 26 (*Infra col.* 135).

(*d*) Serm. 1, § 5, et serm. 3, § 11, pp. 6 et 30 (*Infra coll.* 116 *et* 140).

(*e*) Ita in lib. III *Hexaem.* 1 et 5; lib. II *de Interpell. David.*, 6, tom. I, in *præfat.* ad psal. I, et in psalmis XLVIII, 23, CXVIII; serm. 7, pag. 25, tom. II, atque alibi.

(*f*) Augustinus de sua matre jam Mediolani commorantı ita loquitur lib. IX *Confess.*, c. 12 : *Ibi mater mea, ancilla tua* (scilicet Ambrosii) *sollicitudinis, et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat;* et post pauca prosequitur : *Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam et pene omnibus gregibus tuis, et per cætera orbis imitantibus.* Consule etiam lib. IX *de Civit. Dei*, 12, col. 162.

(*g*) Ibid., n. 13, ait Paulinus : *Hoc tempore*, nempe quo Ariani basilicam Portianam invadere nitebantur, *primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.*

(*h*) *Hist. Eccles.*, sæc. IV, part. I, p. 508, col. 2.

(*i*) In præfat. ad libros *de Sacramentis*, tom. III.

(*j*) Tom. II, operum S. Basilii edit. Paris., an. 1721, pag. 51, 62, 156 et seqq.

(*k*) In Præfat. ad tom. III et IV, oper. S. Ambrosii. *Vide* etiam sis Cerilietum, *Hist. générale des Auteurs sacrés, et ecclésiastiques*, tom. VII, pag. 574 et seqq.

(*l*) Trina hæc pervetusta distinctio cum codicibus Vaticanis explicatur a cl. Maio in nota 1 *ad Explanat. symboli* B. Nicetæ Aquilein. episcopi, pag. 35 Romanæ edit. an. 1827.

(*m*) Lib. de Mysteriis I, tom. III, col. 408.

(*n*) Reapse Ambrosium singulis diebus dominicis concionatum esse testis est Augustinus lib. VI *Confess.*, cap. 3, scribens : *Eum quidem in populum verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebam.* De assiduitate vero, qua baptizandos docebat Ambrosius, sic Paulinus in ejus Vita, n. 38, loquitur : *In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent.*

(*o*) In codice post nomen *Ambrosi* titulus *episcopi* omittitur; attamen non hinc aliquis hos sermones alteri Ambrosio a Mediolanensi episcopo distincto acceptos referat : nam si codicis ætati, si sermonum stylo, et sententiis, eorumque auctoris moribus, et instituto ratio habeatur, nulli ejus nominis, nisi Mediolanensi episcopo tribuendos esse, fateatur oportet. Cæterum tum sanctitatis, cum dignitatis titulos passim in antiquis codicibus vel consuetudine, vel potius socordia prætermittunt librarii; et quidem in hoc ipso codice, ex. g., nonnulla opuscula simpliciter S. Augustino constanter inscribuntur, quæ tamen ad Hipponæ episcopum certissime pertinent

Digitized by Google

genio, et charactere Ambrosiano dissideat. 2° Et re quidem vera quod Ambrosius in priori sermone auditoribus suis bona omnia temporalia relinquere et pauperibus distribuere valde commendet, id apprime ipsimet convenit, quem omnes suas facultates reliquisse, et Ecclesiæ vel pauperibus tribuisse ex historia cognoscimus (*a*); quem hujusmodi rigidis ethices Christianæ dogmatibus passim suam plebem quam diligentissime imbuere solitum fuisse ex ejusdem vulgatis scriptis certo certius habemus (*b*). 3° Ambrosium etiam in suis concionibus habuisse solemne illud præcipua quadam cura inculcare, quantopere Christiani homines ad fugiendas sæculi vanitates et anxietates obstringerentur, ut sacræ lectioni et Deo ipsi possent die ac nocte liberius vacare tum ex libris *de Isaac et Anima*, *de Bono mortis*, et maxime *de Fuga sæculi*, tumque ex *Enarratione in psal.* CXVIII (*c*) manifestum est; et id hoc nostro sermone confirmatur. 4° Alterius vero sermonis tanta est cum superiore colligatio, ut horum unius cognito, utriusque qui fuerit auctor cognoscatur. 5° Qui nexus si quoque deesset, sententiarum natura et color, atque tempori convenientia dictata satis illum demonstrarent, acceptum Ambrosio referri oportere. Etenim procul dubio non solum suarum facultatum abdicationem ac in pauperes dispersionem in suis scriptis suadet Ambrosius, sed etiam hujusce evangelici perfectionis consilii non semel utilitatem defendit, et in illud obtrectantes perstricto calamo insurgit; cujusmodi exempla in psalmis, et præsertim in psal. CXVIII, ac in epistola quinquagesima octava reliquit (*d*). 6° Nec aliter de tertio sermone, qui eumdem ac alii duo sibi auctorem vindicat, ut ex consecutione patet, dicendum est. In illo quippe Ambrosius, qui in vi-

alio in loco usurpata, et non bene Latine sonantia exhibeant; ita non integri esset judicii hos nostros sermones Mediolanensi antistiti abjudicare, quod pauca vocabula præferant, quæ hucusque Ambrosio auctore careant, et haud in lexica aureæ Latinitatis inserta sint. Hac quidem lege multa suis auctoribus deneganda forent, nec opus ullum, vix dicerem, exstaret, cujus de γνησιότητι haud dubitare liceret. Porro et illud præclarissimum opus politicum Ciceronis a cl. Maio nuper vulgatum, Ciceroni prorsus esset abjudicandum, eo quod vocabula plus viginti præ se ferat, quæ vel nec alia Ciceronis scripta, vel nec lexica exhibeant.

Verum etiam obiter adverto, dictionum varietates, quibus nimium quantum nescio, veterum scripta laborant, frequenter amanuensium perplexitati et audaciæ deberi. Ipsi enim aut verba concionantis aut dictantis Patris excipiebant, aut e codice exscribebant, et si aliquos ob temporis angustiam vel codicis difficultatem, vel eorum ignorantiam hiatus relinquere cogebantur in tabulis, eosdem propriis verbis explebant, et sic inde interpolata scripta vulgabant. Siquidem de hoc exceptorum, tachygraphorum, et librariorum arbitrio non semel antiqui Patres, et eruditi omnes conquesti sunt. Argumentum itaque internum ab elocutione desumptum plurimum quidem valet ad dignoscendos genuinos fetus auctorum; non ita tamen, ut cum cætera non desint indicia, fas sit ex una vel altera inusitata voce penitus operum γνησιότητα negare.

(*a*) Paulinus in *Vita S. Ambrosii*, n. 38, et idem Ambrosius in epist. 2). n. 8. tom. III, id plane

A tiata jam tempora imperatricis Justinæ inciderat, eo præcipue nervos intendit, ut adversus venenum Arianorum, qui Mediolani ea tempestate plurimum poterant, populum suum communiret atque desuescentem schismate fraternæ charitatis morem reduceret. Profecto illic Ambrosius præcipuas Arianorum hæreses, queis Christi divinitas impetebatur, oppugnans, dogmatica, ut supra innuimus, documenta firmandæ Verbi divinitati peridonea tradit; simulque auditores suos impensius hortatur, ne persequantur in fratrem gratiam vel divina ope collatam, vel laboribus jejuniorum, vel assiduitate orationum, vel vigiliarum instantia omnibusque virtutum generibus conquisitam (*e*), neve ullis invidorum perturbentur insidiis, ullis concitentur offensis (*f*); sed dominico
B exemplo odia mundi non pertimescant (*g*): atque ita patienti animo convicia, proba et maledicta a fratribus fictis, hujusque sæculi principibus (Justina videlicet, et ejus Aulicis, cæterisque Arianis) sibi sustinerent illata, ut humilitatis, et mansuetudinis omnium sint exemplar ac norma (*h*); qui quidem omnes sensus in Ambrosii operibus frequenter occurrunt (*i*), et illis temporibus apprime respondent (*j*). 7° Nec minus Ambrosium redolet mentio, quæ in eo fit de gestis Eliæ; quorum passim in suis scriptis meminisse se narrat Ambrosius. *Plurima enim*, inquit lib. *de Elia et Jejun.* III, 5, *de Eliæ gestis frequenti diversorum librorum sermone digessimus* (*k*). 8° Quin etiam neophytos per se Ambrosium consuevisse docere, eisque ut a redeundo in sæculum, cui per baptisma
C nuntium remiserant, utilius deterreret, frequentius instasse, ut *abdicatis corporis delectationibus*, *cupiditatibus omnibus mundique illecebris* (*l*) in perpetuum sæculo morerentur, et cœlo cum Christo resurgerent,

testantur.

(*b*) Confer saltem libros, quibus titulos fecit *de Abraham*, *de Nabuthe Jezraelita*, tom. I, *de Officiis ministrorum* sparsim tom. III, atque in *Enarration. in psal.* CXVIII, præsertim serm. 12, pag. 37 et seqq., tom. II.

(*c*) Tom. I, a pp. 418, 458, 491, et tom. II, a p. 330.

(*d*) Tom. III, col. 1098.

(*e*) Serm. 3, § 1.

(*f*) Ibid., §§ 4, 5, 11.

(*g*) Ibid., § 7.

(*h*) Ibid., §§ 7, 10.

D (*i*) Contra Arianos præcipue decertat Ambrosius in libris *de Interpell. Job et David*, lib. I, 9, et II, 4 et 6, tom. I; in *Enarrat. in psal.* XLIII, XLV, XLVII, XLVIII et LXI; in *Exposit. in Luc.*, tom. II; in lib. *de Mysteriis*, *de Fide*, tom. III, et *de Spir. Sanct.*, *de Incarnat.*, tom. IV, atque alibi sparsim. Quod vero attinet ad fraternam charitatem servandam sensus non absimiles scripta Ambrosiana abunde suppeditant, ut ex. gr., in psal. XXXVII. 45, XXXVIII, 10 et seq., et CXVIII serm. 10, pag. 3, 10, 41, 50; serm. 12, pag. 49, et serm. 15, pag. 15 et seqq.; in Lucam VII, 28, 59, et VIII, 24, tom. II, lib. II *de Offic.*, a cap. 15, atque epist. 41, pag. 9, et 63, pag. 85, tom. III, quæ inter tanta hic citasse sufficiat.

(*j*) Consule Paulinum in *Vita S. Amb.*, n. 12 et seqq., nec non ejusd. Ambrosii epistolas 20 et 21, tom. V, ac ibid. serm. *de Basilicis non tradendis*, fol. 914.

(*k*) Tom. I, col. 645.

(*l*) Lib. *de Bono mortis* III, 9, tom. I, col. 461.

Digitized by Google

res notissima est (*a*). En autem similia leguntur in his Sessorianis sermonibus, quos pariter quoque habuit ad illos, qui jam divina professione deputati sunt cœlo (*b*), quique jam mortui per baptismum natalibus mundi, nobilitati per gratiam nati sunt cœlo (*c*). 9° Nec ut hos sermones tribuamus Ambrosio, inde nihil videtur accedere confirmationis, quod in illis ad vigilias traducendas, hymnosque et psalmos canendos fideles invitet (*d*); nam hoc nihil in suis scriptis familiarius Ambrosio (*e*); quem primum, Justinæ persecutione fervente, vigilias, ac ut hymni et psalmi in ecclesia canerentur secundum morem Orientalium partium instituisse, tum S. Augustinus (*f*), tum Paulinus in Ambrosii Vita (*g*) testantur. 10° et 11° Verum ut argumenta alia non essent, duo, scilicet tam summa eorum, quæ in his sermonibus dicuntur contractius cum eis, quæ in enarrationibus in psalmis, præsertim psalmi CXVIII fusius leguntur, consensio; quam eadem, qua in illis utitur, ut in hucusque admissis Ambrosii operibus reperitur, Vulgata, vel sola sufficerent ut Ambrosianos hos nostros sermones esse, nemini certum non fieret et exploratum. Ingenue tamen fateor illic quandoque aliis aliquod sacræ Scripturæ locos verbis citari; at id nihil prorsus meæ sententiæ officere assero: tum quia « ex operum S. Ambrosii lectione (ut Natalis Alex. verbis utar (*h*), quæ Benedictini editores confirmant (*i*)) constat, eum non iisdem semper verbis eosdem Scripturæ sacræ locos laudasse; » tum quia in Sessorianis sermonibus hæc non confirmatur dissensio, nisi raro, et in iis tantum locis citandis, quos diversis semper verbis usus est Ambrosius citare; tum quia varietates illæ tales sunt, ut quin duplicem arguant versionem, potius excludant; quæ quidem omnia maxime liquent ex variis lectionibus codicis nostri textui subjectis, ut in re oculis ipsis inspicienda diutius immorari supervacaneum omnino sit, ac inutile. 12° et 13° Præterea certe præterire non possum, hisce in sermonibus pro Ambrosiano more nunquam auditores allici, neque accuratum ordinem, neque artificiosam partitionem servari; simulque animadverti, auctorem non semel respicere ad S. Basilii opera, quem fontem Ambrosium in suis pangendis libris prægustasse certissimum est. Exstant quidem præ aliis S. Basilii homiliæ, quæ inter editas sunt 7, 8, 20 et 21 (*j*), cujus sane materia cum istis Ambrosii concionibus haud parum habet affinitatis. 14° Quis demum ignorat multos Ambrosianos excidisse sermones? Profecto Maurini multos Ambrosii deperditos memorant (*k*), pluresque vel inde conjicere est, cum nihil certius sit, Ambrosium non modo singulis diebus dominicis concionatum fuisse, verum etiam quotidiano sermone stato anni tempore catechumenos, competentes, et recens baptizatos (*l*) instruxisse, ut ex ejusdem scriptis (*m*), vel et ex loculentissimis Augustini et Paulini testimoniis compertum habemus (*n*): anecdotos ergo Ambrosianos invenisse sermones mihi invideat nemo, neque confidentiæ me insimulet. 15° Et re quidem vera nonne horum sermonum Ambrosium auctorem facit Sessorianus optimæ notæ codex miscellus (*o*), qui invidus mille et plus annis has Ambrosianas gemmas obvolvit? In eo quippe, manu codicis antiquitate pari, S. Ambrosii nomine hi tres inscribuntur sermones. Cui ergo hujus nominis viro, ne codicis prætergrediamur ætatem, illos, præter Mediolanensem, tribuemus? Non certe Ambrosio Ori-

(*a*) *Videsis* hac de re Augustini *Confessionum*. lib. VI, cap. 3 et 4, nec non Ambrosii opera, *de Fuga sæculi*, *de Jacob et Vita beata*, et *de Mysteriis*.

(*b*) Serm. 1, § 1, p. 12 (*Infra coll.* 109-112).

(*c*) Serm. 3, § 10, p. 26 (*Infra col.* 135).

(*d*) Serm. 1, § 5, et serm. 3, § 11, pp. 6 et 30 (*Infra coll.* 116 *et* 140).

(*e*) Ita in lib. III *Hexaem.* 1 et 5; lib. II *de Interpell. David.*, 6, tom. I, in *præfat.* ad psal. I, et in psalmis XLVIII, 23, CXVIII; serm. 7, pag. 25, tom. II, atque alibi.

(*f*) Augustinus de sua matre jam Mediolani commorantı ita loquitur lib. IX *Confess.*, c. 12: *Ibi mater mea, ancilla tua* (scilicet Ambrosii) *sollicitudinis, et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat;* et post pauca prosequitur: *Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam et pene omnibus gregibus tuis, et per cætera orbis imitantibus.* Consule etiam lib. IX *de Civit. Dei*, 12, col. 162.

(*g*) Ibid., n. 13, ait Paulinus: *Hoc tempore*, nempe quo Ariani basilicam Portianam invadere nitebantur, *primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.*

(*h*) *Hist. Eccles.*, sæc. IV, part. I, p. 508, col. 2.

(*i*) In præfat. ad libros *de Sacramentis*, tom. III.

(*j*) Tom. II, operum S. Basilii edit. Paris., an. 1721, pag. 31, 62, 156 et seqq.

(*k*) In Præfat. ad tom. III et IV, oper. S. Ambrosii. *Vide* etiam sis Cerilietum, *Hist. générale des Auteurs sacrés, et ecclésiastiques*, tom. VII, pag. 574 et seqq.

(*l*) Trina hæc pervetusta distinctio cum codicibus Vaticanis explicatur a cl. Maio in nota 1 *ad Explanat. symboli* B. Nicetæ Aquilein. episcopi, pag. 35 Romanæ edit. an. 1827.

(*m*) Lib. de Mysteriis I, tom. III, col. 408.

(*n*) Reapse Ambrosium singulis diebus dominicis concionatum esse testis est Augustinus lib. VI *Confess.*, cap. 3, scribens: *Eum quidem in populum verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebam.* De assiduitate vero, qua baptizandos docebat Ambrosius, sic Paulinus in ejus Vita, n. 38, loquitur: *In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent.*

(*o*) In codice post nomen *Ambrosi* titulus *episcopi* omittitur; attamen non hinc aliquis hos sermones alteri Ambrosio a Mediolanensi episcopo distincto acceptos referat: nam si codicis ætati, si sermonum stylo, et sententiis, eorumque auctoris moribus, et instituto ratio habeatur, nulli ejus nominis, nisi Mediolanensi episcopo tribuendos esse, fateatur oportet. Cæterum tum sanctitatis, cum dignitatis titulos passim in antiquis codicibus vel consuetudine, vel potius socordia prætermittunt librarii; et quidem in hoc ipso codice, ex. g., nonnulla opuscula simpliciter S. Augustino constanter inscribuntur, quæ tamen ad Hipponæ episcopum certissime pertinent

Digitized by Google

genis discipulo, et Ecclesiæ Alexandrinæ diacono (*a*); non ei, qui S. Didymi ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ doctoris, floruit ætate (*b*). Horum enim uterque nec episcopali dignitate præfulsit, nec ad populum sermones habuit : qui tunc temporis a solis episcopis ut plurimum habebantur; uterque Græce scripsit, et sermones nostri quem Latinam e Græco interpretationem redoleant, eam prorsus excludunt. Nec sit qui illos Ambrosio Carducensi in Gallia episcopo ascribat; nam quamvis Sessorianum ms. quis archetypum fuisse diceret, tamen hos sermones vix et ne vix quidem Carducensi Ambrosio acceptos referri poterit. Etenim Ambrosius ille tantam post medium sæc. VIII ad episcopatum evectus est (*c*), et has conciones, quas nonnisi episcopi fetus esse clarissime patet, eodem exhibet laudati episcopi ætate major, scilicet, ut dixi, sæculo IX, vel ad summum sæculo VIII ineunte conscriptus. Hinc prorsus flocci faciendus esset et eorum opinio, qui hos sermones Ambrosii Autperti monachi (*d*) opus esse contenderent; nam, præterquam quod illius non essetum ex moribus et instituto, tum ex stylo et forma scribendi auctoris, tum ex diversa biblica versione, qua ille utitur, satis commode probari queat (*e*), etiam ut illi abjudicaremus, una præ cæteris ratio sufficeret, qua Carducensi episcopo abjudicandos putavimus. Siquidem et Ambrosii monachi ætas, ne cum Trithemio inter scriptores eum referam, qui floruere sæculo IX exeunte, tamen haud revocanda citra an. circiter 760, nec ultra an. 778 producenda est. Porro anno circiter 760 commentariis in Apocalypsim clarere cœpit, et anno 778, ut est eruditorum probabilior sententia, dum Romam pergeret, diem vidit extremum, post quam duobus duntaxat mensibus, et diebus 25, iisdemque non pacifice, in monasterio S. Vincentii ad Vulturnum prope Beneventum abbatis munere perfunctus esset. Reliquum est igitur, ut vel distinctum a laudatis in primis septem Ecclesiæ sæculis alterum excogitemus Ambrosium, vel codicis auctoritatem, et vetustatem in dubium vocemus. Neutrum quidem. Uno ergo Ambrosio Mediolanensi Sessoriani codicis auctoritate hi sermones adjudicandi sunt. Quanta vero hujus codicis sit auctoritas, certatim docent summi auctores, qui vel illum summo in pretio habuisse testantur, vel ex eo tum S. Augustini, cum S. Maximi Taurinensis episcopi nova scripta ernerunt.

VII. *Auctores qui usi sunt codice Sessoriano, ac de eo sunt locuti.* — Porro de hoc codice, qui, ut supra dixi, olim exstitit in monasterio Nonantulano, ex quo Romam detulit de suo ordine, nec non de Ecclesia universa optime meritus Hilarion Rancatus, qui Sessorianæ Bibliothecæ auctor fuit (*f*), sic in suo *Museo Italico* loquitur inclytus Mabillonius (*g*) : « In codice Romano Sanctæ Crucis, qui fuit olim monasterii Nonantulensis, ante annum octingentesimum acqui-

(*a*) *Vide* Eusebium, lib. VI, 18; Epiphanium, hær. 64, et S. Hieronymum, *de Script. Eccles.*, cap. 56.

(*b*) Confer. du Pin et Moreri.

(*c*) Plura de hoc Ambrosio leguntur *Hist. litt. de la France*, tom. IV, pag. 137 et seq., ac apud Cellerium lib. sup. cit., tom. VIII, pag. 486.

(*d*) Hujus Ambrosii gesta refert Mabillonius *Act. Sacrorum ord. S. Bened.*, vol. IV, sæcul. III, part. II, a pag. 259. *Vide* etiam Anastasium, pag. 1711 et seqq.

(*e*) Ut rursus demonstrem hos sermones solo episcopo convenire, prout ad solos olim pertinebat episcopos catechumenos et neophytos instruere, diutius non immorabor; nec æque operosius conabor ostendere quantum sermones nostri a moribus et instituto, quantum a stylo et forma scribendi Autperti dissideant. Pauca tamen properans percurram. Quippe Autpertus nullibi fere in suis scriptis monasticam regulam non laudat, vel se monachum ad monachos alloquentem non prodit. Præterea Autperti scripta qui attente perlegerit, in ipsis sæpius S. Augustini elocutiones, antitheses, et fere aliquando integras inveniet periodos, nec non sæpius blandas voces, ut *Fratres dilectissimi*, etc., atque his similia, et alia nonnulla eidem familiaria verba reperiet; a quibus omnibus sermones nostri ita prorsus alieni sunt, ut ne syllabam, vix dicerem, cum Autperti scriptis communem habeant. Insuper Autpertus biblica versione, quæ novam vix Vulgatam reddit ad verbum, ideoque diversa prorsus ab ea, quæ in his sermonibus reperitur versio, usus est, ut ex ejusdem et nostræ collatione nullo negotio deprehendes, saltem si consulas apud Martenem, tom. IX *Ampliss. Collect.*, pag. 222, 227, 229, etc., ac in *Biblioth. Patrum*, Colon. edit. tom. XIII, pag. 480 et 492, ubi Autperti scripta quotquot exstant vulgata invenies.

(*f*) De hoc cl. viro et summa omnium laude colendo Josephus Blanchinius in part. II sui *Evangeliarii*, dum inter alia plura, quorumdam codicum Sessoranæ bibliothecæ specimina exhibet, fol. 593 verso, his verbis loquitur : « In venerab. monasterio S. Crucis in Jerusalem insignis exstat bibliotheca mss. codicibus referta, opera cl. viri Hilarionis Rancati Mediolanensis, monachi Cisterciensis, sui ordinis, dum viveret, procuratoris ac præsidis in Italia generalis, in recognitione librorum Syriacorum, versione Arabica Bibliorum, explicatione controversiarum fidei quinque summis pontificibus Paulo V et subsequentibus eximie probati, qui vixit annos 69, obiitque die 12 Aprilis an. 1663, ut scribit Mabillonius (*In Itiner. Italic.*, p. 99). Id vero (laudati Mabillonii fere sunt verba l. c. tom. II) præcipue in ejus laudem vertit, quod varios codices ex Italiæ monasteriis conquisitos studiose collegit, quibus dicta bibliotheca celebris evasit. Ex ea eruta est præclara illa S. Augustini epistola ad Alypium, quæ est in nova editione 29, et aliquot novi sermones. De tanto viro etiam videri potest Fumagallius, qui ejus Vitam diligenter scripsit, et Brixiæ vulgavit an. 1762.

Hic modo, ut ingrati animi crimen horreo, haud silentio præteream supra laudatum eminentissimum card. Joachimum Besutium, virum utique, ut ait Blanchinius l. c., *modestia ac pietate non minus quam singulari doctrina commendandum*, quippe qui et ipse non solum Sessorianam bibliothecam rarissimorum librorum copia, et nonnullis pretiosissimis codicibus auxit ditavitque, verum etiam cœnobium hæredem ex asse dixit, et bibliothecarium instituit curavit.

Blanchinius scribens supra relata verba, addidit : *Cistercienses hodie incolunt hunc locum munere Sixti papæ V*, quod prorsus a veritate absonum est : nam monachi Benedictino-Cistercienses ab anno 1563, Pio IV pontifice maximo, jam Sessorianum cœnobium inhabitasse constat ex serie abbatum ad calcem Historiæ ejusdem monasterii posita, quam Raimundus Besutius an. 1750 Romanis typis vulgavit.

(*g*) Tom. I, part. II, p. 4, § 4.

Digitized by Google

situs ab Anselmo abbate, continentur homiliæ 73 : ex quibus pleræque in Sancti Galli exemplari habentur. Inscriptum erat in fronte codicis nomen auctoris; sed eo abraso sancti Ambrosii nomen substitutum. Maxima pars tamen harum homiliarum sunt Maximi, tametsi quædam aliæ Hieronymi et Augustini sub eorum nomine insertæ sunt. » Nec aliis verbis hunc codicem celebrat Blanchinius, simulque novissimus editor Romanus operum S. Maximi, qui in præfatione (*a*) ita illum accurate describit : « Alter est præcipuorum, quos dixi, codex Nonantulani olim monasterii in agro Mutinensi, nunc Romanæ bibliothecæ Cisterciensium monachorum Sanctæ Crucis in Jerusalem. Est is codex membranaceus in-fol., notatus numero XC, ut frons exterior voluminis exhibet, quanquam intus pag. 1 præ se numerum CXXXIV ferat; cæterisque hujus bibliothecæ codicibus ut antiquitate, ita accuratiore Scripturæ lectione integritateque præcellit, spectatque ad VII vel summum ad VIII Ecclesiæ sæculum. Ductus litterarum in eo Romanus est, ætatis, ut aiunt, secundæ, paululum vergens ad Longobardicum. A pag. 129 ad 169 sexaginta partim homilias, partim sermones complectitur, de quibus eminentissimus cardinalis Besutius in indice bibliothecæ Sanctæ Crucis (*b*) sic statuit : *auctorem eosdem habere sanctum Maximum mihi certum est.* » Quod autem hi laudatissimi viri in Sessoriano codice nullum Ambrosii genuinum sermonem memorent inveniri, quin omnes quamvis recentiori manu Ambrosio tributos, SS. Augustino, Hieronymo et Maximo ascribi velint, id neminem movebit, qui attente consideret, illos de iis tantum sermonibus loqui, quos codex a pag. 129 complectitur, non vero de nostris, quos superiores exhibent pagellæ, quique in illis clarissimis verbis, et quidem prima manu S. Ambrosio inscribuntur. Atque hoc loco rem eruditis, ut spero, jucundam non reticebo; nempe quod ex hoc ipso codice plane evincitur, Mabillonium et laudatum S. Maximi editorem in numerandis sermonibus, qui a cit. pag. 129 in hoc codice continentur, haud accurate ipsum codicem consuluisse, cum primus eos omnes 73 numeraverit, alter quamvis ut S. Maximi 60 recognoverit, tamen in notitiis prævis (*c*) duos et sexaginta exscripserit. Uterque enim satis habuit advertere indicem, qui hisce sermonibus fol. cit. recto præmittitur, et utrumque idem index fefellit; nam in eo geminato num. 13 numerantur tres et septuaginta sermones, quamvis reapse sint tituli 74; simulque Maximo 62 tribuantur, etsi eorum postremus numero 61 notetur. Neque vero in numero solum, sed etiam in titulis S. Maximi editor cum indice eravit; quod ut clarius appareat, hic operæ pretium duxi omnia per singula recensere, quæ in hoc eodem codice continentur.

VIII. *Quæ in Sessoriano codice continentur.* — Et quidem habetur in eo fol. 1 recto S. Augustini sermo de Nuptiis, qui absque titulo inc. « Nuptiæ in quibus Christus et munerator, et conviva decubuit, etc. » Des. « Itaque illi desiccati sunt et aruerunt; nos vero comedimus, et bibimus, et refecti sumus per ipsum Jesum Christum, qui vivit cum Patre, et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. » Hunc sermonem, in quo Augustinus tuetur adversus Manichæos, vere Christum instituisse conjugia, inter editos reperire non potui. Porro de bono Nuptiarum sermonem habuisse Augustinum constat ex ejusdem fragmento, quod ex Beda et Floro afferunt Maurini t. V oper., part. II, col. 1519; at nulla cum

(*a*) Part. I, § 5, pag. 16 et seq. (*Nostræ Patrol. t. LVII, col.* 17-18 *sq.*)

(*b*) Utinam modo index ille exstaret! nos enim accurate et erudite doceret quæ quantaque pretiosissima in ea olim bibliotheca fuissent; sed externis armis Italiam invadentibus, bibliotheca anno 1809 expilata, una cum variis mss. codicibus, multisque rarissimis libris, et hic index pessum ivit non sine magno litterariæ reipublicæ detrimento. His quidem mss. codicum in bibliothecis delitescentium catalogis nihil esse utilius ad exornandam, amplificandam, et altius provehendam rem litterariam apud doctos exploratum confessumque est. Verum, præter ea quæ supra retulimus, hæc etiam prænotata exstant de hoc codice ab eminentissimo viro in chartæ plagula, quæ est ipsi codici in fronte assuta.

COD. 134.

Continet, pag. 1, *sermonem S. Augustini de Nuptiis; a pag.* 2, *libros Confessionum S. Augustini.*
2, *f.* 80, *S. Ambrosii sermo de Caritate.*
3, *f.* 81, *S. Hieron. Epitaphium S. Paulæ.*
4, *f.* 88, *S. Ambrosii sermo de Perfecto.*
5, *f.* 89, *Cassiani collationes septem, quæ sunt abbatis Chæremonis et ab. Joseph, et in editis sunt ab* 11 *ad* 17.
6, *f.* 129, *S. Maximi sermones* 61, *qui tamen in hoc codice tribuuntur S. Ambrosio.*
7, *f.* 169, *S. August. sermo de eo quod scriptum est : Hic est dies, quem fecit Dominus.*
8, *f.* 169, *S. Hierony. sermo de Exodo in Quadrag.*
9 *f.* 170, *S. August. sermo ad Competentes et Cathecumenos, et usq. ad f.* 175, *sequuntur alii sermones, qui tribuuntur in hoc codice S. Augustino.*
10, *f.* 175, *S. Hierony. sermo de Exodo in Vig. Paschæ.*
11, *f.* 177, *S. Basilii Instituta monachorum, Rufino interprete.*
12, *f.* 200, *S. August. sermo de Resurrectione.*

Codex mihi videtur antiquissimus, et conferendi sunt sermones horum Patrum cum editis eorumdem.

Ex his verbis tria pro nostra sententia colligimus : primum, Besutium S. Ambrosii nomine unum Mediolanensem Ambrosium intellexisse; eo enim nomine simpliciter utitur etiam num. 6, ubi certe ad Mediolanensem respexit; deinde, sermones hos nostros ut S. doctoris germanos fetus habuisse, alias notasset; nam quod spurium ac subdititicium opus ei visum est, constanter notavit, ut num. 6 et 9; postremo, sermones omnes quos hic codex exhibet SS. Patribus tribuisse, et inter illos nonnullos putasse meditos inveniri; etenim postremis verbis, ut eos sermones conferant, ad edita SS. Patrum, et non ad aliorum scripta lectores amandat. In hoc syllabo is quidem sermo desit, qui secundo loco hic typis vulgatur. Ille cum brevissimus sit, et in calce paginæ positus viri eminentissimi diligentiam fugit; potius enim continuatio primi, quam alter sermo primo intuito videtur.

(*c*) Pag. 174 et seqq.

Digitized by Google

illō est nostri consensio. Hic sermo ægre legitur in codice tum evanidis vetustate, et sorde obductis characteribus, cum in oris circumquaque carie detrita pagella. Fol. 2 recto, sequuntur ejusdem S. Augustini libri 13 Confessionum, quorum titulus ita est ad calcem folii 1 versi : « Incp. libri Confessionum ejusdem S. Augustini. » Hoc opus non est distinctum in capita, et uberem a Maurinorum editione præstat variantium segetem pro novâ excudenda. Fol. 79 verso : INCP. S. AMBROSI SERMO DE CARITATE EX LECTIONE SCI PAULI APOSTOLI CONTRA MALOS, QUI BONIS INVIDENT, qui sermo hic tertio loco vulgatur. Fol. 81 recto, S. Hieronymi epitaphium sanctæ Paulæ cum epigraphe : « Incp. epitafium (sic) sanctæ Paulæ a beato Hieronymo prbo factum. » Ejusdem in fine titulus sepulcri legitur litteris uncialibus, et ad illam formam elaboratis, quam vulgo lapides retinent, conscriptus, in quo mortua dicitur Paula, *Honorio Augusto* VI *et Aristhenito consulib.*, non *Arestenio*, ut in edit. oper. S. Hieronymi habetur Mariani Victoris, nec *Aristæneto*, ut Parisiensis editio tom. IV, col. 669, et Veronensis tom. I, col. 689, retinent. Fol. 88 recto : INCP. SERMO S. AMBROSI DE PERFECTO, qui primus in ordine nunc prodiit in lucem. Fol. cit. verso : INCP. EJUSDEM ADVERSUS EOS QUI DICUNT, POSSESSIONEM NON DISTRAHENDAM, SED FRUCTIBUS MISERICORDIAM FACIENDAM, qui sermo secundum in his foliis sibi vindicat locum. Fol. 89 recto : Joannis Cassiani collationes 7 Patrum Thebaidis, quarum in fronte legitur : « Hæc insunt in hoc codice collationes septem, id est, abbatis Chæremonis de perfectione, ejusdem de castitate, ejusdem de protectione Dei ; abbatis Nestoritis de spiritali scientia, ejusdem de charismatibus divinis ; abbatis Joseph de amicitiâ, ejusdem de definiendo. » Singulis collationibus capitulorum tituli sunt inscripti, et primo loco ponitur præfatio ad Honoratum et Eucherium, qui tamen non nominantur in codice. Exstant vulgatæ a num. 11 ad 17 in edit. Romana anni 1611 formis excusa cameræ apostolicæ. Fol. 129 recto, incipiunt sermones prima manu S. Maximo Taurinensi, secunda manu S. Ambrosio tributi, et denuo recentiori scriptura S. Maximo restituti, quos index titulorum præcedit, in quo, ut jam notavimus, septuaginta quatuor tituli recensentur, et iterato num. 13, tres et septuaginta numerantur. Ex eo tres et sexaginta priores titulos excerpsit P. Brunus S. Maximi editor, et, ut supra innui, pag. 174 in notitiis prævis vulgavit, dum de codicibus agit, quibus in sua editione adornanda usus est. Hoc vero ordine, et hisce titulis in corpore codicis ii sermones habentur. Fol. 129 verso, 1 : « Incp. sermo de natale ssrum Petri et Pauli apostolorum. » Editus est apud S. Maximum Romæ excusum an. 1784, col. 229. Fol. 130 recto, II : « Incp. de eorum natale. » Edit. ubi supra, col. 573. Fol. cit. verso, III : « Incp. de margarita Evangelii. » Edit. ubi supra, col. 389. Fol. 131 recto, IV : « Incp. de natale S. Laurenti. » Edit. ubi sup., col. 579. Fol. cit. verso. V : « Incp. de natale S. Joannis Baptistæ. » Edit, ubi sup., in append. col. 41. Fol. 132 recto, VI : « Incp. alium (sic) de natale ejusdem. » Edit. apud S. Ambrosium inter spuria col. 570. Fol. cit. verso, VII : « Incp. de Natale SS. Petri et Pauli apostolorum. » Edit. apud S. Maximum, col. 577. Fol. 133 recto, VIII : « Incp. de natale S. Cypriani episcopi. » Edit. ubi sup., col. 255. Fol. cit. in calce, IX : « Item sequentia de eodem sermone. » Edit. ubi supra, col. 595. Fol. cit. verso, X : « Incp. de passione vel natali sanctorum, id est, Octavi, Adventi et Solutoris Taurinis. » Edit. ubi sup., col. 261. Fol. 134 recto, XI : « Incp. de gratia Baptismi. » Edit. ubi sup. col. 617. Fol. cit. verso, XII : « Item de natali martyrum. » Edit. ubi sup., col. 617. Fol. 135 recto, XIII : « Incp. de natali SS. Canti, Cantiani et Cantillæ. » Edit. ubi sup., col. 615. Fol. cit. verso, XIIII : « Item de natali sanctorum. » Edit. ubi sup., col. 621. Fol. 136 recto, XV : « Incp. de eo quod scriptum est in Actibus apostolorum : *Erant eis omnia communia* (sic), et de Cain, et de Annania (sic). » Edit. ubi sup., col. 429. Fol. cit. verso, XVI : « Incp. sequentia de avaritia, et de Anania. » Edit. ubi sup., col. 323. Fol. 137 recto, XVII : « Incp. exhortatio ad plebem, et de eo quod scriptum est in Evangelio : *Sicut fulgur de sub cælo; ita erit adventus filii hominis;* et de duobus in lecto uno. » Edit. ubi sup., col. 5. Fol. 138 recto, XVIII : « Incp. de sequentia. » Edit. ubi sup., col. 9. Fol. cit. verso, XIIII : « Incp. de hospitalitate. » Edit. ubi sup., col. 645. Fol. 139 recto, XX : « Incp. de eleemosynis, et ubi sedit Dominus Jesus super puteum Samariæ. » Edit. ubi sup., col. 325. Fol. cit. verso, XXI : « Præfatio vel increpatio ad plebem. » Edit. in append., tom. V oper. S. Augustini, num. 87. Fol. 140 recto, XXII : « Incp. de grano synapis, et de S. Laurentio martyre. » Edit. apud S. Maximum, col. 36. Fol. cit. verso, XXIII : « Sequentia de grano sinapis superiore. » Edit. ubi sup., col. 365. Fol. 141 recto, XXIIII : « Incp. de id (sic) quod scriptum est : *Reddite quæ Dei sunt Deo*, et de militantibus. » Edit. ubi sup., col. 375. Fol. 142 recto, XXV : « Incp. de eodem sequentia. » Edit. ubi sup., col. 347. Fol. cit. verso, XXVI : « Incp. de *eo* (deest) quod propheta ait ad filios, scilicet : *Caupones uestri miscunt aquam uino.* » Edit. ubi sup., col. 339. Fol. 143 recto, XXVII : « Incp. de psalmo XXI, et de passione Domini. » Edit. ubi sup., col. 137. Fol. 144 recto, XXVIII : « Incp. de defectione lunæ. » Edit. ubi sup., col. 333. Fol. cit. verso, XXVIII : « Item de sequentia ejusdem. » Edit. ubi sup., col. 337. Fol. 145 recto, XXX : « Incp. de eo quod scriptum est in Evangelio, dicente Domino : *Facilius est cametum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regno cœlorum.* » Edit. ubi sup., col. 385. Fol. cit. verso, XXXI : « Incp. de eo quod scriptum est : *Simile est regnum Dei fermento.* » Edit. ubi sup., col. 369. Fol. 146 recto, XXXII : « Incp. de hospitalitate in Euangelio. » Edit. ubi sup., col. 351. Fol. 147 recto, XXXIII. « Incp. de jejunis (sic solita crasi) in initio Quadragesimæ. »

Digitized by Google

Edit. ubi sup., col. 467. Fol. 148. recto, XXXIII : « Item sequentia, et tempore ieiuniorum non luxuriandum. » Edit. ubi sup., col. 457. Fol. cit. verso, XXXV : « Incp. de die sancto Paschae, et de cruce Domini. » Edit. ubi sup., col. 151. Fol. 149 verso, XXXVI : « Item de cruce et de resurrectione Domini. » Edit. ubi sup., col. 153. Fol. 150 recto, XXXVII : « Incp. sequentia de sepulchro Domini Saluatoris. » Edit. apud S. Ambrosium sub num. 53 Rom. editionis. Fol. cit. verso, XXXVIII : « Incp. de Pentecosten (sic), et de psalmo centesimo nono. » Edit. inter S. Maximi opera, col. 197. Fol. 151 recto, XXXVIII : « Incp. de eo quod scriptum est in Euangelio : *Vulpes foueas habent*, et reliqua. » Edit. ubi sup., col. 379. Fol. 152 recto, XL : « Increpatio ad plebem, et de eo quod scriptum est in Euangelio : *Qui habet, dabitur ei; et cantauimus uobis, et non saltastis.* » Edit. ubi sup., col. 681. Fol. cit. verso, XLI : « Incp. ubi Deus sabbato manum aridam curauit. » Edit. ubi sup., col. 383. Fol. 153 verso, XLII : « Incp. de Pentecosten (sic). » Edit. ubi sup., col. 191. Fol. 154 recto, XLIII : « Incp. de die sanctae Ephyfaniae (sic). » Edit. ubi sup., col. 413. Fol. cit. verso, XLIII : « Item de die Ephyfaniorum (sic), et de Euangelio, ubi Dominus baptizatus est, et de psalmo XXVIII. » Edit. ubi sup., col. 241. Fol. 155 recto, XLV : « Incp. de eo quod scriptum est in Euangelio : *Hominis cuiusdam diuitis fructus uberes ager adtulit.* » Edit. inter S. Basilii opera hom. 6, tom. II, pag. 43, a qua tamen multas hic nostri codicis sermo variantes habet. Fol. 153 recto, XLVI : « Incp. de eo quod scriptum est : *Quis major est in regno caelorum?* » Edit apud S. Maximum, col. 285. Fol. cit. verso, XLVII : « Incp. de duabus nauiculis in Euangelio. » Edit. ubi sup., col. 639. Fol. 159 verso, XLVIII. « Incp. de ieiuniis vel sancta Quadragesima. » Edit. ubi sup., col. 461. Fol. 160 recto, XLVIII : « Incp. de ieiunio Domini in deserto, et quod *non in solo pane uiuit homo.* » Edit. ubi sup., col. 433. Fol. 161 recto, L : « Item sequentia de ieiuniis Quadragesimae. » Edit. ubi sup., col. 465. Fol. cit. verso, LI. « Incp. de Pascha. » Edit. ubi sup., col. 179. Fol. 162 verso, LII : « Item sequentia de sanctum (sic) Paschae. » Edit. ubi sup., col. 181. Fol. cit. LIII : Item sequentia. » Edit. ubi sup., col. 185. Fol. 163 recto, LIV : « Incp. de Pentecosten (sic). » Edit. ubi sup., col. 187. Fol. 164 recto, LV : « Incp. de accusato Domino apud Pilatum, et de Susanna. » Edit. ubi sup., col. 141. Fol. cit. verso, LVI : « Item sequentia. » Edit. ubi sup., col. 143. Fol. 165 verso, LVII : « Incp. de natale Domini. » Edit. ubi sup., col. 403. Fol. 166 recto, LVIII : « Incp. de kalendis Januariis. » Edit. ubi sup., col. 409. Fol. cit. verso, LVIII : « Incp. tractatus de Ephyfania (sic). » Edit. ubi sup., col. 423. Fol. 167 recto, LX : « Incp. post Ephyfania dictum (sic). » Edit. inter S. Ambrosii sermones in append. rejectos serm. 11, col. 502. Fol. cit. verso, LXI : « Incp. de sancta Quadragesima. » Edit. apud S. Maximum, col. 109. Fol. 168 verso, LXII : « Incp. sermo S. Augustini de id (sic) quod scriptum est : *Hic est dies, quem fecit Dominus, exsultemus, et iucundemur in eo.* » Edit. apud Lovanienses tom. X oper. S. Augustini, serm. 89, col. 560. Fol. 169 recto, LXIII : « Incp. sermo S. Hieronymi de Exod. in Quadragesima ante Pascha. » Edit. a Vallarsio in append. tom. XI, col. 210, editionis Veronensis. Sub hoc sermone aliisque infra notandis usque ad fol. 176 latet Plinianum Historiæ naturalis fragmentum, iisdem spatiosis litteris exaratum, quibus in Vaticano palimsesto politicum opus M. Tulli scriptum fuisse conspicimus (*a*). Fol. sup. cit. 169 verso, LXIII : « Incp. sermo S. Augustini ad competentes et catechumenos, » qui incipit : « Audiant catechumeni, audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat; sit mihi in consolatione uester auditus, » etc. An hic sermo anecdotus sit, pronuntiare non audeo; idem dic de illis, quorum infra initia referam. Fol. 170 verso, LXV : « Item eiusdem sermo de remissione peccatorum; » quem primo ex hoc codice eruerunt Maurini, et fide eidem codici prorsus adhibita, inter genuina opera S. Augustini ediderunt tom. V, part. I, col. 572. Fol. 171 verso, LXVI : « Incp. alius eiusdem de missas cotidianas (sic), » qui incipit : « Congregatio beatitudinis uestræ FF. KK. facit nos nimio gaudio esse repletos, sed quia pauet pectus catenis corporis obligatum, non possum dicere, quantum splendor animi uestri delectat audire; tamen adgredior, » etc. Fol. 172 recto, LXVII : « Incp. de decimis sermo eiusdem. » Edit in append. tom. V, col. 460, a qua tamen differt in nonnullis. Fol. 173 recto, LXVIII : « Item alium (sic) de sancto Helisseo (sic); » cujus initium est : « Dulcis insonuit auribus nostris nuper recitata libertas, dum saeuit inter nos amara captiuitas, » etc. Fol. 174 recto, LXVIII : « Incp. alium (sic) de *loco* (deest), ubi beatus Petrus in mari tempestatem sustinuit in naui. » En prima verba : « Nutritos hyrundo pullos suos, cum uolandi arte disponit, paululum quidem in aere dimittit, quibus tamen ipse uicina est, ne forte decidant trepidando adhuc infirmi uolando, » etc. Fol. cit. verso, LXX : « Incp. sermo S. Hieronymi de Exodo in uigilia Paschae. » Edit. inter suppositicia S. Augustini scripta in append. tom. V, et apud Vallarsium inter spuria tom. XI oper. S. Hieronymi, col. 212. Fol. 175 verso, LXXI : « Incp. eiusdem in die dominica Paschae. » Edit. ubi sup., col. 200. Fol. 176 verso, LXXII : « Incp. eiusdem S. Hieronymi in die Dominica Paschae. » Edit. ubi supra, col. 215. Fol. 177

(*a*) Plinii hoc fragmentum in Sessoriano quaternione integro scriptum ad libb. XXIV, et XXV *Hist. naturalis* pertinet. Illud quamvis editum, tamen in Sessorianis anecdotis aliquando proferam. Non enim despero fore post Hermolai Barbari, Arduini, aliorumque præstantissimorum virorum conatus, qui pleraque menda ab hoc Pliniano opere ex vitiosissimis codicibus eruto longa operosaque cura sustulerunt, et mihi hujus vetustissimi palimsesti auc oritate alia nonnulla expungere fortasse licere.

Digitized by Google

recto, occurrunt S. Basilii Magni Instituta monachorum, quæ in tom. II oper. edit. Parisien. an. 1730 a col. 327 edita sunt, quæque hoc titulo præsignantur in codice : « Instituta monachorum sancti Basilici (sic) episcopi Caesariensis Cappadociae in Christo. Prologus sancti Rufini praesbyteri. » Miror cl. Fontaninium, quamvis hunc codicem vidisset, haud tamen animadvertisse Rufinum sanctum appellari; quod quidem alibi notasset in fine suæ Historiæ Aquileiensis, cujus in postremo paragrapho Rufini laudes recensuit, et de illo ut de sancto monuit scripturum fore Bollandum. Demum fol. 200 recto, LXXIII, est sermo, qui inscribitur : « Incp. sermo sancti Augustini de resurrectione. » Hunc sermonem, qui olim inter S. Fulgentii scripta recensebatur, Benedictini editores oper. S. Augustini hujus nostri et alterius codicis auctoritate inniti Fulgentio abjudicarunt, et inter genuinos fetus Augustini vulgarunt tom. V. part. I, col. 1024. Hic sermo mancus est in codice, qui duabus integris pagellis mutilus est, quibus non modo hujus sermonis amisit postrema verba, verum etiam alterius ejusdem S. Augustini sermonis, qui nostri codicis esset LXXIII, prorsus fecit jacturam, cujus titulus adhuc in indice fol. 129 recto, sic legitur : « Item eiusdem in capite libri sermo de uersiculo psalmi undecimi : *Tu, Domine, seruabis nos, et custodies nos a generatione ista usque in aeternum.* »

IX. *Conjecturæ de Ambrosianorum sermonum ætate, et tempore quo habiti sunt.* — Sed misso codice ad Ambrosianos sermones redeundum est. Fieri enim non potest ut ab illis recedam, priusquam de tempore, quo habiti sunt, quæstionem saltem attingam. Porro jam auctore cognito, sermonum quoque ætas comperta est. Nihilominus de anno quo habiti sunt, nihil certi habeo : et si quid conjecturis, quarum tamen judicium integrum volo esse penes lectorem, liceat indulgere, illos anno 389 haud multo antiquiores arbitror. Cum enim in eisdem mentio tum ecclesiastici cantus, cum psalmorum, hymnorum et vigiliarum, quam disciplinam Mediolani S. Ambrosius anno 385 circiter instituerat, nec semel nec obscure fiat (*a*); ante illud tempus hos sermones scriptos fuisse, dicendum non est. Et hæc conjectura inde fortassis confirmari potest, quod in tertio sermone multa habeantur, quæ ut alibi prænotasse memini, difficillimis Justinæ persecutionis temporibus appr.me convenire videntur; quæ quidem Arianorum impunita vexatio compressa est ante annum 389 quo Valentinianus Junior una cum Theodosio, extincto Maximo tyranno, Mediolanum reversus est. Quod autem hi tres sermones eodem anno habiti sint, ex eorum nexu colligationeque patet. Quoto vero anni tempori iidem illi assignandi sint, multo minoris difficultatis res est. Dubitari enim vix potest, eosdem Ambrosium habuisse feriis Paschalibus. Enim vero quod dicit primo sermone, eos aliquos, qui Deo ipso devotionis professione jam proximi deputati sunt cœlo (*b*); et clarius in tertio, qui pompis et mundi voluptatibus abjectis, meliori concursu ad cœlum transitum fecerant, quique ab omni facie contagionis antiquæ per regenerationem salutaris lavacri purgati, et per baptismum mortui natalibus mundi, nobilitati per gratiam nati sunt cœlo (*c*); id quidem significare videtur, verba ad plebem fieri, quæ jam baptisma, ad quod nonnisi in pervigilio Paschæ admittebatur, receperat. Huc etiam addi potest, illic S. doctorem de ineffabili incarnationis mysterio clarissime loqui (*d*), quod studiosissime tunc temporis nondum baptizatis celebrant antistites; simulque explicari accepti jam sacramenti baptismatis effectus (*e*); atque auditores hortari, ne cum sæculo, cui in die redemptionis, id est baptismatis, quo consignati fuerant Spiritui sancto, vale dixerant, ullam in posterum societatem inirent, quia veterem hominem spoliati et Christo commortui, eo scilicet die novum hominem induti, cum ipso revixerant (*f*). Verum si quis id non satis clare ex prioris sermonis contextu evinci putat, eo quod relata verba ad catechumenos et competentes commode referri queant, ei non obsistam; et si in hac sententia primum sermonem ac alterum ad præcedentem Quadragesimam; qua quotidiano sermone catechumenos et competentes docebat Ambrosius, remittere malit, non repugnabo. Haud me latet S. Ambrosium baptizandos ad terrestrium rerum contemptum præcipue adhortatum fuisse : sed æque scio, illos post susceptum baptisma in iisdem moralibus præceptis, quæ se docente jam didicerant, novis concionibus confirmasse. Profecto sermones, quibus constant libri *de Fuga sæculi*, et *de Jacob et Vita beata*, ubi potissimum de hujus mundi rebus abdicandis agitur, ad recens baptizatos habuit Ambrosius, ut scite eruditi Maurini demonstrant (*g*).

X. *De horum sermonum doctrina.* — Non est vero cur, qui nunc prodeunt, sermones laudem; nam ipsi se, ut auguror, eruditis pilsque lectoribus commendabunt. Quod autem in eorum præsertim primo ac secundo Ambrosius evangelicis verbis doceat, Christianorum esse omnia sua bona relinquere, et pro Christo pauperibus distribuere, atque sese prorsus divinæ providentiæ committere; non ita stricte intelligendum est, ac si præceptum illud absque dispendio æternæ salutis a quovis præteriri non possit; sed ab eo observari et adimpleri illud quidem oportere, qui ad supremum gradum evangelicæ perfectionis pervenire contendat. Profecto nullus, quidquid heterodoxi neoterici blaterent, hanc distinctionem antiquissimam, et in Ambrosianis scriptis reperiri, ibit inficias, qui saltem legerit cap. 11, lib. I de Officiis,

(*a*) Serm. 1, § 5, et Serm. 3, § 11.
(*b*) Ibid. § 1.
(*c*) Serm. 3, §§ 4, 6 et 10.
(*d*) Ibid. §§ 3, 4 et 10.
(*e*) Ibid., §§ 9 et 10.
(*f*) Ibid., §§ modo citat.
(*g*) In admonitionib. prævüs.

Digitized by Google

ubi apertissime ait (*a*) : « Officium autem omne aut *medium*, aut *perfectum* est, quod æque Scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus etenim in Evangelio dixisse Dominum : *Si vis in vitam æternam venire, serva mandata. Dixit ille : Quæ? Jesus autem dixit illi : Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices : honora patrem et matrem : et diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XIX, 17, 18, 19). Hæc sunt *media* officia, quibus aliquid deest. Denique dicit illi adolescens : *Omnia hæc custodivi a juventute mea quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia bona tua, et da pauperibus : et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me* (*Ibid.*, 20 *et* 21).... Hoc est igitur *perfectum* officium. » *Media* igitur præcepta christicolis omnibus ut adimpleant, perfectionis tantum studiosioribus præcepta *perfecta* ut amplectantur, suadet Ambrosius. Quæ ut ita sint, idem Ambrosius in primo sermone declarat, dicens quod « Dominus in Evangelio perfectis et consummatis volens esse consultum, omnia quæ possiderent vendi censuit et impendi (*b*). » Non ergo omnibus, sed *perfectis* duntaxat et *consummatis* Dominus suas omnes facultates vendere et in pauperes erogare mandavit. Et hæc satis dicta ad obstruendum hæreticorum, incredulorum ac pseudo politicorum os, qui etiam hac nostra miserrima ætate, ob rigida ethices Christianæ dogmata a Patribus summo consensu tradita, quæ nulla adhibita distinctione ad cunctos fideles necessario extendi dictitant, tam falso quam impie nostram sanctissimam religionem *anti-socialem* esse pronuntiant (*c*).

XI. *De partitione, et notis editoris.* — Unum adhuc est quod paucis verbis attingam, nimirum quod in his vulgandis sermonibus præstiti. Eorum enim textus in codice continuata oratione ad finem usque pervenit, et nullam ideirco paragraphorum distinctionem exhibet; quam tamen, cum ego a majoribus nostris, invitis etiam codicibus, frequentatam viderim, hujusmodi morem retinendum esse censui, præsertim in legentium commoditatem. Reficitur quippe lectoris animus, ut sicubi Augustinus ait, de via fessus novo titulo, sicut animus viatoris hospitio. Recte igitur Rutilius C. Novatianus cecinit, ad Venerium Rufum scribens, in suo *Itiner.* (*d*).

Intervallá viæ fessis præstare videtur
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.

Sermonum autem textui nonnulla scholia subjicio, quæ prima ad codicis varietatem, ad ejusdem emendationem, ad grammaticam et palæographiam pertinent; aliaque deinde propono, ut quæ loca parallela in Ambrosianis scriptis reperiantur fere intento digito monstrem; nec postremo notas biblicas comparativas cum iisdem sacræ Scripturæ locis omitto, quibus Ambrosius in suis hucusque vulgatis operibus utitur, aut, si illis careant Ambrosiana scripta, cæteri usi sunt Patres, qui vel Ambrosio suppares, vel haud procul ab Ambrosiana ætate floruerunt; adeo ut ex his omnibus tam intrinsecis argumentis, nimirum ex summo cum Ambrosianis scriptis consensu, quam extrinsecis, ex auctoritate scilicet et præstantia codicis, hos sermones Ambrosii Mediolanensis episcopi fetus esse genuinos, quisque compertum habeat, atque exploratum. Sed iis prælibatis, candidus et eruditus lector judicet; nam ecce sermones.

(*a*) Serm. 1, § 4.
(*b*) Tom. III, col. 13, num. 36 et 37.
(*c*) Ita Barbeyracus et Gibbonius doctrinæ moralî SS. Patrum insultant, quorum nuperrime instauravit errores opus cui titulus : *Du jesuitisme ancien et moderne. Œuvres politiques de M. de Pradt, ancien archevêque de Malines, Treias. Edit. Paris*, 1828. *Vide*, si liceat, caput 5, *De la modification de l'action du christianisme par la civilisation*, pag. 48 et seqq. Hic liber multis sacrilegis futilibusque sententiis refertus est, quas hic operosius confutare non est.
(*d*) Lib. II, dist. 4.

SANCTI AMBROSI

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

TRES SERMONES.

SERMO PRIMUS.

DE PERFECTO.

1. Domini nostri Jesu Christi cæleste [b] præceptum est sacratissimis evangelicis apicibus [c] admonitum : « Vendite omnia quæ [d] possidetis, et date eleemósynam [d] (*Luc.* XII, 33). » Præsens sermo caret au-

[a] Notandum est *Ambrosi* vocabulum constanter in cod. cum una *i* scriptum vetusta orthographia.

[b] Una tantum diphthongo *æ* utitur librarius noster, quam absque nexu scribit more veterum. De hujus diphthongi antiquitate late agunt Sirmondus epist. a Sarrav., Conringius cens. dipl. Lindav. p. 516, et Casleius Bib. Britann. t. V, p. 325. — Hanc orthographiam in edendo textu sequemur, ne manuscriptum propria specie frandemus; minime vero in notis, nisi cum Sessorianus ille citabitur codex. Edit.

[c] Hujusmodi intellectio haud infrequens est in Ambrosianis scriptis. Legatur, ex. gr., lib. III Hexaem., cap. 13, pag. 53. Venetæ edit., qua utor, an. 1748.

[d] Cod. *elemósyna*; fortasse superaddita fuit ultimæ *a* lineola pro *m*, ut frequenter veteres amanuenses usi sunt, sed modo non apparet : seu mavis prorsus *m* est omissa veterum more, qui *m* finalem elidebant; cujusmodi exempla in antiquis mss. non desunt, nec in hoc ipso codice desiderantur. Infra tamen recte scribitur *elemósynam*; at constanter cum una *e*.

In nova Latina Vulgata omittitur *omnia* post *Vendite*; sed Ambrosius tum Veteris, cum Novi Testamenti versionem usurpat, quæ a nostra haud paullulum recedit. Porro Ambrosius dum locum parallelum

Digitized by Google

bagibus, et nihil relinquit incertum aut obscuritate perplexum : ubi aperta veritate di tractio possessionis indicitur, et pretii [a] praerogatio [b] non tacetur [1]. « Vendite, inquit, omnia quae pos idetis, et date elemosynam [2]. » Occupatos caelestibus officiis mundanae possessionis cura [c] molestiaque n on patitur implicari [d]; et Deo ipsa devotionis professione iam proximos, uel potius mentis sinceritate [e] Christo coniunctos [f] cura sollicitudineque [g] saecularis possessionis absolvit; omnem operis tui cursum omnemque cogitationis tuae motum eripit mundo, quem deputare dignatus est caelo [h]. Inde namque est et ill'ut [i] quod aperte demandat [j] : « Nolite cogitare, dicentes : Quid A edemus [k], aut quid uestiemur (*Matth.* VI, 31)? [3] Et nolite cogitare de crastino [l] (*Ibid.*, 34). » Ut ea quae demandauerat, remotis omnibus cogitationis angoribus, impleri [l] facile potuissent : « Vendite, inquit, omnia quae possidetis, et date elemosynam. » Amputauit omnem callidae cupiditatis excusationem, qui nihil relinqui cogitare iubet in crastinum, qui praecepit praerogari [m] omnem substantiae quantitatem [4].

II. Sed praemissa repetamus disputatione [n] conlustranda [o] « Nolite, inquit, cogitare, dicentes : Quid edemus, aut quid uestiemur? Haec enim nationes [p] quaerunt. Scit autem Pater uester caelestis, quia horum omnium indigetis [5] (*Ibid.* 32). » Cogitatio diffi-

[a] Codex *praetii* cum diphthongo, quam expungere B *curam sollicitudinemque saecularis possessionis absolvit* (subintellige *vir perfectus*), id est *evincit*, seu *superat*; quo sensu hoc verbum *absolvit* usurpat Ambrosius in psal. XXXVII, 21, t. II : verum ex lectione quam retinui magis sententia fluere videbatur, ita ut *absolvit* pro *liberat* (scilicet *Deus*) positum sit, quomodo illud obtinet etiam in psal. XLV, 17.

[h] Hic et infra Ambrosius, quamvis ad plures verba faciat, singulariter pro suo more loqui ur. Hujusmodi exempla haud raro in Ambrosianis scriptis occurrunt. Vid. lib. de Fuga saeculi VI, 33, t. I, etc.

[i] Ita codex constanter pro *illud*.

[j] Subintellige *perfectis*, id est *perfectis injungit*. Verbum quidem *demando* pro *injungo* usurpat Livius t. V, 27 et VIII, 36. Verum in hoc sermone, in quo haec vox infra recurrit et pro *valde mando* videtur adhibita, quo sensu ea usus est Suetonius in Neron. c. 35, in Aug. c. 10, et in Cas. c. 83.

[k] Cod. *edamus*; scrip i tamen *edemus*, cum et inferius hanc lectionem codex retineat. C

[l] Ita codex per *m*, quam semper in hoc vocabulo scribit.

[m] Vide supra not. *f*, p. 1 (*Hujus pag. not.* [b]).

[n] Vox *disputatio* frequenter apud Ambrosium idem significat, quod *tractatio*, seu *praedicatio evangelica* : ita editores Benedictini, t. II, p. 1040, not. *d*.

[o] Ita codex vetusta et quidem recta scriptura pro *collustranda*; λαβδακισμός enim proprium Afrorum fuit, teste Isidoro Orig. I. 32.

[p] *Natio* viliori sensu e Graeca consuetudine. Vid. Suidam ad vocem ἔθνος.

[a] Codex *praetii* cum diphthongo, quam expungere mallem, cum grammatici in hac voce illam prorsus excludant.

[b] *Praerogatio*, seu a *prae* et *erogatio*, id est *diligens contatio*, seu potius a verbo *praerogare* pro *ante aliquid facere*, juxta illud Suetonii in Aug. c. 53, *praerogare sententias*, et Ulpiani I. *sed addes* ff. *loc. et cond.*, ubi *praerogare pensionem*. Reapse Ulpiani aliorumque jurisconsultorum locutionibus non semel Ambrosius utitur, ut saepe ipsi nos monuerunt Maurini, et saltem videre est in notis t. II, p. 386 et t. III, p. 917. Eadem dic de voce supra recitata *distractio*, quae aeque juridica est pro *venditio*. Ulpian. ff. 14, 3, 8, a med., et 2, 15, 8, cir. med.

[c] Cod. *curam*, manif sto me do.

[d] Ita codex serva a praepositione *in*. De his aliisque similibus p aepositionibus, quas semp r, si pauca verba excipias, retinet codex noster, videsis apud Putschium orthographos veteres.

[e] In cod. *sinceritatem*. Sane littera *m* abundat.

[f] Cod. *coniunctus*; sed *coniunctos* scribere malui ; ita enim antecedentia vocabula casu accusandi *occupatos*... *proximos* prorsus postulare videntur. Litteras *o* et *u* passim in antiquis c dd. immutatas, et conversas invenimus.

[g] Cod. *curam sollicitudinemque*. In utraque voce *m* expungere censui; nam plura immutanda forent, si illa retinerentur, prout jacent in codice. Etenim si quis codicis lectionem forte probare mavult, legat oportet : *et Deo ipsa devotionis professione jam proximus, vel potius mentis sinceritate Christo coniunctus*

allegat Matth. XIX, 21, constanter post *v nde* addit *omnia*, et si etiam ibidem hac voce careat nostra Vulgata. Ita sane legere est lib. I de Abrah., cap. 3, pag. 12; de Nabuth. Jezrael. cap. 14, pag. 58; in ps. CXVIII serm. 7, 9; lib. VII in Lucam, 196, et alibi. Quod attinet ad illud Lucae modo cit., observandum est quod in Ambrosianis operibus hactenus editis minime occurrit; quare eo testimonio, aliisque infra D laudandis, Ambrosii versio ditari potest, quam una cum caeteris SS. Patrum versionibus collegit cl. Sabatier, et in scholiis suae veterum biblicorum Collectionis summa utilitate ac labore congessit. Profecto hanc pretiosissimam collectionem plus quadringentis versiculis supplet, et auget Sessorianus codex antiquissimus, quem Deo favente quantocius vulgaturi sumus.

[1] Ea Ambrosii de perfectione sententiam, quam ipse secutus temporalia bona sua omnia abdicavit, et vel egenis distribuit, vel tribuit Ecclesiae; ut ex ejusdem Vita exploratum est, ac undique ex ejus scriptis promicat. Siquidem *haec enim est*, scribit lib. I de excessu Satyr., n. 60, *summa justitia, vendere quae habeas, et conferre pauperibus*. Qui *enim* dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in aeternum (Ps. CXI, 9) : *ergo dispensatores nos, non haeredes reliquit; nam haeredibus successori quaeritur, dispensatio pauperibus obliga ur*. Consonat sibi S. doc or epist. 7, pag. 15. t. III, ubi, *Scriptum est*, ait Matth. XIX, 21, *non mi didiscami dimidium, si tamen vis pe fectus esse De : offeras : sed ut omnia tua vendas, et des pauperibus*. Paria leges lib. I de Offic. cap. 30, 6; lib. de Vid. c. 27 et seqq., ac epist. 26, pag. 6, t. III.

[2] Eleemosynam passim commendat in suis concionibus Mediolanensis antistes, et praesertim in psal. CXVIII serm. 8, 22; serm. 12, 24; lib. VII in Luc., 245 et seq., t. II; atque epist. 2, 26, t. III.

[3] H. L., qui haud legitur in Ambrosio scriptis assertis, ita habet S. Cyprianus lib. de Orat. Dom., col. 210; de Oper. et Eleem., col. 240; et lib. III, Testimonior., col. 307, additis tamen cum Vulgata, *aut quid bibemus*, quae auctor. reg. cleric. apud Augustinum omittit. t. I, col. 39.

[4] S. Augustinus Ambrosii nostri discipulus, quem ad sui magistri scripta saepe respexisse notant Maurini t. III oper. S. Ambr., col. 995, ita h. l. allegat lib. II de Serm. Dom. in m., t. III, col. 222, et lib. de Mend., col. 437, nec non lib. cont. Adim., t. VIII, col. 115.

[5] Recole annotata supra pag. 1, not. 2 (*Hujus pag. not.* [1]), et simulia fere legesis in psal. CXVIII serm. 8, 9, et serm. 21, 18, t. II.

[6] Hoc testimonium, quo carent scripta Ambrosiana, ita reperitur citatum apud S. Cyprianum lib. de Or. Dom., col. 210 et lib. de Oper. et Eleem., col.

Digitized by Google

dentiae diuinae professionis in te perimit fide n : et dum metuis [a], ne quit [b] desit in alterum diem, necesse est dubites de promissis; manus deinde retrahis ab operibus iustis : atque ita fit, ut infirma cogitatione detentus, a bono opere desistas, et desistens a bono oper', religionis ac diuinum nomen amittas, et ipsa imbecillita is [c] tuae perfidia [d] aethnicis incredulis conparatus [d], incredulitatis detestabile nomen, et stultitiae uocabulum gentilitatis incurras [e]. Christianorum est enim spe fidissima futura cogitare [f], et gentilium desperata, perfidia praesentia quaerere [g], dicente Christo : « Nolite cogitare, dicentes : Quid edemus, aut quid uestiemur? Haec enim gentes quaerunt. » Et adiecit : « Scit autem Pater uester caelestis, quia horum omnium indigetis. »

III. Condicionis [f] nostrae necessitatis [s] caelesti Patri [h] notitiam latere non posse diuinus sermo commonuit, et eius prouidentia procurationeque nobis omnia adponi [i] demandat; si nos iustitiae operibus inhaerentes, et regni caelestis inquisitione detentos nulla aerumnarum praesentium sollicitudo compungat [j], dicens : « Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius; et omnia adponentur uobis [s] (*Ibid.* 33). » Deditos iustitiae ac pietatis officiis, et caelestibus exercitationibus occupatos tutos facit de omnibus, et securos : ut non auoceris a notitia genitoris, non a cognitione unigeniti distraharis, nec a dono sancti Spiritus professioneque desistas; non aberres a meditatione praecepti, non ab spe promissi, non a fide crediti, non a dilectione proximi, non a perfectione mandati [t], de quo Moyses (*Deut.* VI, 6, 8) monet, ut cordi nostro semper insidat, semper conspectui adsistat, meditatione membris omnibus uinculatum [k] sensibus nostris semper inhaereat [l]. De hoc Dauid : « Cantabiles mihi erunt *semper* iustificationes tuae *Domine* [s] (*Psal.* CXVIII, 54). » Et iterum : « In lege Domini fuit uoluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte [s] (*Psal.* I, 2). » Et alibi scribtum [l] est : « Non recedat liber legis huius de manu tua; et meditaberis in eo die ac nocte [10] (*Jos.* I, 8). » Similiter Apostolus hortatur et

[a] Cod., *metuit*, sed *metuis* legendum verba sequentia in secunda persona *dubites* ... *retrahis* ... *desistas* planum faciunt.

[b] Ita cod., fortassis quia sequitur *d*. Nimirum *t* ante *d* uno eodemque sono apud veteres efferebatur.

[c] Ita per *n*.

[d] Cod. hic et alibi in hujusmodi vocibus servat *con*.

[e] Codex *incurrat*, sed quidem mendose.

[f] Ita cod. *ci* pro *ti*, cujusmodi exempla et infra recurrunt, et antiqui codd. passim suppetunt.

[g] In cod. *necessitatem*; sed correxi *necessitatis* : ita enim sensus postulare videtur.

[h] Cod. *caelestis Patris*, sed emendandum prorsus fuit *caelesti Patri*.

[i] Ita cod. semper retinet præpositionem *ad*.

[j] Cod. *conpugnat*, quæ prorsus manifesta metathesis videbatur pro *conpungat*.

[k] In cod. *uinculatus*, sed *uinculatum* scribendum putavi, ut neutro *mandato* concordet.

[l] Ita cod. per *b* ut infra recursitat, et in antiquis codd. frequenter occurrit. Vide apud Maium Cicer. antiqu. interpretem XV, 2, in Vatinium t. II, p. 185, edit. Rom. 1828.

240, omissa tamen voce *caelestis*, quam retinet apud Sabatier mss. Claromont. Notandum est infra in h. eodem l. legi *gentes* loco *nationes*, prout habet etiam auct. Oper. Imp. in Matth. homil. 16.

[f] Frequenter hac voce utitur S. Ambrosius, ut culpam notet infidelitatis. Vide infra, et t. I, col. 659, n. 41, ac tom. III, col. 106, et 961, nn. 82 et 110.

[s] Haud absimilia sanctus antistes habet lib. de Isaac et Anima I, 1; de interpell. David lib. II, c. 3, 12, t. I; in ps. XXXVI, 79, et XXXVII, 2, t. II; ac epist. 55 14, t. III.

[s] *Couler* in psalmis cit.

[t] Viros perfectos nullis unquam sæculi perturbationibus compungi, nullis mundi cupiditatibus exagitari monet etiam Ambrosius lib. I de Jacob. 8, 35; lib. II, c. 6, 28; lib. II de Cain et Abel 2, 8; lib. de Fuga sæc. IV, 17, t. I, atque lib. I de Officiis, 38, 200, t. II.

[s] Ita Augustinus serm. 57, t. V, col. 337, et tract. 122 in Joan. XXII, col. 811, t. III, atque apud eumd. auctor. oper. Reg. Cleric. t. I, col. 59, addito tamen *haec* ante *omnia*. Ambrosius vero lib. I de Cain et Abel, 4, 12, t. I, habet : *Quæri e regnum Dei : et ecce omnia præsto sunt vobis;* lib. VII in Luc., 130, t. II : *Quærite regnum Dei : et hæc omnia adjicientur vobis;* sed in lib. de Exhort. virginit. 9, 56, t. III : *et ecce omnia suppetent vobis.* Hac diversitate lectionum, de qua non abs re fuerit hic quædam notasse, nullus nostri sermonis Ambrosiani fidem labefactare contendat; quia ut scite scribit Nat. Alexander (Hist. Eccles. sæc. IV, p. I, § 2, pag. 503) *ex operum S. Ambrosii lectione constat, eum non iisdem semper verbis eosdem Scripturæ sacræ locos laudasse.* Et re quidem vera, aiunt Maurini in præf. ad lib. de Sacram., col. 432, t. III, *cum sine magna præparatione auctorem hunc nostrum dixisse non sit dubium, neutiquam sane mirum videri, si Scripturam non semper suis, sed iis, quæ illi ex tempore suggessit memoria, verbis citarit.* Huic contrariam haud me latet Ansaldium tenuisse sententiam in opere, cui titulum fecit : *De authenticis sacrarum Scripturarum apud SS. Patres lectionibus*, et Veronæ vulgavit an. 1747. Verum, nisi plures authenticas versiones biblicas eumdem Patrem eodem tempore habuisse probetur, procul dubio si Ansaldiano præjudicio per omnia Patrum scripta a capite ad calcem crisis exerceatur, vix unum reperietur, quod ejusdem Patris genuinum fetum dicamus, cum vix unum reperiamus, quod constanter eisdem verbis alleget eosdem sacræ Scripturæ locos.

[s] In simili sententia dicit Ambrosius lib. I de Abraham 2, 9, t. I, scribens : *Is qui Deum sequitur tutus semper est. Et ideo Deum præferre debemus omnibus; nec patriæ contuitus, nec parentum filiorumque gratia, nec uxoris contemplatio nos revocare debet ab exercitione præceptorum cælestium; quia Deus nobis omnia illa largitur, et potens est servare, quæ donat.* Conf. etiam lib. II, c. 5, 21, t. c.

[s] Hæc eadem fere occurrunt in psal. I, 30, et CXVIII; serm. 19, 31 et seq., quibus etiam in locis tum illo Deut. supra cit., cum Moysis auctoritate usus est S. doctor. Consule et in psal. XXXVI, 65, t. II.

[s] Ita h. l. refert Ambrosius in ps. CXVIII serm. 7, 25, omissis tamen verbis *semper* in medio, et *Domine* in fine, quæ non ut ad Scripturæ textum spectantia, sed ut argumento serviat suo, hic mihi adjecisse videtur; vult enim sanctus antistes nos *semper* Dei legis meditationi vacare semperque in justificationibus delectari, quæ cujus sint, cum ex detruncato psalmi versiculo non appareat, addidit utique *Domine*.

[s] Ad verbum h. l. citat Ambrosius in psal. I, 30, t. II.

[10] Ita antiqua versio apud Sabat., præter *ex o e tuo* loco *de manu tua*. At *de manu tua* habet Cassiodorius in psalm. VI, col. 29 quocum Ambrosium legisse hic sermo suadet.

Digitized by Google

monet, ad Timotheum scribens : « Haec meditare, in his esto : ut profectus tuus adpareat omnibus [1] (I *Timoth.* IV, 15). »

IV. Voluntas religiosi hominis caelestibus legibus detenta, et diuinae iustificationis meditationibus diebus ac noctibus occupata non habet uacuum tempus, quo saeculum cogitet, quo possessionem curet, exornet urbana praedia, rusticationis disciplinam excolat, redditus supputet, inpensa discutiat [2]. Si enim istut arripuerit, illut deserit, secundum quod Dominicus sermo promisit : « Nemo ponens manum in aratrum (hoc est caelesti operationi, et Dominicae crucis signo [a 3]) retro respiciens, aptus est in regno Dei [b] (*Lucae* IX, 62). » Non enim potest utrumque peragere quod sibi inimicum est ratione, ueritate diuersum, et aemulum uoluntate. Hoc enim saeculum cogitat, illut caelum exoptat; hoc rationibus mundanis insistit, illut diuinis orationibus, et meditationibus uacat. Denique ut dicta rebus adprobem, et sermonis mei adsertionem operibus firmem, utar exemplo [4]. Si tibi gestanti diuinum librum in manibus, et oculis apices carpenti pari ac legenti, diuinaque praecepta sensibus commendanti [c] rationum libri, uel conparatae possessionis tabulae forte tradantur, necesse est, ut abicias [c] librum diuinae legis, quem gestabas in manibus, ut rationum saecularium scripta accipias perlegenda; atque ita fit, ut diuinis libris mundanas praeferens rationes, praecepti contemptor existas, quo crebris admonitionibus intimatur, ne liber manibus desit, ne corde eius meditatio conquiescat [5]. Et ideo Dominus in Euangelio perfectis, et consummatis uolens esse consultum, omnia quae possiderent uendi censuit, et inpendi [6]: nulla ut ratione ab eius possint dilectu [d] dinelli, uel meditatione auocari [7]. Inde est quod necessitatem ipsam mortalium, id est uestitum, uictum et potum cogitari prohibuit : et a se omnia perficientibus promisit adponi [8]; ut nulla necessitate, sicuti saepe iam dictum est, a commercio diuini operis retarderis; nulla ut te anni sterilitas turbet; nulla frugum inopia ariditasque camporum, nec olearum uinearumque fallentes fructus exerucient; non pecorum morientium damna concutiant [9].

V. Maneat libera inconcussaque deuotio, ut Dei sui et Domini Christi dilectione possessa hymnis resonet, orationibus uacet, ieiuniis ac uigiliis insistat [11], et in propheticum illut canticum congrue et competenter abrumpat : « Ficus non afferet fructus, non erunt nascentia in uineis. Mentietur opus oliuae : campi non praestabunt escam. Deficient a pabulo oues : et non erunt in praesepibus boues [12]. Ego autem exultabo in Domino, et gaudebo in Deo Iesu meo. »

[a] Parenthesim hic suis signis ausus sum designare, ut lectores de parenthesi certiores facerem, ne Ambrosiana explicatio cum sacro textu confunderetur.

[b] Ita in cod. pro *compendanti* : etenim *n* ante *m* apud veteres orthographos sonabat ut *m*.

[c] Ita codex cum una i manifesta crasi, et in antiquis codd. frequentata.

[d] Ita cod. pro *delecto*, quam lectionem idcirco retinui, utpote quae sapit antiquitatem, et ita aeque recte scripta in antiquis ac optimae notae codd. frequentissime occurrit. Profecto illam in palimsesto Tulliano de Re publ. I, 35, p. 94, et in var. lect. Cicer. leg. 1, 6, legebat cl. Maius, qui etiam hac de re oper. cit. II, 32, n. *a*, p. 206, sapienter notabat : *Jam ne scripturas ejusmodi amanuensium arbitrio semper tribuamus, legendus est Aegroetius, qui differentias verborum a de et di incipientium tradit p.* 2267.

[1] Vulgata *manifestus sit* pro *adpareat*, et Vulgatae concinunt antiqua versio apud Sabat., atque Ambrosiastes. Graecus vero textus φανερὰ σου ἡ ἐν πᾶσιν, sed plures mss. delent *ἐν*.

[2] Similia leguntur in psal. CXVIII, serm. 15, 7, ubi Davidicae perfectionis praeposito exemplo, sic de illo ait : *Non saecularibus animus traducebatur illecebris; non pecuniaria coacervandi patrimonii cupiditate flagrabat; non proferendi limitis excludendique finitimi anxius curarum aestus studio meditationis intentum reflectebat affectum; quidquid poterat temporis dies habere, hoc totum sola sibi in lege meditatio vindicabat.*

[3] Id est vel proprie *crucis signo*, quem initio operationis cujusque familiarissimum fuisse priscis Christianis passim SS. Patres testantur, vel forte *baptismati*, quo plebs Ambrosii nuper fuerat initiata, seu initianda mox erat. Sane *baptismum* nomine *sacramento crucis* Ambrosium appellasse in psal. CXVIII, serm. 13, 6, t. II, putant Maurini. Vide ibid. notam col. 546, et infra. Ambrosius ejus verba hoc loco et alibi sacrae Scripturae verbis juxta suum morem intexit. Vid. saltem sup. cit. serm. de Basilicis n. 4, tradend., et sparsim.

[4] Ambrosius in psal. XLIII, 32, t. II, habet : *nemo mittens manum in aratrum respiciens retro, habilis est regno Dei*, et lib. VIII in Luc., n. 43, sic : *nemo mittens manum in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno caelorum.* Si ergo primo loco pro *habilis*, ut in secundo *aptus* legatur, addito *et* post *aratrum*, vel si secundi loci in fine ultima verba primi *regno Dei* pro *regno caelorum* ponantur, tertia nostri codicis ad verbum Ambrosiana lectio consurget.

[5] Passim utitur exemplis Ambrosius, quis vel suam explanet, vel confirmet sententiam, ut saltem videre est, si lubeat, in psal. CXVIII, serm. 8, 26, t. II; lib. de Myster. IX, 50, t. III.

[6] Sanctum nostrum antistitem frequenter in suis concionibus assiduam sacrae Scripturae lectionem fidelibus commendasse recte notant Benedictini editores col. 474, t. II oper. Id quippe et nos supra animadvertimus, ac vix volventi lib. II de Abrah., 5, 22, t. I, et in psal. praesertim I et CXVIII, perspectum erit omnino.

[7] *Vendidit justus*, scribit Ambrosius in psal. CXVIII, serm. 21, 18, *facultates quas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit.* Recole dicta pag. 1, not. 2 (*Col.* 111, n. 1).

[8] Parem sententiam in hoc argumento versans habet S. doctor in cit. psal. serm. 10, 29. *Discamus*, inquit, *ergo et nos in lege meditari, non avocemur saecularibus illecebris, non occupemur impedimentis; sed semper ad legem Dei simus adtenti.* Conf. annotata supra pag. 4, not. 2, et pag. 5, not. 3 (*Col.* 114, n. 7, *et hujus pag. n.* 1).

[9] Ambrosius illud Matth. VI, 33, expendens haud absimilia habet lib. VII in Luc., n. 130, t. II, ubi Dominus, ait, *nec ad praesens, nec in reliquum fidelibus ostendit gratiam defuturam; si modo qui divina desiderant, terrena non quaerant. Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant de regno. Novit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, restiat.*

[10] Conf. lib. I de Jacob et Vit. Beata, VII, 32, t. I, et in psal. CXVIII, serm. 8, 7, atque serm. 21, 18, tom. II.

[11] Legatur in psal. XLIII, 23, et CXVIII, serm. 7, 25-37, ubi similes dictiones, et sententiae sunt.

[12] Itidem Cyprianus epist. ad Demetriad., col. 232, exceptis *fructum* loco *fructus*, et *cibum* pro *escam*, atque bis addito *et*, scilicet post *fructum* et ante *campi*. Ambrosio nostro favet Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei, col. 515

Digitized by Google

tem in Domino exultabo, et gaudebo in Deo salutari meo [1] (*Hab.* III, 17, 18). » Gaudet semper et lætatur in Domino, qui mundanae possessionis oneribus abiectis, vel potius in fratrum inopia praerogatis, nec inminentibus, nec praesentibus plagis praestringitur. Non cum exactio tributaria necessitatis impulsat [2], non possessionis arua squalentia [a] non arbusta culturum desertione deformia : non cum sollicitat saeua grandinis caedes [b], non ubertas imbrium lonxa serenitate suspensa, non tempestatum vastitas crebra [3] : non ruina tectorum, non condicio languentium ac morientium proximorum sollicitudo discruciat, non seruorum fuga, non furtum.

VI. In tuto sunt, omnia quae ad caelum translata sunt [4] ; nulla calumnia inquietantur, nulla lite pulsentur, nullo detrimento saeculari deperemt, quae caelo praemissa sunt, quae Deo custode seruantur, dicente Domino Iesu Christo : « Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et aerugo exterminat [c] ; et ubi fures effodiunt, et furantur [5]. Thesaurizate autem vobis in caelo, ubi neque tinea, neque aerugo exterminat : et ubi fures non effodiunt et furantur [6]. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum [7] (*Matth.* VI, 19, 20, 21). » Huius praecepti exemplo apostolus Paulus Timotheum beatissimum monet, locupletibus huius saeculi praecipiendum : ut non extollantur pompa mundana, sed christianae humilitatis cefeitudine potiantur : neque saecularium divitiarum spe caduca fallantur, sed diuinarum [d] promissionum perpetuitatibus inuitentur [8]. « Divitibus, inquit, huius saeculi praecipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo uiuo, qui praestat nobis omnia abundare ad fruendum [9], benefaciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent [10], thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut adprehendant [e] veram uitam [11] (I *Tim.* VI, 17-19) (*a*). »

[a] Ita cod. cum unica *l*, quam lectionem retinendam esse putavi, quia hujusmodi mihi aliae se obtulerunt in antiquis, et optimae notae codd.

[b] Cod. *caedis*, quod prorsus mendum videtur ; nam *caedes* casu recto scribendum esse sensus docet. Vitiosae fortasse hujus scripturae causa fuit, quod veteres amanuenses litteras *e* et *i* indiscriminatim usurpahant. Sic obtinuit *sicet* pro *secet*, *Menerva* pro *Minerva*, et *Magester* pro *Magister*, etc., ut monet Fulgentius gallius *Instit. Diplom.* t. I, c. 6, 9, pag. 109 et seq. Consule laud. Ciceronis antiquum interpretem apud Maium pp. 107, 123, 134, 144, 147, etc.

[c] Hic et infra attente notandum verbum *extermino*, quo semper usus est S. Ambrosius in hoc sacrae Scripturae loco pro *demolior*, ut in Vulgata : ut hinc conjicias sermonem hunc vel Ambrosii forum esse genuinum, vel saltem Ambrosianam redolere aetatem. Siquidem verbum illud saeculo v e sacro textu expunxit S. Hieronymus, cujus haec sunt verba ad illud Matth. VI, 16 : *Verbum* exterminant, *quod in ecclesiasticis scripturis vitio interpretum tritum est, aliud multo significare, quam vulgo intelligitur* : exterminantur *quippe exules, qui mittuntur extra terminos. Pro hoc ergo sermone* demoliuntur *semper accipere debemus.* De hac voce ita Millius in prolegom. p. LI : *Sed et Latinis idoneis vocabulis annumeramus obsoleta, quae vulgo audiunt. Quae enim hoc nomine jam vilescunt vocabula, ea, cum haec conscripta essent, erant apud Christianos usus quotidiani. Talia sunt*, v. gr. exterminant VI, 16, 19, *quod in ecclesiasticis scripturis tritum agnoscit Hieronymus, utcunque illud improbet, ejusque loco reponat aliud multo horridius* demoliuntur.

[d] Cod. *diuinorum*, sed emendandum fuit *diuinarum*.

[e] In cod. *adprachendant* bona quidem scriptura cum *ad*, sed mendosa cum diphthongo. Error vero fluxisse videtur ex male intellecta notariorum sigla ; nam *p* superducta lineola tam *prae* quam *pre* apud illos significat.

[1] Ita Cyprianus loc. cit., quocum loc. pariter cit. Augustinus, omisso tamen *et* post *exultabo*.

[2] Virum perfectum nullis mundanis perturbationibus exagitari, praeter loca supra annot. pag. 3, not. 5 (*Col.* 113, n. [b]) passim docet Ambrosius, et praesertim l b. II de Cain et Abel, 2, 8 ; lib. I de Jacob et Vita beata, 7, 32, et 8, 35, ac lib. II, c. 6, 28, t. I, in psal. I, 34, et CXVIII, serm. 8, 7, t. II, nec non t. III, lib. I de Offic., 38, 200. Sic vero loquitur Ambrosius in psal. XXXVIII, 27, ubi inter saeculi incommoda etiam tributariam exactionem enumerat : *Noli propter divitias vana conturbari, excitari de somno, cogitare quemadmodum pecuniam tuam serves, opes tuas augeas, de nocte procedere, excubare ad judicis domum ; ut aliena diripias, litem moveas pauperi, vereatis exactorem tributi : vana est ista conturbatio.*

[3] Ambrosius evangelicam perfectionem se tantes sic a loquitur in persona apostoli Petri in psal. CXVIII, serm. 8, 7 : *Portio tua non ariditate siccatur, non imbre dilnitur, non frigore uritur, non tempestate quassatur.*

[4] Imperes esse per quos omne nostrum caelestibus infertur thesauris, seu in caelo collocatur, saepe in suis scriptis docet Ambrosius, et saltem consulendi sunt lib. de Nabut. Jezrael. XIV, 58, t. I, lib. II de Offic. ; XXVIII, 140, serm. de Basilic. non traden., n. 33, ac epist. 38, 7, t. III.

[5] Ita ad verbum Ambrosius lib. I de Spir. sanc., 16, 182, t. IV. In psal. vero CXVIII serm. 8, 8, t. II : *Nolite thesaurum vobis condere in terra*, et serm. 12, 2 : *Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi aerugo, et tinea exterminant.*

[6] Similiter Ambrosius l. c. de Spir. sanc., n. 185., omisso *autem*, et addito *thesauros* post *vobis*, quae tamen vox omittit in cit. psal. serm. 12, 2, ubi : *sed thesaurizate vobis in caelo.* Sibi discrepat autem serm. 8, 8, cit. psal., scribens : *sed thesaurum vobis condite in caelo.*

[7] Adamussim legit. lib. II de Jacob et Vit. beata, 5, 23, t. I, et lib. I de Spir. sanc., l. sup. cit.

[8] Mundanas pompas, et superbiam hujus mundi frequenter in suis scriptis detestatur Ambrosius, in quibus etiam saepe divitibus humilitatem commendat, et prae caelestibus terrestria quam pro nihilo habenda sint ob oculos ponit, v. gr. lib. de Abrah., de Isaac, de Bono mortis, praesertim capp. 5, 6 et 7, de Fuga saeculi maxime cap. 1 et 4, t. I, nec non in psalmis, et praecipue in XXXVIII, 36, et CXVII. se m. 4, 25 ; 5, 27 et 36, t. II.

[9] Ita h. l. allegat auct. epist. ad Demetriad., col. 41, Augustinus epist. 30, t. II, col. 383, ac alibi sparsim, Chromat. Aquil. in Matth. col. 988, Sedulius Hib. in I Timoth. VI, aliique, nisi excipias *abundanter* loco *abundare*.

[10] Iridem Augustinus epist. 157, t. II, col. 554, lib. I de Civ. Dei, c. 10, col. 11, t. VII, et lib. cont. Adim., t. VIII, col. 143, et alibi.

[11] Ambrosio nostro consonat Augustinus epist. 150, col. 582, t. II, et tract. 22 in Joan., t. III, col. 466, aliisque multis in locis.

(*a*) Ita hic sermo desit in codice, qui an mutilus sit judicent eruditi. Porro Sessorianus codex quin ullum praebeat indicium, quo sermo mutilus censeatur, id potius videtur excludere ; nam nullo spatio membranae vacuo relicto statim exhibet sermonem alterum, ad quem exscribendum festino.

Digitized by Google

SERMO II.

Adversus eos, qui dicunt possessionem non distrahendam, sed fructibus misericordiam faciendam.

I. *Iesu Christi salutare* [a] praeceptum est: « Vendite omnia quae possidetis, et date elemosynam [1] (*Luc.* XII, 33). » Dominici *magistri* [b] fides in promptu est, quae non solum distrahi [c] iussit; uerum etiam, quid de distracto fieret, demandauit [2]. Sed hanc fidem praui doctores friuolis ac futilibus uerbis infuscant; quos apostolus Paulus iam non caruis, sed quod peius [d] est, diuinis sermonibus adulteros [3] praedamnauit, dicendo: « Adulterantes uerbum Dei [4] (II *Cor.* II, 17). » Et iterum: « Nescitis quia qui templum Dei corrumpit, disperdet illum Deus? [5] (I *Cor.* III, 17). » Et illut quod in euangelio Christus Pharisaeos increpans memorauit, dicens: « Reiecitis mandata Dei, ut traditiones uestras statuatis [6] (*Marc.* VII, 9). »

II. Non est, inquiunt, distrahenda, sed retinenda possessio; et de eius reditibus misericordiae opera celebranda. Quid sub uestitu operis misericordiae A ardorem cupiditatemque habendae retinendaeque [e] possessionis obtegis? Quid inpietatis tuae flagitium sub uelamine pietatis obumbras? Quid Dominicum praeceptum, et ipsa sua puritate praeclarum, credentibus subtili eripis persuasione? Quid ficto simulatoque conloquio [f] religiosis denegas caeleste mandatum? Quid Dei seruulis [g] serpentino consilio paradisum intercludis, qui non introiens ipse, nerum etiam introire cupientibus regnorum caelestium claues abscondis? [7] Non es sapientior Christo nec maior, qui fieri iussit; non melior Paulo apostolo, qui perfecit. [8] Qui mox inluminatus [h] est gratia, non adquieuit carni et sanguini [9] in passionibus trepidis; non Hierosolymam conscendit, ut a praecedentibus Apostolis consilium sortiretur [10], quem de omnibus fidei B praeconiis instructum fecerat diuinum et caeleste conloquium [11]; non Ciliciam petit [i] propriam ciuitatem [12], hereditatem accipere [j] paternam, quam pro Christo pauperibus deseruerat; qui nec nobilitatem ipsam romani generis, de quo originem saanguinis duxerat [13], defensauit, [k] quam passione Dominica

[a] Rubrus suecus, quo haec prima verba in cod. scripta sunt, vetustate evanuit, et nonnisi ex litteris postremi vocabuli *tare*, atque caeterorum ex vestigiis, habita spatiorum ratione, sic potui supplere.

[b] Cariosa membrana hujus vocabuli litteras *ma* tantum servat illaesas, et nonnullos supernos tantum exhibet apices, ex quibus ego *magistri* interpretabar.

[c] Cf. Ulpian. de Transaction., Apul. lib. I; Sueton. in Vespas. XVI; Justin. IX, 1; Tacit. VI Ann., 17, et recole superius dicta not. *f*, pag. 1 (*Col.* 111, [b]).

[d] Haec quoque vox aegre in codice legitur, et perplexe *peius* scribo, quamvis hanc elocutionem comparativam Ambrosio familiarem esse sciam.

[e] Codex *habende retinendeque* sine diphthongo.

[f] Ita cod., ut supra et infra, *conloquium* cum unica *l* more veterum.

[g] Locutio familiaris Ambrosio. Vid. saltem Ser. de Basilic. non tradend., n. 30, p. 924, t. III, et passim.

[h] Ita in cod., bona et vetusta lectione, *inluminatus*.

[i] Ita cod. pro *petiit*, apud veteres librarios solita crasi.

[j] Hoc vocabulum in fine versiculi in monogramma coit, et ex evanidis characteribus vix expiscari potes.

[k] *Defensavit* frequent. a *defendo*, juxta illud Sall. Jug. 64; Plauti Bacch. 3, 3, 59, et Ovid. Metam. 374. Recte quidem hic Ambrosius verbum *defensavit* usurpat: Paulus enim non saepe suam Romani generis C nobilitatem defendit; sed semel pro suo civis Romani jure contendit (Actor. XXII, 25 et seqq.); quare proprie vereque dixit *non defensavit*, scilicet non frequenter defendit.

[1] Vide annotata in primo sermone pag. 1, not. 1 (*Col.* 109, *n.* [1]).

[2] Recole dicta l. c., not. 2 (*Nobis col.* 111, *n.* [1]).

[3] Etiam in Luc. VIII, 9, t. II, apostolica dictione *adulteri*, ait Ambrosius, *sunt omnes, qui adulterare cupiunt fidei, et sapientiae veritatem.*

[4] Ita Irenaeus, lib. IV, c. 26, col. 263, cui concinunt Hieronymus, et Beda in h. l. Graecus vero καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.

[5] Prima verba *Nescitis quia* ex superiore versiculo I Cor. III, 16, hic translata sunt; reliqua autem Augustinus lib. cont. Manichaeos, t. VIII, col. 179, sic legit: *Quisque templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus;* ubi addit: *Quod verbum metuentes multi Latini interpretes, noluerunt dicere* corrumpet; *sed dixerunt:* disperdet illum Deus; *et non deviantes a re ipsa, offensionem vocabuli deritarunt.... Sed Graecis exemplaribus convincuntur* (subintellige *Manichaei*) *in quibus apertissime scriptum est:* Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. » Graecus textus φθείρει.. φθερεῖ. Caeterum nullus S. Pater Latinus, praeter Augustinum et Hilarium, verbum *corrumpet* geminat; sed eorum plerique cum Ambrosio nostro *disperdet* secundo loco retinent.

[6] Itidem S. Cyprianus in epistolis 40, 63, 63 et 74, coll. 54, 108, 109, 118 et 139; sed singulari numero et praemisso *Reiicitis* loco *Reiecitis*. Similiter etiam Zeno Veron. lib. I, tr. 4, col. 12, cum Siricio epist. 4, exceptis *Reiicitis mandatum* pro *Reiecitis mandata*.

[7] S. Ambrosii aetate homines non defuisse, qui in evangelicae paupertatis consilium vehementer insurgerent, et illud profitentes valde contemnerent, multis ex locis hujus S. praesulis operum clarissime evincitur. Consule saltem in psal. CXVIII serm. 21, n. 18, ubi haec memorandá sunt verba: *Quoties ipsa beneficia crimini dantur? Quoties virtus opprobrio ducitur? Quoties ipsa ingrata est gratia? Vendidit justus facultates suas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit: contemnitur plerumque in ipsa Ecclesia, quia dives esse desivit, sicut scriptum est:* Si dederit vir omnes facultates suas in caritate, contemptu contemptus erit. *Cant.* VIII, 7. Ambrosii etiam epistola 58 in hoc argumento versatur. In ea sane S. doctor narrat Paulinum et Therasiam suas omnes facultates pro Christo abdicasse, atque in pauperes erogasse; idque quod turpe hominibus videbatur profanis, et futurum in contumeliam, bene recteque factum patriarcharum exemplis demonstrat. D

[8] Passim in suis scriptis Ambrosius S. Pauli apostoli exempla plebi suae imitanda proponit; quippe qui (S. Paulus), ut ait lib. de Virginit. 20, 130, *honore provocat, magisterio docet, invitat exemplo.*

[9] Hic illud ad Galat. I, 16, spectat Ambrosius.

[10] Ad cit. l. 17 Ambrosius respicit.

[11] Consule loc. cit. vers. 12.

[12] S. Paulum Tharso in Cilicia oriundum, ex historia res notissima est.

[13] Civitatis Romanae privilegio fruebatur Paulus, quo Tharsenses Augusti partibus faventes ad eodem imperatore donati sunt. Actor. XXII, 27 et 28.

Digitized by Google

nouerat detorpatam [1] : sed per Arabiae regionem [2], ut nomen illut uenerabile, quod fuerat persecutus iniuria, quod eloquentia oppugnauerat et Pharisaeorum inuidia, salutare esse ac diuinum fido praeconio mortalibus cunctis inferret. Quis igitur Paulo triumphis multiplicibus praedito similis adprobatur in gestis; qui se omnibus exerit saeculi uinclis [a] et pompis, et rite Dei famulus nuncupabitur; qui obtrectantibus inuidis perseueranter insistit Domini Christi praeceptis implendis, qui dixit : « Vendite omnia quae possidetis, et date elemosynam (*Luc.* XII, 33); et ecce uobis munda sunt omnia [3] (*Ibid.* XI, 41). »

III. In praecepto indicta distractio est, et de distracto dispensatio [b] exacta est. Deuotis purificatio mentis promittitur, sordium mundatis caeleste regnum est praeparatum. Rogo, quid quaeris amplius, aut quid relictum est, ni fallor, non facientibus famulis quod praecipitur, ut Deus faciat quod minatur? Qui et dixit : « Si in iniusto [4] mammona fideles non fuistis, quod est uerum, quis dabit uobis [5]? Et si in alieno [6] fideles non fuistis, quod est uestrum, quis credet uobis [7] (*Ibid.* XVI, 11, 12)? Et abibunt isti in

[a] Ita codex bona vetustaque orthographia pro *uinculis*; cujusmodi syncopas etiam usus est Tullius, ut advertit Cornutus p. 2288.

[b] Vid sup. not. 2, pag. 1 (*Col.* 111, *n.* 1) et seq., ubi similis dictio est in Ambrosiano loco recitato de Excess. Satyr. I, 60.

[c] Cod. *memorarit*; fortasse Archaicum est pro *memoraverit*; at *memoravit* ex sententia legendum malui.

[d] Cod. *prodeest* geminata *e*, cujusmodi exempla passim occurrunt in antiquis codd.; at cum infra hoc verbum per unicam *e* scribatur in cod., et hic illam

[1] Nimirum, quia Jesus Christus præsidis Romani auctoritate, ac Romanæ cohortis militibus cruci affixus est.

[2] Arabiæ regionem verbum Dei prædicando Paulum excursisse, ex Galat. I, 17, constat.

[3] Il. l. *Et ecce vobis munda sunt omnia*, iisdem verbis, sed non eodem modo legit Ambrosius in Luc. VII, 100. Sic enim : *et ecce omnia munda sunt vobis.*

[4] Mammonæ, ait Ambrosius l. c. in Luc., n. 221, *non justa potestas; sed injusta est servitus.*

[5] Similiter S. Cyprianus lib. de Oper. et Eleem., col. 240, et S. Augustinus lib. V Confess., t. I, Col. 127, si id exceperis in fine *quis dabit vobis*, cujus loco *quis credet vobis*. Legit cum codice Irenæus lib. II, c. 24, col. 169.

[6] S. Ambrosius in h. l. lib. VII in Luc., n. 216, scribit : *Alienæ nobis divitiæ sunt, quia præter naturam sunt; neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt.* Ibid. hoc testimonium expendens, illud eo explicat sensu, quo modo utitur in sermone. Sic enim ait n. 247 : *Argui igitur videntur Judæi et fraudis et avaritiæ. An ideo qui in facultatibus fideles non fuerunt, quas cum alienas scirent (communem enim ad usum fructus terrarum a Domino Deo datus est omnibus) debuerunt utique participare pauperibus.*

[7] Ita Ambrosius, l. c. n. 215, præter in fine *quis dabit vobis*, loco *quis credet vobis*. Utrum dicendum sit, hæc testimonia S. Ambrosium memoriter recitasse et postrema utriusque versiculi verba immutasse, an potius eadem inversio librarii oscitantiæ tribuenda sit, judicet lector.

[8] Ita ad verbum h. l. recitat S. Cyprianus lib. sup. cit., et lib. II ac III Testimonior., coll. 290, 305. Eidem concinit S. Augustinus in Joan. V, t. III, col. 443, uno excepto *ibunt* pro *abibunt*.

A ambustionem æternam; iusti autem in uitam æternam [8] (*Matth.* XXV, 46).»

SERMO III.

DE CARITATE.

Ex lectione S. Pauli apostoli contra malos, qui bonis invident.

I. Peractis perfectionis inspectisque muneribus [9], ad potiora eminentioraque Apostoli praeconia, sicut promisimus [10], procedamus [11]; qui nec mysterii notitiam, nec eloquentiae celsitudinem, nec misericordiae largam pietatem [12], nec fidei sublime meritum, nec martyrii fortem intrepidamque constantiam [13] prodesse posse memorauit [c]; si caritas fraterna eademque sincera defuerit. Quid enim prodest [d] sumptu [e] nutrias, quem perimas ferro? aut quid B iuuat [f] eum quibuscumque foueas alimentis, quem latronis odio prosequaris? Caret omnibus pietatis officiis, qui odiorum flammis accensus, persequitur in fratrem gratiam, uel diuina ope conlatam [g], uel laboribus ieiuniorum, uel adsiduitate orationum, uel nigiliarum instantia omnibusque uirtutum generibus conquisitam [14]. Caritas enim sine misericordia imperfecta est [15] : quia misericordia caritatis corporis

lectionem retinui.

[e] An particula *si* addenda est.

[f] Ita codex pro *iuvat* scribit *b* loco *u*, quæ scriptura frequentata est apud veteres orthographos. De harum litterarum promiscuo usu consulesis Putschium, pag. 2295, Terrasonium *Hist. de la Jurisprom.*, pp. 66 et seq., ac indicem orthographicum Frontonis cl. Maii.

[g] Cod. recta et antiqua lectione non geminat *l*, sed mendose scribit *conlata* pro *conlatam*.

C [9] Solemne morem suum hic servat Ambrosius, ut de quibus jam disseruerat superiori concione, eadem cum primum dixisset, memoraret, et quidem plerumque initio sermonis; cujusmodi exempla abunde Ambrosiana scripta suppeditant. Sufficiat tamen laudare libb. de Cain et Abel, de Bono mortis, de Fuga sæculi, de Joseph Patriarch., de Viduis, de Myster., de Incarnat., et de Excessu Satyri.

[10] Non modo quæ jam edisseruerat citare consuevit S. Antistes, verum etiam quæ pertexere cogitabat quandoque promisit. Confer saltem serm. de Basilic. non tradend., n. 24, p. 922, et ibid., n. *c*, t. III ac Prolog. in lib. II de Spir. Sancto, n. 12, t. IV.

[11] Haud absimilem transitionem in suis scriptis interdum usurpat Ambrosius. Vid. lib. I de Interpell. David, 1, 5, tom. I.

[12] In simili sententia dicit Ambrosius lib. II de Poenit., 9, 83, t. III : *Quid enim prodest collatio patrimonii sine gratia caritatis?*

[13] Confer epist. 78, 6 et 10, t. III.

D [14] Sic etiam lib. IV in Luc., n. 46, t. II, scribebat Ambrosius : *Frustra opem misericordiæ cœlestis exspectes, si alienæ fructibus virtutis invideas : aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit.*

[15] Perfectam caritatem haud unquam a misericordia esse disjunctam rursus docet Ambrosius lib. I de Pœnit., 11, 52, t. III, ubi : *Proximus*, inquit, *esse non potes, nisi facias misericordiam.* Hanc autem virtutem valde commendat sanctus doct. in ps. CXVIII serm. 8, 22 et seq.; lib. II in Luc., n. 27, t. II lib. I de Offic., 11, 38 et seq.; et lib. 3, 19, nec non epist. 7, 3, t. III.

Digitized by Google

membrum est; contra misericordia sine caritate nihil est [1]: quia emoritur omne membrum, quod ex solido corpore uel diuulsum fuerit uel abcissum. Est enim caritas apex quidam membrorum omnium retinens arcem [2], cui adcorporata [a] connexaque perdurant officia cuncta uirtutum [3]; sine qua omnium bonorum [b] merces aut languescit, aut deperit, dicente Apostolo : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, unum sum uelut aeramentum, aut cymbalum tinniens [4]. Et si habeam prophetiam [c], et nouerim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum [5]. Et si donauero omnes facultates meas, et distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero corpus meum urendum, ita ut glorier, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest [6] (I *Cor.* XIII, 1-3). »

II. Caritas omnium bonorum mater est, misericordiae principium, origo pietatis, fons benignitatis [7], caput [d] institiae [8], legis adimpletio, perfectio praeceptorum [9]. Sine hac una omnia aut debilitata corruunt [e], aut regno carent. Nam et propheticum sentire nihil est; et leue nosse mysteria; parum est fugare daemones [f]; omniaque uirtutum genera consummare, si caritas desit, inane est. Unde Dominus Christus sic ait : « Multi mihi dicunt in illa die : Domine, *Domine* [g], nonne in tuo nomine prophetauimus, et in nomine tuo daemonia exclusimus, et in nomine tuo uirtutes magnas fecimus? [10] Tunc dicam illis : Discedite a me, non uos noui, qui operamini iniquitatem [11] (*Matth.* VII, 22, 23). » Iniquitatis opera est, hominem homini uelle praeferri, fratrem inuidere fratri, alterum alteri non id uelle quod sibi : et cum [h] sit nobis una condicio naturalis [12], condicionem condicioni uelle praeponi [13].

III. Cum auctor nostrae salutis, naturae propriae diuinitatis conscius, mortalibus se cunctis mortalem exhibuit, et hominibus omnibus hominem praebuit, et quod maius est, condicionem [i] condicioni

[a] Id est *adjuncta*, ut legitur in Ammian. XVI, 8, et in Solin. XXXVII. Vocem *corporatus* pro *junctus* vel *in unum corpus cooptatus* usurpat etiam Ambrosius lib. III de Offic. 7, 50, t. III.

[b] In cod. post *bonorum* repetitur *omnium*, deinde punctis superne notatum expungitur.

[c] Cod. *prophetia*, nisi fortasse fuerit *a* lineola superaddita pro *m*, quae vetustate jam evanida aciem effugiat.

[d] In cod. *capud* loco *caput*, cum contra alibi vidimus *illut*, *istud*, pro *illud*, *istud*.

[e] Ita codex pro *corruunt* vetusta scriptura.

[f] Codex *demonas* quae vox prorsus cubat in mendis; nam *daemones* scribendum est, ut infra in hoc eodem cod. scribitur.

[g] Cod. *Domine* semel habet, sed cum in sacris litteris, quacunque versione utatur, hic *Domine* geminetur; hanc vocem mallem proinde credere librarii oscitantia omissam fuisse in cod., et addendam censui.

[h] Ita constanter codex *cum* per *c*, et non per *q* scribit, tam si tempus significet, quam si comitem vel causam. Vid. hac de re Quintilianus Instit. I, 7.

[i] Cod. *condicione*, at mihi *condicionem* legendum videbatur.

[1] Rerole dicta supra pag. 13, not. 4 *Col.* 122, n. [14]).

[2] Confer lib. II de Offic., 14, 66, t. III, ubi similis dictio est.

[3] Ambrosius lib. cit. de Offic., 7, 39 : *Prima ergo*, inquit, *ad commendationem nostri est caritas. Bonum est ergo testimonium habere de dilectione. Hinc nascitur fides... Similiter per fidem et caritatem perreniur.* Et epist. 41, 17 : *Ubi non est amor*, ait, *non est fides*, (intellige *vira*) *non est dilectio.* Hanc sententiam pergit S. doctor explicare in ep. 78, 9, scribens : *Ubi perfecta caritas, ibi omnis fides; sicut ubi perfecta caritas, ibi spes omnis... Ideo major, quia spem fidemque complectitur.* Rei meminit etiam lib. VII in Luc., n. 30, t. II.

[4] II. l., quo carent Ambrosiana scripta, nec Vulg. nec Graeco respondet; nam Graecus habet χαλκὸς ἠχῶν, et Vulg. legit *aes sonans.* Verum id confirmat, quod jam alibi annotavimus, Ambrosium usum esse diverso codice a Vulgata; et illud demonstrat, quod praenotarunt Maurini in psal. CXVIII serm. 8, 13, n. *a*, col. 449, t. II, et alibi, Ambrosianam scilicet Graecam editionem, ab iis quas nunc habemus, in multis discrepare. Sane est apud Sabat. ms. quidam Graecus, qui illud ἠχῶν omittit.

[5] Ita Ambrosius in ps. XLV, 9, et lib. VII in Luc., n. 176, t. II, praeter in fine *nihil mihi prodest* pro *nihil sum*, quae forsan verba huc e sequenti versiculo in codice translata sunt. Similiter in epist. 78, 6, sed ibi pro *si habeam* legit *si habuero* cum Vulgata.

[6] Ambrosio fere concinit ejus discipulus Augustinus serm. 130, t. V, col. 1349, exceptus *ut ardeam* pro *urendum*, et omissis *ita ut glorier.* Habet *ad comburendum* S. Pacianus ep. 2, p. 398 et rec. Solus vero S. Hieronymus lib. III in Epist. ad Galat., t. IV, col. 307, expuncto *ut ardeam*, legit *ut glorier*; quo in loco id ob similitudinem verbi *ardeam* et *glorier* apud Graecos καυθήσωμαι, et καυχήσωμαι factum putat. At re quidem vera haec duo verba simul in pervetustis Graecis exemplaribus olim legi, idem observat Hieronymus in Isaiae LVIII, t. III, col. 428, ubi scriptum reliquit : *Apostolus si etiam corpus suum tradat martyrio* ut ardeat, *sive* glorietur (*utrumque enim fertur in exemplaribus*) *absque Dei caritate... frustra se dicit sanguinem fundere.*

[7] Confer epist. 41, 17, t. III.

[8] Utique scribit Ambrosius in psal. CXVIII serm. 16, 45, t. II, *qui praecepta justitiae diligit, facit id a quo diligit.*

[9] Haud absimilia habet Ambrosius in psal. CXVIII serm. 5, 20, et 16, 44, nec non in epist. 78, 7.

[10] Ambrosius h. l. similiter legit in sup. cit. psalm. serm. 20, 47, praeter *ejecimus* loco *exclusimus.* Verbum autem *exclusimus* retinet S. Cyprianus lib. de Unit. Eccl., p. 199, et lib. III Testimonior., col. 314.

[11] In cit. psal. serm. 18, 25, h. l. Ambrosius sic recitat : *Discedite a me, qui operamini iniquitatem*, omissis *non novi vos.* Itidem serm. 20, 47, et in psal. XXXVI, 31, sed additis in fine *nescio vos.* Habet autem cum codice *non novi vos* Augustinus in psal. XXXIV, col. 238, t. IV; at eadem verba initio versiculi ponit. Nobiscum legit ad verbum S. Hieronymus in epist. ad Damas., col. 152, t. IV.

[12] Huic similem sententiam saepe in Ambrosianis scriptis reperies; et confer saltem in psal. CXVIII serm. 8, 14, t. II.

[13] Paria leges apud S. Ambrosium lib. X in Lucam, n. 50 et seq., atque lib. II de Offic. 27, 134, t. III.

Digitized by Google

subiecit, sui corporis formam in forma nostri corporis coaptauit [1]; ut hoc sacramento [2] celsitudinem humilitati, et humilitatem celsitudini coaequaret [3]; et ut in hoc consummaret patriam uoluntatem [4], qui dixit : « Non descendi de caelo, ut faciam uoluntatem meam; sed uoluntatem eius, qui me misit [5] (*Joan.* VI, 38). » Et iterum : « Filius hominis, inquit non uenit ministrari, sed ministrare [6] (*Matth.* XX, 28). » Et facile qui maiestatis celsitudine sequestrata [7] formam seruitutis accepit, dicente Apostolo : « Qui cum in forma Dei esset non rapinam [a] arbitratus est esse se aequalem Deo [7], sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens [8] (*Philip.* II, 6, 7). » Et illut : « Non omnis qui mihi dicit : Domine, *Domine* [9], intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est [9] (*Matth.* VII, 21). »

IV. Sed non prius uoluntatem Patris facere possumus, nisi quae sit ipsa uoluntas, ante noscamus. Voluntas ergo Dei est, auctore apostolo Paulo « Sanctificatio nostra [10] (*Thes.* IV, 3); » quos ab omni facie contagionis antiquae per regenerationem salutaris lauacri [11] hac nostra professione purgauit, qua in carnis infirmitate uenisse credimus Deum [12], qua natum ex uirgine confitemur, qua non negamus condicioni [13] fuisse subiectum, qua Christum crucifixum extollimus, praedicamus sepultum, et Dei gloria suscitatum [14]. Unde cum tantum nobis sola ex professione eius sanctificationis uideamus esse conlatum; ex hoc intellegere [d] possumus, quantum ex eius imitatione uoluntatisque peractae uel cognitae conferri poterit praemiorum : de qua nos sic docet Apostolus : « ut sciatis quae est uoluntas Dei, quod bonum, et quod placitum, et perfectum [15] (*Rom.* XII. 2). » Voluntas Dei est dilectio proximi frater, ut congaudeas fratri,

[a] Haec vox familiarissima fuit Ambrosio, eamque legesis lib. de Jacob. VII, 32, in psal. CXVIII serm. 7, 29, et in Luc. VI, 32, ac X, 56.

[b] Cod. *rapina*, at *rapinam* prorsus scribendum est. num fuerit ultimae *a* lineola pro *m* superadita, suspicor.

[c] Codex h. l. verbum *Domine* omittit, ut supra, quod nos congeminare ausi sumus. Vid. p. 15, n. *d* (*Col*, 124, *n.* 8),

[d] Ita codex *intellegere* pro *intelligere* recta bonaque lectione scribit ad priscae orthographiae normam.

[1] Ambrosius, ut adversus venenum Arianorum, qui sua tempestate Mediolani plurimum poterant, plebem suam communiret, passim in suis concionibus dogmatica documenta firmandae Verbi divinitati, et humanitati peridonea tradidit. Porro hujusce ineffabilis mysterii doctrinis sua omnia opera aspersit, et late egit de illo hb. de Incarnat. et de Fide, multaque dixit in psal. LXI, 5; CXVIII, serm. 14, 46; in Luc. X, 135, t. II, et epist, 46, 6, t. III, quibus in locis, ut hic facit, pro sua sententia tuenda illud ad Philip. II, 6, usurpat.

[2] Id est *mysterio*, quo sensu hac dictione familiariter usi sunt SS. Patres, quibuscum noster Ambrosius, ut sattem videre est lib. de Benedict. patriarch. XI, 48, t. I, et in Luc. VII, 28, t. II.

[3] Conf., praeter l. sup. cit. in psal. LXI, 4, CXVIII serm. 14, 20, t. II, etiam lib. II de Fide, 7, 56, lib. V, 109, t. III, et orat. de Obitu Theod., n. 27, t. IV.

[4] Haec eadem l. c. reperies, et insuper in ps. XXXVII, 5; ac CXVIII, serm. 18, 32; in Luc. X, 60, t. II, et in lib. II de Fide, 7, 52, atque alibi passim. Attente sunt haec notanda, quo hunc sermonem Ambrosianum probe exploratum habemus. Nempe Ambrosius hic de Christi divinitate, perfecta humanitate, corporis mortalitate, ejusque humilitate, et Patri obedientia simul dicit, atque in his versans illo ad Philipp. II, 6, utitur, prorsus ut in fere omnibus laudatis locis oper. solemne habuit.

[5] Ita Ambrosius lib. II de Fide, t. III, uno excepto initio *Ad hoc* pro *Non*, et posito *non* post *caelo*.

[6] Similiter scribit S. Antistes lib. I de Spir. Sanc., in prologo n. 11, t. IV, sed *non* verbo *venit* postponit.

[7] Adamussim h. l. recitat S. Ambrosius lib. de Joseph patriarch., 3, 14; lib. de Apolog. alt. David, 7, 39, t. I; et in psal. XXXV, 5, t. II, atque alibi.

[8] Ita ad verbum loc. cit.

[9] Nunquam S. doctor sibi consonat, dum in suis scriptis h. l. allegat. Sane in psal. CXVIII serm. 11, 40, t. II, legit : *Non quicunque dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*; et sup. ibid. : *Non enim quicunque dixerit : Domine, Domine, ipse intrabit in regnum cœlorum; sed qui voluntatem Dei fecerit*; at lib. I de Offic. 26, 125, t. III : *Non enim qui dixerit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit ea, quæ dico.* Demum in hb. III de Spir. Sanc., 17, 130, sic : *Non omnes qui dicunt mihi : Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum.*

[10] Vulgata et Patres *vestra* legunt loco *nostra*; sed hic Ambrosius sacris verbis loquitur, non illa recitat.

[11] Apostolicus dicendi modus pro *baptismo* (ad Titum III, 5) qui familiarissimus fuit antistiti nostro. Consule lib. II de Interpell. David, 4, 14, 9, 55, t. I; in psal. CXVIII serm. 22, 3, t. II, ac libros de Myster. et de Spir. Sanc., 10, 64, t. III et IV.

[12] Confer in psal. LXI, 5, t. II, et recole dicta supra (*Huj. pag. n.* [1]).

[13] Subintellige *humanas*, quo quidem sensu hanc vocem sparsim usurpat Ambrosius, ut, ex. gr., in Luc. X, 129, t. II, et in serm. cont. Auxent., n. 8, p. 916, t. III.

[14] Lege loc. cit. supra pag. 16, not. 1 (*Huj. pag. n.* [1]), et num. 3, ubi similes sententiæ sunt, et dictiones. Haec sunt attente notanda, quo magis magisque auctorem ad neophytos hunc sermonem habuisse noscatur. Siquidem haec eadem aut non absimili a verba olim ad neophytos in traditione symboli habuisse pontifices, Romani ordinis libelli, quos Caroli M. jussu de Baptismo scripserunt episcopi Odilbertus Mediolan., Leidradus Lugdunen., Amalarius Treviren. et Theodulphus Aurelianen., clarissime docent. Quibus modo accedit alter libellus de Baptismo, quem codex membraneus, saec. ut videtur IX, Sessorianae biblioth. exhibet, quemque ineditum censeo, et Alcuino referre non dubito. Sic enim ille fol. 163 recto : *Haec summa est fidei nostræ dilectissimi nobis, haec verba sunt symboli non sapientiæ humanæ sermone facta, sed rerae divinitatis ratione disposita; quibus comprehendis atque servandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hic Dei Patris et Filii una et æqualis pronuntiatur potestas; hic unigenitus Dei de Maria virgine, et de Spiritu Sancto secundum carnem natus ostenditur; hic ejusdem crucifixio, ac sepultura, et tertia die resurrectio prædicatur*, etc.

[15] Augustinus lib. XII Confess., t. I, coll. 229 et 230, et alibi, constanter h. l. sic allegat : *ad probandum vos quæ sit voluntas Dei, quod bonum, et beneplacitum, et perfectum.* Ambrosiaster in h. l., *ut probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum, et placitum, et perfectum est.* Huic accinit Hieronymus lib. I cont. Jovin., t. IV, col. 179. Vulgatae favet Cyprianus epist. 77, col. 159, et cum Vulgata ad verbum legunt Sedulius et Beda in h. l. Omnes vero pro *ut sciatis* legunt *ut probetis.* Grace. Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον.

Digitized by Google

ut non invideas meliori, inferiorem ut praeferas tibi [a], ut non admittas offensam, ut remittas admissam, ut honorificentia praecedas honorantes, ut dilectu [a] anteuenias diligentes, ut pro inimicis ores, ut cibes [b] aduersarios, ut non oderis persequentes [a] (*Rom.* XII, 9 *seqq.*). Sic et omnis uirtus decus efficitur, ornamentum, fides, perfectio, misericordia, martyrium, flammis corpus exustum; sic filii Dei efficimur, cum Patri caelesti operibus similamus [c] (*Rom.* VIII. 16, 17); sic Christo hereditario [d] iure coniungimur [a], cum bonis, ac malis bona largimur, cum aut obliuiscimur iniuriae [e] aut corde dimittimus retentatam [b], cum eminentiore dilectu pro amicis non solum nostra, sed et nosmetipsos impendimus; sic sancto Spiritu abundabimus, cuius et sumus, si omni mansuetudine, quae beniguitatis sunt, impleamus.

V. Inde Dominus Christus Apostolos ad ultionem inhospitum [a] Samaritanorum properantes monuit, dic-ns : « Nescitis cuius spiritus estis? [c] (*Luc.* IX, 55.) » utique [a] mansuetudinis : qui ab omnibus commotionibus alienus sit, qui nulla concutiatur iniuria, qui ab omnibus perturbationibus uacet, qui tranquillitate subnixus, mitis, benignus, lenis, et blandus est [a]; quem tertio uidit [f] Helias [g a], dicente Scriptura [b] : « Exies crastina die, et stabis ante conspectum Domini [i] : et ecce Dominus transiet, et ecce spiritus magnus, potens, comminuens montes, et conterens petras in conspectu Domini : et non in eo spiritu Dominus, et post spiritum i ter-emotus : et non in terremotu Dominus [a], et post terremotum [k] ignis : et non in igne [l] Dominus, et post ignem uox aurae tenuis : et in eo Dominus [a] (III *Reg.* XIX, 11, 12). » Sed hoc quod per sacramentum Helias uidere meruit, aperte propheta Eseias [m] Domino reuelante cognouit. « Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem, et mansuetum, et trementem uerba mea [a]? (*Isai.* LXVI, 2) » Sic et Samuhel [n] ille, ille

[a] Confer annotata supra pag. 6, not. *b* (*Col.* 115, *n.* [d]), et hic ut infra observa *dilectu* pro *delectu* scriptum bona et vetusta lectione, ut ad hanc vocem advertit Forcellinius.

[b] Ita codex cum aspirata duabus vocalibus interposita, quam lectionem, cum in priscis codd. occurrat, sollicitandam haud arbitror. De hac varietate exempla praebet Ciceronis interpres antiquus apud Maium, t. II, pp. 32, 54, 82, 84, 90, 102.

[c] *Similamus* pro *similes facimus* seu *adsimilamus*, subintellige *nos*. Quod verbum cum plerumque construatur cum casu accusandi, malebam, invito codice, scribere vel *adsimilamus*, vel *caelestis Patris opera similamus*; at inspecto antiquissimo Esdrae interprete, qui IV, VII, 44, habet : *similasti semini agricolae*, de dilecta emendatione haerebam, et codicis lectionem retinendam putabam.

[d] Cod. *hereditario* sine diphthongo, quam etiam in antiquis codd., invita prosodia et ipsa etymologia nominis, haec vox frequenter remittit.

[e] In cod. *iniuria* omissa *e*; nisi legendum sit *iniuriam*, ab amanuense elisa *m* in fine, vel pro ea litteram *a* lineola superaddita, quae tamen vix modo apparet, et ne vix quidem.

[f] Frequenter in suis scriptis adversus hoc pestiferum vitium, quod etiam in religiosiora corda pervadit, declamat S. Ambrosius, et praesertim lib. IV in Luc., n. 46, et VII. 23, t. II; ac lib. II de Offic., 30, 152, t. III; nec non epist. 29, 17.

[a] Similia habentur in psal. XXXVIII, 10; CXVIII, serm. 10, 3 et 41; serm. 15, 15 et seqq.; in Luc. VIII, 24, t. II; et lib. I de Offic. 48, 244 et seqq., t. III.

[a] Quippe Ambrosius ait epist. 75, 5, tom. III: *Caritas acquirit adoptionem, adoptio hereditatem.*

[a] Ambrosius lib. I de Offic., 11, 37, t. III, illud expendens Matth. XIX, 21, rursus ait : *Et supra ita est scriptum, ubi diligendos inimicos, et orandum dicit pro calumniantibus et persequentibus nos, et benedicere maledicentes : hoc nos facere debemus, si volumus perfecti esse, sicut Pater noster qui in caelo est, qui super bonos et malos solem jubet radios suos fundere, et pluvia et rore terras universorum sine ulla discretione pinguescere.* Tum alia in lib. de Joseph. patr., 1, 3, t. I; in psal. XXXVII, 45, t. II; atque in ep. 63, 83, t. III, et alibi huic loco valde simila sunt.

[a] Qui Christum utique in hospitium recipere noluerunt. Luc. IX, 55.

[a] Ita ad verbum h. l. recitat Ambrosius in Luc. VII, 60, tom. II, et lib. I de Pœnit, 16, 88, tom. III. Hujusce evangelici testimonii spectabili auctoritate plebi suae mansuetudinem commendat Ambrosius etiam in lib. cit. in Lucam.

[g] In cod. *videt*; at hic magis sententiae consonum videbatur lectio, quam ausus sum scribere; nam eadem sane melior, quamvis illa haud prorsus absurda sit. De promiscuo usu *i* pro *e* et vice versa recole dicta supra pag. 6, not. *b*, et 18, not. *a* (*Col.* 115, *n.* [d] *et huj. pag. n.* [a]) et infra.

[g] Ita cum aspirata in principio, ut constanter in antiquis codd. reperitur.

[h] Ita cod. *scribtura* per *b* loco *p*, ut supra *scribtum* vidimus pag. 4, not. *b* (*Col.* 114, *n.* [a]).

[i] Cod. post *ante conspectum Domini* addit : *et non in eo spiritu Dominus*; quae quidem verba abundant; et hic fortasse interseruit librarius noster, eo deceptus quod post similia verba *in conspectu Domini* eadem infra recurrant.

[j] Cod., *spiritu*, elisa *m* in fine.

[k] In cod. *terremotu* omissa *m* ut supra.

[l] Cod. *igni*.

[m] Ita constanter codex scribit pro *Esaias* vel *Isaias* vel potius *Iesaias*, quod factum vix dicerem a Graeco Ἡσαΐας; nam prisca orthographia *ai* per *ei* legebatur, ut monet Fumagallius *Inst. Dipl.* l. I, p. 1; VI, § 9, p. 105.

[n] Ita codex *Samuhel* cum *h* duabus vocalibus interposita.

[a] Hoc affirmantis adverbium familiarissimum Ambrosio fuisse, qui ejusdem vel leviter scripta volverit, inficias ibit nemo.

[a] Reapse inquit Ambrosius in psal. XXXVI, 22, t. II, *qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissentionis exagitat, non ira perturbat, non saevitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat.*

[a] Passim in suis scriptis Ambrosium de Eliae gestis esse locutum idem ipse fatetur lib. de Elia et Jejun., 3, 5. *Plurima enim*, inquit, *de Eliae gestis frequenti diversorum sermone digessimus.* Ad quem locum respicientes Benedictini editores in praefat. ad III et IV tom. scite annotarunt : *Si quidem enim nihil aliud vir sanctus his* (cit. verbis) *significat, nisi frequentem in libris suis gestorum Eliae fieri mentionem, vix quidquam erit, quod in hac parte videatur amissum.*

[a] Additis post *conspectum Domini* verbis *in monte* Graecus textus Ambrosianae lectioni favet.

[a] Simil ter legit vet. Iren. interp. IV, 20, col. 255, quocum Graecus, praeter *et* post *ignis*; at tam in cit. loc., quam in antiq. et nova Vulg. omittuntur ultima verba *et in eo Dominus* : quae forsan hic non veluti ex sacro fonte manantia, sed ut suae magis sententiae inserviat, Ambrosius addidisse vide ur.

[a] Itidem Ambrosius lib. IV Hexaem., 8, 49 et 75, tom. I, uno excepto *quietum* loco *mansuetum*; sed habet cum cod. *mansuetum* in orat. de Ob.tu. Theod., n. 55, tom. IV

Digitized by Google

Samuhel [a] sacerdos inlustris, praeclarissimos fratres specie consimiles, pares proceritate, uirtute non impares Domini praecepto reprobat et depellit, et Dauid eorum fratrem humilitate subiectum, mansuetudine infirmum, et tranquillitatis spiritu leniorem Domini praecepto unxit in regem [1]; unde ipse praecatus [b] ait : « Memento, *Domine* [c] Dauid, totius lenitatis eius [2] (*Psal.* CXXXI, 1). » Haec electio Dei mansit semper et manet, ut superbos obpugnet [d] et deprimat, et humiles foueat et extollat. Exaltatio haec sine humiliatione [e] non potest esse, nec electio sine reprobatione [f], nec uocatio sine discretione. Et ideo cum infirma et despecta et ultima diliguntur [3], quae summa et magna sunt reprobantur [4]; Deo enim magna infirma, et infirma sunt magna [5]. Docuit hoc apostolus Paulus, qui uocationem credentium demonstrauit ex hac electione descendere. « Videte, ait, uocationem uestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi fortes, non multi nobiles [6] : sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia [7]; et ignobilia huius mundi et contemptibilia elegit Deus, quae non sunt (utique contemptibilia [8]), ut ea quae sunt (contemptibilia scilicet) destrueret [9] : Ut non glorietur omnis caro in conspectu eius [10] (I *Cor.* I, 26-29). »

VI. Itaque glorientur in mundo qui gloriantur in carne, glorientur in carne qui gloriantur in homine, qui extolluntur honoribus mundi, qui diuitiis inflantur, qui nobilitate superbiunt [11]. « Nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi : per quem ipsi crucifixi sumus mundo, et mundus crucifixus est nobis [12] (*Gal.* VI, 14); » cuius pompas et noluntates iam tunc nos amisimus et abiecimus, cum meliore concursu ad caelum transitum fecimus [13]; sicut Iohannis [h] admonitio caelestis uitae magistra formam uiuendi imaginemque nobis expressit : « Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo [14] : quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi : quae non est a Patre, sed ex concupiscentia saeculi [15] (I *Joan.* II, 15, 16). »

VII. Qui mundum odit, odia mundi non pertimescit : ipse enim suo odio mundum ad sui odium prouocauit; et ideo fas non est odia eius uel pertimescere uel horrere, si tibi nitatur adpendere quae te sibi [i] probauerit praerogasse [j] [16]. Itaque istut odium saeculare, cuius obtrectationibus laceramur, cuius blasphemiis deridemur, non est nouum neque repentinum; quod iam pridem Domino Christo [16], et apostolis eius non ignoramus inlatum, dicente Euangelista :

[a] Ita codex cum emphasi.

[b] Ita codex cum diphthongo, quam invitus retinui, quamvis in hac voce etiam in aliis vetustis codd. mihi se passim obtulerit.

[c] Ausus sum addere *Domine*; ita enim sententia postulare videtur. Quippe librarii perplexitate ob sequentem vocem littera *d* incipientem hic *Domine* omissum putabam.

[d] Ita cod. pro *oppugnet*.

[e] Cod. *humilatione*, mendose quidem, nisi superaddita fuerit *i*, quae modo reperiatur permixta cum apice litterae *p*, quae e superna linea super *a* hujus verbi descendit.

[f] Mallem legere *deliguntur*, sed cum lectio codicis exemplis non careat, eam censui retinendam. Recole quae supra de vocabulo *dilectu* dixi pag. 6, not. *b* et pag. 18, not. *a* (*Col.* 115 *n.* 4, *et* 127, *n.* a).

[g] Has parentheses et in hoc loco suis signis designandas putavi, ne quae sunt Ambrosii verba cum illis sacri textus lector confunderet.

[h] Ita cum aspirata, qua in hoc nomine frequenter veteres et nonnulli etiam recentiores scriptores utuntur.

[i] Cod. *se tibi*. Mihi vero visa est scriptura peccare metathesi pro *te sibi*, quae est lectio pro anda, si sententiam spectes.

[j] Recole de hoc verbo annotata supra pag. 4, not. *f* (*Col.* 111, *n.* b).

[1] Locutus est Ambrosius de Davidica humilitate frequenter in l.b. de Interpell., et in utraque ejusdem Apologia, nec non lib. I de Offic., 6, 21, et 48, 245 et seq., ac epist. 51, 7 et seqq.

[2] Graec., καὶ πάσης τῆς πραότητος αὐτοῦ, at in 6 Venet. edit. ταπεινώσεως.

[3] Confer. in psal. XXXVII, 47, tom. II.

[4] Videsis in psal. CXVIII serm. 18, 34, etc.

[5] Sic Ambrosius l. c., serm. 3, 41, dicit : *quod autem in hoc mundo contemptibile, hoc pretiosum est apud Deum.*

[6] Ita antiqua versio apud Sabat., praeter *quoniam* loco *quia*, et *potentes* pro *fortes*. Huic lectioni favet Augustinus in Joan., col. 349, p. II, tom. III, et alibi. Irenaeus vero cum Ambrosio nostro legit *fortes* lib. II, cap. 49, col. 144.

[7] Rursus Ambrosius in psal. XXXVI, 7, tom. II, habet : *quoniam stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.*

[8] Prima hujus versiculi verba, scilicet : *contemptibilia hujus mundi elegit Deus*, ita Ambrosius scribit in psal. CXVIII serm. 3, 41; reliqua vero : *quia elegit Deus quae non sunt, ut quae sunt destrueret* bis recitat in Luc. VII, 234, tom. II.

[9] Ambrosio concinit Graecus textus.

[10] Similem sententiam repetit Ambrosius in psal. I, 15; XLVIII, 21; et CXVIII serm. 8, 8; serm. 14, 35, atque serm. 20, 3 et 7, tom. II.

[11] II. l., quem hic Ambrosius oratorio modo pluraliter recitat, habet etiam, sed singulari numero ut in sacro textu, libb. de Bono mort. 3, 9; de Fuga sec. 9, 56, t. I; in psal. CXVIII, serm. 8, 5, et in Luc. VI, 54, t. II; in epist. 78, 10, t. III, et lib. III de Spir. Sanct., 8, 50, t. IV. His tamen in locis nunquam iisdem verbis h. l. allegat.

[12] Confer saltem lib. de Myster., 2, 5.

[13] Adamussim h. l. recitat Augustinus epist. 290, col. 814, t. II. Ita Cyprianus lib. de Hab. virg., col. 475; l.b. de Orat. Dom., col. 208; lib. de Mortal., col. 236; et lib. III Testimonior., col. 308. Similiter Zeno Veron. lib. I, tract. 2, 7 et 12, pp. 24, 67 et 90; et Collat. Carthag., p. 491, quibus modo noster accedit Ambrosius.

[14] Ita, excepto *quoniam* loco *quia*, legunt Augustinus lib. I de Nupt. et Concup., I. X, col. 290, et lib. VI cont. Julian., col. 663; Cyprianus loc. cit.; Zeno Veron. I, pari ter cit. Ambrosius vero in psal. sibi consonat in psal. CXVIII serm. 13, 27, t. II, ubi legit : *Quia omne quod in saeculo est, concupiscentia est carnis, et concupiscentia oculorum, et jactantia vitae.*

[15] Advertas velim in psal. CXVIII serm. 22, 21 et seqq., t. II.

[16] Videsis de Fide II, 94, t. II.

Digitized by Google

« Si patrem familias Belzebub [a] vocaverunt, quanto magis domesticos ejus [1] (*Matth.* x, 25)? » Et « Si mundus vos odit, scitote quoniam me prius odio habuit [2] (*Joan.* xv, 18). » Sic et Apostolus ait : « Spectaculum facti sumus huic mundo, et angelis, et hominibus [3] (*I Cor.* iv, 9); » idest gentibus, et fratribus fictis, qui sub nomine religionis transfigurant [b] se in angelos lucis. Denique aperte hoc supra infraque complexus est. « Jam, inquit, saturati estis, diuites facti estis: sine nobis regnatis: et utinam regnetis, ut et nos vobiscum conregnemus [4] (*Ibid.*, 8). » Et infra : « Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes [5]. Usque in hanc horam et esurimus, et nudi sumus, et colaphizamur [c], et instabiles sumus [6] (idest non resistimus, nec non defendimus [d]), et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus [7] : blasphemati deprecamur [8] : tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema [9] (*Ibid.*, 10, 11, 12, 13). » Haec apostolica doctrina est, hoc Dei et Christi mysterium, haec conversatio caelestis, haec professio spiritalis; hoc mundus non recipit; hoc ypocrisis [e] respuit, dicente Apostolo : « Animalis homo non percipit, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi [10] (I *Cor.* II, 14). »

VIII. Fructus autem sunt Spiritus, quos Apostolus enumerat, dicens : « Charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, mansuetudo, fides, laudis [f], continentia, castitas [11] (*Gal.* v, 22, 23). » Et illud de quo [h] litteris suis Ephesiorum Ecclesiam [i] idem Apostolus monuit [12] : « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis [13] (*Ephes.* IV, 30). » Contristatur autem Spiritus a contrariis desideriis, idest ab

[a] Ita cod., quam lectionem idcirco retinui, quia non satis exploratum mihi est, utrum *b* vel *l* sit addendum in fine. Quidem veteres mss. omnes apud Sabat. in h. l. legunt *Beelzebal* per *l* cum Graeco Βεελζεβούλ. At Hieronymus lib. de Nom. Hebr. vult in fine hujus vocabuli *b* litteram esse legendam non *l*; *musca enim*, inquit, *zebub vocatur*.

[b] Ita in cod. *trans* in verbo *transfiguravit* abjicit litteram *n*, cujusmodi in hac et similibus vocibus vetusta exempla non desunt.

[c] Ita codex pro *colaphisamur*. Litteras *u* et *o* apte monet Longus, pp. 2216 et 2222, fuisse interdum apud Latinos confusas, ita ut legerent *u* etiam cum scriberent *o*. Id confirmant Valerianus, pp. 2289 et 2290, Papirianus pag. 2292, atque cl. Mains, qui in haec me annotanda praivit in suo indice Frontonis orthographico. Quod vero attinet ad litteram *f* sane illam simpliciter non per *ph* scribebant Latini. Sic enim diligentissimus Mains mox laudatus, et nunquam satis laudandus habet de Re pub. I, 2, p. 7, n. (*a*). *Litteram* ph *olim a Latinis non fuisse adhibitam monet nos Cicero, or.* 48. Tum Martianus lib. III, cap. de Conjug. ait : *nec* f *excludent, cum dicamus* triumfo, *quanquam a Graecis veniat, et per* p *et* h *potius scribatur*. Idem vero Mains ita etiam monet in indice palaeographico ad Ciceronem ejusque interpretem, tom. II *Classicor. Auctor.*, p. 388, col. 2 : F *pro* ph *passim ; et recte, ut puto. Cur enim semper Latini pro tua unica littera* f *duas incommodius scripsissent* ph? Caeterum codex noster alibi, cum id usus reclamat, constanter utitur *ph*. De littera *z* vide Isidorum I, 4; Orig., et de ejus usu veteres orthographos apud Putschium.

[d] Hic et infra parenthesim, ut supra, designare ausus sum.

[e] Cod. constanter cum diphthongo, et vide sup. pag. 20, not. *a* (*col.* 129, *n.* [b]).

[f] Ita scribitur in cod., omissa aspirata in principio.

[g] Cod: *laenitas* cum diphthongo, sed *a* in *n* expunximus cum ipse cod. haud illam retineat in vocibus *lenis, lenior, lenitas*, etc.

[h] In cod. *quod*, sed *d* prorsus abundat. Observat Fumagallius *Inst. Bipl.* I, c. 6, 9, p. 102, veteres haud raro in fine vocabuli addidisse litteram *d*, idque in iis verbis praesertim, queis littera *o* esset finalis. Ita, ex gr., scribebant *estod, malod, cedited*, etc., pro *esto, malo, cedito*, etc.

[i] Cod. *Ecclesia*, linceola tamen litterae *a* superposita fuit pro *m*, quae aegre vix legitur.

[1] Ita in antiq. et nova Vulg. cum Graeco.

[2] Antiq. versio apud Sab.: *Si mundus..... quia priorem me*, etc. Vulg., *quia me priorem vobis*. Cyprianus epist. ad Fortunat., p. 268, *quoniam me primo odiit*. Graecus vero: Εἰ ὁ κόσμος... γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν.

[3] Ambrosius lib. de Elia et Jejun., 21, 79, t. I : *Facti sumus*, ait, *spectaculum hujus mundi*, et in psal. XLIII, 33, t. II : *ut spectaculum simus huic mundo et angelis et hominibus*. Legit cum codice ad verbum, uno omisso *hominibus* in epist. 63, 71. Sic enim, *Spectaculum facti sumus huic mundo, et angelis*. Nostrae lectioni concinunt antiqua versio et Graecus, a quo tamen abest *huic*.

[4] Ita antiqua versio apud Sabat., uno excepto *conregnemus*, pro quo habet *regnemus*. Verum verbo *conregnemus* utitur S. Hilarius in psal. II, 42, col. 49, et LX, ac LXV, coll. 144 et 197.

[5] Ita in utraq. Vulg. cum Graeco, sed addunt in fine : *vos nobiles nos autem ignobiles*.

[6] Differ. Ambrosius in psal. CXVIII serm. 8, 7, t. II, legens ; *usque ad hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis vapulamus, et instabiles sumus*. Habet *colaphisamur* cum antiq. Vulg. apud Sabat. Ambrosiastes in h. l., quibuscum Graecus κολαφιζόμεθα.

[7] Ita Ambrosius in psal. XXXVIII, 10; CXVIII, l. XIV, 6, cit., t. II; lib. I de Offic., 48, 244, t. III; et lib. II, de Poenit., 1, 5, ejusd. vol.

[8] Consonat versio antiq. apud Sabat., praeter *obsecramus* loco *deprecamur*, nec differt Graecus. At Ambrosius in psal. CXVIII, l. c., habet : *Blasphemamur, et obsecramus ? tamquam lustramenta hujus mundi facti sumus omnium purgamenta usque adhuc*.

[9] Ita h. l. ad verbum recitat S. Ambrosius in Luc. VII, 148, t. II, et lib. III de Spir. sanct., 17, 121, t. IV, praeter *illi est* loco *est illi*.

[10] S. doctor. lib. de Parad., 13, 64 : *Fructus*, inquit, *Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio*. Hoc in loco Rom. edit. *castitas* pro *dilectio* legit. Lib. vero de Noe et Arca, 29, 108, sic : *Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas*. At in psal. XXXVI, 12, t. II : *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, modestia, continentia*. Denique lib. I de Spir. sanct. 6, 69, ut in lib. de Noe sup. cit. praeterquam quod *pax* primo loco ponit, quam tamen vocem post *gaudium* scribit in eod. libro XII, 126, t. IV.

[11] Conf. epist. 71, t. III, in qua hujusce apostolicae epistolae summam Ambrosius a Irenaeo rogatus exponit, col. 1186 et seqq.

[12] Similiter Ambrosius, omissis in fine *in die redemptionis*, habet lib. III de Spir. Sanct., 8, 48, t. IV.

Digitized by Google

operibus carnis, quæ inter cetera latentia [1] hæc sunt : « Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, indignationes, provocationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ [2], invidiæ, ebrietates, comissationes [a] (idest comestores) [3] (*Gal.* v, 20, 21). » His enim operibus contristatur Spiritus, offenditur ; deserit et abscedit Solomone [b] dicente [4] : « Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum [5] (*Sap.* I, 5). »

IX. « Nolite, inquit apostolus Paulus, contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV, 30). » Dies redemptionis est, in quo salutaris indulgentiæ dono redempti, a mortis sententia liberamur ; in quo veterem hominem cum actibus eius exponimus, et induimus novum, qui secundum Deum creatus est in operibus bonis [6]. Eo enim die et sancto Spiritui consignamur [7], cum sacramentis omnibus consummamur [8], dicente Evangelista : « Et baptizato Iesu confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt cæli, et vidit Spiritum Dei descendentem de cælo sicut columbam [c], venientem in ipsum [9] (*Matth.* III, 16). » Columba innocentia simplex [10] vel simplicitate innocens, non clamore violenta, non furoresacua [11], non moribus iracunda [12], non amaritudine fellis infesta [13] : et ideo eodem Spiritu, qui in modum eius descendit, accepto subiunxit Apostolus, ut diceret. « Omnis, inquit, amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia auferantur a vobis [14] (*Ephes.* IV, 31). Amaritudo est inimicitias concipere, ructari odia, enomere uenena, obtrectare proximis, disseminare lætalia [d], sicut in Deuteronomio [e] scriptum est : » Inimici nostri insensati [15]. De uinea Solomonum uitis eorum, et palmites eorum de Gomorra : uua

[a] Ita cod. pro *comessationes* consona s haud duplicata, et posito *i* pro *e* post *com.*, ut apud Sab. mss. Reg. De harum litterarum *i* et *e* promiscue usu vide supra pag. 6, not. *b*; 18, not. *a*; 19, not. *a* (*Col.* 115, n. [d]; 127, n. [a]; 128, n. [f]). Codicis lectionem retinui, quia ejusmodi exempla in antiquis codd. haud semel occurrant.

[b] Ita in codice. Sane ad I, 1, Proverbior. observat Sabatier, veteres codices Lactantii et Cypriani *Solomonem* legisse. Porro sic habent mss. plures Sessoriani, e quibus unus *antiquissimus*.

[c] Cod. *columbe* omissa m solito mendo.

[d] Cod. cum diphthongo *laetalia*, quæ quoque lectio exemplis antiquor. codd. confirmatur.

[e] Ita codex cum *h*.

[1] Summo consensu Patres, quibuscum antiq. et nova vulg. opera carnis, quæ mox enumerantur, cum Apostolo *manifesta* dicunt, et non *latentia*, eisdemque suffragatur Græcus textus φανερὰ legens. Hic fortasse recensita opera carnis aut *latentia* mendose pro *manifesta*, aut dicendus Ambrosius, quæ commemorat ipsa esse *manifesta*, cætera vero *latentia*, ut sensus sit : *ab operibus carnis, quae* manifesta *inter cetera latentia haec sunt*. Hinc dixeris fortasse vocem *manifesta* excidisse ; nisi malis Ambrosium, quæ recenset opera carnis, ea *latentia* vocare comparatione eorum, quæ in catalogo omittit, ut *adulterium*, *impudicitiam*, et *homicidia*, quæ sese sua magis turpitudine produnt.

[2] Irenæus lib. v, c. 11, col. 303 : *inimicitiæ*, ait, *contentiones*, *zeli*, *iræ*, *æmulationes*, *animositates*, *irritationes*, *dissensiones*, *hæreses*. Cyprianus lib. de Orat. Dom. col. 209 : *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *animositates*, *provocationes*, *simultates*, *dissensiones*, *hæreses*. Augustinus vero epist. 29, t. II, col. 50 : *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *animositates*, *dissensiones*, *hæreses*. Sicque idem S. Pater sparsim in suis operibus, præterquam quod lib. II de Serm. Dom. in mon., ubi ad vocem *hæreses* illam addit *sectæ*. Demum Lucifer. Calar. lib. II pro S. Athan., col. 282, et S. Hieronymus in h. l., omissis *indignationes*, *provocationes*, si in fine *hæreses* loco *sectæ* legas, nostro cum Ambrosio cætera habent. Vulg. nobiscum retinet *sectæ* e Græco αἱρέσεις.

[3] Ita Patres laudati in cit. l. habent ad verbum, præter Lucif. Cal., qui post *invidiæ* addit *homicidia*. In hunc l. hæc notat Hieronymus l. c. : *In Latinis codicibus* adulterium *quoque et* impudicitia, *et* homicidia *in hoc catalogo vitiorum scripta referuntur. Sed sciendum non plus quam quinde in carnis opera nominata*. Duodecim in hoc sermone nominantur ; si ergo tria modo a Hieronymo relata addas, quindena cum eodem *opera carnis* et tues eata ogus reddet.

[4] Ambrosianis locis, ex. gr., de Parad. I, 6, et XII, quibus liber Sapientiæ, juxta sui temporis opinionem, Salomoni tribuitur, hic modo accensendus est. De hac re vide Maurinos annotantes ad l. cit. de Paradiso, nec non Ackermannum Introduct. in lib. sac. V. F. part. II, c. 7, 245, edit. Vindobon. an. 1825 p. 367.

[5] Ita Vulg. cum Augustino pluribus in locis, si initio hoc ord ne legas : *Spiritus enim Sanctus*.

[6] Apostolicam hanc sententiam expendit Ambrosius etiam in psalm. XXXVIII, 22, t. II ; in lib. de Inst. Virg., 2, 13, t. III ; et lib. II de Spir. Sanct., 7, 65, t. IV.

[7] Baptizatum Spiritui Sancto consignari docet etiam auctor lib. de Sacram. apud Ambrosium, t. III, col. 457 et seq.

[8] Id est, cum per baptismum cuncta Christianæ religionis nobis reserantur arcana, a quibus olim arcebantur profani, et fides acquiritur, qua omnia credimus divina mysteria : vel potius, cum cæteris omnibus sacramentis suscipiendis idonei per idem sacramentum efficimur ; quod quidem ea janua sacramentorum. Verum h. l. ad Eucharistiam quoque respicere potuit Ambrosius, quæ juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem conferebatur una cum baptismo, et confirmatione ; qui mos etiam nunc in baptizandis adultis obtinet in ecclesiastica disciplina.

[9] Concinit Hilarius in psal. CXXXVIII, col. 507. Græcus textus et antiq. vers. apud Sabat. addunt *ei* ante *cæli*, et omittunt *Dei* post *Spiritum*.

[10] Simplicitatem per columbam designari passim in suis scriptis monet Ambrosius. Clarius lib. de Isaac, 7, 59, t. I, et in Luc. II, 92, ubi : *Apertum est*, inquit, *cælum et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba... Advertamus mysterium : quare sicut columba ? Simplicitatem enim lavacri requirit gratia : ut simus simplices sicut columbæ*. Ita etiam scribit lib. de Myster., 4, 25, t. III : *Merito sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbæ habere debere*.

[11] Pacem etiam per columbæ mysterium intelligi debere est Ambrosii sententia lib. de Isaac, et in Luc. loc. cit., ac in lib. de Myster., 3, 11, t. III, nec non epist. 41, 21.

[12] Confer saltem in psalm. CXVIII serm. 12, 18, t. II.

[13] Locutio familiaris Ambrosio, quæ rursus legitur lib. de Parad., 2, 8, t. I, et alibi.

[14] Ita adamussim S. Cyprianus lib. III Testimonior., col. 306.

[15] Favet huic lectioni antiq. ver. apud Sabat. cum Vigil. Taps. lib. V de Trin. t., col. 245, addito *autem* post *inimici*. Græc. ἐχθροί.

[a] Phrasis prorsus insolita. Sensus est : *Aut dicendum, quæ commemorat Ambrosius, ipsa esse manifesta*, etc. EDIT.

Digitized by Google

eorum uua fellis, et botrus amaritudinis ipsorum [1]. Ira drachonum [a] uinum eorum, et furor aspidum insanabilis [2]. (*Deut.* xxxii, 31, 32, 33). Et David : « Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, quorum os maledictione et amaritudine plenum est [3] (*Psal.* xiii, 3). Ira inquit, ira [b] est invidere meliori, felici detrahere, genere profectibus proximi; unde Propheta sic dicit : « Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis frendet, et tabescet [4] (*Psal.* cxi, 10). Indignatio, inquit, indignatio [c] est indigne ferre inferiorem superiori dono gratiae coaequari, aut gradu charismatis anteferri [5]; cum Apostolus *Galatis* [d] dicat : « Non est servus neque liber : non inest masculus, neque femina; sed omnes vos unum estis in Christo Iesu [6] (*Gal.* iii, 28).

X. Docet beatissimus Paulus in omnibus ferme epistulis [e] suis [7], ex omni natione, dignitate, nobilitate, aetate, uel sexu conuocatos ad fidem unum effectos in Christo; cuius passionis sacramento [8] dehonestatus est mundi principatus, deturpata nobilitas, celsitudo dejecta, exaltata humilitas, elevata deprauata, purificata sordida, iacentia erecta, et uilificata sunt mortua. Sic apud Esaiam (*Isa.* xl, 4) uallium fossa replentur [f], montium ardua humiliantur; sic praua diriguntur, et aspera deplanantur : sic collium omnium prona in aequalitate librata in planitie sunt deducta camporum; sic caedri [g] Libani tenuati sunt, uirgulta [h] uitulaminum [i] roborata pinguescunt; sic leonum saeritas [j] mansuefacta boui coniungitur, et carnium pinguitudine fastidita cum boue paleis uescitur : sic lupus rabie deposita cum agnis camporum prata depascitur : sic ursus cum uitulo, et haedus cum pardo concordat (*Ibid.* xi, 6, 7) : sic infantes cauernis aspidum manus ingerunt, nec nocent [9] : sic humani generis uarietas quia de bone ad Deum non pertinet [10] [k] in unum redigetur : sic diuersitas natalium unitate concordat : sic conditiones aemulae pares efficiuntur; dum moriuntur per baptismum natalibus mundi, et nobilitati per gratiam caelo nascuntur [11], dicente Esaia propheta : « Ecce nunc dominator Dominus Sabaoth conturbabit gloriosos cum uirtute, et qui superbi sunt contumelia conterentur, et humiliabuntur, et cadent excelsi gladio. Libanus uero cum altis cadet [12] (*Ibid.* x, 33,

[a] Haec vox ita cum aspirata etiam in antiquis codd. reperitur.

[b] Cod. *ira* cum emphasi repetit.

[c] En altera repetitio per emphasim facta. *Quod autem*, inquit Maius de lic pub. i, 47, p. 123, *negat Moses repetitione vocabuli posse significari emphasin, mirum mihi est; et certe refutari videtur ab ipso Cicerone*, p. 103.

[d] Codex mendose *Corinthiis* habet.

[e] Ita cod. pro *epistolis*. Vide sup., pag. 22. n. 1 *b* (*Col.* 151, *n.* [c]) ubi observatum reliqui, litteras *o* et *u* apud veteres inter se mutuis vicibus fungi.

[f] In codice *repletur* manifesto mendo.

[g] Ita codex cum diphthongo *caedri*, quae lectio antiquorum codd. auctoritate non caret.

[h] In cod. *virgultae... roboratae*, quod quidem repetitum est mendum; nam *virgulta* neutra vox est, ideoque in utraque voce *e* abundat in fine.

[i] Ab antiquissimis usque temporibus hoc vocabulum *vitulamen* pro *plantatio* obtinuit apud sacros et ecclesiasticos scriptores; de cujus origine sic loquitur S. Augustinus, lib. ii de Doctr. chr., t. III, p. 1, col. 26. *Quoniam μόσχος Graece* vitulus *dicitur*, μοσχεύματα *quidam non intellexerunt esse* plantationes, *et* vitulamina *interpretati sunt; qui error tam multos codices praeoccuparit, ut vix inveniatur aliter scriptum : et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis : namque* adulterinae plantationes non dabunt radices altas (Sap. iv, 3), *convenientius dicitur, quam* vit lamina, *quae pedibus in terra gradiuntur, et non haerent radicibus.*

[j] Ita codex cum diphthongo *faeritas*, quam lectionem haud raro prisci exhibent codd.

[k] Hanc parenthesim designandam judicavi, ut clarior hic locus evaderet.

[1] Non iisdem verbis h. l. usurpat Ambrosius; nam lib. de Elia et Jejun., 14, 52, t. I, sic : *De vinea Sodomae vinum eorum, et vitis eorum vitis Gomorrhae : uva eorum uva fellis, botrus amaritudinis in ipsis.*

[2] Ita Ambrosius l. c., si ponas *ira* ubi *furor*, et vice versa.

[3] Ita ad verbum Vulg. antiq. et nova cum Augustino, et Cassiodorio, quibus modo Ambrosius noster adjungitur. In Ambrosiana scriptis hucusque editis prima tantum verba reperiebantur; scilicet : *Sepulchrum patens est guttur eorum*, in psal. cxviii serm. 16, 28, t. II.

[4] S. Augustinus *frendet et tabescet* constanter scribit, quocum brev. Mozarab. Graecus βρύξει, καὶ ταχήσεται.

[5] Huc respicere videtur illa distinctio inter improbum et invidum, qua utitur S. doctor lib. ii de Offic., 30, 152, t. III. *Filii*, inquit, *fugite improbos, cavete invidos. Inter improbum et invidum hoc interest, improbus suo delectatur bono, invidus torquetur alieno : ille diligit mala; hic bona odit; ut probe tolerabilior sit qui sibi vult bene, quam qui male omnibus.* Et sane invidentiam ut quamdam probe insanabilem aegritudinem haud tolerandam, sed fugiendam suadet Ambrosius. Sic enim epist. 29, 17, t. III : *Terras fugito, in quibus invidia est, ubi ambitio, ubi contentio.* Porro his tam detestabili peste terris corruptis nulla pax est, nulla caritas, nullus ordo; quia res nulla jure componitur.

[6] Ambrosius lib. ii de Spir. Sanct., 8, 79, ita : *omnes vos unum estis in Christo Jesu.*

[7] Ad Rom. x, 12; I ad Cor. x, 17; ad Gal. l. c. et ad Col. iii, 11.

[8] Conf. saltem in psal. cxviii serm. 12, 3, t. II., ubi similis eloci io recurrit.

[9] Haec eadem Isaiae verba usurpat quoque Ambrosius lib. v Hexaemer., 2, 6; lib. ii de Interpell. David, 1 4, t. I; in psal. cxviii serm. 6, 17; et in Luc. vii, 45 et 202, t. II; atque lib. i de Poenit., 15, 65 et 6.., t. III, et infra.

[10] Respicit S. doctor ad illud Apostoli I Cor. ix, 9 : *Nunquid de bobus cura est Deo?*

[11] Legantur lib. de Myster. 3, 11, et 4, 21, et lib. i de Spir. Sanct., 6, 76 et seqq., ubi similes dictiones et sententiae sunt. Ita vero lib. de Fuga saec., 11, 51, t. I : *Mortuus quidem semel est : sed moritur unicuique qui baptizatur in morte Christi; ut consepeliamur cum eo, et resurgamus cum eo, et in novitate vitae illius ambulemus.* Vide etiam sis lib. iii de Sacram., 1 et seq., apud Ambrosium t. iii oper.

[12] Favet huic lectioni Graecus, qui quidem loco *Dominus virtutum*, ut in antiq. Vulg. legitur apud Sabat., et pro *Dominus exercituum* veluti nova Vulg. refert, nobiscum habet, ὁ δεσπότης κύριος σαβαὼθ; item pro *elati comminuentur*, vel *excelsi statura succidentur*, οἱ ὑψηλοὶ τῇ ὄψει συντριβήσονται, *excelsi superbin conterentur*; reliqua vero, καὶ οἱ ὑψηλοὶ ταπεινωθήσονται, id est, *et excelsi humiliabuntur*. Caeterum cum hos Isaiae

Digitized by Google

34), » Frequenter Libanum montem et caedrorum eius cacumina regno mundano conparat eiusque principibus sermo diuinus [1]; quod regnum eiusque ministros Dominus Christus sua passione deiecit et pressit. Et ne nos tractorum diuersitas perturbaret, ipsius Domini Christi personam, qui haec omnia esset consummaturus, designans idem propheta subiunxit, ut diceret: « Exiet uirga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet [2] (*Ibid.* XI, 1). » Radix utique Dauid [3] significauit personam, ex cuius semine Christus est natus in carne, qui ex patris sui Iesse lumbis erumpens usque ad florem Dominicae natiuitatis carnalis porrexit originem. Denique sic adiecit, ut diceret: « Requiescet in eo Spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et uirtutis, spiritus cognitionis et pietatis [4], replebit eum spiritus sancti timoris Dei [5] (*Ibid.*, 2, 3). » Et ut apertius Christum intellegi [6] oportere monstraret, prosequitur, dicens: « Non secundum gloriam iudicabit, neque secundum eloquentiam redarguet [7]; sed iudicabit humili iudicio, et redarguet gloriosos terrae, et percutiet terram [b] uerbo [c] oris sui, et spiritu per labia interficiet impium [7] (*Ibid.*, 4); » eo scilicet uerbo, et labiorum adspiratione, qua [d] dixit: « Principatus huius mundi (id est dominatus [e]) mittetur foris [8] (*Joan.* XII, 31). » De quo iterum: Venit principatus mundi, et non inueniet in me nihil [f] [9] (*Joan.* XIV, 30). » Et ut sacramentum crucis [10] ostenderet, adiecit, dicens: « Et erit iustitia praecinctus lumbos, et ueritate inuolatus (*sic*) latera [11] (*Isai.* XI, 5). » « Tunc, ait, (id est ex eo tempore) pascet lupus cum agno, et pardus requiescet cum aedo [g], et uitulus, et taurus, et leo simul pascentur; et puer paruulus ducet eos [12] » (hoc est sacerdos, uel aetatis paruitate innocus [h], uel innocentiae puritate subnixus gubernabit eos). Et bos, et ursus simul pascentur [13] (et natio eorum una erit), et leo, et bos manducabunt paleas [14] (id est aridas escas) (*Ibid.*, 6, 7). » Ac ne mea interpretatio [i] praesumpta uel temeraria a sollicitis auditoribus [15] iudicetur, apostoli Pauli disputationem meis

[a] Ita codex, bona et vetusta scriptura, ut supra, p. 17, n. *a* (*Col.*, 126, *n.* [d]).

[b] In cod. *terra*.

[c] Cod., *uerba*, mendose tamen.

[d] Cod., *quod*. Vide annot. p. 23, n. *b* (*Col.* 132, n. [h]).

[e] Recole de parenthesi, quæ superius diximus n. *a* (*Col.* 115, *n.* [a]) et alibi.

[f] Hellenismus, quo etiam, ut infra vides n. 41 (*Huj. pag. not.* [3]), Ambrosius utitur, dum h. l. allegat lib. de Tobia IX, 33, et lib. de Fuga sæc. IV, 24.

[g] Ita codex sine *h*, cum paulo supra illam retinuisse vidimus. Non tamen aspiratam addendam censui, quia hujusmodi lectioni veterum codd. auctoritas non repugnat.

[h] Ita codex cum uno *u*; quod, quanquam videatur librarii mendum, attamen retinendum putavi spectabili veterum codd. auctoritate motus, qui frequenter ubi duo *uu* simul concurrunt, alterum omittunt.

[i] Codex constanter cum diphthongo, quam expungere censui. Recole dicta p. 8, n. *b*. (*Col.* 118, *n.* [a]).

versiculos X, 33, 34, mancos proferat Sabatier, qui in expiscandis a Patrum scriptis antiquæ biblicæ versionis fragmentis diligentissimus fuit, inde hunc sermonem id temporis adhuc in membranis delitescere probe exploratum habeo. Quod sane præjudicium cumulat illud Isaiæ XI, 5, infra legendum, quod Sabatierii curas effugit omnino.

[1] Hæc quoque monet Ambrosius in psal. XXXVI, 77 et 80, t. II, et in lib. de Myster., 7, 39, ac in epist. 70, 7, t. III.

[2] Ita Ambrosius, uno excepto *de* pro *ex* ante *radice*, lib. de Benedict. patriarch., 4, 19, t. I, et in Luc. II, 24, et III, 8, t. II. Habet *a* loco *ex* lib. de Inst. Virg., 9, 59, t. III. At *ex* ut in cod. retinet lib. II de Spirit. Sanct., 5, 38, t. IV. Consule etiam, si vacat, lib. de Apolog. alt. David., 8 43, t. I.

[3] In Ambrosianis scriptis frequentata est hæc elocutio. Illam quidem in modo citatis omnibus fere locis reperies, et alibi passim. Nec quisquam sit, qui Ambrosium sibi dissentire putet eo quod ibi legat: *Radix utique familia Iudaeorum*, et hic: *Radix utique David*; nam exploratum est S. doctorem utraque elocutione ad Davidem respexisse. *Liquet*, inquit Ambrosius in Apolog. alt. David, 7, 38, t. I, *per David intelligi prophetam, per prophetam populum propheticum*, scilicet Judæorum. In lib. de Spir. Sanct., l. sup. cit., *Radix*, ait, *Iesse patriarchae familiae Iudaeorum*; utique David. Conf. cit. Apolog. 4, 27, in Luc. III, 8, t. II, atque lib. V de Fide, 8, 105, t. III.

[4] Ambrosius in Luc. III, 8: *Et requiescet super eum spiritus Domini; Spiritus sapientiae et intellectus.* Græcus vero loco *Domini* cum Ambrosio nostro Θεοῦ legit: cui concinunt Lactantius lib. IV Inst., 13, col. 577; Irenæus lib. III, c. 9, col. 184, et 17, col. 208; et Tertull. lib. adv. Jud., 9, col. 143. Reliquum hujus versiculi ad verbum Ambrosius recitat in psal. CXVIII serm. 5, 38; lib. de Myster., 7, 42, et alibi.

[5] In cit. omnibus loc. Ambrosius, cæteris omissis, legit: *spiritus sancti timoris*, quæ verba S. doctor. superiori versiculo conjungere videtur.

[6] LXX legisse, *secundum sermonem arguet*, monet Hieronym. in h. l. col. 100.

[7] Favet Ambrosianæ lectioni Irenæus lib. III, c. 9, col. 185, quocum Hieronym. in h. l., et Græcus textus.

[8] Græcus textus, et Patres qui h. l. allegant initio *princeps* legunt pro *principatus*. In fine vero Augustinus quæst. 72 in Levit., t. III, p. 1, col. 521, *missus est foras*. Auct. lib. de Promiss. c. 2 col. 190, *missus est deorsum*. Sanctus vero Hieronym. cum Græco et Vulg., *ejicietur foras*. Unus codex Cantabr. apud Sab. nobiscum habet, *mittetur foris*.

[9] Ambrosius non semper iisdem verbis hoc utitur testimonio. Siquidem lib. II de Abrah., 9, 62; lib. de Isaac, 6, 55; lib. de Jacob., 5, 24, t. I; et lib. de Virginit. 17, 108, t. III. *Venit hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil.* Lib. de Tobia, 9, 33, t. I: *Ecce venit hujus mundi princeps, et in me suum non invenit nihil.* At lib. de Fuga sæculi, 4, 23, t. I, et in psal. CXVIII serm. 8, 6, et in Luc. IV, 29: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me invenit nihil;* lib. I de Offic., 49, 249: *Veniet hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil.* Demum ad verbum ut in cod., *non inveniet in me nihil*, legit lib. de Fuga sæc., l. c., n. 24.

[10] Locutio familiaris Ambrosio. Confer psal. CXVIII serm. 13, t. II, et ibi Maurinorum notam, nec non lib. I de Spir. Sanct., 9, 108, t. IV.

[11] Hoc versiculo augetur biblica Sabatierii collectio. Recole dicta n. 1, p. 27 (*Col.* 136, *n.* [12]).

[12] Lib. I de Pœnit., 13, 67, t. III, presse h. l. sic recitat: *Tunc lupi et agni simul pascentur.*

[13] In Græco ad verbum.

[14] Ambrosius l. c. de Pœnit. habet: *leo et bos pariter manducabunt.*

[15] Hic Ambrosii morem adverte, qui nunquam suos auditores blandiri consuevit

Digitized by Google

interpretationibus interseruntur [1], dicentis : « Expoliate uos veterem hominem cum actibus eius [2], et induite nouum qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum [3]. Ubi non est masculus et femina, Græcus et Iudæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, seruus et liber : sed ómnia et in omnibus Christus [4] (*Coloss.* III, 9, 10, 11). » Veteris [5] actibus spoliatos conuersatione nouæ hominis, qui Christus est, uestit ; nec passus est relinquere errores, sed tegmine honestæ [b] conuersationis, et bonórum operum [c] claritate contexit. « Induite uos, inquit, sicut electi Dei et sancti uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam [6], sufferentes inuicem, et donantes uobismetipsis, si quis aduersum aliquem habet querellam [d], sicut et Dominus donauit nobis, ita et uos facite [7] (*Ibid.*, 12, 13). »

XI. Deo donante remissa sunt nobis omnia ; permanebimus indemnes si et nos fratrum remittamus offensæ [7] : si caritatis uinculis inseparabili nexu iungamur (*Ibid.*, 14 seq.) : si pacis munere alterno amœne lætemur [8] ; si diuinis nos aedificemus eloquiis : si psalmis ad cælestia prouocemus : si ad superna cánticis inuitemus [9] : si omnia quæ facimus opere, quæ sermone loquimur, quæ cogitatione complectimur, in Dei timore perficimus ; gratias referentes Patri per Filium, laudantes Deum in Christo, et Christum [e] præferentes in Deo, ut cælestes cælestibus conparati, spiritales spiritalibus similemus [f]. Quod opus aliut nullum est, nisi Dei gloriam diuina uoce comlaudent, dicente Iohanne [10] : « Vidi et audiui uocem multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum : et erat numerus decies centena millium [11], dicentes uoce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere potestatem, et uirtutem, et diuitias, et patientiam, et honorem, et fortitudinem, et gloriam, et benedictionem [12]. Et omnem creaturam, quæ est in cælo, et super terram, et mare, et quæ

[a] Subintellige *hominis*.

[b] Cod., *honeste* sine diphthongo, quam hujus vocis secundus casus reclamat.

[c] Cod., *opere*. Diphthongum addidi, et *operae* scripsi, ne nimis codicis lectionem sollicitarem ; nam *operum* mihi legendum esse videbatur.

[d] Cod. *quaerellam* cum diphthongo, quam codicum auctoritate et grammaticorum præcepto expungendam censui ; sed litteram *l* geminatam retinui. Porro hujusmodi lectio haud infrequens est in antiquis codd. Et quidem ad Ciceronem de Repub. II, 25, p. 194, sic de hujus vocis orthographia cl. Maius notabat : *Querella cum duplici l constanter prope scribitur in antiquis seu codicibus seu etiam lapidibus. Attamen geminari in hoc vocabulo l veteres Caper et Scaurus, pp. 2241, 2249, quorum grammaticorum præceptum præ tot contrariis exemplis vix audiendum videtur ; cum præsertim Papirianus, p. 2290, paulo recentiorem consuetudinem scribendi id vocabulum per duas l testetur. Scripturam querella retinet lingua Hispanica, ut alias bene multas vetustæ Latinitatis reliquias.*

[e] Cod. iterum, *in Christa*, quæ lectio sententiam improbabilem faceret, aut saltem obscuram ; ideoque locus aliqua corruptela laborare videtur : fortasse ad ea, quæ mox scripserat, respexit librarius, et *in Christo* iterum posuit pro *Christum*, ut mihi scribere placuit, et sensus postulat.

[f] Vide quæ jam ad hoc verbum notavi p. 18, n. *c* (*Col.* 127, *n.* [a]).

[1] Frequenter in suis scriptis, præsertim in psalmis suam sententiam apostolicis verbis explanat atque confirmat S. doctor.

[2] In Apol. alt. David legitur, 9, 46, t. I : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus*, et similiter in psal. CXVIII serm. 3, 22, uno excepto in fine *ejus* pro *suis*. Ser. vero 10, 17, l. c., omittit *vos*, quam vocem retinet in Luc. 1, 58, quam rursus l. c. deponit. 8, 44, scribens : *Ut exspoliantes veterem hominem cum actibus suis*, cujusmodi lectioni, dempto *ut*, consonat lib. III de Fide ; at lib. V, c. 16, 176 : *Exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis*.

[3] Ita Ambrosius h. l. affert in Apolog. alt. David. l. sup. cit., et in psal. CXVIII serm. 3, l. c. ; at infra serm. 10 ejusd. psalmi l. c. habet : *et induimus novum, qui renovatur in agnitionem*, etc. Similiter lib. V de Fide, l. c. ; si tamen initio legas *induamus* loco *induimus*. In lib. autem III de Fide : *et induentes novum secundum imaginem*, etc. In Luc. IV, l. c., *induite novum, qui secundum Christum creatus est*, et VIII, l. c., *induti novum* duntaxat scribit.

[4] Omissis *circumcisio et praeputium*, quæ hic cum Græco Ambrosius retinet, cætera ita in lib. V de Fide, 14, 177, ad verbum refert. Consule etiam in psal. CXVIII serm. 10, 17, in Luc. 1, 5, et 2, 47, et in epist. 62, 85.

[5] In Græco ut in Vulg., post *sancti* additur καὶ ἠγαπημένοι.

[6] Iidem S. Augustinus tract. 58 in Joan., col. 662, t. III, præter *adversus* loco *adversum*.

[7] Haud absimilia sunt quæ leguntur in psal. XXXVII, 45, t. II, et in epist. 61, 9, t. III, quo in loco ea ejus verba : *Caveamus ergo ne nobis hoc accidat, ut non remittendo quæ nobis debentur, incipiamus et illa solvere, quæ remissa sunt nobis... Dimittamus ergo pauca, quibus plura donata sunt, et intelligamus eo nos Deo acceptiores fore, quo etiam plura donamus ; quia hoc gratiores Deo sumus, quo nobis plura dimissa sunt.* Videsis epist. 63, 83.

[8] Conf. in psal. CXVIII serm. 21, 17, t. II.

[9] Frequenter in suis concionibus ad psalmos canendos suam plebem invitat Ambrosius, ut præsertim legere est lib. V Hexaem., 12, 36, t. I, et in præf. in psal. I, 9, t. II, quo in loco pium in unum fidelium psalmos canendi morem, *pignus pacis et concordiæ*, atque *magnum plane unitatis vinculum* esse dicit. Id ipsum reperit in psal. XLIII, 23, et CXVIII serm. 7, 25, atque alibi passim. Cæterum hic ad illa apostolica verba ad Colos. III, 14, 15, 16, 17, respicere videtur Ambrosius.

[10] Ambrosius in psal. I, 54 ; XL, 26 ; lib. de Virginit. 14, 86, et de Incarnat. 10, 114, atque alibi Apocalypsim S. Joanni Evangelistæ tuetur. Eisdem locis quodammodo hic modo videtur accedere. Nec prorsus est attendendus M. Dionysius Alex. episcopus, qui Joanni presbytero distincto ab Evangelista Apocalypsim tribuit, nam eum satis refutavit Millius in prolegom. in hunc librum, ad quem eruditos lectores mando. Conf. Eusebium Hist. eccl. lib. VII, cap. 25, p. 309 et seqq., edit. Valesii, Aug. Taurin. 1746, vol. I, et pag. 749 ejusd. volum., inter annotationes variorum.

[11] Huic lectioni favet Græcus textus, et illi concinit Cassiodorius in psal. I, col. 14, addito uno verbo *magnam* post *vocem*.

[12] Ambrosiana scripta et hoc biblico testimonio carent. Patres vero qui illud allegant, nunquam iisdem verbis referunt ; sed sæpe immutatis, insertis etiam aliis, vel ejectis, ac turbato rerum ordine. Sibi nec concinunt diversæ antiquæ versiones : nec Vulgata nostra cum Græco concordat.

Digitized by Google

in eis sunt omnia [1] (*Apoc.* v, 11-13). » Et iterum monet : « Angeli stabant circa thronum, et seniores, et quatuor animalia : et procciderunt ante thronum in faciem suam, et adorauerunt Deum, [2] dicentes : Benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et potestas, et uirtus Deo nostro in saecula saeculorum. Amen [3] (*Ibid.* VII, 11, 12). »

EXPLICIT [a] SERMO SANCTI AMBROSII.

[a] In cod.... *t sermo sci Amb.* Hujus formulæ, qua sermo concluditur, in prima voce litteræ prorsus obliteratæ sunt, et ultimæ duntaxat litteræ *t* quæ recta forma excudi curavi, nonnisi breve vestigium manet ; eam tamen formulam, habitâ spatiorum ratione, supplere haud difficile fuit ; verbo enim *explicit* fuit solemnis antiquis ratio claudendi libros.

[1] Antiqua versio apud Sabat. addit, *subtus terram* ; cui accinit nova Vulg., quamvis non eisdem verbis legat.

[2] Græcus Ambrosii nostri lectioni favet, si initio scribas, *Et omnes* ante *angeli*.

[3] In antiq. et nova vers., *claritas* loco *gloria* ; sed nobiscum *gloria* retinet S. Fulgentius in fragm. 54 cont. Fabian., col. 646, et Græcus textus qui in fine, ut in codice, addit Ἀμήν.

ANNO DOMINI CCCLXXXIV.

Q. AURELIUS SYMMACHUS,

V. C. COS. ORDIN. PRÆF. URBIS.

PROLEGOMENA.

GUILIELMI CAVE NOTITIA HISTORICA IN AUR. SYMMACHUM.

Q. Aurelius Symmachus, Roma oriundus, ejusdem urbis senator et præfectus, claruit præcipue anno 384. Consulatum gessit anno 391. Infensam Christianæ religioni animum ubique prodit, imprimis in *Relatione pro ara Victoriæ* quam imperatori Valentiniano obtulit, in qua gentilium causam strenue et ex professo agit, adversarium nactus D. Ambrosium Mediolani episcopum, qui Symmachi opus eleganter [illegible] refellit. Nec causa sua modo excidit Symmachus, sed et paulo post tanquam reus majestatis, vili rhedæ impositus centesimum ab urbe lapidem in exsilium missus est, mox licet à Theodosio in gratiam receptus. Extat hæc Symmachi *Relatio* tum inter Ambrosii opera, tum inter Symmachi epistolas, quæ cum Fr. Jureti et Joan. Lectii notis prodierunt Genevæ, 1598, in-8°, additisque decem miscellaneorum libris, Paris. 1604, in-4°, cum notis Paræi, Neap. Nemet., 1628, in-8°.

VITA SYMMACHI EX ANTIQUISSIMA EDITIONE.

Q. Aurelius Symmachus, vir consularis, iisdem fere temporibus vixit, quibus divi doctores Hieronymus et Ambrosius, Ausonius, Prudentius et Claudianus poetæ. Ejus consulatum collegamque Tucianum refert Prosper de Temporibus in annum Domini 391, qui fuit annus imperatoris Valentiniani Junioris extremus : ad quem sane habetur epistola Symmachi proprio titulo inscripta, cum alioqui desideretur id genus parergi. Nec ignoramur ejus ad Ausonium epistolæ : quem nemo nescit iisdem temporibus vixisse primi nominis virum. Et hic est Symmachus, qui causam gentilium deorum oratione lucubratissima defendit apud divos Theodosium imperatorem et Arcadium, Honoriumque Cæsares. Contra quem plerique alii, nervosius tamen scripsere sanctus Ambrosius et Aurelius Prudentius libris duobus : hic versu hexametro, prosa alius. Est videre ex illa ipsa oratione, quanta ille, quamque exquisita fuerit dicendi facultate : tanta nempe, ut homo exquisitissimi judicii Angelus Politianus eum, nec immerito, in veterum oratorum Albo retulerit. Licet quoque ex hoc epistolarum familiarium libello nonnihil cognoscere : qui cum vulgo in auctorem Boetii socerum transferretur, essentque hujus erroris assertores nonnulli, qui se omnium historiarum conscios professi, ignavissimo vaframento non in aulas modò, sed in ipsos etiam animos principales (heu tempora!) surrepserunt ; non ferendam existimavi procacem illorum ignorantiam : sed liberali judicio prolem parenti suam restituens, ostendi quam vana sit eorum commentatio, qui historiam arbitratu suo commiiscuntur : et (quod ne Deus quidem possit) in præteritum disponunt, vel refragante temporum fide ; ut in hoc quoque loco videre licet. Neque enim Symmachus ille Boetii socer (qui anno Domini 521, a Theodorico occisus est) ullam Valentiniano epistolam, nisi vel in canis scripsisse potuit : vel (si *Palingenesiam* concedimus) ex campo Elysio priusquam denuo nasceretur. Sed quo mihi circulatores istos? cujus hoc institutum impræsentiarum fuerat, epistolas Symmachi commendare antiquitatis et litteraturæ cultioris amatoribus : quas etsi non tam emendatas legerint, quam ille scripsit elegantes, scio tamen his gratias habebunt, qui eas ita prodire maluerint quam prorsus interire. Neque enim tantum depravatoribus cessit ut non bona pars integra restiterit, quæ nasutis etiam lectoribus factura sit stomachum.

Digitized by Google

ELOGIA SYMMACHIANA.

MACROBIUS, *lib.* V *Saturnal., cap.* 1.

Quatuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi : copiosum, in quo Cicero dominatur : breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni ascribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.

AURELIUS PRUDENTIUS,

Lib. I contra Symmachum.

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse.
Tullius! has fundit dives facundia gemmas.
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Prætulit, et liquidam temeravit crimine vocem.
Haud aliter quam si rostris quis tentet eburnis
Cænosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonius ulnas.
Non vereor ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi.
Non ausim conferre pedem, nec spicula tantæ
Indocilis fandi conjecta lacessere linguæ.
Illæsus maneat liber, excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.

Idem in præfatione lib. II.

Sum plane temerarius,
Qui nocti mihi conscius,
Quam vitæ in tenebris ago,
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri,
Quo nunc nemo disertior.
Exsultat, fremit, intonat,
Ventisque alloquii tumet,
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis.

Et alio loco.

Talia principibus dicta interfantibus, ille
Prosequitur, magnisque tubam concentibus inflat.
Allegat morem veterum.

AMMIANUS MARCELLINUS, *lib.* XXVII.

Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum, atque modestiæ, quo instante Urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur, et ambitioso ponte exsultat atque firmissimo, quem condidit ipse, et magna civium lætitia dedicavit, ingratorum, ut res docuit apertissima : qui consumptis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quod vilis quidam plebeius finxerat illum dixisse sine indicio ullo, vel teste : Libentius se vino proprio calcarias exstincturum, quam id venditurum pretiis quibus sperabatur.

DIVUS PROSPER AQUITANICUS, *de Promissionibus Dei, parte* III.

Cui Symmachus ille, mirabili eloquio et scientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in consistorio recitato, subtili arte, qua valuit, aram Victoriæ in senatu restitui, Christiano, ut noverat, principi intimavit. Quem statim a suis affectibus pulsum in centesimo lapide rhedæ non stratæ impositum, ea die manere præcepit.

A CAIUS SOL. APOLLINARIS SIDONIUS, *lib.* I, *epist.* 1.

Quinti Symmachi rotunditatem, Caii Plinii disciplinam, maturitatemque vestigiis præsumptuosis insecuturus.

Idem lib. VIII, *epist.* 10.

Ingentes præconiorum titulos moribus meis applicas. Sed si pudoris nostri fecisses utcunque rationem, Symmachianum illud te cogitare par fuit : *Ut vera laus ornat, ita falsa castigat.*

Idem SIDONIUS *ad Felicem consulem.*

Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multo minor ipse plus adoro,
Paulinum, Ampeliumque, Symmachumque.

ANONYMUS.

B *Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus :*
Prodigus in sensu, verbis angustus : abundans
Mente, sed ore minor : fructu non fronde beatus :
Sensus divitias verbi brevitate coarctat.

MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS, *lib. Variar.* II, *epist* 1.

Deinde retinetis facundissimi Symmachi eximium dictum. Specto feliciter virtutis ejus augmenta, qui differo laudare principia.

CASSIODORUS, *Histor. Tripart. lib.* IX, *cap.* 23.

Dum in Romana urbe Valentinianus et Theodosius morarentur, festivitates pro Victoria celebrantes, tunc suam bonitatem circa Symmachum exconsulem Theodosius imperator ostendit. Is enim Symmachus inter senatores præcipuus habebatur, eratque Romani eloquii eruditione mirabilis, cujus multi quoque C reperiuntur libri. Scripsit autem Maximi laudem, eamque recitavit : unde postea reus esse majestatis videbatur. Quamobrem mortem metuens, confugit in ecclesiam. Verum imperator, cum esset perfectissimæ Christianitatis, et non solum suæ fidei sacerdotes honoraret, sed etiam Novatianos, qui proxime ejus fidei decreta servarent, Leontio tunc episcopo Romano Ecclesiæ Novatianorum rogante beneficium conferens, Symmachum absolvit a crimine. Cumque veniam Symmachus meruisset, Apologeticum, id est, satisfactionalem librum ad Theodosium conscripsit imperatorem. *Hæc ille. Quæ etiam exstant apud Sozomenum Hist. Eccles. lib.* V, *cap.* 14; *et Nicephor. lib.* XII, *cap.* 21.

D *Versus Ennodi Ticinensis, de Epistola Ambrosii contra Symmachum, super ara Victoriæ, quando petens cultum ipsius, victus est Symmachus.*

Dicendi palmam Victoria tollit amico.
Transit ad Ambrosium, plus favet ira Deæ.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *in Chronico sub anno Domini* 407.

Rhadagaisus Scytha, cum ducentis millibus Gothorum a Scythia veniens, Italiam invadit. Ex hoc murmur multorum blasphemantium infremit in Christum. Christianitatis tempora culpantes, felicitatem attollunt : inter quos præcipue Symmachus orator furebat, qui etiam scriptis et epistolis suis agebat de idololatria, et de re-

Digitized by Google

petenda ara Victoriæ. Quorum latrantium ora injecto eis veritatis osse obstruxerunt Augustinus libro de Civitate Dei, et Orosius Historia sua. Prudentius quoque poeta luculento metrici operis libello blasphemias Symmachi refellit.

JOANNES CUSPINIANUS, *in Commentario consulum.*

Q. Symmachus, vir consularis, et Urbi præfectus eloquentissimus et doctissimus, Ausonii frater : qui causam gentilium deorum luculentissima oratione defendit apud Theodosium et Valentinianum imperatores : quæ oratio libro quinto (*in hac edit.* decimo) epistolarum inseritur. Contra quam ardentissime scripsit D. Ambrosius, et Aurelius Prudentius, qui circa hæc tempora floruit, duobus elegantissimis libris, versu heroico. Scripsit autem Epistolas quoque familiares elegantissimas, miræ brevitatis ac rotunditatis, Ciceronis Academiæ primus accola : quæ pro Caroli et Casparini epistolis certe sunt junioribus legendæ, et quas nostri sæculi duo clarissima lumina Pomponius Lætus et Angelus Politianus mire laudarunt. Habent enim elegantiam concinnam cum brevitate amabili, et hujus temporis gesta nonnulla explicant. Lege, lector, et lætaberis.

JACOBUS LECTIUS.

Fuit Symmacho vera facundia, solers ingenium et acutum : par sententiarum gravitas et venustas, si verba respicias, brevitas grata : sin altius sensum investiges, prolixa et multiplex eruditio. Adde sapientiæ civilis solidam atque abstrusam cognitionem. Adde raram sub imperatoribus sanctimoniam morum, et Romanam in jure suggerendo libertatem. Non ille rerum publicarum moderatoribus, aut jureconsultis, imprimis magnorum principum consiliariis aut secretariis, tractandus levi manu.

JOAN. JACOMOTTUS.

Cui thymus eloquii, brevitas cui docta, gravis cui
Sententiarum dignitas,
Principibus cui digna viris prudentia rerum,
Et felle non tincti sales,
Cui Themidos Latiæ decreta verenda placebunt,
Vigorque sollers : Huc ades.

CASPAR BARTHIUS. *Ableg. lib.* II, *cap.* 8.

Dici non potest, quanti merito suo æstimandæ sint Symmachi epistolæ. Non sane ob accuratam illam, et maxime ei generi scriptionis aptam brevitatem solum, sed propter sententias politicas tales atque ea copia, ut vel inde prudens aliquis reipublicæ cum gloria et emolumento administrandæ usum discere possit. Nulla ex iis est quæ non spiret genium quempiam viri in rebus egregii publici procurandis exercitati : nulla epistola est, quæ non integrum dogma politici alicujus syntagmatis propagare queat.

Q. AURELII SYMMACHI

V. C. COS. ORDIN. PRÆF. URBIS

EPISTOLARUM

LIBRI DECEM.

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS PATRI SUO.

Ne mihi vitio vertatur intermissio litterarum, malo esse promptus officii quam longa exspectatione vicissitudinis desidere : tum quod parentibus, non ad lancem, neque ad dimensum verba tribuenda sunt. Injurius videar, si summo vobiscum jure contendam. Nam præter æquum censet, qui inter dispares obsequium par requirit. Itaque sermo vester ex beneficio proficiscitur, noster ex debito. Hæc me, atque alia hujusmodi oppido perpulerunt, scribendi munus insuper non habere. Nunc vobis actuum nostrorum ordo pandendus est; libet enim non minus otii, quam negotii præstare rationem. Baulos Lucrina sede mutavimus : non quod ejus diversorii satietas ceperit nos, quod, cum diutius visitur, plus amatur : sed quod metus fuit ne si Baulorum mihi inolevisset affectio, cætera, quæ visenda sunt, displicerent. Ibi Acyndino conditori, ejusque majoribus *emmetra* verba libavi, et picturæ licentiam, quæ vestitum disparem singulis tribuit, in rationem coegi. Protelarem te paululum, ni vererer ne dilatione exspectatio minuatur. Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam.

Attica palla tegit socerum, toga picta parentem.
Præfuit ille sacris : hic dixit jura Quiriti.
At mihi castrensem quod mordet fibula vestem;
Auroræ in populis regum prætoria rexi.
Sed fasces pictura tacet; tu, respice fastos.

Scio te simul atque hæc legeris, actutum poetica plectra moturum. Nullus feceris, ne mei periculo gloriere. Ego te nostri vatis exemplo quasi quadam lege convenio. Liceat inter olores canoros anserem strepere. Silentium mihi, nisi præstiteris, imperabis. Quam nihil ans te metuam, vis probare? En tibi aliud allucinationis meæ prodo secretum, adhuc sollicitus

Digitized by Google

de priore. Audi versus ad Baulorum historiam pertinentes. A

Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit,
Eruta tergemini de lare Gerionis.
Inde vecens ætas corrupta Boalia Baulos
Nuncupat, occultis nominis indicio.
Ab dipo ad progeres dominos Fortuna cucurrit;
Fama loci obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam,
Contra Arpinatem qui stetit eloquio.
Hic consul clarum produxit Acyndinus ævum,
Quique dedit leges Orbitus Æneadis.
Hos inter juvenale decus, sed honore senili,
Bis seno celsus, Symmache, face cluis.
Sed te Baulorum necdum lenia otia quærunt,
Cura habeat juvenem publica pervigilem.

Nempe, deride, quod de me aliqua justo indulgentius prædicavi? Est hæc vera et digna reprehensio. Omnis B quippe ostentatio non caret suspicione mendacii: quia quid ab assumimus, proprium non putatur. Dehinc quod jactantia avaræ laudis multum decoquit de pudore. Possem dicere (si quis irreperit externus audi or) meos esse versiculos: efficerem utique, ut verecundiæ ignoscat, si esset ab altero profecta laudatio. Sed video opusculum non esse pœnitendum. Ita res crepera atque anceps dubium me habet, verecundiæ præmetuendum sit discrimen, an gloriæ. Tibi igitur, qui prudentia cæteris antistas, optationis hujus delego provinciam. Quid facto usus fiet ipse videris. Ego et infantiæ et imprudentiæ meæ patrem conscium non impudenter elegi. Vale.

EPIST. II.

PATER SYMMACHO.

Hoc est munus, quo se non sola possit jactare Campania; sed præterea Romæ aut Athenis in Gaecum loquendi honorem hujusmodi lingua vertatur. Quid enim concinnius epistola tua, quam nuper accepi? Quid versuum admixtione jucundius? Vere dicam tibi, plura legere volentibus celeriter terminata est. Quod utinam sensus aliquis eorum supersit! quorum imaginibus præscripta videmus epigrammata. Facile laudabunt tales successores laborum suorum, qui picturæ nitorem pulchrioribus verubus illuminarint. Et ego igitur gratulor non magis ostreis, et peloridibus abdomen, quam pectus eloquio tibi esse satiatum. Et quoniam pudorem meum ipse ordiendo solvisti, a nobis quoque accipe bonorum ætatis meæ exarata nuper elogia. Nam quia nihil est C quod agam, et, si nihil agam, subit me majorum meorum misera recordatio: inveni quod illis libellis, quos nuper dictaveram, possimus adjicere. Scis Terentium, *non Comicum*, sed Reatinum illum Romanæ eruditionis parentem, hebdomadon libros epigrammatum adjectione condiisse. Illud nos, si fors tulerit, conamur imitari. Sed quæ prima compegi, interim pauca misi, obtestatus te per Deum, ut si quid in his displicebit, emendes. Quod mihi pudendum non est. Nam si quid ex te placuerit, mea laus est, nec vito consortium, in quo talem non erubesco censorem.

Aradius Rufinus.

Princeps ingenio, fortunæ munere princeps,
Ætatis, Rufine, tuæ, cui prospera, cuique
Tristitiam tunidis æquabat gloria rebus.
Unus amor cunctis, et præsidium trepidorum.
Principibus quorum viguisti tempore, doctus
Aut calcaris ferre bonis, aut frena tyrannis.

Valerius Proculus.

Cum primis quos non oneravit gloria patrum
Ponemus Proculum, vitæ morumque decore,
Haud unquam indignum magnorum Poplicolarum.
Olli semper amor veri, et constantia, simplex
Cœlicolum cultus, non illum spernere posses:
Et quanquam reverendus erit, non deinde timebis.

Anicius Julianus.

Cujus opes, aut nobilitas, aut tanta potestas,
Cedenti cui non præluxit Anicius unus?
Acer ab ingenio, cunctisque accommodus idem.
Hic et carus erat conferre; juvare paratus:
Nam dives, tum celsus honoribus, attamen illis
Grandior, æternam complebat nomine Romam.

Petronius Probianus.

Jactet se Fortuna aliis, quos judice nullo
Lucem ad Romuleam sua sola licentia vexit.
Te, Probiane, pudor, te felix gratia, teque
Itala simplicitas morum, et solertia juvit.
Quocirca assiduus Augustis notus et hospes
Præmia magnorum retulisti dignus honorum.

Varianus.

Virtutem, Verme, tuam plus miror in armis,
Eoos dux Armenios cum cæde domares?
An magis eloquium, morum vitæque leporem?
Et (nisi in officiis, quoties tibi publica cura)
Quod vitam innocuis tenuisti tutus in artis.
Nullum ultra est virtutis opus: nam si esset, haberes.

Octogiata personis necnon et solus occurram. Et ideo in socerum atque avunculum nostros tibi delegamus epigrammata. Nam et Varronis libri diversis notantur auctoribus.

EPIST. III.

SYMMACHUS PATRI.

Summa afficior gratia, quod animadverto litteras meas tibi insubidas non videri: et in gravi dono habeo hanc apud vos esse de nostris epistolis censionem. Laudari quippe ab laudato viro rara est merces ingenii. Verum ut hoc mihi lætitiæ fuit, ita illud judicandi gratia opinor adjectum, si quid in tuis versibus sordulsset, id ut mei styli cura limaret. Næ ego sum stultus ac nihili, si os sublinitum mihi esse non sentio. Quid enim corrigi vel a me potest, vel in te fas est? Unus ætate nostra monetam Latialis eloquii Tullïana incude finxisti. Quidquid in poetis lepidum, apud oratores grave, in annalibus fidele, inter grammaticos eruditum fuit, solus hausisti, justus hæres veterum litterarum. Ne mihi verba dederis. Novi ego quid valeat adagio: sus Minervam. Apprime calles epicam disciplinam, non minus pedestrem lituum doctus inflare. Ain' tandem? orandi æque magnus et canendi, mœ n' te opis indignum mentiare? Haud æquum facis: neque me juvat falsa jactatio. Interea si nobis vacuas aures utendas datis, dicam quid diebus superioribus egerimus. Baiis remotis arbitris otiabar. Eo postquam rumor allatus est terræ filios convenire; oppido cavimus, ne sobriam solitudinem nostram sodalitas plebeia fuscaret. Ac primo Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneven-

Digitized by Google

tum me recepi. Ibi summo cultu omnium plausuque susceptus, tanto honore celebrabar, ut jam gravarer officiis. Salutatus enim, quæ non componeatur, onerosa est. Et urbe cum maxima sit, singuli ejus optimates vivi sunt mihi urbe majores, amantes litterarum, morumque mirabiles. Deum magna pars veneratur. Privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant. Nam postquam terra movit, nihil pene illis reliqui factum est, sed fracta opes infractos animos reperierunt. Pro se quisque operam boni civis affectat. Nox diei jungitur ad laborem. Unde nobis summa cura fuit abire ocius quam volebam : ne aut mihi dies dediti ab opere desiderent, aut eos occupatio geminata distenderet. Itaque Baianum sinum rursus accessi. Nam Baiæ id temporis jam silebant. Hinc vos munere salutationis impertio, doque nuntium, propere nos, Deo volente, esse redituros. Fors fuat hujusce promissi. Vestra tamen indulgentia affatum sepe tribunt, quasi diutius abfuturis. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS PATRI.

Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. Nam quæ in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis præmitere; quod hæc æque sobria, nec tamen casca sunt. Illa homo metallo cusa, torno exigi nescierunt. Et duriorem materiem, nisi fallor, adniteris. Ille Pythagoram, qui animas in æternitatem primus asseruit; ille Platonem, qui deos esse persuasit; ille Aristotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit; ille pauperem Curium, sed divitibus imperantem; ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit. Tu ruinam proximæ ætatis illuminas. Difficile factu est ut honor angustis rebus addatur. Me quoque jubes versibus tuis nonnulla subnectere. Haud ita Flaccus tuus præcepit in illis poeticæ artis edictis, quorum hoc memini esse principium, ne *humano capiti cervix equina* jungatur. Male itaque tibi contumacia negati officii, quam mihi imprudentia promissi operis displicere. Plura de hoc coram loquemur, quando hanc epistolam sequi paramus aut consequi. Tu cœpta perage, et tam solertis eloquii esto munificus. Ego tibi ut linguæ obsequia nego, ita aurium commodabo. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS PATRI.

Ne quidquam taciturnitatis incessimur, quibus summa cautio est officii prosequendi, fere ut nulla fuerit statio tot locorum, in qua hujus muneris ferias egerimus. Sed sane juvat animum pia sermonis exactio. Dulcis est enim querela, quæ nascitur ex indulgentia. Vos modo facile noveritis hanc expostulationem magis esse religiosam quam justam. Interea loci de Prænestina secessione siluisti, cujus mihi fama fecit indictum. Quam vellem delictis vestris improvisus obrepere ! Licet Campaniæ amœna præniteant, mihi tamen esse accommodatius agitare vobiscum, et spiraculis regionis illius æstivam fragrantiam temperare. Sed res familiaris inclinat. Ea nobis usquequaque visenda est, non ut quæstuum summa ditescat, sed ut spes agri voluntariis dispendiis fulciatur. Namque hic usus venit in nostram ætatem, ut rus, quod solebat alere, nunc alatur. Verum hæc missa facio, ne salutatio in querelam versa, minuat officii voluptatem. Date operam bonæ valetudini, et alloquio crebriori : quod cum petimus, sedulo pollicemur. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS PATRI.

Solent impatientes dilationis esse, qui sperant in se aliquid muneris conferendum. Hoc vero a vobis recens ortum videmus, ut suarum rerum munifici moram non ferant largiendi. Nunc nuper ad vos prædium lege venit, cujus me jure donastis. Cucurrit quæstus vester in meum commodum, et meliore voto fortunam estis imitati. Nam quod ex propinquæ bonis cum mœstitia sumpseratis, cum lætitia tradidistis. Quid, quod hanc liberalitatem cumulastis amplissimo testimonio ? Cujus ego honestamentum præopto muneribus. Nam qui opibus illaudatus juvatur, necessarium magis donum, quam justum præmium videtur adipisci. Igitur judicio vestro ago, atque habeo gratias, quantæ sunt maximæ, quod mihi honorem utrumque fecistis; et deos precor, ut datis in commune omnes longum fruamur, sintque ex nobis quibus Ostiense prædium nostro judicio, vestro tradamus exemplo. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS PATRI

Bono animo sumus, cum viam, promissi memores, inchoastis. Nunc properato opus est, ut dum anni tempus calet, autumni bona raptim frusmur. His quippe mensibus Campania nitet agri ubere et arbusti honore. Balæ imbre raro, sole modico temperantur; mensæ ab ædificiis copiosæ sunt, quibus tu amicorum catervas minaris. Sed mihi honestæ multitudinis nulla vitatio est. Et si bis tanto plures, quam scribis, adfuerint, bonam frugem feceris. Non deerit, quo famem pellant. Nam comitibus vestris utpote sobriis, cædundæ saginæ cura posterior est. Quousque longum loquor? Mitto verba, rem flagito. Occasionem arripere prudentis est. Si quid dilatione tineris adimitur, mora otii rependetur. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS PATRI.

Jamdudum vestri cupiunt Lucrina tacita, et liquida Baiana, et Puteoli adhuc celebres, et Sauli magnum silentes. Vos apud Coram rusticam, vel apud steriles Formias desidetis. Tandem si operæ est, contendite viam, et meliora terrarum animadvertite, ubi alte turbis quiescitur, ubi fruendis feriis nullus est modus.

Ubi corniger Lyæus
Operit superna vite,
Vulcanus æstuosis
Medium coquit cavernis.

Digitized by Google

Tenet jam pisce multo
Thetis et Baia sorores :
Calet unda, friget æthra,
Simul innatat choreis
Amathusium renidens,
Salis arbitra, et vaporis
Flos siderum Dione.

Num vobis videor quasi multæ luxuriæ ebrius, mentis insipere, atque adeo in poetas nomen dedisse? Nihil moror hanc litteraturam : loci potius, quam ingenii mei munus exercui. Sed si invitantia loquor, gradum tollite, ut et vos sitis læti præsentium, et nobis potiundi, quæ volumus, fortuna succedat. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS PATRI.

In metu fuimus, ne vos imber inhiberet. Sed verum est illud, quod poeta noster scriptum reliquit ; iter durum vicisse pietatem. Quare adventum vestri in diem placitam præstolamur. Dii modo auctores sint, ut quæ animo destinatis, nullis causationibus obstrepantur. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS PATRI.

Hanccine mihi esse fortunam, ut quoquo versum pedem gradumque contulero, exædificandum aliquid offeratur? velut me nunc Capuani prætorii instauratio in graves cogit expensas : cujus pars fatiscit incuria, pars negligenti dudum celeritate reparata, indecorum et imbecillum præstat habitaculum. His nisi properata cura subvenerit, aut pecuniæ postea dispendium cumulabitur, aut ruinæ. Nam quisquis hæc opera intermittit, amittit. Quare animus est amoliri ædium senectutem. Ita desiderato et expetito otio ad negotium concessimus sumptuosum. Quid rerum geramus, audistis. Facite vicissim vestræ salutis atque actuum prospera noverimus : ut hoc pauxillum tempus, quod in Campania paramus absumere, sine offensa vestri silentii transigamus. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS PATRI.

Cum jam filiæ nostræ dies natalis appeteret, commodum aderant, quæ muneri miseratis. Ea nobis in commune quam cara et gravia fuere. Nam si quid in absentes bene consulas, impensu majore gaudetur Illico amplexi litteras, quæ prosequebantur oblata, in exspectatione esse cœpimus, quam mox vobis capessendum iter Appiæ scriberetis. Nihil horum pagina nuntiabat. Percontor tabellarium, num constantiam decreti rerum subita turbassent. Ait sententiam nihil claudicare, sed placita differri, donec cunctatio Formiana multa fruge, et aliis hoc genus in usum necessariis instruatur. Tunc mihi animus ab ægritudine remigravit. Do fidem, nihil humili mensæ, nihil servitiis, aut pecori defuturum. Ne mihi sit dicti hujus posthac negatio, en vobis chirographi instar litteras. Sponsionem stipulat affectio. Neque enim patiar decipi, quos opto complecti. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS PATRI.

Censorum notio fuit spectare opera, quæ locassent. Hoc me negotium curare voluisti. Mos gestus imperatis; vel quod tibi dicto audiens esse debui, vel quod studio meo congruere mandatum munus agnovi. Habe igitur quantum in ædibus nostra cura promoverit. Scalis suppactus est honor marmoris : superiora conclavia crustis teguntur, ea operis levitate, ut compago solidum mentiatur. Columnas nihilo amplius mercatus es, quam si tibi muneri contigissent. Eas bithyno lapide cæsas, si bene oculis utor, existimo. Hactenus est, quod scire debueris. Deinceps tantum adjiciemus cognitioni tuæ, quantum ædificationi viderimus accedere. Vale.

EPIST. XIII

SYMMACHUS AUSONIO.

Solet facunda esse lætitia, et angustias clausi pectoris aspernata gestire. Tibi, amice, scribendi oblivionem peperit res secunda. Id mihi imitationi esse non potuit, quem domini nostri Gratiani cœlestis oratio bonæ spei et hilaritatis implevit. Ultro igitur alloqui desidem non peperci, officii, vel gaudii mei gratia : quorum alterum familiaritas nostra, alterum felicitas publica suggerebat. Nunc si operæ est, utendum mihi tantisper animum fac remittas. Primores calendæ Januariis appetebant. Frequens senatus maturrime in curiam veneramus, priusquam manifestus dies creperum noctis absolveret : forte rumor allatus est sermonem desiderati principis multa nocte venisse, et erat verum. Nam tabellarius vigiliarum fessus adstabat. Nondum cœlo albente concurritur luminibus accensis, novi sæculi fata recipiantur. Quid multa? lucem, quam adhuc opperiebamur, accipimus. Dic mihi, inquies (nam id præstat audire), quid nostri patres super ea oratione senserunt? Rerum tibi natura respondeat, quibus suffragiis exoptata pietas audiatur. Novimus bona nostra complecti. Si credis, etiamnum illius gaudii mei quamdam patior cruditatem. Bonus Nerva, Trajanus strenuus, Antonius pius, innocens Marcus plenis officii temporibus adjuti sunt, quæ tunc mores alios nesciebant. Hic in laude est natura principis ; ibi priscæ munus ætatis. Cur verso ordine ista optimarum artium putemus exempla, et illa de sæculo priore vestigia? Vetus officium suum fortuna tueatur, et has saltim Romano nomini velit servare delicias. Nullo fascino felicitas publica mordeatur. Audisti omnia, sed summotenus ore libata. Monumenta curiæ nostræ plenius tecum loquentur. Ubi cum plura rescripta repereris ; æstima, quanto uberiora unius mens optaverit, quam plausus effuderit. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Petis a me litteras longiores. Est hoc in nos veri amoris indicium. Sed ego qui sum paupertini ingenii mei mihi conscius, Laconicæ malo studere brevitati, quam multijugis paginis infantiæ maciem publi

Digitized by Google

care. Nec mirum si eloquii nostri vena tenuata est; quam dudum neque ullius poematis tui, neque pedestrium voluminum lectione juvisti. Unde igitur sermonis mei largam poscis usuram, qui nihil litterati fenoris credidisti? Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, divinis a te versibus consecratus: sed tantum nostra ora prælabitur. Cur me istius libelli, quæso, exsortem esse voluisti? aut *amusos* tibi videbar, qui dijudicare non possem; aut certe malignus, qui laudare nescirem. Itaque vel ingenio meo plurimum, vel moribus, derogasti. Ego tamen contra interdictum tuum mox ad illius operis arcana perveni. Velim reticere, quid sentiam: velim de te justo silentio vindicari, sed admiratio scriptorum sensum frangit injuriæ. Novi enim istum fluvium, cum æternorum principum jam pridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis. Nunc improviso clarorum versuum dignitate Ægyptio Melone majorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque hoc nostro populari Fucino reddidisti. Nequaquam tibi crederem, de Mosellæ ortu ac meatu magna narranti, nisi certo scirem quod nec in poemate mentiaris. Unde illa amnicorum piscium examina reperisti? quam nominibus varia, tam coloribus, ut magnitudine distantia, sic sapore; quæ pigmentis istius carminis supra naturæ dona fucasti. Atqui in tuis mensis sæpe versatus, cum pleraque alia, quæ tunc in prætorio erant, esui objecta mirarer; nunquam hoc genus piscium deprehendi. Quando hi pisces in libro tibi nati sunt, qui in fercults non fuerunt? Jocari me putas, atque agere nugas? Ita me diis probabilem præstem! ut ego tuum carmen libris Maronis adjungo. Sed jam desinam mei oblitus doloris, inhærere laudibus tuis, ne hoc quoque ad gloriam tuam accedat, quod te miramur offensi. Spargas licet volumina, et me semper excipias: fruemur tamen tuo opere, sed aliorum benignitate. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Pene evenerat, ut tecum succincta brevitate loqueremur, quoniam deerant digna memoratu: et in defectu rerum nihil opus est indulgere verbis. Sed tempestive Palladii rhetoris nostri declamatio auxit paginam. Ea complacita summatibus litterarum, clam te esse non debuit. Itaque cum et meo officio, et tuo studio talis relatio conveniret, vix soluto cœtu, necdum eventilatam auditionis meæ fidem judicio calente dictavi. Movit novus Athenæi hospes Latiare concilium, divisionis arte, inventionum copia, gravitate sensuum, luce verborum. Opinione mea dico: tam probus est oratione quam moribus. Tunc nostrates viri, qui inter se aliarum rerum sæpe dissentiunt, concordem sententiam super hujus laude tenuerunt. Credo plane, nec fides cassa est, rhetorum hanc esse prosapiam. Nam plenum ingenio pectus noscitur. Nec solus vultus, aut colos, asserit posteros in honorem parentum. Certiores habet natura vindicias bene sentiendi, ac bene loquendi. Gignuntur, non scribuntur hæredes. Quod alii docentur, hic natus est. Hæc apud te, mi domine, silenda non credidi, et quod præ tui amore nihil habeo pensi; et quod vicissim, quanti a te fiam, nunquam me pœnitet. Quod Palladio factum volo, ne lateant honesta prolatu. Cura ut valeas; et quoniam tibi facultas scribendi præsto est, adhibe voluntatem. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Sæpe unanimitatis tuæ sermone convenior, ut de acceptis litteris, quas ad me cura propensiore misisti, vel scribam; quibus ego, ut quæque redditæ sunt, actutum pari religione respondi: quia neque rescriptorum ratio, neque amoris vicissitudo sinebat diutius desidere. Nunc quoque agere me atque habere gratias protestor, quod prospera nuntiorum clam me esse non pateris. Hæc et alia prioribus quoque litteris tecum fueram collocutus. Sed si te tabellarii sermonis mei compotem reddiderunt, congesta non onerant. Malo quippe aures tuas iterando obtundere, quam fraudare reticendo. Fratris mei Hesperii honore exsulto, taciturnitate convulneror. Nam si me sui amantem usu rerum probavit, scriptis famam decuit prævenire, quæ diu incerta fluxam fidem gaudiis exhibebat. Ipse igitur nuntius communis boni esse debuerat, ut epistolæ assertio nihil relinqueret opinionis ambiguo. Sed dicis, eum pudore præstrictum, successuum suorum vitasse jactantiam. Quisquamne, cum de se apud seipsum loquitur, erubescit? Quid quod eam rem mihi supersedit ingerere, quam juste ad utrumque noverat pertinere? Verum ego, ut religiose ista conqueror, ita libenter omitto: quia nec amori in vos meo convenit silere, quod doleam, nec amicitiæ incussi doloris transire mensuram. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Ambrosium de summatibus provincialis fori ad dominos et principes nostros Siciliæ commune legavit, variis instructum mandatis, quæ spectare visa sunt bonum publicum. Huic si fautor accesseris futurum reor, ut illi pro labore fructus accommodet. Quæso igitur vel legationis merito, vel meo nomine in optimum virum bene consulas, qui satis animi confirmatus est, suffragio tuo successuram facilitatem petitionibus promovendis. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Ego etsi continuis litteris honorem tuum celebrare possem; non satis mihi viderer proquam res postulat, fungi debitum meum: tantum abest, ut operam assiduitatis exprobrem. Sed ut hoc meæ verecundiæ competit; ita tuæ humanitatis est, studium nostrum pari gratia sustinere. Animadverte quo tendat summa verborum. Jamdudum nihil tribuis, quod legamus. Totum me, inquies, emancipavit sibi cura prætorii. Verum est. Potiris merito summa judicia. Sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat.

Digitized by Google

Proinde his etiam rebus intende, quæ tua occupatis nihil molestiæ afferunt, ut ipsas molestias pleruinque solentur. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS AUSONIO.

Qui sua fiducia deseruntur, epistolæ meæ in unam commendationis accipient. Id nunc aliter est. Nam fratri meo Potito hac conditione litteras dedi, ut eas ipse commendet. Est enim nihilo secius atque ego sum de sanctitudine amicorum tuorum : qui ubi te compotem fecerit præsentiæ suæ, vereor ne excusatio mea ignoscenda non sit. Sed si mihi placabilitas tua experiundo probe cognita est, futurum reor, non ut me, qui recedi, collatione alterius venientis incusses, sed ut illum magis pro utroque suscipias. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS AUSONIO.

Abunde gaudio, cum te consulem novus annus excipiat. Sed nunc transcurso est opus. Plenius enim secundis litteris contestabor hujusmodi de te gratulationem. Alius in præsentia mihi sermo suscendus est. Patrissans e. v. accitu tuo iter adornans, in rem suam fore existimavit, si meo testimonio niteretur. Hinc ego nihil per me accessurum putavi : et tamen deesse nolui, sciens judicio ergo illum tuo nihil adjici posse si astiterem; decessurum tamen aliquid meo officio, si tacerem. Unum est igitur, quod oratum te atque exoratum volo, ut inceat gratiam suscepti laboris, præter cum fructum, qui illi ex tuo conspectu, tuo congressu tuo honore, proveniet. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemella facie junctim locarunt; commenti, quod in te videmus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis. Sed enim propter eas Camœnarum religio sacro fonti advertitur; quia iter ad capessendos magistratus sæpe litteris promovetur. Hæc parentum instituta consulatus tui argumenta sunt : cui morum gravitas et disciplinarum vetustas, curulis sellæ insigne pepererunt. Multi posthac adnitentur artes bonas, et laudes germanas et meras litteras. Sin ignoramus Magnum illum, cujus supra votum fortuna fluxit, Stagiritæ suo nihilum commodasse, nisi Quinto Ennio ex Ætolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolorat. Enimvero neque Panætio Africanorum secundus, neque Opillo Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia solverunt. At nunc eruditissimus imperator, et opum largus et honorum, quasi pro usura tibi præmia detulerit, ita super sortem fenoris reddit. In hac tanta lætitia mea, quibus verbis diluam, quod adesse non possum? Nimis vereor, ne male interpretatus excusationem meam, quantum tibi gratuler parum credas. Optavi ad oculos tuos raptim venire · sed fessus virium, quas diu morbus exhausit, itiones longas et mansiones asperas, tum sepessiones frigorum, et decessiones dierum, quamque alie sunt nostræ opportuna vitavi. Si sum tibi spectatus ex animo, quasso ut equus sis mihi, atque has allegationes boni consulas. Fors fiat, ut obtineamus apud te veterem gratiam : nunc quod satis est, eluctemur offensam.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Gaudeo me tibi pluris esse, quam cæteros : quando ita animatus es, ut sponte in rem meam consulas, nec opperiaris petitiones, sed solam voluntatis meæ famam sequaris. Accepi exactiones quatuor, immane quantum commodas in excursus et recursus mearum. Dii te pro tanta gratia munerentur : et quia perfectis atque elatis in cumulum bonis nihil adjici potest, velint tuta manere, et propria, quæ dederunt, Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Post longum silentium quum non minus desiderabam quam sperabam litteras longiores. Namque his vicibus humana variantur, ut defectui succedat ubertas. Ea me opinio frustra habuit : siquidem brevis in manus meas pagina recens a te profecta pervenit. Erat quidem illa Attalis epibus aspersa et thymo odora; sed pessior, quam magis fastidium detergeret, quam famem frangeret. Quid? si ego cenas depellas, et saliare convivium, tum visceretiones, atque epulum postulassem : tu mihi mensas secundas, et seitamenta exigua lancis apponeres? Fac venisse in mentem, quid Graeca super hoc dicat oratio. *Parvis nutrimentis*, inquit, *quamquam a morte defendimur, nihil tamen ad robustam valetudinem promovemur.* Putasne me de occupationibus tuis esse taciturum? Quæstor es, memini : consilii regalis particeps, scio : adde huc alia mille rerum. Nunquam evenit, ut ingenium tuum labor deterat, benignitatem cura flectat, facundiam meus exhauriat. Si diurna negotia nunquam distingues quiete; certe antelucano somno nullas indulseris, ut detur aliquod tempus officiis. An tibi parum exempli videtur in comico, cum ait: *Quam vellem, etiam nocte amicis operam meam esse dari!* Sed cur ego diutius sermonis pauper obgannio? Imitanda est mihi epistola recens, ut cætera morum tuorum : forte occupatus recenses litteras longiores. Id ita esse recte conjecto. Video enim, quam nolis multa legere, cui vix est otium pauca dictare. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Si te amor habet naturalis historiæ quam Plinius elaboravit, ea tibi libellus, quorum præsentanea copia fuit : in quis, ut arbitror opulentæ eruditioni tuæ negligens veritatis librarius displicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quam alieni operis examine. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Etsi plerumque vera est apud parentes prædicatio filiorum, nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patitur, dum personarum spectare gratiam judicatur. Quæro igitur incertus animi, quæ mihi nunc potissimum super viro honorabili Thalassio genero tuo verba sumenda sint. Si parce morum ejus decora attingam, liventi similis æstimabor : si juste prosequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Sallustiani testimonii castigationem. Habes virum dignum te, et per te familia consulari; quem fortuna honori patris majorem benefidis suis reperit, emendatio animi et sanctitas honoribus æquiparavit. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Ubi apud te ôducia, quam dedisti. Dudum parcus es litterarum, sed non imitabor exemplum : ut qui noverim, vino in speculo honorum laceto, et ideo varia et magna cpranti, non tam studium deesse quam copiam. Ea quippe natura est rerum, ut quæ præter industriam negliguntur, ignoscenda dicantur. Ego tamen securus, ut soleo, amoris tui, solemne officium non reputo : in summa gratia et honore positurus, si familiari meo, qui has tibi litteras dabit, fructus aliquis pro tanta in nos adulitate responderit. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Quid agam scire postulas. Opperior in dies litteras, quales nunc mihi facultas tua promittit, amor semper exhibuit. Sum vero præsentium lætus, ut qui sciam insidiatori meo nihil loci relictum, atque insuper tibi, cui factum semper volo, meritam polliceri fortunam. Ergo quando res ita tulit, ut sollicita mutarentur : optati sermonis tui fructum feramus qui animum mihi exaugeat, atque indicet, pro tanta retro familiaritate, mei te oppido esse cupientem. Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Facis pro mutua diligentia et antiquitate amicitiæ nostræ, quod honorem tuum viros meas esse confirmas. Convenit dictum cum fide morum tuorum, nec unquam te dissimilem scriptis talibus dies arguerit : tantum fortuna munifica prosperorum secundet optata. Longum de his loqui cautio est, ne blanditiæ longiores corrumpant veri dignitatem. Si quid de me scito opus fuerit, frater meus Claudius, et cultui tuo deditus, et studii mei gnarus expediet. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS AUSONIO.

Nihil moror cæteros, vulgus ignobile, qui philosophiam fastu et habitu mentiuntur. Paucos (et in his præcipue familiarem meum Barachum) nostra ætas tulit, quorum germana sapientia ad vetustatem A vergeret. Tunc, inquies, audeas de philosophis judicare? Licet alienas spectare virtutes. Nam et Phidiæ Olympium Jovem, et Mironis bunulam, et Polycleti Canephoras, rudis ejus artis hominum pars magna mirata est. Intelligendi natura indulgentius patet. Alioqui præclara rerum paucis probarentur, si boni cujusque sensus, etiam ad imparos non veniret. Concede igitur mihi de Barachо testis officium, et amicitiam viri prudentis amplectere : cujus exploratio brevi faciet, ut mihi de omnibus, quæ scio, æque facile credas; cum videas, nec in his falsum esse, quæ nescio. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS AUSONIO.

En tibi rusticum vix urbanis negotiis absolutum : B qui velo pro nostra amicitia morarum culpam remittas. Neque enim laboris fuga indulsit quieti. Difficile est hinc abire, cum venerie : adeo si contemplari majestatem urbis nostræ velis, justo citius videbitur revertisse. Sed de hoc non laboro, quando ita es ingenio placabili inter reliqua virtutum, ut boni consulas errata leviora. Illud orare impensius convenit, tanta ut animo tuo scribendi cura sit, quanto me amore digneris. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Merum gaudium mihi eruditionis tuæ scripta tribuerant, quæ Capuæ lectus accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle festivitas, et sermonis mei non tam vera quam blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, sententiæ incertus addubito, ornamenta C oris an pectoris tui. Quippe ita facundia omnibus ceteris, ut sit formido rescribere : ita benigne nostra comprobas, ut libeat non tacere. Si plura de te prædicem, videbor mutuum scabere, et magis imitator tui eloquii, quam probator. Simul quod ipse nihil ostentandi gratia facis, verendum est, genuina in te bona tanquam affectata laudare. Unum hoc tamen a nobis indubitata veritate cognosce, neminem esse mortalium, quem prm te diligam : sic vadatum me honorabili amore tenuisti. Sed in eo mihi verecundus nimio plus videris, quod libelli tui arguis proditorem. Nam facilius est ardentes favillas ore comprimere, quam luculenti operis servare secretum. Cum semel a te carmen profectum est, jus omne posuisti. D Oratio publicata, res libera est. An vereris æmuli venena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur? Tibi uni nihil ad hoc locorum gratiæ præstitit, aut dempsit invidia. Ingratis acuvo cuique probaque laudabilis es. Proinde cassas dehinc secludo formidines, et indulge stylo, ut sæpe prodaris. Certe aliquod didascalicum seu protrepticum nostro quoque nomini carmen adjudica. Fac periculum silentii mei, quod etsi tibi exhibere opto, tamen spondere non audeo. Novi ego quæ sit prorigo emittendi operis, quod probaris. Nam quodam pacto societatem laudis affectat, qui aliena bene dicta primus enuntiat. Ea propter in comœdiis summatem quidem gloriam scriptores tulerunt : Roscio tamen atque Ambivio

Digitized by Google

cæterisque actoribus fama non defuit. Ergo tali negotio expende otium tuum, et novis voluminibus jejunia nostra sustenta. Quod si jactantiæ fugax garrulum indicem pertimescis, præsta etiam silentium mihi, ut tuto simulem esse nostra, quæ scripseris. Vale.

EPIST. XXXII.

AUSONIUS SYMMACHO.

Modo intelligo, quam mellea res sit oratio, quam delenifica, et quam suada facundia. Persuasisti mihi, quod epistolæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana non esset. Sed hoc non diutius, quam dum paginam tuam legi, quæ me blanditiis inhiantem suis, veluti succo nectaris delibuta perducit. Ubi enim chartulam pono et meipsum interrogo, tum absynthium merum resipit, et circumlita melle pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior; et retrorsum ille suavissimus, ille floridus tui sermonis afflatus, deposita lectione vanescit, et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me velut aerius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur, oblectat; chamæleontis bestiolæ vice, quæ de subjectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea. Et iis me audes facundissimorum hominum laude dignari? tu, inquam, mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti. Haud quisquam ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat. Quis ita Æsopi venustatem, quis sophisticas Socratis conclusiones, enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat? Quis ita affectet singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? Hæc, domine mi, fili Symmache, non vereor ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. Et expertus es fidem meæ mentis atque dictorum, cum in comitatu degimus ambo, ævo dispari : ubi tu veteris militiæ præmia tiro meruisti, ego tirocinium jam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui : nedum me peregre existimes composita fabulari. In comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit, me tibi et parenti, et amico, et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his; ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere. Illud quod pene præterit, qua affectione addidisti, ut didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem? Ego te docebo docendus adhuc, si essem id ætatis, ut discerem? aut ego te vegetum et alacrem commovebo? Eadem opera et Musas hortabor ut canant; et maria ut effluant; et auras ut vegeant; et ignes ut caleant admonebo : et si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluus instigator agitabo. Satis est unius erroris, quod aliquod meorum me renitente vulgatum est, quod bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra evenisset, nec tu mihi persuaderes, placere me posse. Hæc ad litteras tuas responsa sint. Cætera quæ noscere aves, compendifaciam : sic jam quoque longa est epistola. Julianum tamen familiarem domus nostræ si quid de nobis percontandum arbitraris, tibi allego : simul admoneo, ut cum causam ejus adventus agnoveris, juves studium, quod ex parte fovisti. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Aiunt cochleas, cum sitiunt aeris, atque illis de cœlo nihil liquitur, succo proprio victitare. Ea res mihi usu venit, qui desertus eloquii tui pastu, meo adhuc rore sustentor. Diu scribendi operam protulisti, et vereor ne forte in nos parentis claudat affectio. Si falsum me opinio habet, facito cæteris negotiis tuis respondendi cura prævertat. Vale.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Plenum laboris negotium gero, qui compellare toties tacitum persevero. Contra nisi instare pergo, atque exsculpere a te aliquid litterarum, gliscet oblivio. Sive igitur hoc officium meum sedulum judicas, seu molestum; stat sententia, honorem suum celebrem præstare colloquiis : adeo mihi veteris in te amoris nulla discessio est. Et merito : nam amicitiæ operam nusquam locavi æque bene. Propterea silentium tuum conqueror. Facit enim tenerior affectio, ut sit querela proclivior. Mollis est animus diligentis; et ad omnem sensum doloris argutus. Si negligentius tractes, cito marcet, ut rosa : si durius teneas, livet ut lilia. Legisse memini, vultu etiam sæpe lædi pietatem. Quid ille tam serius arbiter super continuo silentio ac dissimulato scribendi munere censuisset? Tecum hæc pensius æstimabis. Mihi religio fuit, tegere, quæ dolebant. Nam ut in te animi usque pendeo; ita opere maximo usuram tuæ unanimitatis exspecto. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS AUSONIO.

Diu in Campaniæ secessibus otiatus, occasione carui scriptionum. Ideo paulisper sermonis mei circa te munus intepuit. Sed ubi in patriam pedem retuli, antiqua mihi fuit instaurandi officii diligentia. Ergo debito honore salutationis te impertio, utrumque deposcens; ut et silentio superiori venia justa præstetur, et præsenti obsequio vicissitudo respondeat. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Interpello occupationes assiduitate colloquii. Nam et ipse hujusmodi pascor officio, et peregrinationem tuam talibus solatiis credo recreari. Tuas autem litteras vicissim exspecto; non exigo. Injurium quippe est, magnopere flagitare quod speres; ne quod est voluntarium, videatur extortum. Sane fratri meo Innocentio gratulor, amicitias tuas, priusquam scriberem, contigisse : quia facilior mihi cœpit esse ejus commendatio, quem probasti, quam fuisset incogniti. Itaque hoc unum beneficii expostulo, ut qui sui emendatione jam nititur; testimonii nostri gratia cumulatius diligatur. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Non frustra prædicant : Mentes hominum nitere liquido die, coacta nube flaccescere. Meus animus fidem facit exemplo. Nam quoties tibi scribo, ex sententia usus verborum suppetit, quorum alias suppellex mihi desit. Quippe lætitia loquax res est, atque ostentatrix sui : adeo magnæ parti hominum ab hoc morbo nulla cautio est. Patere igitur, quæ ad laudes tuas pertinent, obloquentem, vir quantum est hominum in terris spectatissime; qui ex summis copiis vigiliam pro meis rebus anniteris, et amicitiam stabili diligentia perseveras. Si fides seria cuiquam fuit, tibi puto esse: quam plerique verbo ostentant, opere deserunt : quod genus nulli rei est, nisi ad loquendum. Merito processus tuos in meo ære duco: quando juxta magnæ curæ sum tibi, atque cum maxime fui. Superest tamen aliquid, quod huic in me studio adjici velim. Nolo memineris, quod aliquando animo tuo succensui. Amor fiduciam nutrit. Quid tam liberum, quam amicitia? Negotiis plerumque apposita est expostulatio sine labe concordiæ. Ita verum est, quod hodie tibi gratias ago, ut illud non potuerim dissimulare, quod dolui. Cassa fide sunt, qui jugiter blandiuntur. Sed quid diutius ea retexo, quorum te oblivisci volo? Esto, ut es, benigna in me voluntate: quod ego sperandum magis a te sentio quam petendum. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Falso creditur judicii nesciam esse fortunam. Illa vero et præteritorum memor, et præsentium diligens, et prudens futuri, tibi rependit, quidquid cæteris præstitit. Non ergo vana, neque erratica est : a qua scimus alios domum cœpisse, te præmium. Quis tibi honoris nostri (inquies) fecit indicium? Celebritas famæ, cui justa narranti statim creditur. An opperirer super hoc tuas litteras, quas verecundia differebat? Minime; siquidem difficilis est patientia gaudiorum. Fungor igitur, ut vides, partibus tuis, et quæ debui cognoscere malui quodammodo nuntiare. Sed nolo ista properatio litterarum mearum tuum munus impediat. Scire me, quod nunc scribo, dissimula, et tribue quasi novum nuntium, quem ego gratulabor iteratum. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS AUSONIO.

Scio quidem litteras meas tibi sero reddendas, vel propter occupationes, quæ te in procinctu aliquantisper tenebunt; vel quod frater meus Gorgonius, admirator virtutum tuarum, diutinæ apud Picentes indulgebit quieti. Ut ut est tamen ista conditio, supersedendum officio non putavi. Fors fuat, an hæc mature in manus tuas scripta sint ventura. Ego tamen quantum per commeantes licebit, justi muneris operam non reparcam. Vale.

EPIST. XL.

SYMMACHUS AUSONIO.

Non novum aut incognitum, sed compertum jam fide et sedulitate militiæ, sanctum Victorem amicum meum promptus commendator insinuo, quem ad hoc ævi nulla actuum culpa fuscavit; sed fortunæ licentia (interdum optimos decolorans) spes ejus paulisper infregit, quas in integrum sæculi beatitudo restituet, si innocentiam supplicis secundo favore respexeris. Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS AUSONIO.

Facio rem, cum tuis moribus, tum meo studio congruentem, ut præstantissimo viro amicitias optimi cujusque conciliem : velut nunc tibi a me traditur philosophiæ candidatus; cujus pudorem, vel prima facies; cætera bona longus usus expediet. Hunc ego abs te nollem diligi, ni mereretur probari. Sed si bene æstimo, actutum merebitur, atque ideo diligenter de hoc nihil amplius oro. Neque enim præjudicio meo debet astringi, cujus exspecto judicium. Illud te potius oratum volo, ut nostri diligentiam perseveres. Quod cum efflagito, vereor ne me injurium putes, qui a te postulem, quod sponte præstaturus es. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Compensasti longum silentium gemina scriptione. Pariter enim binas litteras præbuisti, desiderium meum officio largiore complexus. Ex quo adverti, non voluntatem tibi hactenus, sed bajulum defuisse. Neque enim aliter potuisset accidere, ut me tandiu sermonis tui honore fraudares. Merito apud nos in dies singulos tui cultus augescit, et justo cumulo crescit affectio. Namque ita usu comparatum videmus, ut amicitia bene locata, experiundo quotidie provehatur. Sed de ista parte verbis supersedendum est. Neque enim me oportet dicere, quæ te malo sentire. Comperi sane ex litteris tuis, quantoperè publici muneris absolutionem requiras, et stupere me fateor, tantum tibi administrationis ejus esse fastidium, cui fructus optabiles omnium amor spondet. An est aliquid tenacius gloria, quæ laudem adjicit voluptati? sed tamen cura non deerit, ut potiaris : tu tantum peregrinationem solare justo amore provinciæ. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS AUSONIO.

Vetus sententia est : Artes honore nutriri. Eam nostræ ætatis usus confirmavit. Nemo enim belli notus, aut domi clarus exsortem præmii sensit industriam. Ita cum dignis fructus tribuitur, eamdem viam capessentibus spes paratur. Glisco igitur gaudio, cum propter alios, quibus fortunam solers vita conciliat; tum maxime Juliani fratris mei gratia, quem sic a te diligi volo, probari posse confido. Scis nempe, in illo forensi pulvere quam rara cognatio sit facundioris et boni pectoris : dum aut modestum ingenium verecundia contrahitur; aut successu eloquens insolescit. Hæc in meo familiari ac necessario ea societate viguerunt, ut neque objectu pudoris arceret, nec cum detrimento frontis affluereret. Nunquam in mercedem ornamenta linguæ corrupit. Merito ac for-

Digitized by Google

tunis tenuis, opulentiam fide, quæsitum laude mutavit. Hunc tibi in manum, vel magis in animum libens trado. Nam mihi summa curatio est ut amicitiam tuam boni uberent. Te quoque idem velle, habeo compertum. Semper enim natura gaudet æqualibus; et familiare sibi est omne quod simile est. Sed ne prolixo testimonio suspicionem laudatoris incurram; quæso ipse de eo judices examine pensiore. Ita cum illius institutum probaveris, periculum judicii mei feceris. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Meretur indulgentia in me tua, ut ea, quæ proximè laudi mihi fuerunt, clam te esse non patiar. Credo indicium fecisse tibi famam, quod parentem meum ruri atque in secessu amissæ domus injuriam decoquentem, frequentibus suffragiis; denique oratoribus missis, novo honore senatus accíverit. Qua causa ubi primum facultatem loquendi apud collegas attulit dies, egit ille senatui gratias, ea facundiæ gravitate, qua notus est. Calendæ tunc erant, quibus annus aperitur. Brevi intervallo cum familiaris mei Trigetii filio prætorio candidato actionis operam spopondissem, animum religio convenit ut occasione destinati officii obirem munus adhuc a me patri debitum; sed, ut dixi, ab illo senatui jam solutum. Ergo ad quintum idus Januarii verba feci in amplissimo ordine: quæ ubi in manus tuas venerint, ex tuo animo conjicies judicia cæterorum. Ego sub incerto examinis tui, aliorum sententias occulendas putavi, ne te præjudicio tanti ordinis viderer urgere. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Auctus sum gaudio, quod valetudo tecum revertit in gratiam. Nam semper incolumitas tua voti mei summa est. Nunc si diis volentibus reconciliatæ vires animi tui integraverunt vigorem, facito epistolæ tuæ multijugis paginis augeantur. Odi parcimoniam verborum bonorum. Scribendi quippe brevitas, magis fastidio, quam officio proxima est. Nolo litteras de summo ore stillantes. Illas peto, quæ arescere nesciunt; quæ ex intimo pectoris fonte promuntur. Memini brevitatem Spartanam laudi quondam fuisse. Sed ego tecum Romanis legibus ago, et si ita vis, Atticis: quibus tantum decus a facundia fuit, ut mihi videantur Lacones metu collationis in diversum studia destinasse. Vellem plura; sed tuo modo compungendus es. Simul cautio est, ne te sermo multos offendat. Instituto igitur meo calcem pono, dum tuo pareo. Qua ex re intelliges, eo te invidiæ et conditionis adductum, quasi a me pauca scribi velis, nisi multa rescripseris. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Potui facere scripta compendii, cum tibi germanus meus verbis suis uberius satisfaceturus videretur, quam ego meis litteris. Sed in majore lucro officia honesta, quam otia multa ponenda sunt. Ergo neque tacito opus est, ut honor amicitiæ mihi feratur accepto; neque omnia mandata sunt litteris, ut illi aliquid ad narrandum relinquatur. Accipe tamen rerum capita, et summas negotiorum, quibus frater admonitus, quæsitá latius exsequatur. Convenit inter sacerdotes, ut in custodiam civium publico obsequio traderemus curam deorum. Benignitas enim superioris, nisi cultu teneatur, amittitur. Ergo multo tanto ornatior, quam solebat, cœlestis factus est honor. Exspectare mihi videris omnia, quæ supersunt. Titianus meus fungetur indicium, cui indulgentius narrandi quod velis, opera legata est. Edictum principum, nihil jam notum est, idem tibi assertor expediet. Statuas etiam recepistis iisdem pene populi acclamationibus, quibus amiseratis. Rides? et libet fidens effatim: plura desino, ne qui strictim meliora delexi, in minoribus videar immorari. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Silentii nostri ratio diversa est, sed unus effectus. Me impedit pontificalis officii cura, te Baiani otii negligentia. Neque enim minus residem facit remissio animi, quam occupatio. Nec mirum, si te illa ora totum sibi vindicat; cum ipsum Annibalem fides certa sit, bello invictum manus dedisse Campaniæ. Non illius cœli aut soli illecebram retinax adventorum lotos æquaverit, et suada Circe pocula, et ficinium semivolucrum puellarum. Neque ego te pingues ferias agere contendo, aut virtutem puto fregisse deliciis. Sed dum tibi legis, tibi scribis, et urbanarum rerum fessus ingentem animum solitudine domas, amicitiarum munia nullus exsequeris. Quin arripis stylum, nostræque in te affectioni honorem mutuum facis? Nisi mavis auctoritatem pontificis experiri. Multa nobis in collegio deliberanda sunt. Quis tibi has inducias publici muneris dedit? Senilis jus sacerdotis, nisi impleveris jus amici. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Dii boni, quam nihil homini tutum atque exploratum est! Certe levandi animi causa Baias concesseratis. Quis oculus fascinavit destinatam quietem? Paulina ergo cura communis extremum salutis accesserat. An vester pro illa tantus est metus, ut omne ejus incommodum periculi instar habeatur? Quidquid horum est, spectari animo licet, quas ærumnas dierum, quas noctium vigilias duxeritis. Sic nati sumus, ut sæpius adversa fungamur. Fugiunt voluptates, et bonæ cujusque rei tam brevis usus, quam levis sensus est. Verum hæc philosophorum disputationibus relinquantur. Nunc habitum lætiorem mentibus suadeamus, quando Paulinæ nostræ valetudinem rursus locavit in solido pax deorum. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Quæris ut civis ad bonum commune genitus, quid super rebus anxiis vero proximum nuntietur. Certis indicibus secunda cognovimus. Dehinc multi silentii

Digitized by Google

suspicio sollicitis rumoribus locum fecit. Sed mihi opinionum talium, quæ sine auctore prodiit, nulla curatio est. Impendio angor animi quod sacrificiis multiplicibus, et per singulas potestates sæpe repetitis, nec dum publico nomine Spoletinum pistor ostentum. Diam et Jovem vix propitiavit octava macellatio, et Fortunæ Publicæ multijugis hostiis nequidquam undecimus honor factus est. Quo loci sumus, intelligis. Nunc sententia est, in cœtum vocare collegas. Cerabo scire, si quid remedia divina promoverint. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Ego quidem securus amicitiæ æqui bonique facio, si quid in me ab amante peccatur. Sed tuos mores, quibus nihil desit ad laudem, decet officii negligentia. Queri me opinaris, quod nihil scribas : et refellere mendacium paras, quia te aliquid scripsisse meminisli. Ego vero minimum animi angerer, si noceres, prout hoc est, quod mihi et patri unas atque eas oppido breves litteras detulisti. Ita tibi ambo digni singulis paginis non videmur? Tui, inquies, honoris interfuit, ut jungeris parenti. Alia sunt, quæ cum illo nobis vel communia opto, vel paria. Amor mihi meo nomine deferatur. Abstine igitur epistolis, quæ sunt instar edicti. Facessat omne fastidium, ex quo nascitur cura compendii. Sed longum de his loqui cautio est, ne tibi molestior sit prolixitas querelæ nostræ, quam mihi brevitas epistolæ tuæ. Quod superest, deos quæso, ut nos plenus gaudii quam primum revisas. Facile erit, angustiam scriptorum tuorum multiloquio repensare. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Statueramus in externis adhuc morari; sed labantis patriæ nuptias destinata mutavit; cum mihi in omnibus malis decoler videretur securitas mea. Ad hoc sacri pontificalis administratio curam de me et officium stati mensis exigit. Neque enim fert animus in tanta sacerdotum negligentia sufficere collegam. Fuerit hæc olim simplex divinæ rei delegatio. Nunc aris decesse Romanos genus est ambiendi. Vos Etruria quocunque retinebit? Jam querimur esse aliquid, quod tandiu civibus præferatur. Sit licet raris status mitior, non potest bene desrui otio, qui suis absentibus timet. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Orationem meam tibi esse complacitam, nihilo sequius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis senatus audivit. Adjecisti sacramenti pondus; et in bona verba jurasti : ut qui scires in suspicionem gratiæ venire amantium judicata. Nam ubi certa est amicitia, ibi fides laudis incertior. Ergo securus examinis tui nihil moror sententias cæterorum. Quid si adfuisses tam bonæ voluntatis auditor, næ ego digito, ut aiunt, supera convexa tetigissem. Erit alias fortasse nobis optatior præsentiæ tuæ copia. Nunc testimonio epistolæ tuæ fruimur : tunc adjumento favoris utemur. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Otio et venatibus gloriare. Est hæc quidem jucunda jactatio, sed ludo magis a te prolata, quam serio. Nam remissa tempora et ab negotiis publicis feriata, libris veterum ruminandis libenter expendis. Aliis igitur dabis verba, qui te congressu primore non noverunt. Ego actus, quos pernox et perdius tibi curæ habes, tum quotidiana ingenii tui pabula de litterarum, quas mihi tribuis, sapore conjecto. Nisi forte in sylvis Apollinem continuaris, ut ille pastor Hesiodius, quem poetica lauro Camœnalis familia coronavit. Nam unde est hæc in epistolis tuis sensuum novitas, verborum vetustas, si tantum nodose retia, vel pennarum formidines, et sagaces canes, omnemque rem venaticam meliorum oblitus affectas? Quare cum scribis, memento facundiæ tuæ modum ponere. Rustica sint et inculta, quæ loqueris, ut venator esse credaris. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT.

Mœstitiæ meæ solatium grande tribuisti. Nam ut duduin tibi fama fecit indicium, fratris obitu vulneratus, continuo animi dolore discrucior. Non mediocre tamen inter præsentes curas levamen accepi, quod te comperi secundum communia optata salvere. Superest, ut istiusmodi officiis frequentem operam digneris impendere; quæ perspicis medicinam quamdam infortunii et mœroris afferre. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXT

Scio germani amoris esse quod suades. Sed reconciliatio eum requirit auctorem, quem habuit injusta dissensio principem : ne noxium meruisse videatur, qui abjuratus amicitias, quasi nihil passus, afflictat. Quare oblatam concordiam non refuto. Sequestrata consideratione fortunæ, redeat in gratiam, qui mœvit offensam. Tibi pro nostra amicitia satis gratulor, cujus labor saluti publicæ commodabit : de quo interim parcius loquor. Res enim, quæ ad omnes pertinet, nunquam uno teste contenta est : et mihi magnopere convenit, ita memetipse gloriæ tuæ, ne verecundiæ oblitus existimer. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS PROBO.

Et tibi publicis negotiis occupato, breves litteræ demunt fastidium lectionis, et mei officii assiduitas, quidquid scribendum videatur, exhausit. Merito salutatione libata, frugi epistolam necessario stringo compendio. Alia est enim protestatio amoris, alia linguæ ostentatio : atque ideo antiquior mihi fuit obsequendi opera, quam loquendi. Copiosi videbimur, si abunde sedulí iudicemur. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS PROBO.

In præsentia quantum satis visum est amicitiæ mu-

Digitized by Google

nerandæ, cum tuas occupationes, tum festinationem tabellarii contemplatus, exhibeo. Alias mihi et usus veniæ, et cura non deerit epistolæ longioris. Dii modo optata fortunent, salutem Reip. in solido locent! Tum voluntas promptior erit, et ad scribenda, quæ libenter accipias; et ad legenda, quæ animo vacante rescripseris. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS PROBO.

Sit tibi animus æquus, et patiens muneris imperati. Sæpe usu venit, ut in secundos labores virtus probata reparetur. Quid? tui? libenter C. Atilio factum putas? quod fascibus aratra mutavit, et in medio sementis opere anhelos boves statuit rusticus? Quisquis bonæ frugis est, in publicum commodum vindicatur. Pone illas interim cogitationes felicis otii tui. Quam bene urbana opera novis fastigiis excitabam! Ubi ager noster? vel ille autumno omnis copiæ ferax, vel ille hieme apricus? Aut qui vere anni primas rosas humo exuit, aut qui sub æstivo sole de nemore et fonte frigescit? Sed quid a proposito excidi? Dum medicinam facio querelis tuis, ultro desideranda suggessi. Esto, ut es, curarum omnium tolerans, et debitam operam solve principibus, qui rationem magis meriti tui, quam voluntatis habuerunt. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS PROBO.

Mones amicitiæ bonum scriptis frequentibus excolamus. Placet hortatio invitatrix religionis. Et, ut verum fatear, decus mihi est hæc tua voluntas; amor enim maximi plus requirit. Sed quod ais, me potius, qui sim vacuus publicæ rei, istiusmodi vigiliam debere sortiri, æquum esse dissentio. Jam primum quod homo licentis otii scrutari vices commeantium non laboro: tuus honor vecturam litteris nisi invenit, facit. Dehinc quod mihi iners desuetudo oblimat ingenium. Tibi impigro jamdiu negotii levatur usus loquendi. Ergo quo tu ad scribendum major copia, hoc ego dignior venia raritatis. Satisne videor his causis munitus in posterum? Memineris volo, quidquid a me sermonis acceperis, obsequii esse, non otii. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS PROBO.

Scio te non fortunarum habere dilectum, sed meritorum. Romanus familiaris meus aulicis etiam nunc paret officiis, utpote sacri administer ærarii. Sed instrumenta probitatis sub usu honoris excoluit. Quare dignitas illa est promiscua cum plurimis, honestas æqua cum paucis. Quod eo memorandum putavi, ut a te quoque pro ratione vitæ, non pro gradu militiæ censeatur. Fac periculum maximis in negotiis; fac in seriis remissisve. Reperies hominis tectam fidem, patentem religionem, prudentiam liberam, verecundiam liberalem. Cui ego propterea factum volo, ut mei testimonii fides clareat, et tibi amicus limatæ probitatis accedat. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS PROBO.

Ais te multijugis necessitatibus impediri, quominus gnaviter amicorum carissimos alloquaris. Notæ rei cesset assertio. Nam et qui procul absumus, curas ac vigilias tuas communis patriæ copiis et satietate sentimus. Mutasti igitur officium, non negasti. Antiquior enim tibi fuit, ut esse debuit, salus civium, quam salutatio. Nunc sane et desideramus et exposcimus tuas litteras, largiter congesta fruge in proximæ hiemis impendium: quanquam scio necdum tibi hanc partem nimis tutam videri. Nunquam enim est securus amor patriæ: et quamvis magna remedia conquirat, semper illud putat imminere quod timuit. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Bonæ spei plenus, postquam mihi adventus vestri fecistis indicium, calcar quoddam suppingo properantibus; et in eam rem tuum munus imploro, ut parentum studia hortator acceleres. Stabit apud me memoria beneficii tui, nec unquam tacita erit; si fratrum delegata curaveris. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Longum loquantur pro incognitis aut alienis verba facturi. Mihi hæc opera desinenda est, cum litteras nostras Saturus frater communis accipiat, quas non commendationi ejus præstiti, sed nostra circa vos amore factas èmisi. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Commendari a me episcopum forte mireris. Causa istud, non secta persuasit. Nam Clemens boni viri functus officium, Cæsareum, quæ illi patria est, conciliata maximorum principum pace, tutatus est. Fando acceperas, rebellione barbarica quot auri, quot argenti privati aut publici sacri et profani, Mauritaniæ fuit direptione hostium lancinatum. Evenit ea tempestate, ut etiam fisci depositum belli jure raperetur: quod a summatibus civitatis, quos reliquos fuga fecerat, jus ærarii reposcebat. Misera et acerba conditio, nisi tristitia temporum Clementis curam movisset; quem ego non minus famæ sæculi, quam civium securitati commodasse dixerim. Quid enim præter invidiam referret ærarium, si opes ab inopi curia poscerentur? Habes ordinem rei. Quod restat enitere, ut tui aspiratio vela faciat impetratis. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Scire postulas, quid de lacessentibus sentiamus. Nolo consilium succensentis exspectes. Neque in ejus noxam labores, quem vides abundare peccatis. Ipse causas dabit, quas non videaris optasse. Sed de illo satis habeo dictum. Veniam quo me ducit affectio. Immane quantum a litteris desidetis, neque metuitis, ne vos ratione silentii mordeamus. Quid hiems faciet, quæ terra et mari morabitur commeatus? Cogi-

Digitized by Google

tate vestri officii necessitatem, nostræ sollicitudinis vicem, eamque arripite diligentiam, quam de nobis mutuo flagitatis. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Gelasius, cui factum volo, imperialis domus curam recepit, quod negotium ei aliquid dignitatis attulit, etsi plus habet honoris in moribus. Medicinam cum primis nostræ ætatis exercuit. Inde est illi via facta meritorum. Nam summates aulæ, quibus juvanda salute profuerat, testes potius habuit, quam patronos. Absit, ut tibi veniat usus artis ejus, cum cætera honestamenta sanctissimi viri possint pro illo ferre suffragium. Ergo ama Gelasium, mihi jamdudum placitum, tibi me spondente placiturum. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Commendarem tibi Anysium, laudabilem virum, nisi in meam amicitiam te auctore venisset. Quando igitur nihil est, quod illi meus sermo conciliet, beneficii loco habeo, si in eum sancti animi tui gliscat affectio. Nam ubi amoris rudimenta præventa sunt; secundæ gratiæ locus est, ut augmenta poscantur. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Rufus pontificalis Arcarius prosequitur apud te mandata collegii, cui præ cæteris retinendi Vaganensis saltus cura legata est. Effice, oro te, ut divinitus videatur oblatum tui honoris auxilium, et utriusque sacerdotii te antistitem recordare. Quidquid publicus vigor, aut privata poscit industria, oratus exsequere. Multum in gratiam tuam publica utilitas promovebit. Habes summam petitionis meæ. Singula autem tibi vel commonitorii series indicabit, vel Rufus expediet; cui maturum præstabis effectum, ut sequestratum paulisper officium regressus arripiat. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Potuit frater meus Acutianus suo nomine, quod poscit, adipisci, ut qui sit non minus tibi, quam mihi familiaris. Sed interfuit officii mei, ut ei voluntariam operam commodarem. Juvat autem desiderium illius justitia postulati. Nam germanos suos, Nichasium et Rogatianum, negotium commune curantes, vel ad disceptationem Numidici consularis remitti postulat, vel, quod ei antiquius est, te potissimum cognitore mayult quam primum molestia litis absolvi. Quare si et illius apud te grande momentum est, et a legibus causa non discrepat, et interventus meus libram tui favoris inclinat; anniti æquum est, ut optimo viro ex sententia procedat optatum. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Fratrum nostrorum Romani atque Magnilli petitio justa est, quam prosequendam recepi; quibus impendio curæ est, ut homines Euticiæ clarissimæ feminæ judicum præsidio fulciantur. Intelligis eas esse personas, quibus hæc gratia magis ex suo merito, quam ex meis litteris debeatur. Nec mireris, ipsos super ea rescribere noluisse, cum reverentia mei fecerit, ut nostro suffragio potius uterentur. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Cæcilianum virum honestum, Laurentium Lavinarium defensorem susceptum commendat officium. Cui si nihil conciliationis cætera vitæ honestamenta præstarent, interventus meus gratiam tuam deberet acquirere. Ama ergo hominem placitum mihi, et religiose civitatis commodis obsequentem. Amoris autem tui sumemus indicium, si eos quibus negotium familiare mandavit, adjuveris. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Amicorum desideriis operam non negamus, dum justa credimus, quæ petuntur: ut nunc mihi usu venit, qui Bassum optimis viris complacitum, non putavi suffragio deserendum. Salva igitur mea existimatione, qui bonis credidi, meritum tibi hominis dies longior indicabit. Mihi satis est, si illi primus aditus spem dederit pleniorem. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS CELSINO TICIANO FRATRI.

Quando eam dii potestatem tibi dederunt, ut amicis ac necessariis meis usui esse possis; confide Romano optimo viro, quo cum mihi jam diu familiaritas est, in tuo præsidio paratam bonæ spei copiam. Duabus enim commendationibus, quarum tibi antiqua cura est, adjuvatur, mei testimonii prærogativa, et sui meriti conscientia. Nam sedulo audeo judicare, dignum esse, quem pensi habeas, et, ne longum loquar, cujus amicitia non graveris. Spectata mihi est in eo quies animi, officii diligentia. Nemo in amicos fide utitur promptiore. Hæc ita esse, si quid mihi tribuis, velim credas. Si hæret animus, hortor examines. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS AGORIO PRÆTEXTATO.

Est aliquid in querelis Fasgamiæ filiæ meæ, quod mihi ex voto fateor accidisse. Nam nisi futuras sibi usui litteras poposcisset, ad scribendum defuisset occasio. Prælibo igitur salutationem, quæ meum spectat officium. Reliqua pars paginæ ad causam clarissimæ feminæ pertinebit, quæ sibi ab hominibus tuis nescio quid agrorum ereptum deflet. Id ego loci et meriti tui conscius, servili ausu clam te opinor admissum; atque ideo filiæ meæ correctionis facilitatem spopondi, si ad te familiaris conquestio genus injuriæ pertulisset. Quæso igitur temeratæ possessionis statum jubeas reformari. Si quid autem controversiæ est, in pignoris nostri differatur præsentium, quæ secura justitiæ tuæ recusat alios cognitores. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS HESPERIO.

Quoties viris militiæ notis testimonia deferuntur, decet operam verborum facere compendii, quia nihil negotium est rebus cognitis immorari. Pro Cæsario nosti omnia facere, quæ probantur. Hunc ut pensi habeas, sperare magis debeo, quam rogare. Si quid ultra expetis, in alias litteras conferemus. Nunc mihi multiloquio temperandum est, cum satisfactum esse videatur, et illius voluntati, et tuo honori, et meo muneri. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS HESPERIO.

Natura rerum est, ut qui balbutiunt, plus loquantur; affectant enim copiam pudore defectus. Hoc exemplum in me expetit, cui magna scribendi impatientia est, cum desit oratio. Duobus igitur pariter commeantibus, non putavi officio convenire, ut unis litteris gemina expediretur occasio. Erit super hoc judicatio tua, garrulusne justius dicar, an sedulus. Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Amicorum orata curare bonæ frugis officium est, præcipue si non refragetur æquitas postulatis. Quorsum spectet hoc anteloquium breviter explicabo. Sabinianum clarissimum virum ita magnifico, ut quos maxime colo. Huic per impressionem nequaquam patior fratris sui liberis tutelæ munus imponi. Duobus enim privilegiis amolitur injuriam, maturitate ævi, et numero filiorum. Ea res publicis signata monumentis, necdum a proposita obstinatione deducit pervicacem petitionem. Nunc quia secundante fortuna in re hujus negotii spes recumbit; quæso ut ei virtute, qua celsus es, factum velis; cui vel in meam gratiam præstandus est favor, vel ad tuam gloriam juris prærogativa servanda est. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Unus adhuc superas ex summatibus litterarum, cui probari orationem meam laudis avarus optarim. Res cecidit ex voto: utor teste, quo volo. Jam mihi comici adolescentis voce clamandum est: *Quis me hodie fortunatior, venustatisque adeo plenior?* Nisi forte amor mei stylum tuum coegit in gratiam. Fit enim sæpe, ut judicii severitatem frangat affectio, et amicorum facta dictaque ea indulgentia censeamus, qua plerumque singuli etiam vitia nostra diligimus. Sed hæc merito dicerentur, ni tecum faceret existimatio optimatium, quibus sermo noster auditus est: non quo sententiæ tuæ ex aliorum consensu quæratur auctoritas; sed quia non patet suspicionibus judicatum, a quo nemo dissentit. Videro tamen, utrum fides tua, an amor illas litteras scripserit. Mihi in alterutra conditione æque summus honor: sive ita magnifice de me judicas, ut gratificatus videaris: seu ita es mei diligens, ut sequius judicare non possis. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS HESPERIO.

Præsumptum aut compertum tenes, quanta sit mihi tuæ laudis antiquitas. Ea propter nihil fieri patior, quod actuum tuorum gratiam devenustet. Priscianus frater meus, cum primis philosophorum litteratura et honestate censendus, senatu auctore salarii emolumenta consequitur. Super ejus annonis dicitur orta dubitatio. Cui si nihil compendii optimatium voluntas ante tribuisset; eruditio tua fructum ferre deberet. Scis enim bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis reipublicæ, ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. Quæso igitur, ne hac inquietudine, aut illius minuatur utilitas, aut amplissimo ordini censendi auctoritas derogetur. Interest famæ et gloriæ tuæ, ut confirmandi magis quam negandi commodi causa, de philosophi salario dubitasse videaris. Vale.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS HESPERIO.

En tibi secundas litteras meas, et adhuc vicissitudo prioribus debetur. Dices viandi negotio impeditam diu operam scriptionis, et alia forsan multa causabere. Ego pro tui amore hanc veniam non gravabor. Sed eodem amore postulo, ut cum erit otium, mora necessarii silentii officio voluntario suppleatur. Vale.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS HESPERIO.

Vitalianum clarissimum virum mei potius officii gratia, quam in adjumentum suum credo litteras poposcisse. Nam cum ipsi ad promerendum tuum amorem nihil ultra possit accedere; id tantum videtur egisse, ut mihi ex munere conciliatio tui uberior proveniret. Cape igitur delibatam curæ salutationem: cui si facundia largiore responderis, in exemplum copiæ ingenii mei maciem provocabis. Vale.

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Sum quidem silentii tui vehementer impatiens, quod genus querelæ amantibus familiare est. Sed proximis litteris tuis desiderium meum expletum esse confiteor. Itaque habeo gratiam, multoque opere te obsecro, scriptioni frequenter indulgeas. Hæc enim sola officia nullum faciunt de assiduitate fastidium. Vale.

EPIST. LXXXIII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Religionis indicium est, quod me taciturnitatis incessis. Sed velim credas, infortunii fuisse, non voluntatis, quod diu officio scriptionis abstinui. Nec puto ignorare te, quatenus in nos fortuna sævierit, quæ me amantissimo atque optimo fratre privavit. Proinde, si dies longior sensum tanti doloris exemerit, familiaribus litteris solemnis cura præstabitur. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS HESPERIO.

Quoties tua sumo colloquia, quædam ante oculos

Digitized by Google

præsentiæ tuæ imago versatur : atque ideo uberiorem capio voluptatem, quod et tui officii, et mei meriti sentio vigere monumentum. Sed ut promptior circa me hujus muneris diligentia perseveret, etiam ipse curam deferendi sermonis arripui, frequenter expertus, dilectum religiosi animi incentivo vicissitudinis provocari. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS HESPERIO.

Tandem bonæ valetudinis compos, quæ a me hucusque dissenserat, nunc te societate commoditatis impertio, quem præteritæ sollicitudinis participem habere vitavi : etsi scio ne illo quidem tempore, quo officium meum morbus inhibebat, ab hujusmodi munere temperatum. Restat, ut observantiam vicissitudine munereris. Ea namque res et tuam curam probabit, et refectioni meæ adjumenta sufficiet. Vale.

EPIST. LXXXVI.

SYMMACHUS HESPERIO.

Utrum Mediolani etiam nunc tibi posito pagina ista reddenda sit, in ambiguo colloco. Peccari tamen in amicitiæ fidem credidi, si litteris tuis mutuum honorem destitissem. Nihil ergo cunctatus commisi eventui solemnem hanc et simplicem dictionem salutis; quæ si in manus venerit, fac, oro, ut pervenisse litteras meas sermonis tui recursus ostendat. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Si facultas ad scribendum sæpe suppeteret, voluntas nunquam deesset officio. Hujus rei evidens certumque documentum est, quod ubi primum amici communis fida affulsit occasio, libens scribendi munus arripui. Intellexi enim jucundiores tibi fore litteras, si has tibi familiarior tabellarius reddidisset; qui non solum epistolam, sed insinuationem quoque actum meorum fideliter exhibebit. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS HESPERIO.

Nunquam in me parcam, quin tuo animo obsequar. Novi quam sis sermonis mei exoptans. Propterea decrevi cum animo nihil supersedere litteris porrigendis, nec exspectare vicissitudinem, ne scribendi tardior fiam. Sed ut ipse metui, ne mihi foret flagitio, si tacerem; sic velim tu caveas, culpam dissimulatæ familiaritatis accendere. Quod te curaturum liquido habeo compertum; quia non minus ingenium tuum quam meritum meum cogitans, nequeo tui amoris esse diffidens.

EPIST. LXXXIX.

SYMMACHUS ANTONIO.

Non incognito quidem nobis eloquii splendore nituisti; sed magnis rebus accommodata, et majestate scripti aptata, gloriam, quam magisterio ante quæsisti, recens auxit oratio. Nam præter loquendi phaleras, quibus te natura ditavit, simile quiddam, planeque conveniens auribus patrum, gravitate sensuum, verborum proprietate sonuisti. Denique etiam A bi, quorum Minerva rancidior est, non negant, facundiam tuam curiæ magis quam caveæ convenire At illi, quos cothurnus altior vehit, et structurarum pegmata delectant, neque tristem soliditatem, neque lascivum leporem consona laude celebrarunt. Hæc sunt enim condimenta oris et pectoris tui, quod nec gravitate horres, nec venustate luxurias; sed ratione fixus ac stabilis germanos colores rebus obducis. Nolo igitur exspectes judicium meum, ne amore delinquam. Quid varia ingenia senserint, res intimavit. Fuit enim in illa ratione, quod unusquisque diligeret, et pro ingenii sui qualitate laudaret. Quare sequere cœpta felicia, et te in omnibus æmulare. Nobis ad testimonium religionis satis est non siluisse sententiam cæterorum. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS ANTONIO.

Etsi amore prævenior, ne sim circa te avarus officii; nunc tamen libentius, quam sæpe alias, scribendi munus insisto. Primo, quod abitio fratris nostri Marii, quodam viatico carere non debuit. Dehinc, quod litteras meas putavi plusculum commendationis habituras, si tibi per eum, quem sancte atque efflicte diligis, redderentur. Fit enim plerumque, ut levia rerum portitor festivus exornet. Alia quoque de causa studii mei ardor incanduit; quod tecum super talis viri laude putavi gratulandum, qui e provincia suburbana tantum reportat publici desiderii, quantum reliquit exempli. Non dicam dolo, ut pote subpalpandi nescius. Viget in eo vena fraterna. Eoque magis factum est, ut discessum ejus impatienter feramus, qui in uno frui videbamur ambobus. Vereor protelare testimonium meum, ne magis laudi ejus obsecutus judicer, quam pudori. Nam quorum mens honesta est, eorum imbecilla frons est. Tu de paucis conjice plura, quæ nunc insinuare non decuit, sed per alium scribere non pigebit. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS ANTONIO.

Dudum te, mi frater, silentio indulgere mirabar. Ea res impendio augebat dolorem, quod ipse minime scribendi observantiam negligebam. Simul atque accepi litteras tuas, animum subiit lætitia, querela deseruit. Amicitia enim cito sanatur officio. Tu quoque ita paginam melle eruditissimi oris obleveras, ut quælibet offensa tanquam Lethæo poculo mergeretur. Verso igitur stylo gratiam fateor, qui expostulare meditabar, adjiciens postulatum, ne unquam supersedere litteris perseveres. Quod si scribenda defuerint, mihi satis erit, ut tibi gratuler sospitatis. Vale.

EPIST. XCII.

SYMMACHUS ANTONIO.

Dulce certamen est officii : et ideo jure ambo cavimus, ne alternis vinceremur. Gratulor igitur pares nos esse, non solum affectione mentium, sed etiam vicissitudine litterarum. Curabo tamen posthac, ut obsequii mei trutina, et libra præponderet, ne videatur inertiæ quoddam esse colludium, semper æqua lance censeri. Itaque scribam sæpius, modo facultas

Digitized by Google

commeantium non desit optanti. Ita fiet, ut et ipse laudem sedulitatis affectem, et te curis publicis occupatum, ad rependenda colloquia assiduitate sollicitem. Vale.

EPIST. XCIII.

SYMMACHUS ANTONIO

Sanctum Zenonem commendare non debeo, quem scio ad clientelam tuam et amicitias pertinere. Sed in eo tanta morum probitas est, ut laudes silere non possim. Itaque virum bonis omnibus merito suæ sedulitatis acceptum, quæso etiam me precante propensius fovere digneris; præstaturus et tuæ famæ, quæ debet omnium ore celebrari, et interventui meo, ut has litteras sibi profuisse subintelligat. Vale.

EPIST. XCIV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Laudentur incogniti, ut eorum merita in occulto sita testimonii splendor irradiet. Mihi impræsentiarum supersedendum est hujusmodi scriptione, ne incepti frustra sim, si fratrem meum Palladium spectatum bonis omnibus, facundiæ atque eruditionis astipuler. Dehinc cauto opus est, ne impar tanto viro precatio, neque eum cui defertur, æquiparet, et meam operam devenustet. Quiesco igitur has partes, et hoc unum tibi persuasum volo; mereri facundiam Palladii, ut doleamus, quod urbi negatus est : mereri amabilitatem ejus, ut quod accitus est, gaudeamus. Vale.

EPIST. XCV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Quod nullas sumpsi litteras tuas, cum mihi a principibus æternis legenda in concilio patrum delegaretur oratio; scio non fuisse fastidii tui. Nam bonæ et exploratæ amicitiæ, vel si cesset officium, satis tutæ æstimationes sunt. Propterea talionem referre vitavi, veritus, ne quod tu invitus feceras, ego offensus crederer reddidisse. Longe enim diversa conditio est fortuiti, quam affectati silentii. Res quidem una negligitur : plurimum tamen refert, quis eam quasi occupatus, quis quasi oratus omiserit. Sed de hoc satis habeo dictum. Nunc, si me amas, vel quia me amas, (nam referri confido, quod defero) constare apud invictos principes gaudium meum, qui humanæ voci divinas litteras crediderunt; quorum victorias ex mei oris promptuario senatus audivit. Fac veniat in mentem, quis ille dies illuxerit, quo quasi ex media profectus acie auribus et animis omnium salutarem nuntium primus infudi. Olim cum res Romana adoreæ militaris potita est, Polluces gemini apud Juturnæ lacum prælii secunda vulgarunt. Eos quippe priscorum voluminum fides tradit, anhelis equis, plenos sudoris et pulveris, fama belli post tergum relicta, indicium affectasse victoriæ. Idem nunc mihi sacro judicio factus est honor. Ita quantum gratiæ Castores adepti sunt, tantum principes præstiterunt. Hæc pro me copiosius et ornatius, quantum es linguæ melior, apud auctorem beneficii prosequeris. Habes summam voluntatis meæ; cui si quid commendationis inspiraveris, cæteris ornamentis animi tui adjicietur decus præsentis officii. Vale.

EPIST. XCVI.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Studium quod scribendis orationibus exhibeam, præmio laudis auxisti. Vetus quippe sententia est, Artes honore nutriri. Quis autem tam cumulatus honor, quam palma dicendi? Ergo etsi intelligo, quod nostri amore fallaris; tamen titulum præclari testimonii albo calculo veterum more signabo. Non enim mihi ex ore jejuno tributa laudatio, sed de facundiæ penu boni judicii fructus arrisit. Vereor indulgere verbis præconii tui, ne gratificandi operam mutuam credamur adniti. Vale, et ut es nostri diligens, religiosam observantiam persevera. Vale.

EPIST. XCVII.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Meæ litteræ, quoniam acceptæ sunt tibi, crebrius commeabunt. Nam ut respondeas, non laboro, si quidem videtur injurium flagitare officia, quæ sponte religiosus animus pollicetur. Vale.

EPIST. XCVIII.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Dudum mihi nullus litteris tuis honor factus est. Quererer de silentio tuo, si de religione dubitarem. Sed quia amicitia usu credita, et expensa documentis; periculo suspicionis aliena est. Intelligo quidem per occupationes publicas inhibitam diligentiam scriptionum tuarum : verum, quæso, intermissum munus instaures. Stabit apud me gratia tributi officii, quasi nulla negati culpa præcesserit. Vale.

EPIST. XCIX.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Si quando mihi apud amicum testimonii dictio est, cohibeo operam plus loquendi. Nam quid religio ubi agit, desideratur oratio? Fero igitur ad te nudum de familiari meo Pontigano, sed fidele judicium; quem nisi amore nostro dignum probassem, minime tuo traderem. Mens ejus in aperto est, vita spectat ad laudem. Scis certe, nunquam me faciliorem favoris esse, quam veri. Horum omnium fidem confirmabis, cum in illo plura repereris. Vale.

EPIST. C.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Instaurant dolorem sera solatia, et ideo mutuum silentium calamitatibus nostris præstare debemus, ne fortunæ vulnera, quæ cicatricem processu temporis ducunt, intempestive contrectata crudescant. In alia potius sermo vertendus est, quæ te ad curam sanitatis hortentur. Omnis quippe internus dolor corporis hiemali crescit injuria : ac nisi iter apricis diebus et auris salubribus egeris, male metuo, ne vitium contemptus exaggeret. Nunc ea, quæ remedio accommodare credidisti, vel quæ nobis commendavit utendi exploratio, ad te misi; inter votorum summa constituens, ut remediorum talium necessitatem spontanea incolumitate prævenias : aut si quæ morbi reliquiæ fuerint, his orationibus tergeantur. Satis autem muneris communi amicitiæ dabis, si sollicitudinem, quæ

Digitized by Google

mihi ex ægritudine tua oborta est, prosperiore nuntio nihil moratus exemeris. Vale.

EPIST. CI.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Video, consul amplissime, quantum mihi amor tuus honoris imponat. Jubes te adeam, et coram defruar magistratus tui gaudio. Quo pacto istud possim negare, nisi ea religione ignoveris, qua vocasti? Nam quid agam fortunæ dubius, cum hinc inveterato obsequio honoris, hinc luctu amissi fratris impediar? Duæ mihi simul dispares personæ offeruntur. Qui fieri potest, ut os unum contrariis affectionibus induamus? Proinde animi æquus hujus oneris facito mihi gratiam. Fortunati sellam tuam læto agmine prosequantur. Auspiciis tuis quivis fati integer amicus intersit. Me sinito interim tempore aut ratione decoquere crudum dolorem. Quid, quod etiam parentes mihi in communi mœrore solandi sunt? quorum ærumna geminabitur, si illis tam immaturæ peregrinationis meæ cura jungatur. Esto igitur promptus ad veniam. Certe si putas arguendum, quod desimus, fortunæ meæ potius irascere. Illa injecit manum, illa invitum retraxit. Ita tibi non persuadeat, ut est eadem dea impotens, me noluisse proficisci. Vale.

EPIST. CII.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Mediolani te agere ante litteras tuas fama pertulerat, quæ nihil ignorari de conspicuis viris patitur. Sed quid juvat desiderantes, quod pervectus in proxima nobis negaris? Æquius ferebam longinquam tui separationem. Spes enim præsentiæ tuæ magno intervallo negata cessabat. Nunc exspectationem nostram viciniæ facilitate sollicitas. Nec te excusare collegis interventus Alpium potest; eo quod justior nobis ad querelam facta est via, quo tibi ad veniam causa deterior. Sed dolori meo faciendus modus. Saltem posthac epistolæ tuæ Romam frequentent, Hyblæ aut Hymetti favis jucundiores; quarum me in maximo fenore perceptio juvat, solutio defatigat. Vale.

EPIST. CIII.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Quidquid muneris in præsentes contulisti, officio videtur esse delatum. Nos qui consulatui tuo varia occupatione defuimus, amicitiæ honore affecti sumus, non mercede præsentiæ. Ago igitur tibi oblatione consulari gratias uberes, sed bona mente majores. Et nisi verecundia tua verbis meis poneret modum, latius evagarer. Atque ideo sermo interim parcus erit, memoria vero prolixior. Vale.

EPIST. CIV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Tuæ quidem virtutis est, omnes qui Palatinis stipendiis enitescunt, juvare præsidio. Sed specialis a me viro optimo Romano cura debetur, amicitiæ gratia, quæ inter nos longa adolevit ætate. Quare si quid testimonio meo tribuis, nolo dubites, dignum esse, quem diligas, et quem maximis officiis munere. Certe si examen de eo habere digneris; pronuntiabis meis litteris defuisse, quæ in illius meritis invenies redundare. Vale.

EPIST. CV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Ne otiosum penitus arbitreris, committo eruditioni tuæ vigiliarum mearum testem libellum, quo nuper in senatu sustuli civium secunda suffragia. Vides quo præjudicio antevertam gravissimi examinis tui severitatem. Non styli mei meritum prætendo, sed ordinis judicatum. Communis mihi et auctoribus meis causa est. Scient omnes, aut consensum tuæ de nobis sententiæ, aut contumeliam suæ. Vale.

EPIST. CVI.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Posse aliquid amicitiis æstimor. Hinc spes oritur, quæ Theophilo clarissimo viro tuam opem de meo sermone promittit. Quid igitur ejus commodo velimus, in aperto est. Effice, oro te, ut cum fiducia mei non videatur esse frustrata. Vale.

EPIST. CVII.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Alexander vir ornatissimus sortitus provinciam præsidialem, putat honori suo incrementa præstari, si tuo amore potiatur. Quare desiderii sui me ascivit interpretem, sciens apud te tantum loci esse litteris meis, ut hæc commendatio maximi testimonii instar habeatur. Vale.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI SALUTEM.

Hic ille est Paralius, cui accusator pater quantum discriminis movit, tantum laudis paravit. Multis enim quæstionibus, et quod est potissimum, principis ore purgatus senator, arguere non potest parentis impiam voluntatem, quæ illi præstitit innocentiam clariorem. Hunc si amare postulas, imperatoris nostri testimonium lege, ut advertas feliciter factum reum, quem sic videas absolutum. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Taceat prodiga laudis vetustas, quæ Apellem, Zeuxim, vel horum similes, ut quemque ætas tulit, voluminum honore dignata est. Mihi erga Lucilli prædicationem sermo parcior, fides major est. Quid enim juvat indulgere verbis, cum rem liceat experiri? Sit igitur de hoc tua existimatio, qui bonarum artium spectator semper fuisti. Ego Lucillum modestiæ meræ atque honestatis astipulor. Videturne tibi dignus esse, quem diligas, cujus gravitas sponsore me nititur, ars et eruditio te ipsum judicem meretur? Vale

EPIST. III.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Fratrum negotia velle cognoscere pia et honesta curatio est. Jubens igitur respondebo quæsitis. Ca-

Digitized by Google

puam multo imbre pervenimus. Hic triduum commorati ad levandum laborem, Terracinam prius, et postridie Formias continuato petivimus excursu. Fors fuat, an possit biduo tenus ejusdem nos prædii annona retinere. Vos interea, peracto quod Romæ agere destinatis, Appiam diis auspicibus inchoate, ea dimensione, ut iter nostrum proximis vestigiis urgeatis. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Volo quiescas, et curarum vacuus otieris. Nam mihi vir honestus Antonius fecit indicium, legationis Africanæ consilium torpuisse. Accessit ad fidem nuntii, quod similia super hoc negotio recentes amicorum litteræ pertulerunt. Num est aliud, quod scire postules? Imo vero, ut mea fert opinio, vel primum hoc tibi debuit indicari. Ubi e Cumano navem solvimus, pene albente cœlo majore ope remigum, quam ventorum favore, Formianum littus accessi. Jam sol meridiem fregerat: amicorum, quos minor navis accepit, tardior navigatio fuit; incertum vento obstante, an per negligentiam ministrorum. Hæc interim ratio scribenda suggessit. Curabo ut frequentibus litteris merear de te similis officii diligentiam. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Delati Formias post multam partem diei, cum vos ejus rei sollicitos crederemus, percontationem vestram scriptione prævertimus. Nec magis de navigatione fuistis anxii, quam trepidabamus, ne diu essetis incerti. Quod igitur responderi posset litteris vestris, prior sermo consumpsit. Nunc æstimate quanto nostra de vobis melior fuerit judicatio, quam vestra de nobis. Contemplati enim sumus magnitudinem sollicitudinis vestræ, priusquam litteras mitteretis: cum ideo mitteretis, quia nos scripturos, nisi admonitos non putastis. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Emensi hæc quoque littora, quæ post Formias in Anxurim porriguntur, navem ac remiges non moramur. Sed diis opus est, ut hic reditus noster nihil reperiat pœnitendum. Frequens enim sermo est, tenui victu in turbas plebem moveri. Nec ulla spes datur, præsentibus angustiis copiam posse succedere. Annus ubique ad famem proximus. Classis in alios conversa cursus. Æstas prope decessit autumno. Diis, me hercule! uti præfatus sum, deleganda est hujus incerti administratio. Hominum autem remedia, diu dissimulata, jam sera sunt. Vos valete, et litteras sperate meliores, si fortuna urbis nostræ secundis amara mutaverit. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Fortunatum te cum primis hoc in tempore judicarem, quod exemptus patriæ incommodis otiaris: nisi scirem bonos cives et tui similes gravius ferre adversa, quæ non vident. Ea quippe rerum natura est, ut quidquid ab altero cognoscitur, asperius et majus habeatur. Adde quod integer animus putat innocentiam suam minui, si periculis suorum desit. Hæc ego, non ut celerem reditum tibi suadeam, sed ut noveris in communibus malis nihil esse, quod præferas. Quid enim juvares rempublicam, quanquam omnium prudentissimus, si redires? Jam primum consilio locus nullus est, dum in deliberando persona censentium pondus sententiis facit. Quando resistitur potiori, quando ceditur pari? Dehinc præsens status non sapientiam, sed fortunam requirit. Defectum timemus annonæ, pulsis omnibus, quos exerto et pleno ubere Roma susceperat. Fors fuat, ut his remediis convalescamus. Quanto nobis odio provinciarum constat illa securitas? Dii patrii, facite gratiam neglectorum sanctorum! Miseram famem pellite. Quamprimum revocet urbs nostra, quos invita dimisit. Plura tecum loqui, quam necesse est, de adversis communibus non libet. Cura ut valeas, et quidquid humana ope majus est, diis permitte curandum. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Redditæ sunt mihi primæ litteræ tuæ tam breves, tam festinatæ, ut iter tuum viderentur imitari. Sed si mihi credis, non est in illis desiderata prolixitas. Omnia enim, quæ de amplitudinis tuæ prosperis nosse cupiebam, succincta enumeratione complexus es, quanta valetudine vigeres, qua celeritate pervectus sis, quid in æterno principe serenitatis inveneris. Ausim dicere, uberiorem rebus, quam verbis fuisse illius epistolæ paginam. Nam multa erant quæ gaudere deberem, cum essent pauca quæ legerem. Tu tamen post hæc memento, etiam familiares chartas rigare facundiæ tuæ copiis. Neque enim te exhaurit, quod adeuntium preces indefesso absolvis affatu, quod venerandi principis mentem loqueris et oracula. Sint ista prima; nec tamen sola. Tantum namque publico usui a te patior impendi, ut nihil solatiis meis detrahas. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Et tui cultus, et mei officii gratia quælibet ad scribendum amplectenda esset occasio, tantum abest, ut eam præterire debuerim, quam civis ingessit. Agnoscis enim de septem montibus virum; et domi cognitum bonitate generis, et foris ætate militiæ: pro quo mihi apud te loqui longum non est necesse. Commendatio enim præstari debet incognitis. Huic vero ad conciliationem gratiæ tuæ sufficit, quod et Romanus et amicus est. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Justitia quidem suffragium non requirit; sed amicitiarum plerumque respectu causarum celeritas adjuvatur. Quorsum istud, inquies? Ut noverit eximia dignatio tua, sperare quidem virum laudabilem (*Carissimum ex comitibus*), de negotii qualitate, quod optatum exitum possit adipisci: sed intelligere, cessurum sibi aliquid ad promerendum studium cogni-

Digitized by Google

toris, si meis litteris fulciatur. Quæso igitur, ut ejus, quem fraterna affectione complector, orata promoveas. Quæ ideo commendanda suscepi, quia mores retentis expendens, æqua esse præsumpsi. Vale.

EPIST. XI.

Ad idus Novembres Romam regressus (nam te quoque idem esse facturum putavi), adventum tuum impatienter opperior. Et sane scio litteras meas tibi haud longe ab urbe reddendas. Nam sanctus Patricius, quem præsulem itineris tui esse voluisti, brevi te affore nuntiavit. Dii vertant bene! Pro tempore pauca libavimus; sed fabulis plura servamus. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Spatiari in foro Urbis æternæ post acceptas a me litteras plerosque cognovi, etsi nimis vereor, ne quid fraudis admiserit simulata properatio. Merito apographa epistolarum mearum, simulque hominum nomina relegenda tibi subjeci. Tu vicissim mihi de singulis aut impleti officii fidem nuntia, aut violati prode perfidiam. Non minore sane cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas sumpseris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi, quam legi promptum est. Nihil autem fuisse, quod metuam publicari, decursis exemplaribus judicabis. Nec est ulla inter nos causa secreti. Aperto pectore officia pura miscemus. Nihil in conscientia latet, quod scriptorum cuniculis occultur. Sed æquum non est ut simplicitati nostræ insanus illudi. Neque enim diligentia mea debet admittere proditorem, quia cautio præstitit ne timerem. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Cum civiles et bellicas laudes domini nostri Theodosii styli honore percurrerem (magis enim contigisse me omnia, quam satis feciase singulis fateor), etiam leges ejus bonis pacis admiscui; quas ut noveram priscis ademisse admirationem, ita reservasse novis parem gloriam non putabam. Verum hæc recens sanctio de fideicommissis, et codicillorum commodis ab optimo principe in æternum repudiatis, tantum claritudine egreditur lucem superiorum, quantum augustius est regenti sibi, quam subditis modum ponere. Atque utinam privata avaritia mentem latoris intelligat, et mores de legibus trahat! Neque enim latet, quid sponte cæteros velit facere, qui suscepta compendia primus exhorruit. Ego certe vereor, ne improborum sitis ad rem existimet pertinere quæstum caducum; flatque innocentium causa deterior, si ad eos tantum falsi redeat occasio, qui neque lege, neque pudore cohibentur. Ergo quia dominorum conditio restrictior est, privatis cupiditatibus medicina juris occurrat. Frigent jamdiu apud homines criminosos vetera decreta, quorum vigor cum latoribus suis occidit. Tantum denuo legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverint. Alioquin, si majoris partis describitur emendatio; frustra se asperis sanctionibus solus imperator astrinxit, qui semper bonus et integer moribus fuit. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Aurelianum filium meum, qui nunc cohortes urbanas gubernat, in amicitiam te jubente suscepi. Unde factum est, ut ei commendationem, quam prius de te meruit, non negarem. Neque enim tibi videtur oneri fore, quod ipse fecisti. Petitio autem pudentissimi juvenis de infortunio soceri sui nata est, cujus iste factum non tuetur, sed lapsum desiderat sublevari. Facito quod soles rogantis intuitu: et si quid negotio justitiæ deest, remitte pietati. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Modestissimis et tui amantibus viris Marcello et Romano, magis ex usu amicitiæ, quam in effectum commendationis litteras dedi, ne quid apud te adjicerem jam probatis. Nosti hominum verecundiam, diligens studium, de officiorum varietate non dubitas. Quis ergo locus testimonio meo superest, cum tuo de illis judicio nihil possit accedere? Et tamen, si cumulum sibi addi plena patiuntur, queso subintelligant meis precibus auctam circa se tuam gratiam. Ita fiet, ut mihi quoque acceptum referant, quod ipsi a te sine astipulatore meruissent. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Si necdum filii mei Nicasii laudabiles mores et honestum institutum didicisti; accipe locupletissimum vadimonium, meum Promotum, virtute et humanitate conspicuum: cui jamdiu natalis familiaritate otiatur, et bona optimi juvenis de illius expende judicio. Justa enim conjectura est, quæ de amicorum pondere et æstimatione colligitur. Nam meæ astipulationis minor causa est, cum superioris persona præponderet. Cujus honori tribuendum est, ut a te, non ut novus subdendus examini, sed ut jam probatus habeatur. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Solet generalem salutationem familiaris sermo præmittere. Hanc ergo impensius tibi voto optare studeo, quam stylo dicere. Ergo ad vicem verborum solemnium scitu digna complectar. Filii nostri in sinu aviæ etiam nunc morantur. Da veniam, si annis gravis, et interim solatio tuo carens femina, tenaciter retinet secundum levamen ævi ac solitudinis suæ. Nos tamen alteri eorum viæ instrumenta, alteri in societatem consilii comitem præparamus. Tibi peregrinationem senio esse, invitus audivi, vel quod est dictu dignius, parum credidi; cum patriæ bona et pignorum gaudia in optimi principis dignatione possideas. Quare abjice Baianas cogitationes, et virtuti infructuosam quietem. Omni otio labor hic tuus lætior est. Amplectamur moneo amabilem sub amante militiam. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

(*Conjunge cum hac epist.* 34 *et* 35 *lib.* V.)

Ita votis in te meis felix eventus arrideat, ut ego graviter fero, fratrem Hephæstionem per te mihi cognitum, per se probatum, nescio quid amaritudinis incidisse. Et quia virtutum tuarum contemplatio facit, ut illius fortunæ applicem, quod apud te minore momento est; ad preces versus, ut tibi respondeas, famamque cogites, rogo. Præsta hoc contubernio, præsta judicio tuo, ut tibi non desit patientia, si illi modus defuit. Nolo videaris despectu amici satisfacere cuidam nuper Romam regresso, cujus apud nos querela auxit gloriam tuam. Certe Eusebius medicorum potissimus obsequio tuo a me traditus, et ad leniendas opportunus offensas, jam poterit amara condire : de cujus facetiis duo spondeo, nec Hephæstioni temperamentum, nec tibi defuturum esse solatium. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

En tibi filium nostrum, quem solatio decerpsimus nostro, dum desiderio tuo cedimus. Tandem fultus caro levamine redi in gratiam prioris lætitiæ. Sed si accedis sententiæ meæ; ubi primum paternum animum visu pignoris foveris, utilia antepone jucundis, juvenemque ad civiles fasces contende dimittere. Quo tibi in castris coram duobus? Hæc consilii mei forma est. Facies ipse, quod prudentia majore delegeris. Plura enim videt, qui coram de rerum conditionibus judicat. Ego quod loquor, votum est : tu de appositis assume judicium. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Succurre fidei, quæ officiis amicorum debitorem me diutius non patitur. Fratres mei, Romanus atque Magnillus, clarissimi viri, jam dudum me religionis meritis nexuerunt. Et quamvis præmia non reposcant, quæ solet minor exspectare fortuna, acrius tamen animum meum sæpius honestate conveniunt. Mentiar, si mihi ad præstandum deesse tempus allegem, quia potentia mea de tui honoris viribus æstimatur. Fac oro, ut effectu honoris sui sentiant, pro concordia, quæ mihi tecum est, quidquid defertur uni, ab utroque deberi. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Officii mei ratio suasit, ut scriberem, quando ea est persona litteras redditura, ut plus de tuo judicio, quam de meo speret auxilio. Itaque omnia, quæ mos est litteris explicare, ipsi potius narranda delego : a quo amplitudo tua, et quæ de me cognitu digna crediderit, et quæ ipsius fortuna poscit, accipiet. Vale.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Reparassem jamdiu corpusculi mei valetudinem, si frui agrorum salubritatem potuissem. Sed nunc intuta est latrociniis suburbanitas : atque ideo præstat macerari otio civitatis, quam pericula ruris incidere. Tuis tamen litteris proficere sanitatem meam sentio, quibus beneficia domini nostri Theodosii frequenter enumeras, et augeri merita tua magnis præmiis asseveras. Et illi quidem ad agendas gratias lingua tua sufficiet. Ego pro mediocritate ingenii mei viro excellentissimo, nostrique in Flavianum voti socio, vicem laudis exsolvi. Sed etiam tempus est, ut ipsum illum vedire patiaris pro quo obligati sumus. Quousque magistratum longinquæ provinciæ solatio tuo vindicas? Nulla de uxoris utero causatio est, cujus exspectationem maturus partus absolvit. Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Putabam tot monitis atque exhortationibus meis aliquid animo tuo accessisse tolerantiæ. Enimvero tu etiam reverendas necessitudines nostras peregrinationis sollicitas. Sed quid promovet ista conquestio? Non ferunt impatientiam tuam, quibus reditus in voto est. Vident enim sub quibusdam æmulis civibus excessum celerem nihil laudis habiturum. Quin assume constantiam, et quid deceat magis, quam quid libeat, expende : præcipue cum ipse fatearis, in amore domini nostri Theodosii venerabilis principis, omnium te carissimorum pignorum gratiam reperisse. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Simplicium agentem in rebus pene in porta Flaminia retentavi, ut ad te pauca, et non omittenda dictarem. Filius noster Flavianus Romam pridie calendas Martias venit, et brevi in Asiam secundis auspiciis ordietur, quod ideo par fuit indicari, ut sollicitudinem, quam de mora ejus hucusque tolerasti, spes promissa detergat. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Abundas quidem consiliis : in omnem rei usum paratus, et sapientiæ cultus artibus, monitore non indiges. Sed fas est, ut meas quoque vigilias aliquid privatis negotiis tuis conferre patiaris. Quare si quid præmeditatum utrique nostrum stylus fraternus ingesserit, constantius exsequere, tanquam duobus probatum. Si quid ibi adhuc novum legeris, a te inventum puta, quod ab amante suggeritur. Subjeci capita rerum, quia complecti litteris fastidii fuga nolui. Tuum erit insinuata trutinare. Ita enim meo officio functus sum, ut tibi judicium reservarem. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Baiarum solitudine vehementer offensus, Puteolis malui commorari. Juvat enim nos istius loci salubris habitatio. Dehinc si adjutu Dei optata processerint, Capuam paramus excurrere, totumque hunc mensem Novembrem diversis Campaniæ locis atque urbibus deputamus. Hæc est nostri summa propositi. Sed ut animus alacrior destinata promoveat, vestris alloquiis erigendus est : quandoquidem sanitatis vestræ et felicitatis indicio nihil antiquius æstimamus. Verum hoc pro insigni religione sponte facietis. Atque ideo non est necesse voluntariis officiis aculeos exhortationis adhibere. Interea quod te, mi frater, affo-

Digitized by Google

re polliceris, vehementer amplector. Atque utinam te domus tota comitetur! ut et nobis lætitiam pleniorem tribuat adventus omnium, et tibi causa non sit citius patriam recurrendi, desiderio et amore remanentium. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Quamvis litteras meas fama prævenerit, quæ exoneratum te publicis necessitatibus nuntiavit: tamen quo fidelior esset assertio, scriptis confirmo rumorem. Sed licet publicæ rei absolutione læteris, volo te adversum incerta muniri: videlicet ut sub Actorum confectione tuorum, si adhuc retines potestatem, vel vicariæ præfecturæ, quæ tibi poscenti æqua non deerit, diligentiæ tuæ ratio digeratur: quæ possit ostendere, quot numero animalia collocaris, et quo apparatu instruxeris mansiones, et quantum in titulis fiscalibus exigendis tua cura promoverit. Hoc enim testimonio adversum omnes vel fortuitas querelas vel affectatas insidias protegeris. Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Argue, ut vis, rerum consilia post exitum, et mihi vitio verte, quod contemptum sui præfectura conquesta est. Facile accusatur desertus auxilio. Atque ideo in me recipere malo erroris confessionem, ne aut amicos negligentiæ, aut adversarios asperitatis incessam. Fuerit fortunæ, non conscientiæ meæ, ut victus viderer, qui necdum cœperam litigare. At etiam scribis, causis similibus abstinendum. Vides quantum liceat eventui. Oblitus es morum meorum. Ego vero solitæ verecundiæ ignavum quoque jungam timorem, et litteris tuis agam gratias, quæ me depositæ juris et amicorum fiducia, ad omnium injuriarum silentium cohortantur. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Pro optimis viris quisquis intervenit, non magis illorum videtur juvare commodum, quam suum commendare judicium. Quare in eo, quod fratris mei Maximi desideria litteris prosequor, non tam illi usui, quam mihi laudi est. Est enim vita et eruditione liberalium disciplinarum pariter insignis, neque ulli præstantium philosophorum secundus, ac propterea tua familiaritate dignissimus. Cujus tibi negotia cum in rem missus absolverit, quæso ut humanitate, qua clarus es, justas petitiones ingravato auxilio prosequaris. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Quo animo acceperim Siciliense negotium vulneratum, facile conjectas, qui me noveris in alienis quoque judicatorum iniquitate morderi. Quin etiam consilii imprudentis a te arguor ob amissa. Recte agis. Cur enim speravi contumeliam sacri auditorii vindicandam? Cur de amicis legitima et justa præsumpsi? Et quo redacti sumus? Justitiam perdidi, dum exspecto vindictam. Jam illud, quo pacto diluam, quod Probus mitior judicatur, qui in præjudicium vel invidiam possessionis meæ parvi agelluli retentionem cessit, cum illi tota mulierculæ promitteretur hæreditas? Nam referendi hæc sola præfecto Urbis ratio fuit; non ut receptarum appellationum pœnam Siciliæ rector exsolveret, sed ut injuriam suam sacri auditorii cognitor vindicaret. Nunc rescriberetur in causam, post victoriam meam, contra sententiam præfecturæ, cui pars adversa consentit. Si relatio ad fortunam negotii pertineret, et supplementa, vel refutatorios jurgantes dedissent; rogo, de quibus actionibus judicabitur, quas in Sicilia post appellationem meam pars una deprompsit, quibus tyrannicorum temporum gesta sociata sunt? Tanti est invidia mei, et grata aliquibus reprehensio. Cede adversantium voluntati, et domino nostro invictissimo principi Theodosio semper augusto dignare suggerere, non pluris apud me divitias valere, quam famam. Bonum de me judicium parentis publici, conservatoris mei, cuivis antepono patrimonio. Si placet, ut omni mea hæreditaria possessione decedam, lex mihi erit, quidquid omnium dominus placata auctoritate censuerit. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Scio te amicum justitiæ, et amantem mei, et vereor ne suscipias ullum pro absentis existimatione certamen, atque in te aliqua odia detorqueas. Peto igitur quiescas. Erit fortasse copia mihi afferendæ quandoque veritatis apud æternum principem dominum nostrum Theodosium, cujus erga me favor fecit, ut aliquid interim moliretur invidia. Non puto bonis temporibus eam causæ meæ conditionem futuram; quæ sub tyranno fuit, cujus litteris ad Marcellini suggestionem datis homines meos scis esse multatos. Quod in panegyrici defensione non tacui. Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Reddet tibi litteras meas, qui tuas mihi debuit exhibere. Neque enim eadem nobis silentii excusatio, quæ tibi suppetit. Te multiplex actuum publicorum turba circumsonat; ego ab omnibus negotiis feriatus, triste otium tero. Et quod tui honoris gratia ante faciebam, nunc meo assumo solatio. Levatur quippe ægritudine animus, quoties in officia amica dirigitur. Me ex vero, non ad gloriam loqui, secessio mea testis est. Nam cum dolore saucius æstuarem, sedem dominæ communis parentis quasi fanum aliquod Dei salutaris accessi. Nunc ejus consilio vulnus meum in cicatricem convenit. Illius acquiesco monitis, illius ope respiro. Adsunt etiam cæteræ venerabiles necessitudines tuæ: et quod me præ cæteris juvat, tui quotidie blandam commemorationem sermo noster exercet. Qua de re inter Campaniæ terminos major pars æstatis agitabatur; quando et præsentia placet, et ea conditio est patriæ, ut qui excludi per improbos possumus, abesse interim velut ex nostro arbitrio debeamus. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Relatio viri spectabilis fratris nostri vicarii indignitatem deprehensi sceleris eloquetur. Atque ideo non est necesse, ut dictu et auditu nefaria noster sermo recenseat. Unum est quod mea petitio, et cæterorum vota desiderant, ut pro justitia tua sinultum esse non sinas, quod exemplo gravissimum erit, nisi ausus aliorum vehemens pœna compresserit. Fama est, Ampelium et quosdam alios de Sardinia, ut asseritur, senatores in crimen adductos, forum competens observare præceperis. Hos nunc audio ad aliud judicium esse translatos. Quare si ipse ita a te reminisceris judicatum; æquum esse arbitror, ut statutis tuis adesse digneris. Vale.

EPIST. XXXIV

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Adornare te reditum, quod sacra Deum matris appeterent, arbitrabar. Tu in diei unius iter promoves, nosque et patriam post tergum relinquis. Illude, ut vis, amicorum facilitati: quos si hæc morderet injuria, in vicem malæ gratiæ saltem litteris abstinerent. Nunc vero officiis mulcemus abeuntem, et blanda animo tuo fomenta suggerimus, cum tu omnibus curam rei familiaris anteferas. Nam recordaris hoc te præfamine epistolam texuisse: *Nihil hac ætate tractandum pensius domesticis rebus.* Quod ego, dum contemplor venam morum tuorum, scio ludo esse conceptum. Quando enim sublimitas ingenii tui curis vilioribus flecteretur? Censeo igitur aliis dare verba mediteris, qui sanctum penetrale animi tui nesciunt. Mihi uno genere satisfacies, si remotis epistolarum defensionibus ipse remeaveris. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ego quoque in scribendo formam vetustatis amplector, nimisque miror, quod mihi librarii error obrepserit; qui solitus epistolis meis nomina sola præponere, usum simplicem novella adjectione mutavit. Sed id potius casu, quam consulto factum liquebit, si recorderis, superiores nunquam istius modi titulo sorduisse. Et tamen utcunque res accidit, gratulor novi aliquid oblatum, quod me a solito respondendi genere vindicaret. Quousque enim dandæ ac reddendæ salutationi verba blaterabimus, cum alia stylo materia non suppetat? At olim parentes etiam patriæ negotia, quæ nunc angusta, vel nulla sunt, in familiares paginas conferebant. Id quia versi ad otium rebus omisimus, captanda sunt nobis plerumque intentata scribendi semina, quæ fastidium tergeant generalium litterarum. Juvit igitur me culpa, quam delui, et si non fallor, tibi quoque viam dedit inusitata referendi. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ergo adeo complacitum est communi parenti, ut te longius, quam vellem, necesse sit detineri? An tibi urbanorum tanta vitatio est, ut exspectationem meam pia causatione frustreris? Et revera mihi hic agitur, aut dicitur, quod bonus animus, et sincera natura possit amplecti. Sed utcunque ista sunt, si Romæ ageres, aditu inter nos mutuo fortasse mitescerent. Nunc graviores rerum omnium offensiones, ut pote solus, experior. Exempli causa unum accipe, de quo reliqua conjectes. Prætextato nostro monumentum statuæ dicare destinant virgines sacri Vestalis antistites. Consulti pontifices, priusquam reverentiam sublimis sacerdotii, aut longæ ætatis usum, vel conditionem temporis præsentis expenderent; absque paucis, qui me secuti sunt, ut ejus officium statuerent, annuerunt. Ego, qui adverterem, neque honestati virginum talia in viros obsequia convenire, neque more fieri, quod Numa auctor, Metellus conservator religionum, omnesque pontifices maximi nunquam ante meruerunt: hæc quidem silui, ne sacrorum æmulis enuntiata noxam crearent, *inusitatum censentibus.* Exemplum modo vitandum esse rescripsi, ne res justo orta principio, brevi ad indignos, per ambitum deveniret. Ne longum loquar, ipsa verba ad te misi bonis probata, sed numero fortasse vincenda; licet in decretis pontificum non sit eadem forma, quæ curiæ est. Sed hoc quoque parvi faciet inscientia. Quod si tu adesses, multum duorum sanitas promoveret. Quare ubi primum ex incerto morbi parens communis emerserit, redde te mihi, ut nobis æquiorem vitæ cursum faciant participata solatia. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Nequeo definire, quæ potissimum mihi describendi forma conveniat. Ea quippe jam diu intemperantia variorum rumorum; ut neque decipere falsis, neque sollicitare veris amantissimos mei debeam. Spes tamen, quæ rerum semper adversarum patientiam suadet, in tuto est. Et si aliquid commoditatis attulerit, nequaquam morabor index esse meliorum. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Filii mei Parthenii adventus nullis postulat commendationum lenociniis adjuvari. Sed accessurum gratiæ existimo, quod ejus præsentiæ etiam meus sermo conjungitur. Ex ipso Romæ gesta noscetis, licet scriptum fama prævenerit. Neque enim res magnæ et insperatæ in secreto se esse patiuntur. In bonam partem plebs nostra mutat: adeo ut jugiter seditiosorum pœna poscatur, et jam terga dederint insolentes. Multis non opus est. Neque enim quidquam narrandis debeo derogare, qui rerum plenitudinem venturo ad vos indici reservavi. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Horus philosophus, vita atque eruditione præcipuus, jam diu mihi carus et amicus est; et inter prima numerat dona fortunæ, si optimis quibusque jungatur. Studens igitur ad effectum desiderium ejus adducere, quæso te, ut et sui meriti gratia, et in

Digitized by Google

honorem commendationis meæ, inter familiarium tuorum præcipuos atque honorabiles consecutur. Vale.

EPIST. XL.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ignatio meo gratulor quod nostra in eum diligentia tuo amore vincatur. Factum est, quod volebam: nam parciorem de illo testimonii cautionem præmiseram, quam sentire cœpisti. Nunc si qua meorum actuum scire postulas, explicabit. Tanta illi est virtus, et utriusque nostrum ex familiaritate fiducia; ut et de me nihil possit ignorare, et apud te nihil occulere. Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Voluntaria beneficia tua petitione prævenio, ut quæ tua sponte tribuis, ego videar impetrare, et bonum naturæ tuæ in gratiam meam transeat. Nicagoram clarissimum virum Siciliæ fascibus functum, sub custodiam adesse jussi. Hunc tibi et suæ vitæ integritas, et merita fraterna commendant. Accedit illi ad prærogativam precatio mea: qui etsi spero probitati ejus responsuram beneficentiam tuam; sedulo tamen postulo, ut sanctissimo juveni in bonum vertat exhibitionis occasio. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Commendaveram tibi dudum Macedonii viri clarissimi filium, cum foro tuo nomen dedisset. Credo eam rem pro studio meo juveni commodasse. Sed quia parentibus nihil satis est, et efficacior quibusdam videtur petitionis iteratio: rogatus denuo postulatum retexo, non ut novam causidico benevolentiam præstes, sed ut jam tributam digneris augere. Meo autem nomine quæso te, ne sic desiderium repetitum esse conjicias, tanquam me prius impetrasse diffidam. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Merita Sexionis, qui antehac Calabriam rexit, multi in bonam partem loquuntur; eaque propter, ut suffragio tuo a me committeretur, orarunt. Est humanitatis et consuetudinis tuæ, aliis quoque placitos amore dignari. Ergo si nihil est, quod resistat precantium voluntati, effice, oro te, ut Sexioni apud te prosint et mea verba, et vota multorum. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Palatinos injuriæ reos, quos Brutiis celsitudo tua præcepit exciri, miles de prætorio missus, exhibuit. Sed cum sacro auditorio eadem causa competeret, dominus meus, parens noster, præfectus Urbi, auctoritate juris et fiducia tui, personas sibi ac negotium vindicavit. Quod eo scribo, ut noveris apparitori justam subesse rationem, qui et parenti tuo cessit, et legibus. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Qui deum beneficio potiuntur optatis, venerari ipsos eorum datores honorum, gratiæ instar existimant, ut nunc frater meus Paconius vadatus optimo testimonii tui munere audire properavit parti honoris auctorem. Commendarem tibi optimum civem; si posses parvi facere, quem dudum altius protulisti. Supersedendum est igitur his verbis, quæ suffragari proficiscentibus solent. Neque enim vana spes est validiora fore apud te merita præsentis, cum absentem favore respexeris. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ferunt Socratem, si quando excidit cupitis, aut destinatis, id sibi utile, quod evenerat, æstimasse. Nil meriti sui securus interpres, ea conjectabat esse meliora quæ casus dabat, quam quæ animus appetebat. Sequor sapientis exemplum, et in bonam partem trabo, quod Saxonum numerus morte contractus, intra summam decretam populi voluptatibus stetit, ne nostræ editioni, si quid redundasset, abscederet. Nam quando prohibuisset privata custodia desperatæ gentis impias manus, cum viginti novem fractas sine laqueo fauces primus ludi gladiatorii dies viderit? Nihil igitur moror familiam Spartaco nequiorem; velimque si tam facile factu est, hanc munificentiam principis, Libycarum largitione mutari. Nam gladiaturæ idoneos communi cura prospiciet; quæ pars in apparatu quæstorio prior est, ut auctoramento lectos longus usus instituat. Nostros, quibus ursorum lectio et comparatio jam pridem credita est, pervectos ad te temporis æstimatione non ambigo. Sed si cursualium præpositorum avaritia retardantur, erit beneficentiæ tuæ morus, quibus tenentur, abscivere. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ope deum secunda navigatione et facili itinere ad destinata pervenimus. Appetebat commodum tempestiva hora convivii. Ubi curare corpora cibo cœpimus; accurrit qui mihi amabiles litteras tuas, simulque a te captas e mari copias exhiberet, quæ nobis esui mox fuere. Nam libuit indulgere genio, postquam parvulum nostrum periculo exemptum spes optata respexit. Habes omnem rem: cura, ut valeas, et patriam tui amantem quamprimum revisas, bona parentis, ut spero, venia, cui mox peracta lustrali solemnitate redderis. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ad tertium nonas Octobres primo lucis respondi litteris tuis, quas pro interjectu itineris, quo nunc distinemur, ante meridiem sumere debuisti. Sed ut scripta ad vesperam mihi reddita prodiderunt, meum officium, meamque curam tabellarii lentitudo suspendit. Ego tamen huic moræ succensere non possum. Defuisset enim tibi causa sermonis iterandi, si mature responsa nostra legisses; quæ confido jam tradita: nisi forte denuo aliquis ex urbanis divitibus insessor viarum scripta nostra furetur. Dii illos mentibus suis puniant! Nunc ac quæsita redeamus.

Digitized by Google

Humor, qui parvuli nostri pectus obsederat atque importunam tussim ciebat, magna parte tenuatus est: itaque spiramenta faucium libera nihil jam stridulum sonant. Deum benignitas velit processum sanitatis ejus in solido collocare. Nos ut a metu præsentium respiravimus, ita voto futura munimus.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS SYAGRIO.

Scribere hucusque non libuit, obstrepentibus imbecillitatum querelis, quas indicare vitamus. Hinc factum est, ut officium nostrum tua alloquia prævenirent. Postquam divina ope sanitatis bono frui cœpimus, redit cura sermonis. Sume igitur litteras, seras quidem, sed voto tuo et proposito congruentes: quæ ut diu dilatæ sunt, ita desiderium sui indicio meliore pensabunt. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Iter in patriam diis auspicibus ordiemur, quod tibi et ante compertum est. Sed religio monuit, ut diei quoque certior reddereris. Cras igitur viam nobis disce relegendam. Et quia promissi servantissimus es, fac memineris ad publicum solemne contendere. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Emiseram prior scriptum, quod in manus tuas dudum præsumo venisse. Haud multum processit horæ, cum aderat, qui a te mihi litteras exhiberet. Decursa oculis pagina requiri a me comperi diem cœptando itineri destinatum. Sed hanc curam spontaneo sermone præveneram. Ergo respondenda consumpsimus. Quid superest, nisi ut gratuler nobis animos esse cognatos? Nam quæ te scire velle præsumpsi, priusquam quæreres indicavi. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Reditus ac recursus in patriam, qui semper omnibus gratus est, festinationi nostræ nequaquam pro exspectatione respondit. Causas si desideratis, accipite. Jam primum ut communia domesticis præferamus, rem frumentariam nostræ urbis nulla auget invectio. Spes ipsa, quæ in adversis alere animos solet, recusat effugium polliceri, cum sterilis annus ne semina quidem terris commissa reddiderit. Dehinc ut apud vos familiarem curam loquamur, urget Ostiense prædium nostrum militaris impressio. Nos legum inane nomen vocamus. Dii viderint exitum causæ. Interea mordemur non metu damni, sed civitatis injuria. Collegarum tractatus qui me exciverat, æternis principibus legandorum in Africam virorum reddidit optionem. Cessante ergo patrum deliberatione non vocamur. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Fungeris boni fratris officio. Sed desine memorem commonere. Notæ nobis sunt cæremoniæ deorum, et festa divinitatis imperata. Nisi forte me solum exsequi vicem tuam postulas, et ut assolet res divina mandari; mihi tuum munus injungis. Fruere deliciis copiosis. Nos mandata curaturi sumus. Sed memento exactis feriis participes facere luxuriæ tuæ, quos tantopere laborasti consortes habere jejunii. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Gratiosa est expostulatio quæ requirit officium. Sed cum in scribendo nunquam residem gesserim voluntatem, frustra neglectæ familiaritatis accusor. Utor in ea re testimonio hominum tuorum, qui dudum sibi epistolam traditam tabellarii vitio distulerunt. Volo igitur apud te servatæ amicitiæ mihi constare rationem. Nam vehementer injurium est, ex alieno peccato, nævum violatæ religionis attrahere. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Spe bonæ valetudinis mari vicina delegimus. Sed nec dum auras salubres ventis obluctantibus experimur. Hinc pigrior est matronæ ad sanitatem recursus: cui si quid refectionis dies melior adjecerit, optatum de ea indicium non morabor. Urbanis negotiis, ut insinuare dignatus es, inquies, monitor securus illudit. Alieno enim periculo res inefficax et copiæ nocitura tentatur; ut cum vilitatis metus in angustias coegerit civitatem, tunc opum validis quæstum augeat avara venditio. Hoscine homines arbitreris, qui plus amicis consilio nocent, quam inimicis odio obesse potuissent? Sed nos publico dudum opere perfuncti, aliena sileamus. Dii meliora procurent! neque enim gaudere dignum est, si qua mihi laus ex alterius errore proveniat. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

In maximis quidem rebus, quid mihi studii atque amoris impendas, frequenter adverti. Sed quoque crebri sermonis officia, ut pote ex intimo affectu deprompta complector: quorum assiduitas cultum circa te meum pari lance compensat. Jucunditas vero tanta est, ut fatear me alloquio tuo potius incitari ad desiderium quam repleri. Ea quippe rerum omnium ratio atque natura est, ut quæ humanis sensibus blandiuntur, nequeant offerre fastidium. Itaque cum solvendis atque agendis gratiis par esse non possim; facio quod solent improbi debitores, qui adhuc alieno ære depressi cupiunt secundo nexu fenoris obligari. Quare etsi numerosæ sint litteræ tuæ; non ut ingratus, sed ut muneris tui cupidus postulo crebriores. Facile autem conjici potest, quam vicem colloquii otiosus ipse pollicear, cum ab occupato hujusmodi officium impatienter exposcam. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Diu domo abesse decreveram, jucundumque otium cum familiaribus nostris in suburbano Arabianæ exigebam. Sed quia Fors versat humana, nec semper ex voto destinata succedunt: Præfecti litteræ ruperunt otium meum, quæ bonæ spei sollicita miscebant.

Digitized by Google

Speciatim præsentiam meam per ambiguum poposcerunt. Non differo exspectationem tuam. Collegarum tractatu senatum commoveri, sed et oblationem faciendam scriptis secretioribus indicavit. Nihil publicatum, nihil lectum est. Quantitas postulatæ rei excessit opulentiam recognitam. Vastum silentium cunctis stupor subitus imperavit. Quo longius prodeunte placuit in tempus aliud deliberanda produci, ne omitterentur absentes : quamvis ipse dixerim, Romæ, aut in proximis positos, vel evocari debere, vel consuli, reliquorum nomine, de oblatione futura, ut statutis ordinis polliceantur assensum. Habes omnem rem, de qua quid sentiam satis nosti. Tibi etiamsi causa communis est, procul tamen abesse, ad solatium proficit. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Paulo ante litteras dedi. Nunc reddo responsa, quia illis necessaria continentur : his salutatio sola præstringitur. Valemus, ut verum est. Si tibi omnia prospere fluunt, scriptionis fide commune bonum mecum participa. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Suburbanum prædium, quod viæ Appiæ adjacet, incolebam, cum mihi litteras tuas in hoc missus exhibuit. Nosti rura quæ loquimur, ubi magnas ædes in angustis finibus collocavi. Hic dulce otium (si quid absque te dulce est) paulisper exegimus. Nunc Vestalis festi gratia, domum repeto, incertus maneamne cum civibus, an rursus in vicina concedam. Tu quid agere decernas (nam certe justo diutius abfuisti) debeo cognoscere. Vocat enim te in curiam nostram diis auctoribus quamprimum candidati mei designatio; cui supra omnes ornamento eris, qui nos vel affinitatis vel amicitiæ officiis prosequentur. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Vacui apud Neapolim soli, quod mihi ex tuo adjacet, ut ædes novas molirer, optaveram, tu mecum opera Lucellana partiris. Et ne verecundia retfuet oblatum, negas tui juris videri, quod ego meum fateor non fuisse. Patere, ut saltim gratiam tibi debeam. Neque enim fas est, mala fide me recuperare, quod possum bona sumere. Adjicis præterea lenocinia, quibus morbum fabricatoris irrites : geminam porticum, solido et incorrupto opere curvatam, multis in longitudinem passibus explicari; vicina esse quæ construo, et parvo ædificationis negotio quod intervenit posse misceri. Quid laboras adversus verecundiam meam? Ego quoque facio, quod recusas. Gratus sum muneri tuo : sed vereor ne, accedente sumptu, dum vetera novis nitimur æmulari, intelligam te majora velle concedere, quam me posse reparare. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Ut habitus et crinis indicio est, Serapam non litterarum peritiam pollicetur : cujus si se meminisset exsortem, nunquam philosophis congruentem sumpsisset ornatum. Sed de hoc vestra existimatio sit, qui talium rerum profitemini notionem. Mihi religio fuit, negare verba poscenti. Facies itaque rem morum tuorum, si ope atque humanitate fortunam peregrinantis adjuveris. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Postquam Gaudentio apparitori tuo indicem peracti a me itineris epistolam dedi, agens in rebus mihi apportavit sacras litteras spei et desiderio congruentes, quibus cognoscerem clare in aures publicas designationem consulatus mei debere proferri. Quid igitur eximio animo tuo lætitiæ plenus exoptem, nisi ut simili mox fruamur etiam de te gaudio; quod spero dominum nostrum Theodosium, venerabilem cunctis et præcipue bonis, solida in amicos dignatione facturum : siquidem dignum est, ut augustissimis honorum nostrorum patronus æquet dignitatibus, quos scit mentibus convenire. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Cresconio amico meo amorem tuum multa conciliant. Primo quod sacras litteras, quibus consulatus mei designatio tenetur, exhibuit; dehinc quod eum patria Africa non minus tibi, quam mihi cara commendat. Cujus mores cum primore loco censere debuerim, malui tuo examini reservare. Suscipe igitur, oro te, notum militiæ virum, qui se apicem felicitatis credit habiturum, si eum patrocinii tui splendor illuminet. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Exerceat me quidem votivis ac felicibus negotiis præparatio consulatus. Sed ut litteræ tuæ frequenter indicio sunt, tua pro me cura præponderat. Hortaris, mones, cogis, ut quidquid potissimi magistratus functio quærit, accelerem; et cum sis meæ exactor industriæ, nihilominus omnia sollicitudini tuæ vindicas. Eritne tempus optatum, quo istam mentem paribus pro te officiis districtus æquiparem? Spero actutum florente republ. et propagato in ævum domini nostri Theodosii principatu, virtutes tuas fascibus munerandas. Tunc epistolarum stimulos non requiram, nec exspectabo monitorem. A te enim didici sponte suscipere quidquid pro fratre curandum est. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Astipulationem præclara merita non requirunt : siquidem virtus sua luce conspicua aversatur auxilium commendationis alienæ. Ergo cum dominum et fratrem meum Licinium celebrem fecerit ad normam veteris disciplinæ gubernata resp., quid potest ei dignitatis adjicere privata laudatio? Hac igitur præmissa parte, optimæ in amicos fidei ac diligentiæ virum, præcelso animo tuo opto sociare : non quod judicium tuum serum ac difficile sit ad colligenda ingenia et explorandas voluntates bonorum, sed ne

Digitized by Google

brevis inter vos usus et festinata discessio neget A justum tempus examini. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Si amicitiæ semper ratio deposcit, cur mutua negotia alterius juvemus officiis, quanto impensior utilitatibus propinquorum cura debetur, quorum nobis bona et adversa communia sunt? Quid quod sæpe bonitas causæ cohortatur, ut quod debemus generi, tribuamus promptius æquitati? Quæ me non minus pro illo, quam necessitudo commovit, ut ipse etiam comperto ex relatione Victoris spectabilis viri negotio judicabis. Nam quo res notior fieret, publicæ epistolæ malui exempla sociare, ne quid fiducia dicere per gratiam judicarer. Nunc, si tibi voluntas mea cordi est, præsta huic quæstioni maturam securitatem, B quam pro justitia etiam me silente deferres.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Parva est commendatio scriptorum meorum, si Leontium familiarem innocens vita bonis quibusque conciliat. Suo igitur præditus merito, astipulationis adminicula non requirit; et tamen abstinere non debeo tali genere litterarum, magis ut amicitiæ satisfaciam, quam ei aliquid opis conferam. Tu tantum pro dignatione, qua clarus es, facito noverit gratiam sui meo quoque nomine esse geminatam. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Brevem necesse est esse sermonem, qui properanti repente committitur. Quare et officio satis est et C brevitati temporis congruit, ut circa te salutationis honore perfungar. Vicissitudinem vero efflagitare non debeo, quam mihi arbitror a viro amicitiæ servantissimo etiam sine admonitione referendam. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Ut silere non possem, quoties stylum invitat occasio; ita si desit causa longioris alloquii, seriem paginæ stringo compendio. Loquax enim copia est, quæ in re usitata atque solemni verborum redundat eluvie. Have igitur dico, et vicissim peto, ut me prosperorum tuorum indicio munereris. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Humanitatis interest commendationem deferre poscentibus. In Zenobio autem talis officii causa propensior est, cum sit familiaris meus, atque adeo illi debeatur potius quam præstetur affectio. Hinc patrocinium tui cupio provenire: Nam primum est, ut meo suffragio diligatur; secundum erit, ut sui honestate complaceat. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Considerans, quid mihi amoris digneris impendere, arbitror Cyriaco domestico meo has litteras profuturas, quibus quæso ut commoditatem ejus prompto favore respicias. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Vir clarissimus Honoratus cumprimis mihi vitæ honestatisque complacitus est. Credo judicium meum tibi aspernabile non videri. Id si ita est, neque me opinio frustra tui habet, futurum reor, ut ex prærogativa istius testimonii ad familiaritatem præclaræ unanimitatis tuæ, quasi tibi etiam sedulo spectatus accedat. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Delectat eos frequenter affari, quorum animum mei amantem documentis habeo comprobatum. Cape igitur litteras meas, quas ideo libenter emitto, quia religionis tuæ vicissim pascor alloquiis. Quæ res acuere nos debet ad officia promptiora, cum tibi hinc commodi fenoris largior usura respondeat. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Valentinianus protector dudum patrocinio culminis tui per me traditus atque commissus, domesticis occupationibus attinetur: atque ideo magnopere poposcit ob eumdem sibi aliquod negotium per suburbanas provincias impetrari. Quare decus nostrum familiari meo desideratum munus exclude, aut impetra commeatum, quo possit a militari nota sub hac impetratione defendi. Vale.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Cum in judicio præfecturæ famosa causa penderet, Discolius, qui furti detulerat actionem, multosque nostri ordinis viros criminatione perstrinxerat, occulte cum reis inita pactione, non sine disceptatoris invidia elusit examen. Ad hujus investigationem missus apparitor, si prætorianorum adminiculum sortiatur, procliviorem facultas retrahendi accusatoris eveniet. Interest publicæ disciplinæ, simulque ad famam pertinet cognitoris, ut eum summo studio conquisitum reduci in judicium sub custode præcipias, ne innocentiam senatorum obnoxia rumoribus suspicio decoloret. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS FLAVIANO.

D Amor tuus in Domitium notus et validus ademit mihi commendandi ejus laborem: pro quo hoc tantum dixisse suffecerit, mihi quoque eumdem prisca familiaritate conjungi. Quæ res illi incrementum patrocinii tui, ut spero, præstabit: probabiliorem quippe eum tibi faciet communis similitudo judicii. Interea nos ursis sæpe promissis, et diu speratis, sub ipso articulo muneris indigemus. Vix enim paucos catulos macceratos inedia et labore suscipimus. Et de leonibus fama conticuit: quorum adventus posset efficere, ut ursorum defectum congressio Libyca repensaret. Unciam panis malitiose et temere restitutam spontanea voluntas populi redegit in copia conditorum. Tuta igitur omnia atque secura sunt, quæ animum

Digitized by Google

tuum jure mordebant. Atque utinam sollicitudines quæstorias par successuum felicitas mitigasset! Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Editioni muneris nostri et usitata et insolita a te conferuntur; ita omnia ad conciliandum quæstori nostro plebis favorem et solemnium rerum largus et novarum repertor excogitas: ut nunc septem Scoticorum canum probavit oblatio; quos prælusionis die ita Roma mirata est, ut ferreis caveis putaret advectos. Ergo et hujus rei causa et præterea munerum cæterorum, quantas possum, maximas gratias tibi ago: licet in his, quæ studiose fratribus pro magnitudine animi tui tribuis, beneficium te non putes præstare, sed sumere. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Pars hominum compendiis et quæstibus gaudent; me votiva delectat expensio. Itaque avidus civicæ gratiæ, quæstoris filii mei sumptibus studeo aliud genus largitatis adjicere, et curulibus stabulis Urbis æternæ etiam quina mancipia largiamur. Et quoniam servorum per limitem facilis inventio, et pretium solet esse tolerabile; quam maxime te deprecor, ut per homines strenuos vigiati juvenes prædicto negotio congruentes jubeas comparari. In quam rem solidos ad te misi, habita æstimatione hominum, quorum non forma, sed ætas et sanitas deligenda est. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Fratri nostro Andromacho omnes bonæ artes familiares sunt, sed præ cæteris fides, qua exspectatus mihi tuum quoque judicium optat demereri. Itaque dum te expetit, iter imbecillis grave, gracilitatis suæ oblitus intravit. Hæc illi maxime causa fuit pro viribus, ut solet plerumque animus spe et gaudio morbum levare. Advertis igitur quam prompto et patulo amicitiæ sinu receptandus sit, qui tui desiderium suæ valetudini prætulit. Quid plura? appetendus tibi foret, nisi te sponte sequeretur. Ergo accurrenti religiosam manum porrige; ut qui te novit virtutibus superiorem, communitate parem sentiat. Vale.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Commendatum mihi a fratre meo Hilario virum devotissimum Titianum; quo alio possum beneficio munerari, quam ut eum sancto pectori tuo non aspernandus precator insinuem? Et jam spero petitioni meæ cessuram felicitatem, quando eo studio atque proposito es, ut instar gratiæ habeas, si tibi probabilis amicus accedat. Vale.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Filius noster Symmachus, peracto munere candidati, offert tibi dona quæstoria, et cæteras necessitudines nostras pari honore participat. Quæso igitur ut ejus nomine dyptica et apophoreta suscipere digneA mini, qui apparatui ejus plura et præclara tribuistis. Præterea domino et principi nostro ad referendam largitati ejus sedulam magis, quam parem gratiam, auro circumdatum dypticum misi. Cæteros quoque amicos eburneis pugillaribus et canistellis argenteis honoravi. Tuæ igitur potestati, tuo quoque arbitrio committo, ut opportune singulis, quæ missa sunt offerantur. Vale.

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Multi a me conciliationem litterariam poposcerunt; sed quorumdam meritis, aliorum precibus parem gratiam dedi: nec tamen vereor, ne tibi civium ignota distinctio sit, judicium de his commune recolenti. Dabis igitur in quibusdam verecundiæ meæ B veniam, quam cessit orantibus. Sequeris autem, quod scis de singulis utrumque sentire. Puto ex his verbis, quo in numero filium nostrum Attalum spectabilem virum censeam facile dignosci. Namque ista libera et aperta discretio ei tuto credita est, qui non fuit in partem cogentium. Quare tuo ac meo nomine amicitias accurrentis amplectere; ut huic in fructu sit cultus bonorum, pravis dolori, quod similiter non diliguntur. Vale.

EPIST. LXXXIII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Jam pridem domino et fratri meo Alipio comitatum sacrum visere atque adire cupienti, sera quidem occasio, sed læta successit, ut eum consul accires, ideo in conspectum tuum alacer occurrit, ut beneficiis vo- C tiva reddat officia et sancti animi tui fretu nubem invidiæ superioris abstergeat. Quod illi arbitror ex voto esse cessurum. Neque enim famæ ejus deesse aliquod patieris, qui securitatis cuncta tribuisti. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Recte et probabiliter judicasti, fratrem nostrum Titianum spectabilem virum consulatui tuo interesse debere: siquidem æquitas postulabat, ut voti sui voluptate frueretur. Nulli unquam nostrum tui amore cessit; quinimo semper primas sibi erga te partes observantiæ vindicavit. Itaque testem alium non requirit. Scit enim sibi plus esse loci apud tuum animum, quam posset meo sermone conquirere. Relin- D quo igitur eum fiduciæ suæ, quia nihil potest esse cumulatius. Hoc tantum subjicere contentus, me quoque tibi ejus nomine, si quid gratiæ ceperit, obligandum. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS FLAVIANO FRATRI.

Facile fratrem nostrum Elpidium ad proficiscendum traxisset affectio, nisi eum unici cura retineret. Tantum quippe est in eo sinceritatis atque dulcedinis, ut illi soli necessitudines præferantur. Hunc ita spectatum mihi atque conjunctum, jussis tuis negare non potui: quia in talibus causis major apud me cedendi voluptas est quam fruendi. Suscipe igitur amantissimum nostri eo animo quo rogasti: æstima de

Digitized by Google

gaudio adventorum, negari a te non oportere residentibus, quod præstatur accitis. Vale.

EPIST. LXXXVI.

SYMMACHUS FLAVIANO

Peregrinari mihi tecum videor, si quando cursus atque recursus tuos luculentus narrator insinuas. Ita cognitiones nostras religione allicis, et nitore sermonis illuminas, ut quidquid explicat affatus tuus, id noster quodammodo visat affectus. Quare firmam valetudinem tuam tenemus, reditumque felicem votis jugiter comprecamur. Nam qui amorem in nos tuum æquiparare non possumus, solvimus votis, quod nequimus officiis. Salve igitur, mi domine inimitabilis, nosque et generaliter cum cæteris, ut nunc facis, et speciatim cum clarissimis, ut solebas, his muneribus oris ac pectoris tui benignos illustra. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Vox juris ac legum est: bonæ fidei contractum non posse rescindi. Hujus sententiæ exsecutionem frater noster Elpidius optat adipisci; cui post venditionem Hispaniensis prædii sui partem emptor adjurat; cum ad soliditatem transcriptæ in novum dominum possessionis cuncta ex more celebrata sint. Hæc summa est postulati, quæ meis quidem verbis, sed illius meritis adjuvatur. Quæso, ut æquitate, qua præclarus es, ut pudorem refragantis privata objurgatione confundas, aut contumaciam frangas publica auctoritate judicii. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Et honoris tui, quo nunc auctus es, et continui in me amoris delector. Volo igitur, ut communia pignora curæ mihi esse non dubites, quæ magis merita tua quam scripta commendant. Supererat, ut assiduum styli tui munus exposcerem. Sed redundantis est operæ, bona spontanea postulare, ne meus stylus extorquere videatur, quod tui animi spondet humanitas. Vale.

EPIST. LXXXIX.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Paulo ante litteras dederam, sed debitam tibi salutationem geminare non piguit. Namque amor officiorum modum non tenet. Præterea notitia commeantium postulavit, ut commendatione eorum adjecta pagina proficiat. Responsa non postulo securus præclari animi tui, qui mihi sine admonitione sermonem voluntarium polliceatur. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Semper mihi auctor es ingentium gaudiorum. At nunc supra vota processit, quod me expetendi plane et ambiendi viri familiaritate decorasti. Neque hoc suspicione conjecto. Nam patricii sermo fecit indicium, diligentiam in me suam te præsule provocatam; qua recte cæteris benefactis tuis etiam hic titulus procedet in numerum, qui solus quamlibet voti avaritiam possit explere. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS FLAVIANO.

Quoties parentum beneficiis obligamur, necesse est ad hæredes nexum debiti pervenire. Ad filium meum senatorem præclarum atque ornatissimum virum præfata pertinet generalitas: cujus pater omnibus rebus illustris et mihi eximia veneratione recolendus, plurimum domui meæ honorificentiæ et religionis exhibuit. Cujus ego devinctus officiis, filio opto persolvere, quod de parente contraxi. Sola autem magnificentia tua potest me contractu gratiæ liberare, si posteritatem ejus adjuverit, præcipue in iis rebus, quæ justitiæ patrocinio fulciuntur: siquidem queritur, agros suos contra judicatum vestrum magnam partem mutilari. Grave hoc et impetibile videri, nisi etiam consensus partium frustrationibus luderetur. Minus est enim alienam sententiam spernere, quam a propria discrepare. Est igitur in manu tua, in tam absoluto atque probabili petitionis genere, servatis legibus, et æquitatis intuitu, aliquid etiam meæ deferre personæ: cujus interventum fastidio longæ litis, non diffidentia negotii postulavit. Vale.

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Ruri hucusque observatus, postquam me ad urbanam sedem recepi, reperimus optabilem litterarum tuarum salutem. Quæ post diutinum silentium, tam multum apud nos gratiæ et honoris habuerunt, ut in his sola brevitas displiceret. Nam jejunas aures meas et præclari eloquii tui satis superque sitientes, affatus largior debuit uberare. Mihi quoque curæ fuit arctare paginam limite parciore, ut te, mi frater, scribendi talione morderem. Quamvis ita conscius sim arentis infantiæ; ut quantum doloris accipio, cum breves epistolas sumo, tantum tribuam beneficii, cum pauca respondeo. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Ruri positus vectigal solemne tibi dependo. Nullum enim tempus patior ab hoc munere feriatum; neque locorum intercedente divortio in oblivionem familiaritatis adducor. Qui, si me vicissitudinis stimulo faceres promptiorem; nunquam profecto linguam desidem continerem. Et tamen enixe meum fungor officium, nec cessationis traducor exemplo. Atque hoc silentium tuum difficultatibus publicæ occupationis

Digitized by Google

ascribo, quia satis est mihi ad amicitiæ fiduciam, quod me credo redamari. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Hunc scribendi morem superstitio vetusta constituit, ut ad peregrina digressi priorem sibi locum vindicent cum absentibus colloquendi. Sed affectus moræ impatiens, scribendi vices religione mutavit. Itaque rupta lege reticendi, sermonem tuum festinatione prævenio; adjiciens sedulæ salutationis officiis commendationem viri inter optimos quosque numerandi, quem dudum a parentibus clarum, et aulicæ dignitatis splendor excoluit, et amplissima curia non accepit ut novum, sed recepit ut debitum. Quæ tamen in fratre nostro Philippo, secundo loco et honore censenda sunt: quia plus habet laudis in moribus, magisque probitate conspicuus est, quam fortunæ muneribus gloriatur. Plura dicerem, si aut pudor ejus sineret, aut prolixa laudatio epistolæ conveniret. Certe illud spondeo, tuam eximietatem in coram reperire posse multa, quæ tacui; nulla desiderare, quæ scripsi. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Decet ut litteras meas frequenter efflagites, nec tamen convenit ut de silentio grave quippiam suspiceris. Oblitum me tui, quod in hanc diem siluerim, censuisti. An ita vel mei animi fides inclara est, vel tui meriti angusta momenta, ut huic de me opinioni locus esse debuerit? Quare amicitia communis plus accepit injuriæ ex tua suspicione, quam ex meo silentio. Minus est enim, necessitate officium deserere, quam voluntate præpropera judicare. Putas solemni genere defensionis levare peccatum? Diu afui, longa otia in secessu ruris exegi, tabellarii defuerunt. Hæc etsi vera plerumque sunt, tamen assiduitate detrita in invidiam mendacii reciderunt. Meæ occupationes ab usu remotæ, nihil mediocre protendunt, cujus rem familiarem nova incessit affinitas, contra rationem legum, felicitatem temporum, consensum parentum, pacta majorum. Sed reprimam me, neque his querelis ulterius immorabor, quas tabellarius, si veritati amicus est, explicabit. Ita fiet ut et tibi cognitio gestorum plena proveniat, et ego excusationem meam potius indicasse videar quam dolorem. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Aiunt qui callent rhetoricam disciplinam, nihil esse controversiæ, ubi eadem partium jura sunt. Imaginem propositæ rei postulas? Mitto decantatas judicialium meditationum fictiones, et inania simulacra causarum. Vel hæc silentii nostri diuturnitas materiæ talis exemplum est. Objicies mihi dissimulati officii negligentiam: in te hæc referetur oratio. Ergo quia pares sumus, dulce colludium est, ut cum altero neuter expostulet. Veniam, quam dederis, impetrabis. Sed cur æquis tecum conditionibus ago? Jam mea causa melior, qui prior emendo utriusque delictum. Vigero quæ tua futura sit in referendo sermone curatio. Ego in viam reduxi amicitiæ nostræ fortuitum stuporem; neque ex ea re affecto gratiam. Satis mihi laudis est, invidiam silentii diluisse. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Solet quidem ægritudines animi ratio mitigare, sed fortunæ nostræ tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delenifica et suada facundia cicatricem possit obducere. Fors fuit an dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem: siquidem malis omnibus finis de tempore venit. Interim frigent verba solantium, neque aures applicat consiliis bonis surdus ex injuria animus. Tertius hic mihi de optimis fratribus luctus est. Post tot miserias quis non putet me dedidicisse patientiam? At quando imbecilliores nos ipse casus invenerit, tanto magis doleo. Nunc et illa crudescunt, quibus stuporem diuturnitas fecerat. Ictus enim novissimus etiam veteres plagas dolore rescindit. Nec ignoro multa invicti animi exempla posse referri. Pericles amissis recens liberis venit in curiam: sed patriæ causa cogebat. Anaxagoram philosophum gravis de filio nuntius a disputationibus non retraxit, sed philosophiæ deferebat calamitatis suæ negligentiam. M. Horatius morte pignoris cognita cadaver efferri jussit: sed hac constantia esse debuit, qui Capitolium dedicabat. Vides quis mihi sit animus: et tamen vita ducenda est. Amor enim luctis a natura datus fulcit infirmitatem doloris. Pene præterii, quod fuerat inter prima collocandum. Cumulatissimas gratias ago, quod Projectum familiarem nostrum avulsum contubernio tuo, meo solatio deputasti. Ex hoc intelligo, quanta necessitas fecerit ne venires. Ego tamen qui teipsum non potui, vidi animum tuum; cui satis non fuit medicinam fortunæ nostræ per epistolam facere. Addidisti enim quamdam lectionem, quæ sui assiduitate vim mali frangeret, quia noveras solatia litterarum cum lectione finiri. Progressi in laudes tuas concludimus, cum ipse religionem magis ad conscientiam quam ad gloriam referas. Ergo habeat modum sermo, quem nunquam circa te habebit affectio. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Arbitrum te assumo epistolarum mearum. Cape si quid ab republ. vacas, oratiunculam nostram, cujus edendæ fiduciam favor civium dedit. Nam spes sæpe alitur exemplis, et placiturum esse præsumimus, quod aliis jam placuisse gaudemus. Nunc tuarum partium erit, respondere, cum legeris, an debuerit me senatus animare. Certe mihi duci vitio non potest, quod tam bene de tuis auribus speravi, quam simpliciter priorum suffragiis credidi. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Nuntium redi us mei, cum primum fida patuit occasio, exhibere non differo. Scio enim te prospera quæque de nobis velle cognoscere. Mihi quoque par

Digitized by Google

cura est de salute atque actibus tuis læta et optata noscendi. Atque ideo dignaberis, quoties fors dederit facultatem, officia circa nos mutuæ affectionis implere. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS JULIANO RUSTICO.

Tanta animi voluptate sumpsi litteras tuas, quas mihi post longum silentium detulisti, ut me fatear querelæ prioris oblitum : quia memoriam præteritæ intermissionis antiquavit gratia recentis officii. Deinceps si tibi cordi sum, frequenter operam scriptionis admitte, vicissitudine remunerandus et sermonis et amoris. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

Exspectas a me litteras largiores : delector judicio tuo. Laus est enim ingenii cum desideratur ubertas. Sed velim tibi verborum copiam displicere. Nam quid agat, quo se vertat, ubi immoretur cassa rebus oratio? Odi in parvo corpore longa velamina. Illa vestis decenter indutui est, quæ non trahit pulverem, nec in humum demissa calcatur. Scribe ergo aliquid quod respondendo producam : quanquam religione decipior, qui tibi uberes epistolas audeo polliceri. Videro quis sit futurus eventus sententiæ tuæ. Tamen memento non electionem me tibi spopondisse, sed copiam. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

Sumpsi pariter geminas litteras tuas, Nestorea, ut ita dixerim, manu scriptas, quarum sequi gravitatem laboro. Trahit enim nos usus temporis in argutias plausibilis sermonis. Quare æquius admitte linguam sæculi nostri, et deesse huic epistolæ Atticam sanitatem boni consule. Dignum est ut hæc ipsa apud te culpæ confessio prosit ad veniæ facilitatem. Quod si novitatis impatiens es, sume de foro arbitros : mihi an tibi styli venia poscenda sit. Crede, calculos plures merebor, non æquo et bono, sed quia plures vitiis communibus favent. Itaque ut ipse nonnunquam prædicas, spectator veteris monetæ solus supersum; cæteros delinimenta aurium capiunt. Stet igitur inter nos ista pactio : ut me quidem juvet vetustatis exemplar de autographo tuo sumere, te autem non pœniteat scriptorum meorum ferre novitatem. Non silebo alterum munus opusculi tui, quo prisca cujusque reipublicæ ex libro Græco in Latinum transtulisti. Arma a Samnitibus, insignia a Tuscis, leges de lare Lycurgi et Solonis sumpseramus. Tuus nobis post hæc addidit labor peregrina monumenta, quæ jam sui nesciunt. Nunc vere civitas nostra populorum omnium parens facta est, docere potest singulos antiquitates suorum. Ipsa vero pars materiæ digna laudari, quanto verborum stet latur auro? Nescias cultu an rebus magis voluminis honor gaudeat. De mea ægritudine nequaquam te rumor fefellit; sed jam mihi (modo venia dicti sit) convalescentiæ portus aperitur. Carminum tuorum codicem reportandum puero radidi, et quia eclogarum ordo confusus est; quem descripsi, simul misi : ut correctio utrique a te præstetur, et aliorum, quæ nunc pangis, adjectio. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

Si tibi hæc una, ut ais, frequentandi styli causa est, ut a me vicem sermonis excludas, magnum silentii nostri in litteris tuis pretium est. Vide igitur, ne me validius a scribendo revocet fructus tacendi; quia si sæpe respondeam, fortassis curam remittes, ut jam victor optati. Mane ergo in proposito assiduæ s ription's, etiam post epistolam meam; quamvis malim creditum tuum quam paginas impetrare. Sunt quidem illæ Tulliano segmentatæ auro : sed de præsentibus amicis bona plura sumuntur. Ipsa etiam verba melius ex oris fontibus fluunt, quam mandantur textis papyri. Quin ergo, eluctatus longi otii cariem, Cœlium nostrum revisas. Sat temporis Spoletio datum, bonæ urbi et optimorum civium matri, intelligenti tamen, quod nostræ curiæ viros usu capere non possit. Vale.

EPIST. XIII

SYMMACHUS NAUCELLIO

Binas ad me litteras pedissequus tuus detulit. Fraudis arguerer, nisi totidem reddidissem. Utrisque te rediturum Romam, si per annos liceat, spopondisti : sæpenumero idem scripseras. Nihil jam moror syngraphas tuas. Iterare promissum, fallaciæ meditatio est. Scio lentos ad capessendum laborem senes fieri. Sed quia crescunt vitia cum tempore, ingratus mihi attrahendus es, priusquam justiorem veniam faciat longior dies. Nullam Nestor tertio ævi sui sæculo militiæ vacationem poposcit; hec Achilli excusavit ætatis suæ frigus Phœnix monitor. Et certe haud multum itineris interjacet. Spoletium suburbanitas nostra est. Dum carmina tua rumpas, dum epigrammata oblatis lucis, aut annibus componis fallitur doctis cogitationibus sensus laboris. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

In ære meo duco, quod te adornare optatum reditum nuntiasti. Sed male metuo, ne hoc studium tui, negatio habitationis impediat, quam peto, ut in bonam partem voti erga te mei certus accipias. Deos enim facio testes, has domus, quarum alteram postulasti, jamdudum a me hospitibus esse decretas. Quæso igitur, ut sacramento commodes fidem, qui vel animo tantum meo credere debuisses, et in ædes tuas festinus recurras : siquidem domus, quæ tibi prius ambitiose per ætatem viventi et habitanti cum liberis satisfecit, senilem moderationem distributis in alias domus filiis non debet offendere. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

Petis ut respondeam litteris tuis. Hæc denuntiatio certaminis est. Sed unde mihi quonquam procedenti in annos graves, senile illud et c micum? Quo jam tu veteres æmularis? Nec tamen defendet voluntа-

Digitized by Google

lem tuam styli mei desperatio. Quis enim pudor est, vinci post confessionem? Illud quoque me ad rescribendum coegit, quod timui cessationis exemplo quamdam tibi silentii formulam dare : plusque fraudis in me rediturum adverti, si tua offensio imitaretur tacentem, quam si ausus meus superiorem. Æstimabis ipse, quanto hoc tui amore adversus verecundiam meam fecerim. Interea quod vales, dulce est : quamvis adjeceris, canto esse opus, ne forte reditum nostrum ævi tui subita prævortant. Nolo annos ad calculum voces. Fiducia salutis in viribus est. Quas cum videt expendere tutela morum tuorum; spera confecturos deos, ut maneas vitæ integer in metas, quas veterum definitio dedit sæculo. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS NAUCELLIO.

Fortasse arguas diutinum silentium meum. Nolo applices hanc moram negligentiæ. Continuatio enim longi itineris styla obstitit. Tandem Formianum littus accessimus, quod mihi esset acceptius, si una loci istius voluptate frueremur. Sed quia hoc per annos et valetudinem tuam non licet; educeri saltem mutuis litteris peto, quantum corpusculo vigoris adjeceris. Inesse enim tibi temperantiam cæteraque tuendæ senectutis præsidia, non ambigo. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS GREGORIO.

Habeo expostulandi tecum probabiles causas; quandoquidem pontificio litterari honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudii præstitisti. Sed nolo primas litteras meas felle objurgationis imbuere, ne animum tuum contrahant amara sermonum. Quare decedo querimoniis, et tecum hanc veniam sic paciscor, in reliquum pensi habeas amicitiæ diligentiam. Sit inter nos frequens honor ejus officii, sint assiduæ scriptorum familiarium vices. Quippe tacita concordia instar odiorum est. Ideo litteras affabra rerum vel natura, vel industria peperit, ut nunquam muta esset affectio : et si quando absumus, linguæ ut operam fungerentur signa verborum. Hæc in præsentia satis dicta sint. Opto deinceps materiam mihi ad respondendum dari, gratia muneris tui, non dolore fastidii. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS GREGORIO.

Abundas quidem naturæ bonis et ingenii facultatibus; sed continui silentii culpam tibi quoque purgare difficile est. Quid enim ex vero, vel ex commentato dici potest? Itinera me, inquies, longa tenuerunt : sed sæpe cessatum, et aliquando perventum est. Vigilem operam publicis rebus impendo; sed vicibus otii omne negotium distinguitur. Restat, quod minime volo, ut fatearis amicitiæ negligentiam. Nam officia si plerumque deseras, occupatio est; si semper, oblivionis crimen putes. Hoc, si fieri posset, tacerem. Illudis ergo patientiæ meæ. Atqui intelliges, æquum animum majore pretio mu crandum. indignius læditur, quem religio non perm t it offendi. Et certe interfuit sollicitudinis tuæ exercere aliquid verborum familiarium, cum mihi de scriniis tuis profecta delegaretur oratio : de qua interim te suspensum tenebo; tum demum tibi judicii publici facturus indicium, cum exoraveris, cum mereris, et quia tanti duco litteras tuas, cum scripseris. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS GREGORIO

Diuturnitatem silentii rupisti, sed, mehercule! frequentibus impulsus officiis. Ego tamen non minore afficior gratulatione, quam si litteras sponte tribuisses. Germani mei vicaria potestate gaudeo, tanquam mihi decus honoris accesserit. Vestro quoque in eum favore delector tanquam aliquid ipse præstiteris : cum quo illustrem virum Syagrium fides certa est operam bonæ frugis adnisum. Quod eo ad te scribendum putavi, ut gratiam nostram assertor sedulus exsequaris. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS GREGORIO.

Elegisti materiam proniorem : accommodatior est enim querelæ oratio humana, quam gratiæ. Qua causa factum puto, ut me taciturnitatis incesseris, cum perpetem curam dandæ et reddendæ salutis admitat. Quod quidem me libente fecisti. Nam qui alteri culpæ ducit officii negligentiam, pollicetur de se operam promptiorem. Expostulatio tua instar est sponsionis. Non meditabor tua verba, non excogitabo sententias. Si peccatum silendo contraxeris, tuis tantum litteris argueris. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS GREGORIO.

Vellem te legato uti apud optimum consulem purgandæ atque excusandæ absentiæ meæ, si scirem, quod tu mihi in ea re prius ignosceres. Nam cum vestrum amorem cogito, vereor ne ut me æque ambo diligitis, ita similiter arguatis. Quis igitur mihi hujus causæ defensor adhibendus est? fortuna scilicet mea : cujus ut misera, ita justa purgatio est. Neque enim fas sinit, læta officia obire lugentes; fortasse etiam vestram hilaritatem mea tristitudo contraheret : siquidem semper fieri amat, ut habitum mentis de amicorum ore ducamus. Quare ignosce, quod desumus, et apud egregium virum consulem fave absentiæ meæ : cujus honore gloriari nostrum est, auspiciis interesse felicium. Vale.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS GREGORIO.

Tantum tibi suppetit uberis eloquii, ut prioris silentii veniam cum præsentis facundiæ laude mereris. Quæ enim pars litterarum tuarum vel inventionum prudentia caruit, vel novitate sensuum, vel antiquitate verborum? Cum igitur tibi supellex larga non desit, innitere, quæso te, ut, sicuti oratione mirabilis es, ita religione proberis. Faciet hoc crebritas epistolarum tuarum, quæ non solum tibi parabit gratiam, verum etiam me faciet promptiorem. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS MARINIANO.

Nos hic in otio rusticamur, et multimodis autumnitate defruimur. Nam postquam doliis nova vina commisimus, quæ calce et prelo subacta fluxerunt; trapetis teritur bacca Sycionia, ut præcox oleo in usum olivi viridis mulceatur. Interea loci ferarum domos indago sollicitat, et incertos agricola in officia diversa discurrit. Alii scalis ad arborum summa perrepunt; plerique condita musta defæcant. Nonnulli aprorum odora vestigia canum sagacitate disquirunt. Sed hæc omnia, si nobiscum ageres, plus placerent. Tenet te eruditio Scævolarum, dum forenses tabulas pervigil doctor instituis. Quare accurre perniciter, ut feriarum requie laboris fastidium tergeatur. Certe si tibi ergastuli istius amor tantus est, adesto impiger, ut ad dicendum promptior revertaris. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS MARINIANO.

Quod fortunæ tuæ pollucibiliter floruerunt, meum duco compendium : quando ita animatus sum, ut amicorum prospera meis commodatibus externa non arbitrer. Et revera quotus quisque homini dies lætus est, sua tantum secunda numeranti? Latius gaudet qui et alterius bonis pascitur. Qua me igitur gratulatione affectum putas, cum tibi comperi jugales deos matremfamilias copulasse, atque ex ea filium jam tempestivo dedisse proventu? Nam ut scis, intervallo maris atque terrarum quo detinemur, non prius conjugem tibi, quam sobolem accessisse cognovi. Quippe unis litteris et nuntium filiolæ recens ediræ, et nuptialem sportulam detulisti. Quæ quidem bona tibi dispertita temporibus acciderunt, sed meum pectus pariter ingressa sunt. Cedant gaudia divisa conjunctis. Uberiorem fructum mihi præstitit mora. Jam non queror quod epistolæ tuæ seræ sunt. Jucunda dilatio est, quæ simul bona pluria restituit. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS MARINIANO.

Plenæ atque inveteratæ inter nos amicitiæ nihil adjici posse credideram. Invenisti tamen, quo perfectam diligentiam tui in fastigium tolleremus. Amabili enim fiducia Ausioni tuæ prænenda mandasti, quæ peregrinatio hiberna poscebat. Tu vero abundans omnibus, studio dandi beneficii excogitasti causam petendi. Sed dedisse te ex hoc gratiam, satis constat : quia plus accepit, de quo sibi aliquid alterius amor vindicat. Uno tantum lapsu (fas sit dicere) amica vindicatio claudicavit, quod remunerandum me de Gallatia pollicoeris, ubi ad patrium larem veneris. Noluissem constantiam boni facti in hæc trepidæ verecundiæ verba descendere. Sed prætereo laudatæ epistolæ leve fascinum. Neque enim me tantæ gratiæ obligatio sermonum interpretem esse sinit. Cur autem multa loquimur, parva missuri? descriptio tradendarum tibi vestium secundam paginam tenet. Quid de mediocritate earum sentias, ipse videris, qui hiemi magis, quam cultui apta indumenta voluisti. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS MARINIANO.

Securus, ut video, scribendi ad me vices negligis Scis enim istiusmodi culpam sine talione cessuram. Quoties minatus sum par silentium, si a litteris temperasses? Vincar tamen affectione, et delector tali mendacio meo. Ex quo intelligere potes, quam constanter diligam, qui tam inconstanter irascor. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS MARINIANO.

Desideratas mihi litteras sero hominis mei adventus exhibuit, quæ nobis gratum admodum salutis tuæ indicium præstiterunt. Atque utinam facilitas commeatus copiam daret frequentioris officii! Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS MARINIANO.

Exspectatæ mihi tuæ litteræ contigerunt, quibus promptior ad vicissitudinem reddar officii. Nec mireris quod tibi sermo noster sero tradetur, cum aliquid sibi occupationes vindicent, nonnunquam desit facultas, tabellariorum quoque negligentia susceptam operam plerumque frustretur. Desine igitur animum nostrum epistolarum seritate metiri, cum rebus potius quam verbis spectetur affectio. Vale

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS MARINIANO.

Factum nuntias, quod spe et opinione ante præcepi, ut tibi amicitiam bonorum primus congressus aperiret. Namque hoc nobis et tui mores, et illorum judicia promiserant. Facile enim probitas delecta ad virtutum arbitros placet. Verum ista pars gaudenda mihi potius, quam producenda est. Illud mallem latius prædicare, si æquaret oratio rei magnitudinem, quod vestimenta de nobis usui tuo apta vindicas. Nihil hoc amore sincerius. Scias fiduciam de simplici affectione surgentem, genus esse virtutis. Sed quid ego huic puritati dignum rependo? Stetimus officiis religionis hactenus pares. Nunc tibi sine cunctatione cedimus. Puto tibi sufficere ad vicem tantæ gratiæ victi confessionem. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS AMBROSIO

Sallustio amico meo multa sponte tribuisti. Nunc adjice quæ supersunt, ut ego quoque partem beneficii adeptus existimer. Supplementa autem desiderii ejus a tabellario epistolæ suggerentur, quæ stylo persequi supervacaneum duxi. Aptius est enim negotiis mutuo intimandis vivæ vocis indicium. Vale

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS AMBROSIO

Itero postulatum pro Sallustio amico meo, et ut ipse asseverasti, a te quoque in curam dudum recepto : non quod metuam ne forte tutelam ejus oblivione destituas, cum familiare sit constantiæ tuæ fideliter exsequi recepta mandata; sed quia diligentiam meam

Digitized by Google

fortuna amici sæpe sollicitat, et laborantibus commendatio una non sufficit, licet tenaciter memorem, rursus admoneo. Præstabit beneficii tui celeritas, ne sit mihi necesse idem sæpius facere. Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Fratres mei Dorotheus et Septimus, spectabiles viri, unam tuam epistolam prætulerunt. Sed mihi religio fuit istiusmodi captare compendium, ut et tibi geminata responderet officii usura, et singulis honor debiti testimonii proveniret. Nam etsi Dorotheus probatus est, cupio tamen, ut eum majorem in modum judicii mei prærogativa conciliet, quod futurum non ambigo, cum affectio boni animi capax sit augmenti, quotiens merits provocatur. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Licet arbitrer, superiores litteras meas, quibus ut fratrem meum Marcianum ab injuriis vindices postulavi, in manus tuas delatas: abstinere tamen etiam secunda petitione non debui, ut necessitatem viri optimi, sed invidia tyrannici temporis involuti, precatio geminata testetur. Quare rursus te ad amici defensionem exhortor; cujus tenuitas orta ex integritate, non patitur, ut annorum pretia possit exsolvere, quæ jam multis ejusdem temporis judicibus imperialis clementia relaxavit. Erit igitur tibi facilior ad impetrandum via, cum meritorum tuorum opitulatio aliorum exemplis juvetur. Vale.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Næ ævi instar est, ut frater meus Magnillus vicaria potestate per Africam functus, testimonio omnium publice privatimque conspicuus, variis in ea provincia retardetur obstaculis. Nostri optimi viri maturitatem, cæterasque artes bonas, quibus etiam tuum amorem, cum Liguriam gubernaret, attraxit. Et ideo apud te redundantis est otii, eræ laudare compertum. Quare impendio peto, ut cum a bajulo litterarum causas morarum acceperis, religiosum pro ejus reditu interventum digneris adhibere, quo tandem patriæ restitutus, longæ peregrinationis injuriam desiderata quiete commutet. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Ex usu venit ut opem desiderantes ad suffragia probata confugiant. Horum unus Eusebius est, qui adolescentiæ prolapsus errore, notatusque judicio, exploratissimum remedium veniæ imperialis implorat. Sed ut ei celeriter arrideat effectus; deferri in curam tuam spem petitionis optavit: cujus hæc summa est, ut judicati remissione, famæ suæ vulnus excludat. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Filius meus Cæcilianus vir clarissimus, qui nunc communis patriæ gubernat annonam, certo cognovit indicio, adversarium suum Pyratam nomine, vel ejus procuratorem, spem tui favoris hausisse. Negavi solere te recipere in tuam curam pecuniarias actiones. Ille tamen, ut est hominum plerumque supervacua trepidatio, consentaneas sanctis moribus tuis de me litteras postulavit. Non abnui operam facilia et justa poscenti. Summa est igitur impositi mihi muneris, contra absentem civem, simulque districtum publicis curis, non sinas quidquam de justitia tua sperare præsidium. Sunt fora, sunt leges, sunt tribunalia, sunt magistratus, quibus litigator utatur salva conscientia tua. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS AMBROSIO.

Diarius clarissimus vir, qui inter professores medendi summatem locum jure obtinet, affinem suum, eumdemque cognominem tuo patrocinio tradi meo optavit oratu. Libens amicissimi viri desiderio satisfeci, ut una via et te excolerem salute dicenda, et illius usui commodarem. Fac igitur oro, commendatum tuearis auxilio, me sermone vicario munereris. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS HILARIO.

Cum has ad te litteras darem, lectulo æger tenebar; jam quidem a periculo vindicatus, sed adhuc inops virium, quæ subinde incertis febribus deteruntur. Inter hæc tamen mala valetudinis meæ amicis negotium dedi, ut pignus commune consulta patrum viris consularibus jungeretur. Habita est ratio meritorum tuorum. Nihil enim gratiæ meæ duco delatum. Acta amplissimi ordinis Ticiano honesto viro tradidi: quæ ubi in manus tuas veneriht, amicitiæ me satisfecisse pronuntia. Nihil enim malo quam honesti officii diligens judicari. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS HILARIO

Valetudinis meæ vigor cœpit assurgere. Fas est, ut de me scribendi assiduitas exigatur: maneat tantum sanitatis fides, quam plerumque sollicitat hiemis injuria. Nimis enim tenera atque imbecilla est ratio convalescendi, et ante medicas manus opem cœli clementioris exspectat sanitas; ne tibi videar medendi arte morbo diuturnitatem dedisse. Volo enim memoriam malorum joci venustate frangamus. Sed jam etiam aliquid de Repentino juvene optimo dicendum est, cujus ego assiduitatem desideravi: quam mihi ut arbitror, verecundia ejus negavit, cum fiducia ex te sumpta præstare debuerit. Erit tamen copia melior, cum intelliget non se debuisse deserere, quem frequenti testimonio tuo de se noverat credidisse. Vale.

EPIST. XL.

SYMMACHUS HILARIO.

Recte valeo. Hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. Æque tibi oblatum vigorem nimis gaudeo: nam me indicio tali nuper hilarasti. Illud quoque in summam ponu lætitiæ, quod te memorem mei honorificentia proximæ scriptionis ostendit. Cujus rei gratiam silere non debeo, ut hoc invitamento ad perseverantiam litterarii muneris provoceris. Vale

Digitized by Google

EPIST. XLI.

SYMMACHUS HILARIO.

Mentis tuæ est pia et justa mandare. Quod ideo præloquor, ut et implesse me noveris, quæ pro filio Habemani viri clarissimi jusseras, et probasse. Supervacua igitur fuit postulatio litterarum tuarum. Moneri enim me oportuit, non rogari. Quid quod etiam mihi cum illo summa familiaritas fuit? Unde factum est, ut æquitati petitionis favor amicitiæ jungeretur. Quid multa? Venient in manus tuas commenta curiæ nostræ super ejus absolutione confecta; quæ indicent tuæ voluntati, et Bebiani reverentiæ delatam cupitorum celeritatem. At hujus operæ peto litteras crebriores; quarum tibi pro facundiæ tuæ opibus facilis liberalitas erit, mihi pro cultu mutuo præ tiosa perceptio. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS HILARIO.

Denuo litterarum fenore obligo bonæ fidei debitorem. Recepta enim salutationis vice, quam mihi proxime reddidisti, nexu istius muneris te vacare non patior. Hoc autem mihi solum præstabit iste contractus, ut indicia prosperorum, quæ de me accipis, tuorum bonorum voluptate compenses. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS SIBURIO.

Fortunæ tuæ gaudia in meo ære duco, atque hujus sententiæ te nobis judicem capio, qui animum meum spectatum habes, cum tuum consulis. Debebatur hoc teneris temporum bonis, ut consilio publico vir laudatus accederes. Ergo quia res sese ex voto omnium dedit, perage operam judicio tanti principis congruentem. Urget te exspectatio bonis semper onerosa. Nam etsi dignos respicit, periculo tamen proxima est, dum amplius sibi poll cetur. Habes sæculum virtuti amicum, quo nisi optimus quisque gloriam parat, hominis est culpa, non temporis. Vides certe; ut ille ipse qui Romanis rebus antistat, ad bonum publicum natus est. Secundo, ut ita dicam, cursu probæ artes et virtutes feruntur. Sed hæc tibi plenius tuus animus quam stylus noster expediet. Ego amici functus officium, admonentis potius quam docentis personam recepi. Et spero actutum fore, ut exspectatione, quæ de te magna est, major habearis. Nec ego istiusmodi scriptum recepissem, nisi apud me liqueret, quod emendato pectori bona verba mandarem. Quod restat, memento salute referenda, et tuum munus exsequi, et mei officii diligentiam provocare. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS SIBURIO.

Concedo in leges tuas, et ἀρχαϊσμὸν scribendi non invitus affecto. Tu tamen fac memineris, illud potius simplex nonnullis videri, quod sequentis ætatis usus recepit. Vis epistolis nostris more majorum nuda nomina præferantur? Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus salii canunt, et augures avem consulunt, et decemviri tabulas condiderunt. Jamdudum his renuntiatum est, ut successio temporum placita priora mutavit. An si nobis scribenda sit forensis oratio, Jovem deosque exteros Catonis lege præfabimur, ne nobis vitio detur, vel negligentia antiquitatis, vel inscientia? Atqui præstat Tullium sequi, qui ignorata majoribus usurpat exordia. Sed quid ego de hoc plura, cum sim tibi dicto audiens, atque herbam dederim voluntati tuæ? Ut sæpe scribas, nequaquam mihi orandus es. Efficiet assiduitas litterarum mearum, ut mutui admonearis officii. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS SIBURIO.

Vera res est, famam esse velocem. Sed dissentio Mantuano, qui eam putat in malis debere numerari. Nam quid hac præclarius, cum lætis nuntiis rigat aures et mentes bonorum? Mihi certe oppido grata est, postquam purgationis tuæ prima vexit indicium. Ruri eram, mœstus animi ob amissam parentem. Eo me secura fama, curis quas de te gerebam absolvit. Nec fides defuit. Illico enim credebam verum esse, quod noveram et tuæ innocentiæ, et æquitati temporum convenire. Accesserunt etiam litteræ tuæ tam lepidæ ac venustæ, ut in re jam cognita novum mihi de te gaudium nuntiari putarem. Erat in illis fiducia conscientiæ bonæ, sed cum laude justitiæ publicæ. Nam et principibus maximis gratias ut absolutus egisti, et de sola fortuna ut innocens conquestus es. Verum quid ultra? Quando Romam? quando ad urbanum otium? quando ad legendi et scribendi solatia reverteris? Spero velociter : siquidem res postulat, ut tibi peregrinationis injuria desiderium quietis commendet. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Ex sententia mihi cupita succedunt, si quando perfrui datur salutis tuæ cognitione alloquii munere. Hoc ego liquere apud te satis habeo compertum. Quid enim mihi amoris impenderes, si de me incertus esses? Atque utinam scripta hæc tua, quam sunt honoris plena, tam crebra sint! Gravis est enim sitis bonarum rerum, cui sola fruendi assiduitas medicinam facit. Ergo indulgentius abutere munificentia scriptionum. Nam quo plus est in litteris tuis quod gaudeam, hoc magis superest quod requiram. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS EUTROPIO

Noxæ vacuus otiare, et libris remissius invigila, quando ita volvenda dies attulit, ut domini nostri Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia reipublicæ pondera fulciantur. Videorne tibi παπηγυρικώτερον locutus, quam mos epistolæ sit? Sic schabet ratio, ut res maximæ magnos hiatus oris requirant. Sed hæc stylo exsequenda tibi ante alios, cui pollet Minerva, concedimus. Nos ad familiaria revertamur. Diu a me bona valetudo dissensit. Inhorrui ti paululum, scio; pone sollicitudinem : jam valemus. Nunc refectione opus est, cujus mihi copia sermonis

Digitized by Google

tui pabulo, si annuc.is istiusmodi operam, poterit provenire. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Superforanei laboris est commendare conspicuos, ut si in sole positis facem præferas, et accensu luminum claritudinem diei gestias adjuvare. Idcirco impræsentiarum nihil moratus testis officium, salutationi tuæ styli operam dedicavi. Tu tamen Posthumianum fratrem nostrum, juvenem de summatibus meo quoque nomine velim diligas: ut intelligat, justam veluti omissionem laudis suæ plus honoris habuisse. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS EUTROPIO.

In gravi dono habeo, quod amicitiæ meæ viros B edecimatæ honestatis adjungis. Facis hoc pro cætera erga me diligentia tua, nec unquam desistis operam, quod mihi ex usu accidat, consulendi. Quid si tibi etiam fratris mei Sabini nomine gratias agam? Qui a te in bonam partem creditus tantum prærogativæ attulit, ut si foret jam omnibus probatus. Dignus plane talis viri testimonio: quod cum illi ad commendationem sui tribueris, existimaris hoc aliis, quibus commendatus est, præstitisse. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Cum tu Romam commodum repetis, ego me in secessu suburbano asserui lectioni. Diu quippe ab hoc negotio cura obstrepente desidimus. Nunc ubi G tu abes pars antiquior amicorum meorum, vicem sermonis tui veterum scripta funguntur. Aut olim tamen urbem rure mutaveram, ut æstas mihi Prænestino algido frangeretur; sed interventus familiaris negotii rupit otium meum. Ergo jam viam lego, depositis quæ legebam. Si quid præterea scitu opus est, meus Palladius indicabit, quem ego non minus doleo abductum a juventute Romana, quam gratulor in spem sui honoris accitum. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Ago quidem studio tuo uberes gratias, quod mihi familiaritatem probatissimi cujusque concilias: sed frater meus Hyperecius, jamdudum institutione Romanus est. Cur igitur mihi bona nostra commendas? Cedas alius usu incognitos, emendatione consimiles; si tamen raritas virtutum admiserit, ut unum aut alterum æque edecimatæ honestatis invenias. Illos ego amicos beneficio tuo acquisitos putabo, quos nescio. Istum mihi redd disti potius quam dedisti. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Mediolani interim dego ad obsequia auspicii consularis D. Valentiniani evocatus. Accito mihi fors dedit exercendi circa te styli copiam. Eam libenter, ut honor amicitiæ postulabat, amplexus, salutem tibi defero: quam si bene contemplor, familiarium A religionem frequenti usu vicissitudinis repensabis. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS EUTROPIO.

Musonianus V. C. admirator tuus, scripto ex Asia nuper allato, mutilari agros suos, qui tuis conjungantur, accepit. Eam rem, cum mihi amicitiæ nostræ gnarus familiariter indicasset; principio suasi, ne adfidem tanti mendacii hominum suorum levitate traheretur. Dehinc poscenti litteras, officii hujus operam non negavi, sciens mutuæ diligentiæ convenire, cum inter nos, quæ ad integritatem famæ nostræ attinent, conferimus. Quæso igitur, in bonam partem, quæ a me scribuntur, accipias; et aut fallaciam temerati juris alieni celeriter expurges; aut si quid te ignorante turbatum est, jubeas reformari. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS RICOMERI.

Meus mos est semper alloqui præstantiam tuam. Qui tuus? litteris abstinere. Facimus quod solemus. Ego scribo, tu relices. Sed scio in amandis amicis majorem virtutibus tuis inesse constantiam, quam in negligendis epistolis voluntatem. Atque ideo animi tui securus, cultum tibi debitum mente et sermone non desero, nequaquam reposcens, ut scriptorum mihi vicissitudo respondeat, cum in amore reddatur. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS RICOMERI.

In suburbano prædio fovens otium sumpsi litteras tuas. Cur enim Roma te decedente remanerem? Ager autem qui me interim tenet, Tiberim nostrum juncto aquis latere prospectat. Hinc libenter video, quid frugis æternæ urbi in dies accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adjiciat commeatus. Nam pene, ut recordaris, cessante Africa fames in limine erat, quam clementissimus, et ad salutem publicam genitus imperator prævenit ingestis alieni soli copiis. Jam portum nostrum, complurium prima classis salutat. Jam securitate saturamur. Jam dicimus nostrum esse, quidquid ubique bono principi nasci ur. Hæc eo scribo, ut domino orbis effectum beneficii sui nunties, et ipse fructum gaudii communis usurpes. Ego paulo post abire longius paro, nec tamen tantis ad te litteris D abstinebo. Erit curæ nostris in Urbe remanentibus, et meum sermonem tibi per idoneos mittere, et mihi pari fide, quæ scripseris, exhibere. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS RICOMERI.

Possem silentium tuum ferre patienter, morem tuum cogitans, nisi me ægritudinis, qua laboras, dudum nuntius perculisset. Metuo igitur ne sollicita magis, quam consueta cessatio sermonis tui munus impediat. Atque ideo quæso, ut curas meas fraterno amore susceptas, scriptis, aut mandatis digneris absolvere. Nam cum sim cupidus litterarum, in secundis tamen pono solatiis, ut animus meus pro te anxius, si nondum epistolis, saltim nuntiis erigatur. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LVII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Ultro in me arguo culpam silentii, si quando usum officii mei quælibet dierum intervalla remorantur. Nulla enim purgatio suppetit quin cultum familiaritatis publico actui frequenter interseram. Sed idem qui peccatum vito desidiæ, æque in scribendo longus esse desino. Nam licet sciam, animum tuum nequaquam obnoxium esse fastidio, adverto tamen, pro conditione curarum ponendum verbis modum : quia ut desideranti prolixitas grata est; ita displicere non poterit brevitas occupato. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Amo et suspicio virtutes tuas. Sed accidit, quod tibi etiam amicus invideam. Flaviano meo aliquandiu solus frueris. Accipe planius, quid velim dicere. Ad te migravit quidquid Romæ optimum fuit. Et vobis quidem societas vestra dabit mutuum gaudium. Mihi quid solatii erit? quem et ille deseruit, et tu minus desiderabis, quia unus tibi pro utroque sufficiet. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS RICOMERI.

Alius fortassis existimet serum esse munus, quod anni superioris consul exsolvit. Ego sentio, me atque alios, qui procul degimus amicitiæ fiducia ad hoc locorum esse dilatos. Illis vero continuo satisfactum, quorum tandiu memor esse non posses. Nam qui statim munificus est, ipsis quodammodo magistratus sui fascibus admonetur. Qui ex intervallo reddit officia, testatur eos se maluisse differre, quorum oblivionem dies longior non posset obducere. Viderit igitur, an se quispiam credat ordine aliis, aut honore postpositum. Ego me intelligo pura affectione prælatum. Neque enim satis amicus est, cui solemne aliquid statim redditur. Honestior est illa securitas, quæ putat sibi deforme non esse, si quid diu familiaribus debeatur. Quare velim credas, moram quoque ipsam mihi jucundam fuisse. Sic judico, sic interpretor, quæ dudum aliis ex more delata sunt, nobis amore servata. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS RICOMERI.

Optatus eventus fidissimam obtulit mihi facultatem officii deferendi. Nam dominus et frater meus Eugenius, cum mihi sui copiam præstitisset, sumendæ epistolæ beneficium rogatus adjecit; qua tibi honorificentiam salutationis exhibeo, et obnixe deprecor, ne me diutius silentio tuo suspensum esse patiaris. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS RICOMERI.

Dudum responsa tradideram, quæ testarentur grata mihi amplissimi consulatus tui munera. Sed denuo nactus Eugenii viri clarissimi fratris mei copiam, scripta duplicavi, haud veritus ne fastidium crearet sermo geminatus. Ex meo quippe animo metior, amicitiam non posse sentire officiorum satietatem : simul quanquam illa crebra, et continuis similia; sem- per tamen ut rara, et diu desiderata sumuntur. Huic opinioni meæ fidem faciet assiduitas epistolarum tuarum. Insitum quippe est bonis mentibus, ut quæ copiose ex aliis optamus adipisci, ea ipsi largiter deferamus. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Mandatis perfunctus apparitor, ubi ad destinata pervenimus, testimonii nostri vacuus abire non debuit : præcipue ne studium circa me tuum male locatum putares, si gratiam dilatus sermo solvisset. Ave igitur dico et præmitto jam petitionem : ut cum iter in patriam relegere cœperimus, eluctandis difficultatibus adminicula uberiora decernas. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Otium patriæ læta peregrinatione mutavi. Nam jussu domini Valentiniani, cum multis amplissimæ curiæ proceribus accitus, ad vicem quietis domesticæ, fruor publicis gaudiis. Quod cum ad te posset fama perferre, dignius visum est me indice nuntiari. Ipse ad respondendam benignitatem tuam moremque servabis : siquidem litteras tuas non minus quam meorum conspectus et verba desidero. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS RICOMERI.

Quid mihi jucunditatis litteræ tuæ attulerint, tibi æstimandum relinquo; cui, si bene arbitror, vicissim meus sermo tribuit voluptatem. Perge igitur, ut jam facere dignatus es, et amicitiam munerare affectu religionis, et assiduitate colloquii. Ego in ferenda vicissitudine par esse curabo. Nam qui ab alio poscit officia, sui quoque studii frequentem operam pollicetur. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS RICOMERI.

Scio præstantem animum tuum salutis meæ et reverentiæ indicia cupide, ut amicitia postulat, opperiri : et ideo exspectationi tuæ, revectus in patriam, satisfeci; meque agere ex sententia, atque esse memorem tuæ circa nos humanitatis insinuo : simulque deprecor, ut affectionem, quam mihi et præsenti dependere, et absenti dignatus es polliceri, litterarum munere, quotiens usus tulerit, non graveris augere. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS RICOMERI.

Si nosse dignaris quanta sit in domino Flaviano pectoris mei portio, amicitiam adventantis amplectere, ut duos obliges. Ambo idem sumus. Nam hoc dici a me patitur ille, qui melior est. Plura scriberem, si aut diu velles rogari, ut tanti viri merita commendationem desiderarent. Ergo sat est, quod accepisti voti mei indicia. Ambitu et labore non est opus, cum ex natura veniat, ut a te moribus tuis proximus diligatur. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Firmum domesticum meum, militiæ stipendiis cum

Digitized by Google

honestate perfunctum, testimonio meo decuit adjuvari, ut faciliori aditu ad tuam notitiam perveniret. Porrige igitur, oro te, adjutricem manum legitima præmia ex more captanti. Hujusmodi quippe veteranis prærogativa debetur ut illis protectorum dignitas tanquam pretium longi laboris accedat. Quod Firmo inunctanter eveniet, si tuus favor vota hominis ad consueta nitentis annuerit. Vale.

A

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS RICOMERI.

Meritorum tuorum justa ratio deposcit ut familiaribus litteris operam frequenter impendam : expertus quippe non perire officia delata sapientibus. Fungor igitur salutatione, quæ sola curam testatur absentium : tuamque oro præstantiam, ut amicitiæ bonum, sicuti facere soles, et sermone excolas, et mente custodias. Vale.

B

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS RICOMERI.

Dominum et fratrem meum Flavianum, celsum virtutibus et honoribus virum, justitiæ tuæ exsortem esse non patior. Merito pro honoribus ejus, quæ causa poscit, allego : sciens sine tua auctoritate commissa, quæ sub obtentu tuo a quibusdam scævis designata dicuntur. Unde mihi major fiducia est, posse rem graviter vindicari cum tua quoque fama pulsata sit. Querelæ autem genus hominum ejus suggestio, si jusseris, melius prosequetur, quia multiplex injuria modum epistolæ familiaris excedit. Non minora etiam filius illustris viri, et ipse jam honoris emeriti, in sua proconsulari possessione toleravit; quæ ad unius quidem pertinent noxam, sed ad utriusque contemptum. Ergo ut mos est tibi, auditis eorum allegationibus, qui tuentur absentium facultates, primo famam, quæ optimo cuique pretiosa est, tum amicitiam fidei judicem, postremo leges, pro quibus excubas, dignare defendere : ut ad illustrem virum, qui per absentiam suorum nescit incommoda, prius gratia beneficii tui, quam suorum dolor et querela perveniat. Vale.

C

EPIST. LXX.

SYMMACHUS TYMASIO.

Sæpe alloqui præstantiam tuam non piget, quamvis nihil invicem sermonis accepi. Ipse enim mihi pro te sponte respondeo, quod inter castrenses curas locum officia otiosa non habeant. Atque utinam tibi assiduitas affatuum meorum non videatur obstrepere. Prope est, ut referri mihi litterarum gratiam putem, si sciam quæ scribo non afferre fastidium. Vale.

D

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS TYMASIO.

Ad scribendum me relatu vicissitudinis incitasti. Ea quippe rerum natura est, ut officiorum diligentia fructu vicissitudinis incalescat. Sume igitur salutationem, simulque indicium sospitatis meæ lætus amplectere, redditurus voto atque animo meo reciproca gaudia similium de tuis actibus nuntiorum. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS TYMASIO.

Urgeo te frequentibus scriptis, et animi affectione non desero. Est autem sequester sermonis mei Felix, probabilis et honestate vitæ, et exercitatione militiæ; cujus considerationem ut habeas, commonere non audeo, cum tua æquitas tantum pro eo possit efficere, quantum favor meus optare. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS TYMASIO.

Petitio domini et fratris mei Stemmatii, monitorem magis apud te quam peccatorem requirit. Nam cum tanta sit tibi ejus antiquitas, ut votum nostrum favore præcurras; laborem rogandi in lucro habere debemus. Breviter igitur, quid poscat, adverte. Subsidia vitæ, quæ bona dici solent, ubi census uberior est, infortunio proscriptionis amisit. Hæc in magno reipubl. gaudio tuis potissimum meritis repensanda committit. Suscipe, oro te, plenum bonitatis negotium; et amici inopiam, cui miseræ valetudinis casus accessit, rei familiaris integratione solare. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS PROMOTO.

Multa in te virtutum natura congessit. Quæ si quis trutinet pensiore judicio, nesciat utrum bona fortitudinis magis an mentis excellant. Sed alterius laudis astipulator est princeps humani generis, officiorum vero familiarium nos testes esse debemus; qui tibi religioso studio nequimus æquare. Miror tamen in hoc te mei amore progressum, ut mihi falsis laudibus blandiaris, cum ais aliquid te ex nostri oris desiderare promptuario. Quo tibi inter rauca cornua meorum affatuum strepitus? Est quidem familiare virtuti, delinimenta exercitii sensibus admovere. Nam et Achillem vatum maximus refert, ægri animi curas fidibus resolvisse. Sed nos et musicæ facundiæ inopiam confitemur, et nutrimentum loquendi eorum litteris aucupamur, quos hærere comitatui tuo et fama loquitur et tua scripta testantur. Vale.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS PROMOTO.

Satisfaciet quidem tibi ad omne gaudium conspectus tuorum. Sed ego hanc hilaritudinem cumulari posse conjecto, si noster sermo quoque jungatur. Nam cum præ cæteris tibi domestica bona cara sint, proximum sibi gaudium jure amicorum cura defendit. Ergo ubi desiderio tuo piæ necessitudines satisfecerint, ad nostras quoque litteras oculi conferantur : quarum hæc summa est, ut me valere cognoscas. Nolo enim te a colloquiis tuorum pagina longiore producere. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS PROMOTO.

Duo mihi grata proveniunt, quoties a me litteræ postulantur : et quod te honore salutationis impertio, et quod operam commendationis præsto poscentibus. Cum igitur ad Africam reditum Paregorius clericus noster instrueret, et hujusmodi litteras impendio fla-

Digitized by Google

gitaret; desiderio ejus effectum libenter impendi, A immensum requirit venas bonorum, nullosque avidius trahit quam nihil desiderantes? Ut Flavianum meum, atque adeo tuum, nuper excivit; quem adhuc verecundia tegeret, nisi clara merita prodidissent. Hæc sunt quæ mihi pro tempore lætitia dictitavit. Nunc ut amantissimum fratrem, vel, quod est verius, partem mei diligas, rogo sponte facturum. Ama in eo studia sua, et quidquid agnoveris virtutibus tuis proximum. Mihi ut est curæ, quod a fratre discernor; ita solatio erit, si eum sciam vere in te Symmachum reperisse. Vale.

sciens apud amantem mei nec illius petitionem beneficio carituram, nec meum inefficacem futurum sermonem. Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS PROMOTO.

Nec quidem prioribus litteris meis vicissitudinem reddidisti. Sed mei officii fuit scripta geminare, ne tam fida occasione fraudarer. Maxime cum amicus communis Auxentius accessurum sibi aliquid gratiæ ex meis litteris judicaret. Quem tibi propterea commendare non debeo, quia illi apud te potius quam alios testis esse consuesti. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS PROMOTO.

Hærentem me litteris impulisti, ut amicitiam, quam dudum tacitus optabam, nunc provocatus excolerem. Amplector futuræ inter nos familiaritatis auspicem voluntatem. Et quamvis præventus voto tuo, enitar, ut potero, ne vincar officiis. Has enim partes video mihi reservatas, ut religio, quæ te hortante sumpsit exordium, me annitente augmentum sumat. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS PROMOTO.

Primis quidem litteris tuis vicissitudinem mox rependi. Sed quia novæ familiaritatis auspicibus plus debetur officii, excolere amicitiam litterario munere persevero, ut perspicias bene cum his misceri fœdus animorum, qui cumulatiorem gratiam religioni referre noverunt. Vale.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS PROMOTO.

Beari me multis bonis judico, quoties sermonis tui honorificentia et splendore delector. Idque ut merear, etiam ipse non desero diligentiam frequentis officii. Stet igitur inter nos, ut animorum fida sinceritas, ita hujus muneris amica certatio. Vale.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS RUFINO.

Succensebam silentio tuo. Sed postquam mihi indicium de fratris honore fecisti, vicit offensionem voluptas. Et in eam conditionem res rediit, ut ei agam gratias, quem pie objurgare meditabar. Tu vero sub hac petitione dum voles retice, modo postea bonis epistolis redimas styli tui ferias. O nuntium voto tuo similem! Nullum decuit hæc scribere, nisi quem constat optasse. Nec tamen, præter gaudium, quod de processu fratris acquiro, etiam judicium tuum admodum decoloras. Solus enim tibi visus sum, reparatis virtutum præmiis, posse gaudere. Sed quod ais exclusis improbis, spem bonis redditam; non ut insolitum, vel inchoatum recens gratulor. Nam solemne est domino nostro Theodosio in suos exercere censuram, morumque agere delectum, et singulos, et novos semper expendere, nec consuetudini condonare judicium. Inde est, quod sincerissimos mores tuos benignius recipit, quos severe et diligenter inspexit. Quid quod etiam longe intendit oculos, et per

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS RUFINO.

Adhuc siles. Sed loquacitas mea non cohibetur exemplo, et est otium mihi ad verborum copiam B commodum. Nam ruri sum, nec tamen rusticor. Tantum de ripa Tiberis (nam per fines meos fluvius elabitur) onusta specto navigia; non jam sollicitus, ut ante, de fame civium. Versus est namque ex inopia in gaudium publicus metus, postquam venerabilis pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna pensavit: quem nunc omnes altorem generis humani Deum diligunt. Nihil enim passus est Austris commacibus adversus Romam licere. Ergo de mei agri specula peregrinarum navium numero transcursus, et gaudeo victum populi Rom. non fata provinciarum, devotione, qua soles non occulere bonum publicum. Merito parcius loquor, tuæ facundiæ relinquens, ut hæc ornatius, si ita placebit, insinues, quæ nos inculta veritate narravimus. Vale.

EPIST. LXXXIII.

SYMMACHUS RUFINO.

Iter, ut opinione melior, expedisti: quod solum tibi ad silentium suffragabatur. Nunc stativa requies, stylo et animo scribendi ad nos usum reformet: licet oris tui facultas, et cum viam carperes, loculento potuerit affatu sitim nostram rigare. Sed fuerit tibi adversum culpam taciturnitatis de labore purgatio. Nihil jam suffragii restat, cum et facundia, quæ nec ante impediebatur, supersit, et otium, quod desiderabatur, accesserit. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS RUFINO.

Sequor te litteris, quia mente et affectione non desero. Nec videor mihi cito hæc arripere solatia, D cum adhuc apud nos recens jucunditas tua vigeat. Sentio enim bonorum separationem statim diuturnam videri. Quod si, ut præsumo, etiam tuus animus expertus est, fac noverim festinata scriptorum vice, te quoque hoc intervallum dierum longum putare. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS RUFINO.

Mos et ratio flagitavit, ut mansurus domi, veniam de augustissimo principe imperati mihi itineris postularem. Excusationis causam litteris indicavi, quas favor tuus molli aditu, et blanda recitatione commendet. Nihil enim meorum sine boni cujusque auxilio placeret. Rem loquor omnibus notam, mihi nunquam tacendam: hoc amici, hoc æmuli sciunt. Quorum

Digitized by Google

alii gaudent esse apud te locum meritis, alii dolent non esse divitiis. Vale.

EPIST. LXXXVI

SYMMACHUS RUFINO.

Intelligebam non esse de nihilo, quod diu a litteris temperabas. Tandem patuit, impedito per ægritudinem visu, officiorum stetisse solertiam. Itaque ego illo de silentio sollicitus probare me fateor, quod asperæ rei nuntium usque ad sanitatis tuæ gaudia distulisti; ne de te ante caperem exorti incommodi sollicitudinem, quam securitatem remoti. Nunc quia valetudo tecum in gratiam redit, indulgentioribus paginis amicitiam munerare : alioquin cessantibus simile aliquid rursus timebo. Sed de hoc satis verborum est. Flavianum pectoris mei dominum, tui socium, hærere animo tuo usque ad improborum dolorem, nimis gratulor. Nam sæpe apud me de tali amicitia gloriatur : hoc ego futurum ante prospexeram, virtutes utriusque considerans, quarum similitudo concordiam facit. Et ideo plus gaudii quam miraculi, capto, teque oro, ne quid in tales amicos fascino liceat. Ille enim mihi non est rogandus, cui aliud velle non expedit. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS RUFINO.

Longo orationis ambitu commendentur incogniti. Severiani autem C. V. merita, annosæ militiæ probata documentis, elaboratum testimonium non requirunt. Principem locum regendis præfecturæ urbanæ cohortibus obtinuit; in ordinem senatorium lege transcriptus est. Restat, ut post dignitatem curiæ, quæ honoribus major est, etiam reip. provinciali specimen sui præbeat : quod futurum arbitratur, si domini mei præfecti Urbi super hoc litteras promptus stipulator adjuveris. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS RUFINO.

Silentium meum de excessu civis Emeriti lepidissimo argumento epistolæ momordisti. Nam quid excogitari facetius potuit, ad castigationem suppressi a me nuntii, quam ut Cœlii montis habitator adventitiis litteris Romæ cognoscerem? Sed mihi judicii tui specula gravitas induxit religionem. Metui quippe tibi hujusmodi indicio lætus videri. Scis humanitatis hanc esse rationem, ut parum probatis, et ante discordibus, ad vicem doloris, quem mors incutere solet, reverentiam saltim silentii deferamus. Quare parce oblique stylo cædere, quod displicere auribus tuis timui. Quinimo age circumspectioni meæ gratias, quæ tuis salubus locum facit. Atque utinam sæpe epistolas joco scribas, quas negas serio! Quid avare uteris ingenii tui copiis? Vereor ne mihi posthac utilius sit mittendis litteris abstinere. Nam proximam de te paginam offensione taciturnitatis elicui. Et ideo præstabis forsitan culpæ meæ, quod non reddis officiis. Vale.

EPIST. LXXXIX

SYMMACHUS RUFINO.

Commendarem tibi Flavianum filium meum, ni te volente esset accitus. Nihil igitur tuo beneficio derogabo. Satis est juveni meo ad argumentum grati circa te animi, quod de litteris parentis non requirit auxilium. Puto tamen convenire pietati, ut me quoque ejus nomine tibi fatear obligatum. Ex quo fiet, plura in eum congeras studii tui munera, pro quo tibi non unus obnoxius est. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS RUFINO.

Sæpe mihi auctor lætitiæ, aut primus, aut solus es; quæstorem antehac fratrem, nunc rectorem prætorianum litteris nuntiasti. In omnibus ergo litteris tuis magna aliqua mei gaudii causa est. Quid, quod et ipsa verba luxuriant, et animi sui alacritatem styli nitore testantur? Hæc cum paribus æquare non possim, voto divina convenio, ut fortuna optimorum virorum semper tuæ felicitati grata sit. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS RUFINO.

Probitate et honore pollentibus viris nihil addit aliena oratio. Sua enim luce conspicui precariis testimoniis non juvantur. Qualis igitur quantusque sit dominus et frater meus, in aperto est. Merito ejus laudibus nostrum cedit ingenium. Hoc unum tamen prætereundum non puto, summam mihi cum illo esse officiorum familiarium societatem : quæ res etiam tibi minora merita plerumque commendat. Unde arbitror ex abundanti promptam fore in eum præclaræ tuæ mentis affectionem, quam illi et decus proprium, et meæ amicitiæ prærogativa conciliat. Vale.

LIBER QUARTUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS STILICONI.

Diu siluisse me fateor, ut liduciam scribendi tuus sermo præstaret. Sed cum perspicerem, nec dum ullo invitamento officii provocari; prior in verba salutationis erupi, plurimum rogans, ut exempli istius imitator esse digneris. Vale.

EPIST. II. CS. CS.

Abundat Flavianus filius meus, ad promerendam conciliationem bonorum, suis paternis, ne suffragis. Sed interest amoris, quem vere pignori meo debeo; ne dum meritis illius nihil deesse contemplor, officium parentis omittam. Facio igitur, quod redundet, et cumulum impono perfectis. Et hoc ad conjungendum Flaviano meo præstantiæ tuæ animum multum credo valiturum : quia mihi pro beneficio intelligis imputandum, quod illi solo judicio detulisses. Vale.

EPIST. III. CS. CS.

Vir spectabilis Rufinus, et in ordinis nostri lectissima parte censendus, cum in obsequia tibi debita pergeret, invidere se mihi *credidit*, nisi nostra susciperet. Igitur a me reddendam defert salutationem.

Digitized by Google

quam tibi sæpe deferrem, si esset facile similes invenire. Rarus igitur est sermo, quia rara est talis occasio. De ipso nihil dicimus. Meriti enim proprii conscius, suspiciones gratiæ fugit, et in examen tuum veniens non vult sui commendationem testi magis debere quam judici. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS STILICONI.

Quid de Afrorum dolore et militarium virorum querelis consultus præcepto sacro amplissimus ordo censuerit, plane atque aperte gestorum curialium inspectione cognosces. Sed quia me quoque familiariter indicem gestæ rei esse jussisti, summatim quæ decreta sunt non tacebo. Lectis domini nostri Honorii Aug. litteris atque sententiis, decursisque omnibus paginis, quæ Gildonis crimina continebant, par bonorum motus erupit. Consulti igitur in senatu more majorum (neque enim legitimo ordine judicii auctoritas stare potuisset), ingenti causæ devotis sententiis satisfecimus. Adjecta est post rei damnationem pro alimentis populi Rom. supplicatio. In metu enim sumus, ne obsit commeatibus annonariis medii temporis mora, et perturbatio plebis oriatur. Veniet in manus tuas, quid pronuntiaverim. Reperies et facti hujus me asseruisse justitiam, et apud D. nostrum Arcadium causam publicæ egisse concordiæ. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS STILICONI.

Commendationem non desiderat, qui ad agendas gratias pergit. Et ideo Flavianus filius meus fretus culminis tui beneficiis levat istiusmodi labore curam parentis. Restat, ut scribam, quod illius coram gratulatio sequetur, nihil esse ad integrandas fortunas hominum virtutibus tuis promptius. Reddideras inclinatum pristinum statum, et putabaris consumpsisse præstanda. Nunc adjecta est ei honorabilis evocatio. quam testimonii tui juvit auctoritas. Novos beneficiorum gradus invenis, et inconstantem putas amorem, qui incrementa non accepit. O felicis ingenii benignitatem! Quid Flaviano meo amplius velim nescio, cum tu sponte præcurrens impudentes nos facias æstimari, si adhuc aliquid optamus. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS STILICONI.

Evectiones impetrasse me gaudeo, quibus præturam filii mei, virtute qua polles, juvare dignatus es. Restat ut cumules quæ magnifici animi consuetudine præstitisti, et familiares meos in Hispania, missos ob equorum curulium coemptionem, transcurrere protinus jubeas, quia tempore futuræ editionis urgemur. Illud autem de te petere non audeo, sed tuo relinquo judicio, an effectum desiderii mei datis ad amicos litteris præcipias adjuvari. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS STILICONI.

Agendis tibi gratiis pro Flaviano filio meo, usquequaque imparem me sentio. Et cum sint verba rebus faciliora, beneficii tui magnitudinem dictis æquare non possum. Neque enim mea tantum gratulatio est, quod cum illo honor amissus revertit in gratiam. Senatus bonique omnes, hanc inter se partiuntur. Quocirca arduum est, ut unius sermo compenset, quod tantorum affectio contraxit. Dabis igitur veniam pro te pauca dicenti. Majus quiddam est honorem restituere quam dedisse. Hæc enim fieri fortuna consentit: illud contra ipsam præstat humanitas. Præmiserat alia exempla clementiæ receptus cœlo principum parens, et Flaviano meo multa casibus detracta reddiderat. Reservatus est unus et potissimus bonitatis titulus hæredi, quem magnitudinis tuæ monitu paternis beneficiis dominus Honorius adjecit, interpretatus scilicet divo principi tempus, non animum defuisse. Nunc perfecta sunt a successore consimili interrupta fato opera clementiæ. Fastigium quoddam lenissimus et augustissimus princeps cœptis genitoris imposuit; cui ad vicem gratiæ te ac tui similes opto monitores. Nam summis imperii moderatoribus pia et decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi. Est quidem rectori nostro divini fontis ingenium, et ad omnium virtutum cursum prompta natura. Sed, ut imagine mihi uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat. Te vero famæ ejus amicitiorem cum fides militiæ, tum necessitudinis affectio reddit. Hinc est, quod illi promerendi undique amoris vias invenis; et majoribus occupatum mones privata fata respicere. Humani casus in fugam versi sunt, nihilque in senatu mœstum resedit. Aliis tributus, aliis integratus est honor. Uni familiæ debetur, quidquid singuli sumus. Sed jam servabo epistolæ terminos: vereor enim ne hæc ipsa afferant fastidium præclaræ verecundiæ tuæ, cum æquare non possint vicem gratiæ. Illa potius gaudia te munerentur, quæ meritorum securitas parit. Nolo ex verbis cujusquam speres tanti beneficii solutionem. Præ cæteris nosti, solum conscientiæ bonæ præmium satisfacere posse magna præstantibus. Unum tamen tanquam immoderatus adjicio, ut jugiter in Flaviano meo beneficia tua diligas. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS STILICONI.

Intelligo ex mora et cunctatione rescripti divini, aliquid in his, quæ prætoria filii mei supplicatio comprehendit, incongruum vel dubium judicari. Atque ideo denuo tibi petitionum mearum debeo præstare rationem. De equis ob natalem domini nostri Honorii et invictissimi principis largiendis, licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi. Aquæ vero theatralis et holosericarum vestium impetratio, etiam aliis ante me plerumque delata est: et ideo juvatur exemplis. Amphitheatricum spectaculum, quod editioni filii mei propter capacitatem loci opto concedi; etiam Iudicris quæstorum prælusionibus non negatum, testimonio sunt rescripta; neque privilegio solis non patere consulibus. Scias a me dudum rei istius processisse principium: non ut fastigio consulari, quod proxime tui culminis felix, et olim debitus magistratus ornavit, ex hoc aliquid adderetur (neque enim

Digitized by Google

præcipuus honor rerum tantum requirit augmenta), sed ne populus Romanus appetentior istiusmodi voluptatis, minoris loci urgeatur angustiis. Cæterum quid prærogativæ habeat non video, cum etiam censuales absentium munera illic soleant exhibere; quorum mediocritatem volumus æmulari. Hæc eo scribo, ne videar iniquitatis, aut insolentiæ argui, si aliquid denegetur. Sed eminentissimæ, et semper mihi reverendæ sublimitati tuæ expendendum relinquo, quid merito existimes convenire. Temere enim opinio hominum judicabit, si justa non impetrem, cum tuæ censuræ animus soleat magna præstare. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS STILICONI.

Cum sublimi excellentia tua legationem mihi amplissimus ordo mandavit, quam suscipiendam, et necessitas impulit patriæ, et tui culminis provocavit auxilium. Pervectus igitur ad comitatum domini et principis nostri Honorii notitiam, magnificentiæ tuæ deferre non distuli adventus mei causam. De censuræ enim tuæ pendet arbitrio spes communis officii. Quæso igitur, ut lectis amplissimi ordinis petitionibus, quarum exempla conjunxi; inter felices magnitudinis tuæ actus, super hac quoque parte exspectationem meam litteris digneris instruere. Vale.

EPIST. X. CS. CS.

Itane sublimem animum tuum mei cepit oblivio, ut tandiu exsortem colloquii tui me esse patiaris? An existimas neglectum familiaris officii æquanimiter a me posse tolerari? Quin age, ut mos est virtutibus tuis, et amicitiam scriptorum celebra, simulque æstima, quam uberior ac promptior litteris tuis a me cura referenda sit, quæ etiam tacenti jugiter exhibetur. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS STILICONI.

Sæpe ad te litteras dedi, quas quidem credo suppressas. Quando enim vir servantissimus amicitiæ, multisque animi bonis præditus, dignationem mihi officii tui denegasses? Fuerit hoc eorum, quibus in reddendis paginis fides defuit. Nunc eventus optabilis veterum morum sequestrem scriptis meis præstitit. Igitur diligentia, quam proficiscentis fidelitas pollicetur, erga te cultum salutationis instauro. Responsa tua facient, ut usum styli per verecundiam sero repetitum, vicissitudine provocatus frequenter exerceam. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS STILICONI.

Consulatum meum liberalitate continuas, et, ut publicus parens, in futuros etiam magistratus imperialem provocas largitatem. Quo ergo mihi ore celebrandus es, qui fastigio honorum jure conspicuus, prætorios quoque instruis apparatus? cogitas enim cæteris sæculis etiam privatorum munia debere congruere. Itaque domino nostro Honorio divinæ stirpis augusto benefaciendi semper addis calorem, docesque invictum principem senatoriam mediocritatem muneribus incitare. Cui pro me agere gratias solus omnium potes, qui ante benefici auctor fuisti. Ego in filii mei editione testabor, cum Romanam caveam leopardorum cursus impleverit, cui justior plausus, et læta vocum suffragia debeantur. Longius pergerem, nisi tuus nobilis pudor par virtutibus cæteris, laudis onera vitaret. Ero igitur verborum modicus, dum singulari verecundiæ tuæ obsequor. Sed præcelsa sublimitas tua teneat definitum, meam gratiam, quæ parca sermonis est, in animo redundare. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS STILICONI.

Ad patriam rediisse me nuntio, necdum compotem sanitatis. Sed si tuus adventus arriserit, spero in gratiam mecum bonam valetudinem mox esse redituram. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS STILICONI.

Cum filios nostros jugali fœdere sociare vellemus, primam super hoc magnificentiam tuam meditatio nostra consuluit, ut cœpti felicis auspicium a parente publico sumeretur. Effectum nuptialibus votis Deus præstitit. Nunc honor sportulæ suscipiendæ culmini tuo et more, et amore solvendus est. Quæsumus recipiendo obsequio manum atque animum benignus admoveas. Hunc enim lætitiæ adhuc apicem festa nostra desiderant; ut is, qui nobis auctor ante omnes esse dignatus es jungendæ per filios necessitudinis, æque maneas approbator. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS BATHONI.

Non cadit in te ista suspicio, ut consulto amicitias negligens fuisse credaris. Est tibi animus tenax fidei, et ut in recipiendis familiaritatibus circumspecta cautela, ita in retinendis firma constantia. Quapropter nec ante opinatus sum exemptum me numero cæterorum, quibus principio anni munus consulare tribuisti; et nunc amplius quam reliquis mihi credo delatum. Nam quod illis generalis oblatio dedit, nobis specialis cura restituit. Qua in re his quoque succensere non debeo, qui me exsortem prioris honorificentiæ esse voluerunt. Neque enim aliter evenire potuisset, ut quod fraus aliena subtraxerat, his mererer. Stabit igitur apud animum meum jugis tua gratia, et memoria constantis officii nulla oblivione tenuabitur, sive error istud, seu dolus fecerit. Docuisti omnes nihil ulterius ad destruendas amicitias callidum cogitare, quas vident insidiis suis crescere. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS BATHONI.

Inter præcipua gaudiorum numero litteras tuas scilicet fraterni animi testes et veræ religionis interpretes. Eas quanto sæpius sumo, tanto impensius uberiusque desidero. Difficilis est enim satietas bonarum rerum: et tunc maxime animos jucunda quæque sollicitant, cum videntur explere. Scribe igitur, ut facis, sæpius, nec metuas ne experiaris ingratum

Digitized by Google

quem vides et amoris et sermonis tui esse tam cupidum. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Sum quidem nimis æger animi, et præ tanto luctu obeundis impar officiis. Sed nunquam fortunæ in me tantum licebit, ut honorem tuum victus mœrore dissimulem. Quinimo litterariis deliniimentis remedia vulneri meo facio. Quæ etsi pro magnitudine doloris invalida sint; medicinam tamen mihi efficacissimam tui sermonis afferunt. Quid exspectem vide? Operam, si videbitur, amicitiæ debitam, ægro animo profuturam. Vale.

EPIST. XVIII

SYMMACHUS PROTADIO.

Faiso apud me venandi studio gloriaris, cum thymum facundiæ spirent litteræ tuæ. Ne mihi os subleveris, alia otii, alia negotii signa sunt. Terras herbas olet rusticus : vinum anhelus ructat ganeo : nantem sequitur gravedo : vos amici camœnarum florem ructatis Heliconis. Quas tu nobis indagines leporum, quos natales canum dies, quæ venatica festa mentiris? Censen' posse me retrahi a voluminum studio in eas artes, quas tibi arrogas? Ne primævus quidem, cum ferret ætas, Amyclæos aut Molossos alere curavi. Tantum abest, ut hæc annis in senectam vergentibus velim,

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

Sed fac velle me obire nonnunquam rusticas voluptates. Cui tandem primorum senatus tanta vacationis felicitas suppetit, ut inter patriæ curas respiret opere silvestri? Comperisti haud dudum frumentarias magnæ urbis querelas. Successit huic olei penuria; et adhuc manet de fruge causatio : hinc rerum fessi viros curiæ oratum remedia legavimus : et spes est, clementissimum, divinumque principem salutari ope consulturum petitis. Interea laborantium murmure strepit civitas. Tu nunc, amice, venaris, et nimis anxios deliciarum tuarum jactatione sollicitas. Sed qui fieri potest, ut talem tantumque te perscrutandis cubilibus leporum credam vacare? Unde ergo est, quod iisdem litteris a me poscis historiam, quibus canum tuorum festos ac profestos dies prædicas? Dissimulari studia vera non possunt. Nam fateris invitus inter figmenta ludicra morbum legendi. Non ibo longius. Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas. Revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res Cæsaris explicantur, aut si impar est desiderio tuo Livius, sume Ephemeridem C. Cæsaris, decerptam bibliotheculæ meæ, ut tibi muneri mitteretur. Hæc te origines, situs, pugnas, et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum docebit. Enitar, si fors votum juvet, et am Plinii Secundi Germanica bella conquirere. Tantisper esto contentus fide operis oblati; et fratrem nostrum Minervium scriptorum meorum doctissimum, et benignissimum judicem (cur dicam judicem, quem malo plausorem?), ac socium lectionis : quanquam hoc a te scio nequaquam petendum. Nihil enim bonæ rei inter vos dividi amor æquus mutuus sinit. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS PROTADIO.

A prosperis ordiendum est, quapropter in prologo, ut ita dixerim, litterarum salutem valetudinemque dico. Dehinc meorum subjicio postulatum. Flavianus vir illustris nostrum commune pignus, diu elactatus fortunæ aspera, sed divi principis beneficio in tranquillum reductus, solvere solarium patris jussus est, taxatione pretiorum graviter aggerata. Neque census ex illis tanto oneri convenit. Fac igitur, si quid in te opis est, ut afflictæ domui pia temporum parcat humanitas : alioquin integrata per indulgentiam bona vel auctione fenoris detrahentur. Sequetur, ut spes est, paterna benefacta juvenis Augustus; ad quem sicuti successio imperii V. C. a patre pervenit, ita bonitatis imitatio. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS PROTADIO.

Hilarasti mihi diem litteris, quæ testatæ sunt vigere apud te nostræ amicitiæ diligentiam. Multum pectori meo voluptatis illapsum est. Et sane statueram scriptis antevertere officium tuum, si te Mediolanum venisse didicissem. Dederam quippe hanc provinciam germano tuo, cujus amore tibi non cesserim, ut adventum propere nuntiaret. Sed colludio quodam moratus indicium, tibi ordiendæ salutationis primorem lucum præstitit. Neque moleste fero, quod apud te gratia fratris antistat. Interea respondendum est inquisitioni, qua scire postulas, quibus actibus vitam colamus. Dum filius meus Græcis litteris initiatur, ego me denuo studiis ejus velut æqualis adjunxi. Repuerascere enim nos pietas jubet, ut litterarum dulcedinem liberis nostris labor participatus insinuet. Tuæ res non in germine, sed fruge sunt; cujus eloquentissimus juvenis, ut fando comperi, proximis facundiæ calcibus urget parentem. O te beatum, amice, si vinceris! Nostra adhuc institutio molitur florem creare, nec imperari potest unico labor. Itaque inter merum metum, et diligentiam lentus pignoris nostri profectus adolescit. Plane, ut arbitror, quæsitis satisfecimus. Nunc vicissim rerum tuarum ordinem cupio cognoscere. Facilis autem, si me dignum putes litteris, commeantium copia est, cum tabellarius in aula positi fratris utaris. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS PROTADIO

Post urbis nostræ exitiabilem famem, re frumentaria in tranquillum reducta, oram Campaniæ accesseram. Commodum adfuit Martianus intimus vester, et mihi per vos amicus apportans litteras tuas : quas ubi lætis oculis percurri, aucta est apud me celebratorum litterum gratia. Fit enim plerumque, ut ex bonis accidentibus, honor et voluptas locorum crescat, et amoris signa præferat. Nam nemo flagrantius amicitiam colit, quam qui irascitur negligentiæ. Quod ita accipias volo, ut causa officii mei salva sit : nullum quippe delictum curæ erga te frigentis agnosco.

Digitized by Google

Quid quod proxime, teste fratre communi quem magistratus urbis amplectitur, geminam tibi salutem per epistolas dixi? Num etiam commeantium fidem debeo? Cogita in longinqua raras aut occultas hominum profectiones; adde perfidiam mandata frustrantium. Non accusabis absentis, ut spero, desidiam, si consideres, et in emittendis paginis alienam requiri occasionem, et in reddendis alienam fidelitatem. Sed quid his testimoniis diligentiam in te meam nitor asserere? Ipsum nostrum Martianum credo tibi sedulo prodidisse, quanta memoria et prædicatio tui in ore ac pectore meo vigeat. Jam vero quid de scriptis meis vel silentio sentias, non requiro: siquidem minus est, te frequenter alloqui, quam de te jugiter loqui. Quid ergo scripta postulas, quibus sæpe male creditur? hoc liberius, hoc verius est, quod defertur absenti. Itaque, ut vis, gloriare styli frequentia, ego officium tuum vinco judicio. Vale.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Geminus pariter in manus meas a te sermo pervenit, dum multijugis officiis amicitiam nostram pergis excolere. Quo exemplo, licet omnis affectio modo non munere censeatur, reddo tibi binas litteras, quarum alias frater noster Eusebius pars pectoris mei, has vero frugis optimæ juvenis Martyrius exhibebit. Simulque convenio, ut fidem solutionis istius memineris æmulari, cum te cœperit frequentium paginarum vicissim fenus urgere. Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Observatio quædam me hucusque cohibebat, ne litteras primus emitterem. Hunc enim morem quædam institutio vetusta constituit; ut eorum ante recurrat affatus, quos a proprio lare peregrinatio longa disterminat. Ago itaque atque habeo uberes gratias prævento officio, quo te languore discusso rectius valere cognovi, et mihi ad scribendum manum quodammodo esse reseratam. Pro qua re meliores tibi opto processus. Nam etsi secundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es; nondum tamen perfectum præmium debitamque mercedem tibi fortuna restituit. Quæ etsi in te magna contulerit, nunquam tuum æquabit meritum. Nunc redeo ad verba solemnia, quibus salutationis officium de more persolvens, mutuum munus exposco. Intelligis enim vicissitudine scribentium animos incitari. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS PROTADIO.

Exstant in monumentis Sallustianis Africani litteræ quas Jugurtha post excidium Numantinum ad Micypsam testes decoris sui pertulit. Has ego in præsentia fratris nostri Florentini nomine ad verbum mandandas paginis puto: quia ambo in negotiis suis pari gloria splenduerunt, ita utriusque virtuti idem testimonii honor congruit. Et illum quidem Scipio regi Numidæ volens reddidit: nos inviti tanto ornamento tibi cedimus. Fatendum quippe est, in gratiam tuam factum, ut hunc abire pateremur. A De me, si quid pro amicitia postulas edoceri, erit quæsitorum index, qui rerum mearum arbiter fuit. Tantum epistolæ meæ crede, quod valeam, tuique diligentiam colam, quam mihi de te invicem fides æmula pollicetur. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS PROTADIO.

Desideravi litteras tuas adventantibus multis, quos mihi sermonem tuum præsumpseram traditurus. Sed ubi exspectationem meam spes ista frustrata est, ultro etiam alloqui studui, ut te exemplo officii ad curam similem provocarem. Quæso igitur ne amicitiæ vigorem languere, et munia frigere patiaris, quæ impatienter requiro; licet noverim diligentiam circa me tuam, etiam cum scripti abstinens sis, fido animo B contineri. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS PROTADIO.

Amplissima redundo lætitia, cum video litterariis officiis meis honorem parilem non negari; atque ideo exercendi styli amore destimulor. Neque enim fas est torpere studium, quod æqua benignitas compensatione gratiæ muneratur. Plura vellem; sed verecundiam tuam nimio laudis excursu non oportet onerari. Vale, et amicitiam, sicuti facis, in exemplum tuere. Nos etsi elegantia sermonis impares sumus, constantia religionis pares esse nitemur. Iterum vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS PROTADIO.

C Ut desidem scribendi sæpe accusas. Quid doleam magis, nescio. Sermo omissus amicitiæ negligentiam videtur arguere, parcus infantiam. Malo tamen ingenio meo convicium, quam moribus facias: quibus, quandiu ipse mei sum memor, objicere tui oblivionem non potes. Castigasti item, quod te fratribus tuis dicenda salute consociem. Sum quidem loquendi pauper et tenax cartulæ. Sed te mihi dare vitio non oportet, quod illos constat amplecti. Facit autem lex curiæ nostræ, ut majoris apud me numeri antistet auctoritas. Quid si vos una ad mensæ genialitatem vocarem? Nolles eodem cum fratribus thoro accipi? Nec invideris, si unius epistolæ creditor, quæstum quodammodo de vobis usuræ triplicis exerceo. Nihil enim mihi a singulis pro altero solvitur. Aut cur mea D officia dividi postulatis, qui ad exprobrandum vestra conjungi is? Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Ingenia humana prompta ad arguendum esse omnibus liquet. Sed tu qui inter bona rara numeraris, omitte sectari per naturam faciliora; et defensionem longi silentii mei suscipe, quæ abundat plurimis justitiæ patrociniis; si contempleris ad viciniam Rheni, a qua nunc et optimus princeps, et potissimus magistratus abest, nullum nostrarum partium *interea loci* commeare. Fors fuat, an quis tantum viæ ob rem privatam mihi ignoratus arripiat. Tibi proficiscentium Romam major facultas. Primo, quia in

Digitized by Google

commune imperii caput undique gentium convenitur: tum quod clementissimum principem in hac parte degentem, varia omnium desideria, vel necessitates sequuntur. Et tamen cum tabellarios tibi plures causæ offerant, æque a stylo temperas, nec ulla a nobis expostulatione perstringeris. Facit enim securitas mea, ut diligi me etiam a tacente non ambigam. Ergo amicitiæ nostræ fiducia non ex litteris pendeat. Illarum intervalla fors facit. Fides autem mutuæ diligentiæ indignatur linguæ assertionem. Ad hoc etiam prolixas epistolas petis, tanquam facturus periculum, quantum in scribendo cana ætate profecerim. Semper quidem similis arentibus rivulis, laxiores ripas refugi, ut inopiam brevitas affecta celaret. Nunc graves quoque anni, si quid de pectore meo stillabat, ebiberunt. Præterea nihil argumenti suppetit ad propaganda quæ scribimus. Nosti otium meum, de quo apud te largiter loqui utriusque fastidium est. Magnis negotiis plura verba conveniunt. Nobis idem sit linguæ modus, qui fortunæ est. Mallem, Aboriginum more, dictionem salutis æternæ ligno aut corticibus scribere. Ægyptus papyri volumina bibliothecis foroque texuerit. Sufficiat aliquando celebrandæ amicitiæ; si vales, bene est. Opto has ipsas, quas tu breves quereris, salutationum vices, dum absumus, inter nos longum manere. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS PROTADIO.

Spero te, ut fando didici, ad vicina venturum. Fors fuat, an vera compererim. Ego tamen, vel tradendas coram tibi a fratre nostro Minervio duas orationculas meas, vel mittendas in patriam fidelitati ejus ingessi. Parcus esse in hac epistola debeo. Illis enim, quæ legenda suscipies, amor avarus explebitur. Commoneo tamen, ne orationis unius titulo mutetur de me existimatio tua. Nam repudiata censura gravat nos principio, sola argumenti inspectione. Sed ubi dicta legeris, cum sententia mea in gratiam reverteris. Hanc partem, quæ tempestate rejecta est, totius ordinis nostri antetulit auctoritas; ne sub specioso nomine fores impotentiæ ambire solitis panderentur. Plures utilitatis et honestatis assertiones in ipso corpore orationis invenies. De utroque opere judicium tuum cura nostra desiderat. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS PROTADIO.

Silentii inter nos simile scis esse delictum : atque ideo injuste mihi culpæ datur, quod utrique commune est. Et tamen defensio mihi suppetit : quia nec profectiones commeantium notescunt; et tu non iisdem sedibus immoraris : dum aut Treviros civica religione, aut quinque provincias otii voluptate commutas. Mihi est Romæ jugis statio; et major nunc causa residendi, ex quo me viri excelsi germani tui præsentis et cura retinet, et juvat gloria. Una igitur via sociare scripta potuisti, quæ frater et fratri æquandus acciperent. Quod a te gaudeo vel sero curatum. Nec tamen cum a litteris temperares, ullam decessio nem diligentiæ in me tuæ factam putavi. Tanta est enim securitas veræ amicitiæ, ut de sua fide æstimationem mutui amoris assumat. Plura in hunc modum dicere piget. Quare transeo ad eam sermonis tui partem quæ orationum mearum desiderium videtur attingere. Ais in manus tuas scripta nostra venisse, fratre nostro Minervio proditore, qui frivolis meis litterata potius curiositate, quam justa delectatione non abstinet. Si tibi tantum otii est, ut ad fastidium detergendum nonnulla etiam insulsa conquiras, quidquid stylo elaboravimus, exhibebo; securus veniæ, quam mihi spondet animi tui caritas. Pene præterii, quod loco principe accusare debueram. Hanc epistolarum nostrarum simplex usus interiit, ut paginis tuis lenocinia ævi præsentis anteferas? Redeamus quin ergo ad infucatos nominum titulos; et cum dicitur aut redditur salus, nihil ipsis vocabulis nostris honoratius ac blandius esse ducamus. Exemplo certe tibi sit epistola mea : quam si æmulari spreveris, et arrogantiæ notatus videbor, et cæteris aggregatus, quorum magnus suspectus in verbis est, nullus cultus in sensibus. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS PROTADIO.

Mediolanum te idem qui me consul acciverat. Speravi quod nos in unum votiva causa conduceret. Sed ubi per valetudinem defuisti, ægerrime exspectatu gaudii dispendium tuli. Nunc peractis supra omnium magnanimitatem consularibus festis, Romam revertor; quo se amplissimus magistratus venturum protinus genero astipulante promisit. Quam vellem, si etiam in solidum redit sanitas, compensares adventu veniam superiorem, atque una via et senatui deferres officium voluntarium, et consuli debitum solveres. Sed unde mihi optare tantum, cum frustra fuerit sperasse leviora? Quandiu venatui togam præferes? Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Crescere inter nos quotidie amoris debitum volo. Sed epistolis tuis nihil opto debere, quæ mihi plerumque exprobantur, ut desidi. Ergo geminis litteris tuis non simul mihi redditis, pari numero, sed conjuncta emissione respondeo. Valemus, quantum ætas admittit declivis in senium. Raro nobis ager visitur, sed multo ratior est usus legendi. Tibi et rusticare et erudiri plurimum licet. Inde est, quod nos frequenter alloqueris : quia omne tempus, ut quæratur ingenio, otio vindicatur. Sed fiduciæ tuæ audacia nostra non cesserit. Haurias licet monumenta priscorum, et ipse paginis ediscenda committas. Sollicitabo tamen arentibus verbis scripta istius, quem amore et judicio me legere necesse est, ut compensem illorum damna quæ neglego. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS PROTADIO.

Delectaris epistolis meis. Credo. Hinc est, quod eas sæpe et ardenter efflagitas. Sed non statim mereor desidis notam, si nequeo tui amoris in me

Digitized by Google

avaritiæ satisfacere. An interlabi amicitiæ memoriam per silentium putas? Cave talia de animis opinari, quorum æterna judicia sunt. Habet enim plurimum ponderis fides, et alligata voluntario sacramento styli admonitione non indiget. Hæc a me tibi an non semper scripta sunt? Nec tamen deseris inveteratam querelam. Quid si præstat longum tacere? Non vides oracula olim locuta desiisse, nec ullas in antro Cumano litteras legi, Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audiri? Patere igitur, ut homullus Promethei manu fictus mandare cessem papyro, quæ dudum in vatum follis non leguntur. Nolo tamen denuntiatum tibi a me silentium suspiceris. Tenebo in scribendo tantam mensuram temporis, quantum inter nos locis absumus. Tu quoque impatientiam vince ratione quæ non sinit ut tibi quotidie litteræ meæ in vicinia Rheni posito a nostro Albula deferantur. Vale.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS PROTADIO.

Magni sunt quidem fructus quos de litteris tuis capio. Sed fiunt uberiores, dum per communium fratrum manus transeunt. Singuli enim scriptis tuis de suo aliquid appouunt. Tibi igitur acceptum fero quidquid ex omnium ore conquiro. Sed rursus expende quanto labore responderim tot ingeniorum sublimium varietati. Nam pares estis, nec tamen similes. Ergo non minorem mihi rependenda afferunt difficultatem, quam accepta dulcedinem. Hanc omnibus humanis gaudiis legem natura dixit, ut curæ voluptatem sequantur. Natæ subolis primus parentes dies hilarat; mox pii metus brevem gratiam fugant. Honor in exordiis lætus est, dehinc animos laborum æstus ingreditur. Longum fiat, si pergam similia contexere. Etiam ea mihi advertendum est quæ fas sit de tanto viro dicere. Temere jurasti. Mandari enim perituræ chartæ epistolas quereris, alligasti sacramento enorme judicium. Itane me ludos facis, ut quæ apud te incuriosius loquor, in styli caudices, aut tiliæ pugillares censeas transferenda, ne facilis senectus papyri scripta corrumpat? Et Martiorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est. Monitus Cumanos lintea texta sumpserunt. Tu etiam sericis voluminibus Achemenio more infundi litteras meas præcipis. Magna sunt auctoritatis tuæ pondera, nec possum gratiosum putare quod tu juratus allegas: sed dum me rursus inspicio, labascit fides, et refragatur testimonio conscientia. Ita quod credibile persona judicis facit, diffidentia respuit audientis. Igitur solus ambigua submovebis, si amorem tuum posthac parcius loqui de laudibus meis jusseris. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS MINERVIO.

Obrepsisti verecundiæ meæ ut prior scriberes: vadatum me tibi hoc munere velim credas. Sed non fero ut ædes quodammodo amicitiæ novus salutator adesse videaris. Jamdudum virtutes tuas pares fraternis in pectoris mei possessionem recepi. Crevisti etiam pro parte legitima paternæ in me familiaritatis successionem, licet singulis vobis soliditas mei amoris accesserit: quia bona animi etsi spargi in plures putantur, unicuique tamen plena et indivisa proficiunt. Præterea cum Palatinæ eloquentiæ militares, porrexi amicitiæ tuæ dexteram. Quare tot tantisque pignoribus annexi, non æstimemus de epistolari tirocinio caritatis artitem. Nam ut animus celerior est litteris, ita prius fuit amare quam scribere. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS MINERVIO.

Postquam te Mediolanum venisse asseveratio commeantium palam fecit, speravi de proximo litteras tuas; sed ubi elusa est exspectatio mea, nec successit ullum spei pretium, præsumptum de te officium operi meo vindicavi. Auxit præterea scribendi causam vir spectabilis frater meus Bassus, qui paulisper avulsus a nobis, transponi a me in pectus tuum debuit. Adjeci alteram paginam reddendam germano tuo, cum tibi fors in patriam reditum secundaverit. Asperserat nos ille jam dudum facundiæ suæ floribus, et Galliarum prisca monumenta jucundo otio exscribenda mandaverat. Optato accidit ut ei per te utrumque reddatur, honor epistolæ meæ, et expetitæ fructus historiæ. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS MINERVIO.

Paulus amicus meus jamdiu ærario sacro militat, sed non pro gradu militiæ spectandus tibi. Nam probitate morum suorum mediocritatem vincit officii. Nec despexeris hominem, si numerum ejus stipendiorum examines. Tardiores habet processus verecundia, quæ facit ut intra merita sui honoris hæreat. Nec tamen pœnitet longum stetisse. Tuo enim judicio reservatus est, sub quo emergere maximum moræ pretium. Cum igitur illi vitæ integritas, militiæ ætas suffragium ferat, dignum est ut ad debitos fructus me precatore, te auctore perveniat. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS MINERVIO.

Gaudentius amicus meus in gremium patrociuii tui confugit, vir omnibus rebus amari dignus. Genus ei senatorium est, mens et modestia origine sua ac stirpe nobilior. Si fuco gratiæ infectum testimonium meum non putas, suscipe diligendum. Longa obsequiorum ejus inspectio faciet ut me judices minora dixisse. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS MINERVIO.

Ama Flavianum dominum et filium meum quantum me velle interpretaris: et si fieri potest, certamen mecum de amore ejus ingredere. Gaudebo si viceris. Sed hoc mihi tunc probetur, cum et ipse te colere supra mensuram diligentiæ meæ cœperit. Nam si amicitia de mutuis constat officiis, facile erit ut ex illius animo tuum metiar. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XL.

SYMMACHUS MINERVIO.

Si consideres quanta sit innocentium raritas, amabis Desiderium filium meum, in paucorum electione numerandum. De quo non falli judicium meum statues, cum in examen tuum venerit. Interim quæso ut illi per me amicitiæ tuæ sacrarium recludatur, et præstes aurem benignam causarum suarum justa narranti. Si quid in eum bene consulueris, absolvetur fides mea, quæ apud illum spem beneficentiæ tuæ fideliter persolvit. Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS MINERVIO.

In absolvendo Rustico nostro votum tibi detuli : opem filius meus Cæcilianus exhibuit. Non est igitur meæ verecundiæ rapere gratiam laboris alieni. Ambo ipsi acceptum feramus, quod agi cura tua præcepit, exsequi mea valetudo non potuit. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS MINERVIO.

Scio quid de me sentias : sed certus judicii tui nunc recuso laudari. Æmulare certe quod te tacitus admiror, quia plus habet ponderis recta veneratio. Relinquamus verborum blanditias novis inter se amicis. Illos juvent alterna præconia usque ad fidem fœderis. Nostra caritas adyto pectorum recondatur. Ipsa habitatio cordis in operto est. Inde me tua cura respiciat. Sed non est meum formam scribendis epistolis dare, illud tantum cogites volo : cum sis ad prædicandum liberalissimus, parum mihi videri posse quod a te laudor, nisi amplius obliger. Præterea scire postulo cur servata in præmissis nominibus nostris vetustas defuerit litterarum contextioni. Juvet alios titulo sublimitatis attolli. Ego magnificentiæ appellationem recuso, nisi forte me improbum putas, quod honori tuo eadem delinimenta non defero. Amor fictus in illa verba submittitur. Amicitiæ cultus ingenuus est. Alba velamina, non segmentati amictus fidem vestiant. Quo mihi altus reverentiæ gradus? Amari a fratre malo quam suspici. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS MINERVIO.

Eusebius familiarissimus meus, idem vetus miles privati ærarii diu morbo obstante obsequio tuo defuit. Orandus es mihi ne inter resides annotetur. Sed impetratio veniæ non manebit, nisi illi aliquid beneficii propitiatus adjeceris. Quæso igitur flagitandis per Etruriam publicis debitis sollicitudinem navare jubeatur, ut longæ absentiæ culpam commendatione aliqua laboris amoveat. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS MINERVIO.

Semper quidem mihi salutatio a te profecta gaudium creat, sed ea præcipue quæ familiaribus apportanda committitur. Adjicit enim scriptis digna quæsitu, et de te tradit auditui, si quid defuit lectioni. Velut nunc Sebastius vester, post epistolam tuam redditam, quamdam mihi satin' ex voto ageres, sciscitanti, imaginem præsentiæ tuæ exhibuit. Idem nunc de otio meo, quæ velis nosse narrabit, nam me in silvis Laurentibus continuatus est rurali quieti inhærentem. Quid enim magis assectandum est mihi, collapsam valetudinem nonnunquam sarcienti, turbas sæpe declinanti, litterarum innocentiam semper diligenti. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS MINERVIO.

Fiducia mihi styli atque ingenii nulla est. Sed tua benignitas ausus meos provocat. Misi igitur ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras : quarum una ad Polybii filium pertinens, ex recenti negotio nata est, altera dudum, cum res in curia agitaretur, a me parata, nunc opere largiore aucta processit : huic argumentum est repudiata censura, quam tunc totius senatus fugavit auctoritas. Nolo mireris gravissimum ordinem magisterium respuisse. In oratione nostra non leves causas evitatæ hujus potestatis invenies. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS MINERVIO.

Spectatæ frugis viros apud te debeo commendare, quia præcipuum munus est ut tuis amicitiis inserantur. Suscipe igitur, quæso, de ortu et moribus facile summates, eosque in primore congressu penetrali familiaritate dignare. Legationem illis Campanorum provincialium commune mandavit. Abundat justitia negotium; personas mea cura commendat. Advertis duas esse causas exercendæ in eos benignitatis, pro quibus publice æquitas petitionum, privatim non gratiosus laudator intervenit. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS MINERVIO

Vidi Romæ Protadium filium nostrum, cujus commendationi nihil ex familiæ vestræ ornamentis præter litteras tuas defuit. Quas cum desiderassem, citeriore Gallia imperatum sibi a socero iter, tu procul agente respondit. Excusationem juvenis non libenter accepi; cætera morum probavi. Satis est hoc auribus patris, cui nolo in me gratiosum videri testimonium brevis experimenti. Simul vereor ne quid amori tuo in filium derogem; quem non decet juvari aliud te per suffragium conciliationis alienæ. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS MINERVIO.

Litteras nonnullis humanitate præstamus. Has autem domino et fratri meo Basso, qui sororis æquitate non discrepat; quin potius juris auxiliis munitur. Nam rebellem servum sibi poscit adduci, ad cujus investigationem nec præcepti cœlestis auctoritas, nec Africani comitis vigor potuit pervenire : siquidem facinoris audacis conscius imminentem pœnam latebrarum vitavit effugio. Cum igitur super ejus facto atque nequitia ad te vir laudabilis Africæ comes scriptum publicum dedisse dicatur, erit justitiæ et benignitatis tuæ in nostrum favorem divinum provocare judicium, ne ulterius innocens domus commentis ferialibus vilis mancipii terreatur. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS MINERVIO.

Et quum Mediolani degerem cultum circa te salutationis exercui; et nunc remenso itinere operam sedulam litterario muneri non negavi. Exspectas credo ut gratiam repetam scriptionis. Illam plane non mea efflagitatio, sed tua affectio pollicetur. Exigant styli vicem, qui animi non merentur. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS FLORENTINO.

Diu super adventu fratris postulatum a me indicium distulisti; credo, ut salutationis honorificentia præveniret. Agnosco religiosa colludia, nec tamen credo, et ultro in certamen scriptorum familiarium solus duos adveco. Otium tibi, inquies, hanc officiorum fiduciam præstat. Quid, quod te magis quæsturæ bonos, et condendarum sanctionum usus excoluit? Cum illo autem mihi privatæ vitæ conditio communis est. Atque utinam boni principis circumspectio, ipsius quoque operam sibi vindicet. Ferendum: ambo devotione placeatis, si circa me litteris ambo cessetis. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS FLORENTINO.

Omnia te facere ad salutem Flaviani, viri ornatissimi, pignoris mei, rebus experior. Hinc mihi spes oritur, atque animus assurgit, posse ejus cætera incommoda te medico sanari. Adeptus enim divi principis lenitate, quæ magna sunt; uno adhuc, ut ita dixerim, infortunii nodo strangulatur; quod homo tenuis, et nunc labe patrimonii graviter exhaustus, paterni solati æstimationem jubetur exsolvere. Ergo per te ac tui similes amoliri oportet imminentem ruinam. Nec res impetratione difficilis est. Nam quod plerisque sua invidia laborantibus imperialis remisit humanitas; id patris nomine postulatum, multo æquior venia relaxabit. Proficiet ista concessio etiam temporum gloriæ, si quod beneficiis principis deerat, pius successor adjecerit. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS FLORENTINO.

Verbis nequeo complecti quot gaudia mihi pariter dies una invexerit. Agnoscis credo causam, cujus auctor fuisti. Nam gemmas fratrum communium litteras in cumulum extulit tertius honor scriptorum tuorum. Itaque ut rerum bonarum difficilis est electio, paulisper hæsi quam primam paginam recenserem; tantum apud me erat desiderium singularum. Mox omnes arguto legendi transitu percurri, ne inspectionem residentis morarer. Nec semel legisse suffecit, ut si quid aviditas prima perstrinxerat, inculcaret iteratio. Erat in verbis uniuscujusque varius elocutionum lepos, quo solo litteræ discrepabant. Nam omnes meus una dictaverat. Possem bona fide adjicere majora. Sed tuæ aures, licet fratrum laudibus gaudeant, communionem tamen gloriosi testimonii per verecundiam non ferunt. Restat ut tibi reditum meum sub quadam curiæ invitatione poscenti, pauca respondeam. Ad idus Novembres modo eventus adjuvet destinata, recurrere ad conspectum vestrum paramus. Si promissi dies serus videtur, legationem senatus per me nolo differri quæ dudum viris illustribus credita et instructa mandatis, neque personarum, neque petitionum requirit adjectionem. Decet igitur stare dispositis, nec fas est exemplo proximæ dissensionis per novos tractatus confirmata subverti. Hæc ante me, ut scribis, etiam ipse vidisti, quo magis placitis inhærendum est, quæ mihi commendat auctoritas tua, et tibi noster assensus. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS FLORENTINO

In eum militiæ gradum labore venisti, ut Benedicti amici mei fortunam debeas adjuvare, quem nulli obnoxium crimini fortunæ iniquitas loco depulit, et honore privavit. Huic ad promerendum favorem tuum non solum ipsius probitas, sed etiam commendatio mea aditum debet aperire. Credo enim tanti apud te litteras meas esse momenti, ut effectum sperare fas fuerit, etiamsi ardua postularem. Quod ideo commemorandum putavi, ut intelligas, quid de animo tuo atque amicitia sentiamus, vel quantum prodesse huic debeat vel adesse justitia. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS FLORENTINO.

Purgas quod adhuc usque siluisti. Communis hæc culpa est. Nam me quoque a litterali commercio diu infirma valetudo revocavit. Inhorruisse te puto, postquam de me cognitu amara legisti. Redi in habitum animi lætiorem: Deo quippe auctore sanitatem refovi. Facilis igitur litterariæ cessationis utrique venia sit. Ambo nobis invicem remittamus, quod ambo deliquimus. Sed quid mihi insusurras Africanæ tenues commeatus? Absit ut præsens annus imitetur fortunam superiorum. Intercludet, ut spero, providentia tristes casuum vias, sacris auribus edocendis, et castigatione judicum, quos alimentaria spectat invectio. Nec spem dies obstruit. Nam mare adhuc justis cursibus patet, et nondum in hyemem præcipitat autumnus. Placet tamen inter hæc, quod inæstuas, et pio metu antevertis necessitatem. Remunerabitur curam melior eventus, et laudis tuæ fructus efficiet ut tibi sit dulce postea timuisse. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS FLORENTINO.

Dictam mihi a te salutem pari honore compenso. Vellem utrique nostrum sæpe alternandi styli usus veniret. Sed quia hoc longinqua non sinunt cadere pro voto communi, patientiæ ratio satisfaciat. Debet certe prompta esse inter nos moræ mutuæ venia. Non eadem facilitate purgabis; quod filii nostri Minervii nuptias aliorum potius relatu quam litteris tuis comperi. An veritus es ne a te numisma auro cusum desiderarem? Potuit jacturam sportulæ tacere verecundia mea. Negationem gaudii amor nescit ignoscere. Et tamen, ut sum placido in meos animo, spondeo tibi remissionem hujus offensionis, cum de nepote suscepto anteveneris scripto nuntiorum celeritatem. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LVI.

EXPLICIT AD FLORENTINUM. INCIPIT IN COMMUNE FRATRIBUS MINERVIO, PROTADIO ET FLORENTINO.

Et vestra concordia, et mea per hos dies imbecillitas facit, ut vos unius paginæ salutatione conjungam. Erit hoc aut probabile pro consortio vestri amoris, aut ignoscendum pro statu temporis. Æstimabitis enim virium nostrarum fatigationem, cum vos in subscriptione istius epistolæ precaria manus moverit. Ad hoc filii nostri Nemesii pia ad laremu patremque properatio, magis contestationem de me solemnis officii quam satisfactionem desideravit. Res postulat, ut salute præfata, florentissimæ indoli ejus testimonium feram. Sed vereor ne ostentare operam meam videar; quæ plus juveni bonarum artium contulisset, nisi fraternus casus fregisset cursum duorum. Hoc tamen sincerissima fide dixerim; minutam quidem de altero parentum ejus felicitatem; sed posse ictum suorum gaudio pro utroque sufficere. Valete.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS MINERVIO, PROTADIO, FLORENTINO.

Relegite viam dissimulati hactenus moris, me officiorum familiarium præsule, qui prior rupi commune dictum. Nec pro numero vestro epistolas peto, quamvis hanc vicissitudinem singulorum amor mihi debeat. Magnæ indulgentiæ res est, ut fenus quod vobis solus exhibeo, alterna remuneratione solvatis. Valete.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Annuos gaudii fructus ex litteris capio. Hunc reditum mihi, has opes pendit Hispania. Itaque ubi propulsa hyeme patescunt naviom viæ, paginas tuas commendo ventis, quas iste annus frequentes quidem, seras tamen reddit. Nam decedebat autumnus cum homines tui Tiberina tetigerunt. Hinc factum est ut hærerent apud nos defectu navigationis. Suadeo igitur eorum moras pro tua justitia boni consulas. Quamvis prius nomine meo venia poscenda sit, quod de curulibus equis quatuor, datum mihi a te jus electionis omiserim. Velim credas hanc abstinentiam non fuisse fastidii. Sed quia nullum eorum jugo alacrem, vel dorso mitem probavi, optio meritis non excitata cessit e re nata. Opportunum videtur diligentiam tuam precibus ambire, ut in prætoriam filii mei functionem visu et cursu nobiles præparentur. Gemina ante hac editionis claritudine in os hominum venimus. Satisfaciendum videtur exspectationi, quæ crevit exemplis. Quare amori tuo laudis nostræ commendo causam, quæ paulisper censuram vitæ tuæ, gravitatemque animi ad populares aures debet inflectere, domo pretium apportabitur, tuo arbitratu nobilium quadrigarum dominis inferendum. Solam de amicitia tua electionis curam requiro. Factu facile est, cum sit dives equini pecoris Hispania, et magnus gregum numerus copiam præstet examini. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Sum quidem sermonis tui nimius flagitator. Silentii intervalla non arguo, sed suspicor aliquid amicitiæ nostræ ex alloquii raritate decedere; qui sciam in pectoribus sedem esse religionis, levamen desiderii ex ore proficisci. Priores igitur litteræ meæ magis desiderium sermonis tui, quam castigationem taciturnitatis habuerunt: et ideo elaborandum tibi non est, ut mihi amoris tui fidem facias: nam tui animi de meo sumo judicium: siquidem nullus verior æstimator est alieni amoris, quam qui de suo sumit exemplum. Iliis ita positis, quia in re aperta piget eos e prolixum, designatum tibi ad urbanam prætoram filium meum nuntio. Intelligis quid sibi hoc indicium velit. Quadrigarum curulium nobilitas præparanda. Ac pretium proxima abhinc æstate mittemus, sed jam necessitatem præcurrat electio: multum enim valet ejusmodi in rebus longior diligentia. Quapropter accingere, ut quæstoriam quondam filii mei magnificentiam, cui per te illustris fama quæsita, secundus ejusdem superet magistratus. Verus quippe et maximus laudis profectus est, quoties sequentibus priora vincuntur. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Prætoram filii mei, si fors dictum juvet, proximus annus exspectat. Equorum mihi curulium nobilitas præparanda est, tibi curanda: ut exspectationi populi Romani mea pecunia, tua cura respondeat. Hoc me crebris litteris postulasse meministi. Nunc mihi admonitionis verba, non repetitionis adhibenda sunt: et tamen cum voluntas in nos tua ambitum non requirat, in tantum me votiva sollicitant ut anxias auribus tuis tanquam novus petitor ingeram preces. Vincenda est enim mihi fama exemplorum, quæ post consularem munificentiam domus nostræ, et filii mei quæstoriam functionem, nihil de nobis mediocre promittit. Hæc igitur petitionis summa est, ut nos diligentia tua præteritæ gloriæ parem faciat. Pretia pro tua æquitate numeranda familiares mei incunctanter exsolvent. Tui beneficii erit, ut quidquid ad curule certamen generosum gignit Hispania, vel domo præbeas, vel de aliorum gregibus excerpas. Non vereor inter hæc ne me appetentem plebeiæ laudis existimes. Scis enim pro tua sapientia magnæ urbis magistratibus angustos animos non convenire. Hoc etiam Tullius tuus præcipit, luxum in privatis negotiis arguens, in publicis magnificentiam probans. Quare ex summis opibus juva Romani anni speciosum colorem; venturus in partem popularis favoris, si nobis ex tuo beneficio celebrior fama provenerit. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Tuentius tuus in utramvis aurem somnum capessat. Nihil enim magna dignitas a paupere petit. Sit fortasse plerisque ipsa inopia gravis: habet tamen alieni oneris exceptionem. Adjice, si placet, securitati ejus sacerdotii privilegium, et unius hominis munimenta

Digitized by Google

multiplicia. Mihi videtur validior esse omnibus vacationum remediis exhausta fortuna. Sed velim noveris quæsitores glebæ senatoriæ protinus affuturos, sperandamque Tuentii veniam pleniorem, si fidem paupertatis ejus exploratio ratam fecerit. Interea tutus prioribus gestis agat liberum. Nihil novabitur post illustris viri Felicis pro illo judicationem; modo allegatas dudum senatoris angustias astruat examinis diligentia. Nunc mihi amice objurgandus es, qui cum vicina itinera perstrinxeris, flectere ad nos habenas longum putasti. Dedisset Hispania Romæ posito moræ veniam. Novit enim submittere desideria sua cunctarum provinciarum parenti. Nec ita avara est ut nobis propria bona nolit ostendere. Quare fraudati gratia tui, secundos amicitiæ fructus sedulo postulamus, ut quoties fors copiam dederit legamus saltim qui videre maluimus. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Et amicitia nostra in ore multorum est, et laus equorum tuorum longinqua penetravit. Hinc fit ut suæ quisque patriæ magistratus meæ commendationis opem postulet, gregum tuorum fama illectus. Ea propter summates Antiochensium missi ad mercandas quadrigas, juvari apud te sermonis nostri conciliatione voluerunt. Annue, quæso, longum peregrinatis, et electionis, et pretii justam benignitatem; quæ homines opinionem blandam secutos, de tuo studio meoque merito verum sperasse confirmet. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Fas sit dicere: equorum curulium copia non egemus, sed incitat nos præturæ mora ad desiderium muneris largioris. Si ergo dulcis est (ut assolet) mandati mei exsecutio, quatuor ex grege Laudacianorum quadrigas, quas tua defloret electio, ad me opto deduci, cum primum mare navigatio verna patefecerit. Ego pretium quod signaverint litteræ tuæ in rem missis remunerabo. Quanquam hoc spondere non debui, quia fides amicitiæ syngraphiam non requirit. Credo mireris cur non potius de gregibus tuis postulem, qui potissimos Iberorum nobilitate prævertunt. Fastidium uniformis spectaculi patitur civitas, cujus satietas mihi varietate vincenda est. Tuæ modo diligentiæ sit adhibere judicium, et ex alienis stabulis æquare laudem tuorum. Nam cum res amici agitur, hos quoque proprios debes putare quos elegeris. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Nemo unquam pervector tuorum apicum vacuus ejusdem muneris ad te revertit, tu tamen in frequentiam nobis vitio ducis, et ultro curam tuæ assiduitatis exprobras. Facis hoc amantium more, apud quos officiorum talium, etiam cum redundant, sitis magna est. Nec tantum epistolas poscis, orationculas quoque nostras non editas deferri in manus tuas præcipis: quæ res videtur ostendere quid judicii habeas de his quas sæpe sumpsisti. Nullum enim desiderium ad secunda progrediuntur, si priora displiceant. Misi igitur ex recentioribus numero quinque, quorum uni jam fiduciam fecit publicus favor. Sed post sententiam gentis togatæ, adhuc exspectatione judicii tui pendeo, quod volo juratus emittas, quia convenit vinciri sacramento fidem, si quando amicitia in suspicionem gratiæ venerit. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS EUPRAXIO.

Jamdudum in exspectatione litterarum tuarum eram, incertus animi quid sibi vellet tam longa cessatio. Sed ubi compotem desiderati muneris reddidisti, cura vertit in gaudium. Et revera ita natura paratum est, ut expetiti diu officii querela decedat, si potiamur optato. Ergo magno impensu gratulor integratum mihi esse pignus religionis. Præstabis ne hujus opinionis frustra sim, cum diligentiam mei continuo amore servaveris. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS EUSIGNIO

Videro quid justitia temporum, quid causæ nostræ bonitas, quid cura tua, si tamen tibi cordi sum, efficere possit. Ego in fratre meo Eusebio V. C. votum servati circa nos moderaminis amplector, ejusque probitatem mente colo, sermone commendo. Et ille licet boni propositi præmium non requirat; tamen honestam vitam de tua amicitia optamus exsolvere. Feceris igitur rem tam meæ voluntati acceptam, quam tuis moribus consentaneam; si advertat vir prudentissimus quidquid mihi tribuit, id se omnium bonorum gratiæ detulisse. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Et temporum clementiæ congruit, et sancto ingenio tuo familiare est opis indigos sublevare. Hinc mihi fiducia suborta est pro fratre nostro Steminatio supplicandi, cui dudum cuncta dempsit invidia fortunæ, præter amorem bonorum. Neque enim potest ambigi, quid de optimo quoque mereatur, qui nuper a principibus invictis, ne per indulgentiam liberaretur, accitus est: magisque honore, quam venia fatum triste mutavit, nec tam ereptus est quam desideratus. Unde spes certa fit, etiam principem nostrum lenitate venerabilem, justi parentis, et pii fratris exemplo, supplemata meliora fortunæ daturum, si modo vestra insinuatio juvet exhausti senatoris oratum. Duo enim factu facilia, sed ad gloriam præstantis magna deposcit: reddi curiæ testimonio sacro, et recuperatione modici argenti ab inopia vindicari. Hæc ut favor tuus aliorumque optimatum tot hortantium promoveat, interest boni sæculi, cui laudem perennem pia facta conciliant. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Etiamsi petitio domestica et amica cessaret, publicus vigor justo desiderio deesse non posset. Quid enim tam familiare justitiæ, quam ut circumscriptor clarissimæ et laudabilis feminæ parentis meæ, astutiæ suæ privetur effectu, ne commodis illudat alienis

Digitized by Google

provinciarum patronorum fretus auxilio? Quorum impudentia compulit ut matrona litium fugitans, ad judicium prætoriani culminis convolaret. Res autem qua de agitur ejusmodi est. Ante paucissimos menses ille a parente mea horrea Aquileiensia, et CF. propter longinquitatem itineris incognita, tenui mercede conduxit; atque his ita abusus est, ut parvo licet tempore iisdem locis labem consulto intulisse dicatur. Hunc ubi sæpe convenit, ut conductione decederet, contemptu hominis et interventu quorumdam frequenter elusa est. Nunc opis indiga geminum beneficium vestri favoris exoptat. Primo, ut improbissimus inquilinus locorum detentione pellatur. Dehinc habita deterioratæ rei æstimatione sumptum justæ instaurationis agnoscat: Cum igitur æqua poscamus, credo confore ut meæ petitioni et utilitatibus paremis favor vester arrideat. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Benigne, ut mos est tibi, recursum nostrum misso apparitore juvisti, quem progressus ad Appennini superiora dimisi adjecto officio litterarum, ut gratiam quam rebus æquare non possum, saltim verborum honore compensem. Quod superest itineris, spero præfata Dei venia sine labore peragendum. Minus enim molesta sunt, quæ perveniendi spem proximam pollicentur. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Discedenti mihi curam legare dignatus es amicitiæ congruentem, ut famæ atque actibus tuis accommoda non silerem. Causa igitur postulante fungor injunctis. Video enim basilicæ pontisque rationem recte quidem Bonoso præsidiali viro esse mandatam: cui et vigilantia superest ad limitandas publicæ rationis ambages, et fides ad persequenda quæ examen invenerit. Sed vereor ne ludificationibus res injuncta frigescat, obluctante eo quem socium discussionis accepit. Atque ideo clam te esse non patior, eo rem deduci ut labes magna sumptuum publicorum studio certaminis obducatur. Quid enim sibi vult ista conjunctio in ea præsertim discussione, quæ ipsum quæsitorem videtur astringere? Quare huic tantum parti adhibenda correctio est, et ad unum quem sponte delegeris, inquisitionis summa referenda, adjectis vestræ apparitionis auxiliis; quo minora officia fidem præbitorum vel invectorum cogantur aperire. Probabit exitus quantum publicæ rei tua cura prospexerit; cum cohibitis sumptibus novis, consummationi operum satisfecerit summa reliquorum. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Summo gaudio quoties scribis afficior, et tum maxime cum abest amaritudo querimoniæ. Nunc stylus tuus ab usitata jucunditate dissentit. Arguit enim falso iniquitatem quamdam pignoris mei, cum quo tibi limitum nonnulla certatio est. Itaque litteras contra jus amicitiæ ad eum missas suppressi, ne amantem tui justus dolor offenderet. Fuit autem matri ejus cum procuratore tuo finalis in Sicilia quæstio: quam disceptatio non, ut scribis, Venusti, sed alterius rectoris absolvit. Ergo in utraque persona error suggerentis retectus eam pignori meo exemit invidiam. Advertis pro singulari verecundia tua, cui potissimum parti satisfactio debeatur. Et nihil de præsenti fortuna loquor, quæ scribentem debuit temperare. Adde quod pecuniarias causas usque ad detrimentum amicitiarum non oportet extendi. Sed quid hæc pluribus? Posthac opto sermonem tuum placidiorem mereri, et constantiam veteris erga me observantiæ tuæ, porrecto etiam in meos amore colligere. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Frequens usus ostendit, et clara animi tui documenta testantur, exempla veræ amicitiæ de te capienda. Neque enim quisquam constantiam firmiorem familiaribus impendit officiis, præsertim in tanta publicarum curarum mole, quæ alterius studium posset hebetare, nisi obstrepentes necessitates affectio fraterna superaret. Quod solum igitur verecundiæ convenit, cedo præstantissimæ religioni, meque imparem referendæ vicissitudini pudenter agnosco. Nec vereor ne diligentia tua tali laude lentescat; quin potius spero benevolentiam (si quid pleno adjicitur) largiorem, quia bonis familiare est studia benigna cumulare, quorum gratiam sentiunt non perire. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Facio quod suadet humanitas, ut amicitiæ tuæ viros bonæ frugis adjungam. Horum unus est Felix, honorabilis gradu, atque exercitatione militiæ. Cui si quid amoris impenderis, ad meam gratiam pertinebit. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS EUSIGNIO.

Mirabar quid esset rei quod amicitiæ observantissimus diu scribendis litteris abstinebas. Sed epistolæ tuæ series indicavit, quod tristium rerum index esse vitaveris, quas longiore silentio contineri, nec religio familiaris, nec communis causa permisit. Nam plerumque utile est in publicam proferre notitiam quod velis esse correctum, ut denuntiatione futuri periculi, ad consulendum cunctorum cura moveatur. Magna igitur necessitate, futuri anni inopiam protestatus es. Quid enim spei reliquum sit, cum provinciis Africanis nec ad victum tenuem frugum tritura responderit, et suppleta ex aliis terris semina vicinus annus exspectet? Jure igitur ad æternorum principum providentiam provincialium sollicitudo confugit. Interea dum major ab illis salubritas petitur, humanitas tua foveat exhaustos, et tanquam particeps doloris alieni, persuadeat laborantibus, sibi accidisse quidquid provinciæ pertulerunt. Ego valeo, quamvis animus æger bonum sanitatis ignoret: sed ut aliquid solaminis capiam, oro indulgentius scribas et ad respondendum exemplo tuæ assiduitatis invites. Vale.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

EPIST. PRIMA.

SYMMACHUS HIEROPHANTI.

Recte valeo. Hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. Æque tibi suppetere optatum vigorem nimis gaudeo, nam me tali indicio nuper hilarasti. Illud quoque in summa pono gratiæ, quod te nostri diligentissimum familiaris styli frequens usus ostendit; cui rei laudem referre consilium est, ut hoc invitamento memoris animi ad perseverantiam provoceris. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS HIEROPHANTI.

Opulento afficis me bono, quoties amicitiam nostram salutis tuæ indicio muneraris. Deos igitur comprecor ut te pro tanta in nos religione fortunent. Vicissitudini autem litterariæ parem diligentiam libenter impendo ut ad officia promptius inciteris, cum videas apud memorem scriptorum gratiam non perire. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS HIEROPHANTI.

Scriptum mihi tuum Probatius nuper exhibuit, atque ex eo plurimum gratulationis accessit, quod tibi pro voto omnia superesse cognovi. Id ut sæpe facias monere non debeo: cum spontanea officia stimulo exhortationis non oporteat incitari. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS THEODORO.

Bonorum frequens astipulatio de sanctis moribus tuis, in hoc me desiderium provocat, ut amicitias tuas impatienter exoptem. Nam qui omnium sermone celebrantur, et improbitatis laude conspicui sunt, incognitos quoque ad morem propriæ familiaritatis invitant. Ergo si hæc voluntatis meæ non aspernaris indicia, repende, quæso, colloquium, ut facti mei confirmatione delecter; quamvis mutuæ affectionis sponsionem jam teneam. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS THEODORO.

Spectata est tibi, ut arbitror, amicitiæ meæ veritas. Hinc factum ut me in consortium festorum tuorum consul ascires. Præstetur, oro, his litteris eadem fides quæ nos evocatione dignos judicavit. Diu inter desiderium tui et unici mei curam dubius electionis pependi. Tuus honor suadebat profectionem, illius institutio prætendebat obvias manus. Tandem secutus sum quod ipse fecisses. Officia enim illa lætitiæ, ista pietatis. Tuæ amplitudinis curulem stipabunt obsequia multorum. Huic in solo patre votum est. Plura pro nobis indulgentissimus in suos tuus animus tecum loquetur. Cui ego excusationis meæ partes injungo, quia verbis agenda non sunt quæ melius interpretatur affectio. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS THEODORO.

Filium meum Flavianum consulatus tuus revocat in lucem. Nescio an eum commendare tibi debeam, cui summi gaudii auctor fuisti. Serva igitur, oro, depromptæ in eum benignitatis tenorem, etsi hoc a constantia tua sperandum magis quam postulandum est. In dubium enim voluntarii amoris fides non venit. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS THEODORO.

Ipse mihi rescripti hujus hajulum præstitisti. Duplici nomine gratiam debere me fateor. Nam a te profectus est, qui litteras exhiberet, et per te, qui referret oblatus. Maneant, oro, inter nos officiorum talium vices, et inter alias laudes tuas continuatæ in amicos religionis titulus censeatur. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS THEODORO.

Gaudeo mihi sermonis tui primitias contigisse, et impendio postulo ut humanissimum hoc cœptum religiosa cura non deserat. Illis enim maxime nutrimentis amicitiarum cultus adolescit. Cum hæc scriberem, mihi sanitas recte suppetebat. Cujus rei indicium propterea singulari generositati tuæ credidi deferendum, ut cognitionem tuæ sospitatis mihi mutuus rependat affectus. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS THEODORO.

Vereor eloquentiæ tuæ scripta nostra committere; sed non minus caveo amori tuo meorum quidquam negare. Duas igitur orationculas nuper editas a nobis misi. Earum una ad urbanos fasces resultantem candidatum tenuit; alteri argumentum dedit jam pridem decreto senatus improbata censura. Sed judicium meum, cum res acta est, habitum propagavi opere largiore. Nec mihi vitio vertas priscæ severitatis repulsam. Nam solis quædam speciosa nominibus, usu et experiundo plurimum nocent. Rationes sententiæ meæ lector invenies. Volo tamen ad inspectionem dictorum parti utrique æquus accedas. Merebitur, ut spero, orationis assertio, ut tu etiam vetustatis patronus auctoritati ordinis manum porrigas. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS THEODORO.

Quam timeo ne aures tuas existimer lactare blanditiis! Consulatus hic tuus talis est ut meum gemmasse videatur. Nunc voti mei summa eo processit ut titulos ejus longum fruaris, et æques vitæ diuturnitate moram tui prænuli. Dignum quippe est compensari prolixo gaudio seram solutionem. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS THEODORO.

Adventum tuum serum esse mirabar. Sed ubi patefacta causa tarditatis, et te brevi affore scripta prænuntia spoponderunt; in gaudium cura conversa est. Ergo hospitii securus appropera, et aliquantulo Romæ intervallo quietis refotus, auspicatissimos in

Digitized by Google

tollé fasces. Nostra erga te diligentia quidquid instructus consularis flagitat providebit. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS THEODORO.

Frustra speravi de peregrinatione solatium, cum omnium mœsta facies nullas ægro animo præstet inducias. An quisquam tam duro ingenio natus est, ut multorum curis doloris vacuus intersit? Quod si verum concedis, me etiam crede inter anxios usum ipsum lætitiæ quodammodo amisisse. Restat ut tuæ litteræ medicinam mihi faciant, quas ita libenter accipio, ut nulla assiduitas satis facitura videatur. Ego præ eventu occasionum, quas fors obtulerit, exemplum dabo frequentis officii. Tunc enim probabis gratas esse tibi litteras meas cum tuas sumpsero. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS THEODORO.

Jampridem nihil scribis, æquum esset huic culpæ talionem reponi. Sed arbitror imitanda non esse quæ doleas : et animo persuadeo alias potius intervenisse causas officii differendi, quam residem voluntatem. Quanquam vereor ne factum tuum hæc ipsa gravet humanitas. Nam qui mihi pro te satisfacio, ostendo me nihil tale meruisse. Scribe ergo jam sæpius et copiosius, priusquam præfata ope dei in Lucanos saltus vela faciamus. Quid enim juvat proximis regionibus immorari, cum ecce nullæ litteræ deferantur et silentium tuum honeste possit excusare longinquitas? Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS THEODORO.

Ademptum est tibi generale perfugium. Neque enim potes solemne illud et pervulgatum genus defensionis inducere : meas te adhuc litteras operiri, ut quadam religione solvaris. Jamdudum tibi stylus meus facit auspicium, cui non abnuo redditam vicem : sed æmulari studium nostrum etiam voluntario postea officio debuisti. An exspectas ut te illa expostulatione perstringam? Tu nisi malo coactus recte facere nescis? Omitto plura, et in reliquum mihi diligentiam tuam spondeo : quam mihi religio parvi habuit, saltim admonitio nostra reparabit. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS THEODORO.

Proxime Romam regressus a scribendi consuetudine non tam desidia quam occupatione descivi. Atque ideo peto in bonam partem purgationem præteritæ taciturnitatis accipias, mecumque læteris quod Domini nostri Theodosii sacro divinoque judicio merui Consulatum : cujus multiplex apparatus tuam requirit industriam. Sed rursus occurrit voto et studiis meis, ne honoris tui tempora contrahantur. Quapropter tuæ permitto sententiæ ut si votivo officio domus nostræ interesse desideras, administrationis labore solvaris. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS THEODORO.

Sancto Lampadio germano tuo, et ad spem proces-

A sus, et ad bonam viam morum, causidicinam credid profuturam. Unde factum est ut Domino et fratre meo præfecto ante consulto ad castra forensia mitteretur, eo præsertim tempore quo tuo adminiculo possit institui. Quapropter pignus tuum suscipe informandum bonis fraterna religione præceptis. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Brevem decet esse sermonem quo reditus indicatur. Quid enim mandes paginæ, cum omnia quæ scripto committi solent, fabulis potius debeant reservari? Hoc est argumentum præsentium litterarum, quæ, si dii votum juverint, mox sequemur. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

B Suades ut redeam, ne jus prædii nostri violenta perturbet irruptio. At ego puto non minus tuam curam quam meam præsentiam promovere. Conjicio exaggerari religiose istam trepidationem, dum me Romam studes retrahere. Ego autem hujus tædio, non modo amore otii abesse plusculum cupio : et quia inane erit quidquid remoto atque inconsulto possessore tentatur. Consilium vero rei agendæ tuus et aliorum, quibus cordi sumus, tractatus inveniet. Meæ quieti nullus invideat, quia longius producenda est, cum vicem nostram bonorum amicorum cura fungatur. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Semper te in primore affectionum mearum fronte C constituo. Merito incertus animi, cognitionem tuæ salutis exspecto : quam si mutuus sermo præstiterit, reditum nostrum alacritas incitabit. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Nos tuum præoptamus adventum. Tu missis muneribus desideria nostra solaris. Admodum quidem delector oblatis, sed hoc ipso officio damna absentiæ tuæ gravius sentiuntur. Pleniora enim præsidia atque ornamenta de amico præsente caperemus. At nunc inter votiva candidati mei negotia, et quæstoris apparatus fraudari nos conqueror societate tuorum consiliorum. Et tamen obeunda nec procul locatus omittis. Nam et vestes subsericas, quas homines mei post illationem pretii retentabant, et instructum D reliquum muneralium præmiorum tuus coegit instinctus. Opto igitur tibi promptum Dei favorem reditumque felicem : simulque oro, si fors dederit facultatem, functioni nostræ interesse deproperes; cujus voluptas magna parte cumulabitur, si lætitiæ novæ particeps desideratus accesseris. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Potuit sine litteris nostris sanctus Aurelius si quid de me quæreres explicare. Sed quia fastidiosa salutatio est, quæ nullo sermone defertur, innexi scripta mandatis. Ave igitur dico tibi, simulque deprecor, secundum commonitorium, quo summatim muneri præparanda rescripsi, ut ipse, salva jud cia-

Digitized by Google

ria existimatione, curam fratris religiosi, ut soles, exhibeas; et homines nostros comparandis, quæ poscit editio, justum impendium ministrare præcipias. Vale.

A

EPIST. XXII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Quæstorium parvuli nostri munus accelerans, communi amico Aurelio quædam comparanda aut providenda mandavi. Sed quia publicis negotiis et variis injunctorum occupatione distringitur, Eusebium familiarem specialim misi, cujus admonitione cura tua in effectum omnium provocetur. Et quia longum visum est litterali serie agenda complecti, non graveris commonitorium strictim signatum percurrere, quod satis esse arbitror ad incitamentum diligentiæ tuæ. Neque enim preces oportet adhiberi, cum sola amici voluntas studium tuum debeat acuere. Vale.

B

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Anastasium nostrum dignaris agnoscere. Nam domi sæpe vidisti. Hæc illi notitia apud te debet esse suffragio, etiamsi nullis juvaretur alloquiis. Nunc dubitare non possum cumulatiorem circa eum fore curam tuam, cum et vetusta cognitio, et recens sermo commendet.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Familiaris emersit occasio, quæ tibi salutis meæ apportaret indicia. Neque enim dubitare possum tibi litteras meas esse reddendas quas Silvanus ad animi nostri diligentiam pertinens exhibebit. Cui hæc ipsa recepti officii commendatio apud te debet esse suffragio. Cæterum ut respondeas non laboro, cum mihi scriptorum tuorum vicissitudinem mutua polliceatur affectio. Vale.

C

EPIST. XXV.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Parens sana est, et ad patientiam doloris adducitur. Quare hanc partem curarum depone, mentemque ad meliora compone. Certe si aliquid ab re tua otii est, nostris negotiis diligentiam dignare præstare, ut operæ sit pretium quod in exactore mittendo litteris et monitis tuis satisfeci. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Multa Oceano, ut recordaris, et litteris, et commonitoriis implenda mandavimus; quibus exsequendis par esse non poterit, nisi tuo impulsu et monitis urgeatur. Quæ cum in effectum te juvante processerint, quæso ut indicio perscriptionis exspectationem meam non graveris instruere. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Numidæ familiaris nostri adventus haud mediocriter mihi gaudio fuit. Hanc lætitiam tuus sermo geminavit. Duobus igitur a te muneribus affectus, amicum tibi cum litterari salutatione restituo. Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Antecapere scribendi ordinem mei muneris fuit. Habes festinati officii gloriam, cum ego fatear tarditatem. Et certe potui allegare aliquid in excusationem morarum. Supererat mihi plurimum viæ, malui te de laboris nostri absolutione facere securum. Sed pio studio prævenire nullus est rubor. Ama igitur sponte cedentem, cui hæc ipsa simplicitas conciliare debet frequentes litteras tuas; quas si non adæquavero pari numero, rursus tibi præmium confessio mea faciet. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Amicum meum ad Brutios revertentem litteris credidi prosequendum, ut tibi salutationis munus exsolverem, et illi commendationis aliquid exhiberem. Quæso igitur te, ut et meis litteris vicissitudo reddatur, et illi defensio plena proveniat. Vale.

D

EPIST. XXX.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Proxime quidem urbe digressus es. Sed ego jam quasi inveterato tui desiderio novum aliquod munus convenire credens, officium scribendi arripui, nec exspectato ordine, nec more servato, qui solet amicis esse pro lege, ut peregre locati prius tribuant scripta quam sumant. Et revera affectio omnis impatiens est etiam justæ ac legitimæ tarditatis. Rupi ergo consuetudinem religione majore, quam si servare voluissem. Quæ res si tibi grata est, et mihi fenus solve colloquii, et perlatori talium litterarum benignus arride. Cui ut nihil magis potui præstare quam litteras, ita nihil poteris plus tribuere quam favorem. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Propinquam sancti Asclepiadis philosophi absque litteris meis abire par non fuit. Nam illius merita poposcerunt, ut ad curam præclari viri pertinens tuo patrocinio traderetur. Pro qua non arbitror ambitu longæ orationis utendum, cum eam humanitatem tuæ contemplatio parentis sine cujusquam petitione commodat. Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Tædet pigetque jam scribere. Quousque enim styli imagine jucunditatem vivi sermonis imitabimur? Quid quod etiam felicitas publica, et pax orbis hortatur ut larem repetas? Qua in re tibi opportunus incentor frater noster Pontianus accedet, bonorum petitu sortitus hanc operam; ut tibi ob rem uxoriam demoranti, desiderium revisendæ Urbis admoveat. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS MAGNILLO.

Nolo puerum crimineris ob reditum tardiorem. Mea conturbatio pro Symmacho, neque ad scribendum tempus invenit, et recursum tabellarii usque ad spem bonam distulit. Nunc quia periculum ejus in ægritudinem vertit, hoc iusum loqui apud te licuit. Facict

Digitized by Google

divina miseratio, quæ pias aures applicat votis parentum, ut tibi mox denuo, quod juvet animum, securitas mea nuntiet. Vale.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS HEPHÆSTIONI.

Votum mihi non defuit itineris ordiendi, sed tarda evocatio perveniendi tempus arctavit. Atque ideo verecundius visum est veniam poscere, quam peracto consulis officio pervenire. Super hoc plenissimas et ad D. N. clementissimum principem jam dudum litteras dedi, et ad cæteros, qui me adesse voluerunt; quas etiam nunc Festus ageus in rebus proficiscendi cunctatione remoratur. Et quia vereor ne aut lateant suppressa quæ scripsi, aut per æmulos resoluta vitientur, consilium fuit ut ad te dominum et fratrem meum exemplaria omnia mitteremus. Erit tuæ circa me affectionis de omnium rerum fide late scribere. Reddantur etiam vobis chartulæ curas domesticas continentes, quibus decursis æstimabitis quid bonorum temporum justitia et fama desideret. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS HEPHÆSTIONI.

Sequuntur abcessum tuum litteratorum cohortes; et ut solent Athenas Atticas reliquave gymnasia Musarum petere; ita peregrinationes tuas desiderio trahente comitantur. Nec tibi, ut æstimo, militiæ stipendiis affluenti, amicorum conventus onerosus est. Pasce igitur eruditos dignitatis tuæ copiis, et spera plures tibi hospites ac tutum adfuturos, postquam Romanæ juventutis magistris subsidia solemnis alimoniæ detracta sunt. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS HEPHÆSTIONI.

Ægrum proxime animum tuum litterarum quas miseras lectione cognovi, multumque miratus inter conjunctissimos fortuitam subito emersisse discordiam; dominum et fratrem meum obsecravi ne a suo more dissentiat. Te vero non meo tantum, verum etiam tuo nomine rogo ut cæteris bonis morum tuorum, similem patientiam præstes, ferasque omnia quæ solet habere peregrinationis conditio. Spero autem et filii mei Flaviani conciliatione, et Eusebii Archiatri blanditiis omnia posse mitigari. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS HEPHÆSTIONI.

Litteræ tuæ Spartana brevitate succinctæ sunt, sed rebus exuberant; et cum moveant de raritate querimoniam, tamen officii plenitudine memoriam successionis obliterant. Quod si eas creber usus exerceat; desiderium meum sine fastidio satietatis explebunt. Sed video quid obsistat animo, quid impediat voluntatem. Eusebius noster te fabulis et poculis demoratur. Quem cum reddideris curæ hortorum suorum, fore arbitror ut animus tuus jocularibus ineptiis absolutus ad negotia seria conferatur. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Supra modum gaudeo redditum esse meritis tuis pervetus debitum. Jamdudum enim Rempub. virtutibus obligasti: quæ nacta divinæ fidei principem, sibi quodammodo consulatum, quem tibi solveret, impetravit. Ad hujus celebritatem voto alacri cucurrissem, nisi diplomatis sacri tarda perlatio arctasset intervallum dierum. Accessit hyemis contemplatio, quæ magno frigore, et brevibus lucis horis moratur excursus. Meus tamen animus, meum gaudium tecum est. Ego solus dolere debeo quod mihi tantum bonum casus inviderit. Tibi et præsentium satisfaciet numerus, et cultus absentium. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Amicis justa cupientibus usui esse debemus, præcipue fratri nostro Alexandro, quem judicio probamus et amore complectimur. Hunc licet noveris honorum desiderio non moveri, communis tamen verecundia non sinit testimonio carere militiæ, cum illi tribuni ac notarii dignitatem dominus Valentinianus Augustus ante irruptionem tyrannicam sponte detulerit. Quæso igitur ut prærogativam sacri testimonii te annitente mereatur. Facile est enim ut sub tam pio gubernatore Reip. infortunia hominum vincat sæculi humanitas. Vale.

EPIST. XL.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Impatienter amicorum soleo perferre discessum. Sed eos qui ad præsentiam tuam relicta urbe contendunt ad me credo venturos. Quid, quod sequestrata affectione invideo tecum futuris? Soli enim bona præsentiæ tuæ capient, quorum mihi communis fructus esse deberet. Ut ut est tamen ista conditio, fratres nostros Celsum atque Ticianum probabiles viros non invitus emisi, certus aliquid ad nos ex fabulis atque actibus tuis eorum relatione rediturum. Quos ut mature Urbi studiisque restituas vicissim postulo. Nam si apud te hanc petitionem dissimulem, videbor eorum peregrinationem non tuæ detulisse reverentiæ, sed meo præstitisse fastidio. Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Cum sciam te animo placabili, recepi pro amico operam veniæ postulandæ. Neque enim sic a recto devii sumus, ut te unquam temere moveri suspicemur. Vir clarissimus Epictetus causidicorum more prolapsus, dum vult impensius placere suscepto, sanctum Sabinum probatum omnibus bonis, incauto sermone perstrinxit. Ea res omnium vestrum quibus ille curæ est animos creditur exasperasse. Nec immerito. Querela rectoris etiam prætorianas acuit potestates. Quid multa? Epictetus togæ forensis honore privatus est, plurimis præferendus, qui firmo patrocinio proteguntur. Nunc illa clientium turba unius fortuito errori insultat. Quod ne diu maneat tua præstabit humanitas. Satis datum est correctioni. Nunc ingenium tuum respice. Illud causa meruerit, hoc tribue lenitati. Scio illustrem virum præfectum prætorio his quoque litteris tuis prompte cessurum. Erit tibi Epictetus v. c. etiam emendationis suæ debitor,

Digitized by Google

quem paulo ante inconsultum fecerat impunitas magna peccantium. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Placuisse judicio tuo amicum meum Drinnacium satis gaudeo. Nam mihi quoque plurimum honoris accedit, quoties sententia nostra concordat. Fruetur igitur uberrimo innocentiæ suæ fructu, mihi honestis carus officiis, tibi justis negotiis approbatus. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS NEOTORIO.

Qui amanti nugas suas et deliramenta committit, non debet formidare judicium. Commendatur enim religione quidquid culpari posset examine. Merito securus oratiunculam quam proxime in senatu habui, ad te misi; de qua dominum meum fratrem nostrum Carterium tecum plene arbitror collocutum. Nam petitioni nostræ auditor interfuit. Et quamvis totius ordinis secunda suffragia cœpisse videamur, in te uno tamen summam testimonii collocamus. Facito igitur me certum sententiæ tuæ, et simul quid rerum geras pande cupienti : ut quod ex meis actibus voluptatis accipies, tuorum mutua insinuatione compenses. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Dissimulati officii objurgatione morderis in epistola blandiore, qua tibi refero gratiam sermonis accepti, licet cogitarem illa potius amica esse colloquia, quæ sponte tribuuntur : at in respondente referri magis necessariam vicem quam deferri spontaneam scriptionem. Ego tamen ita affectus sum litteris proximis, ut nescire me fatear reddideris hoc munus an dederis. Verum cogita quid paginæ tuæ jucunditatis habituræ sint, quas non admonitus exhibebis; cum hæ quoque mihi admodum gratæ sint, quas rependis ex debito. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Facis ut decet quod otium meum scriptorum assiduitate solaris : siquidem ex tuo amore conjectas jucundum esse munus, quod ex tuo sanctissimo ac luculento ore profluxit. Refero igitur vicem magis ad testimonium gratiæ, quam ad æquiparandum officium quo me agnosco devinctum. Sed hoc ipso arbitror me digniorem esse colloquio crebriore; quod hanc tibi palmam reddo, quasi victus fenore litterarum. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS NEOTERIO.

Venturum te ad communem patriam fama promiserat. Insperato gaudio gloriabar. Sed ubi processu dierum rumor intepuit, animadverti mihi hoc genus superesse solatii, quod ad scribendi usum moremque remearem. Fungor igitur salutatione dicenda, tuamque excellentiam quæso ut mihi adventum tuum pro litteris largiaris. Est enim causa votiva, quæ te debeat evocare, quæstorium scilicet munus filii mei, ad cujus officium te tuosque amor communis invitat. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS FELICI.

Scribis reverentiam nostri ad omnes viger. Gaudeo hujusmodi testimonio, sed profiteor opera tua fieri ut taliter vireat existimatio mea. Tu mihi es fautor rumoris secundi; neque hac tantum gratia vadatum me sentio. Nam illud etiam quod te præsule processit ad commoda proximorum meorum, quamvis justitiæ datum, tibi tamen refertur acceptum. Cesso longius pergere, quoniam in remunerandis beneficiis jejuna est verborum vicissitudo. Simul obrepunt curæ, quas officiis familiaribus tenuis patriæ victus opponit. Ero apud te posthac loquacior, cum refoverit studium meum rei frumentariæ instaurata securitas. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS FELICI.

Bene cognitis ac probatis commendatio prompta debetur, ut ad notitiam bonorum sub honesta astipulatione perveniant. Theodulus sinceræ nobilitatis adolescens multorum gratia viget, quibus placere laudabile est. Sed fortunæ difficultatem, quæ cursum vitæ ejus exasperat, adminiculo tuo sperat posse removeri. Quæso igitur votis ejus benignus arrideas, ne aut meum testimonium pro nihilo habitum judicetur, aut spebus illius inanis exitus illudat. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS FELICI.

Amo litteras tuas, nam semper mihi aliquid gratulationis apportant. Ego autem benefactis nuda oratione respondeo. Sed ut res est, præclara mens tua perinde paginas sibi existimat fructuosas, et ideo hanc operam perseveranter advigilo, quam sciam apud te pro magno ære censeri. Interea domino et principi nostro, ejusque in me beneficentiæ egi per epistolam gratias verbis fortasse exiguas, sed affectione animi copiosas. Quas si eximia unanimitas tua, et probata mihi amicitiæ fides, jucunda atque opportuna insinuaverit lectione, non videbor ingratus; cum probaverit, sicuti opto, invictissimus princeps, beneficia hujusmodi apud memorem se collocasse. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS FELICI.

Relatum in cultores tuos Aurelium familiarem meum gaudeo, non illius modo nomine quem tuendum summatis viri cura suscepit, sed meo maxime, cujus testimonium judicii instar habuisti. Accessit huic muneri auctior ex litteris tui gratia (quanquam est in illis, quod amantem possit offendere, brevi enim erant transcursu) quæ cum mihi voluptatem afferant, negant satietatem. Et hæc est natura bonarum rerum ut illis frui prolixius velis, nec quidquam durius sumas quam orationis placitæ citum transitum. Adde igitur epistolis tuis copiam, vel, si potes, detrahe suavitatem. Nisi ita feceris, lassus

Digitized by Google

rependam fastidio tuo verba, quæ soleo, et paginas longiores. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS FELICI.

Amor quidem tuus suasit ut scriberem, prætereuntis festinatio, ut pauca dictarem. Quare salutatione contentus (quæ etsi non explet officium, tamen contestatur affectum) redde invicem quæ legamus, et si necesse est, æmulare brevitatem. Nam cum sim nitidissimi tui sermonis cupidus, conscientia tamen hujus tam angustæ paginæ non audeo a te verborum copiam postulare. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS FELICI.

Vectori judicialium litterarum reddendam tibi paginam dedi, amicitiæ deferens cultum salutationis; simulque suggerens ad rem mei pignoris pertinere, quod relatio docebit de tutoris faucibus extrahendum. Nec laboro pro assertione justitiæ, cujus tibi cura præcipua est. Sed hoc tantum audeo postulare, ut quamprimum responsa cœlestia robur afferant judicatis. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS FELICI.

Fratrem nostrum Helpidium non minus desiderium tui quam epistola consulis evocavit. Cui etsi amorem tuum prisca inter vos conjunctio polliceatur, nonnihil tamen, ut arbitror, etiam petitio mea commendationis adjiciet. Exstrue igitur, quæso te, novis erga amicum beneficiis veterem diligentiam, quatenus possint perfecta cumulari, et hoc mihi minus lubens attribue, ut merita, quæ suis apud te fundavit obsequiis, sentiat meo favore crevisse. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS FELICI.

Quisquis amici famam negligit, fide lubrica est. Hoc ne vitio mihi jure ducatur etiam in aliorum injuriis pro tua existimatione sollicitor. Qua lege, quo bono publico Eusebium V. C. qui meruisse inter notarios fertur, incertus atque inexploratus procurator elicuit ut civilis petitio urbano abstrahat foro possidentem matronam? Qua in causa cum supplicatio privatam teneat actionem, sacros titulos responsa minitantur. Quæso te, cogites, quid de Augusto adyto, cujus loqueris oracula, deceat impetrari. Fraterna tecum sollicitudine loquor. Rescriptorum omnium fama te respicit. Quid si etiam rei memoria fidem tuam convenit? Ampelium claræ et illustris recordationis virum parvas ædes, quas pretioso auxit ornatu, sub clivo salutis emisse, ut civis, ut collega reminisceris. Triginta annorum diebus incanuit ætas possessionis. Auctor ei Posthuminus nepos Jovii fuit, inter cætera parentis suæ Porphyriæ bona hanc quoque adeptus domum per successionem. Hujus Porphyriæ nihil unquam negotii cum Theodosio, cujus olim facultates Eusebius impetravit. Nunc procurator a columna Mœnia multis hujusmodi sutelis foro cognitus, inveterata jura, supplicationibus quatit, degustat judicia omnium protestatum cœptarum actionum exitus deserit, instaurat exordia, romanum criminatur tribunal; non possessionis antiquitatem, non senatoriæ dignitatis prærogativam, non præfecturæ existimationem sinit inconcussam manere. His susibus color fiscalis allinitur, veluti ob inquisitionem mobilium ex bonis, quæ meruit Eusebius, divinæ domui debitorum. Ubi hæc diligentia diu jacuit? Cujus scrinii colludio publica damna latuerunt? Si procurator non admoveret negotio suo publicas faces; etiam nunc tot officia, tot inquisitores fisco quæsita nescirent. Et sane æquum est, ut defensio divinæ domus attentiores oculos præstet injunctis. Quid mobilibus commune cum prædio? Nullus error sensuum, nulla verborum interpretatio potest nomina ista miscere. Dehinc a proscriptis quondam bonis Porphyria, et Posthuminus alieni sunt. Multo magis emptor ædium Ampelius procul abest a contagione mobilium. Quid restat, nisi ut æquitas vestra privatam petitionem nullis sustineri radicibus judicet, cui sacræ reverentiæ umbra prætexitur? Hæc me in epistolam conferre amor sæculi et amicitia tua compulit. Eadem viro illustri fratri nostro Sperchio morum ejus secutus palam facere curassem, si quam mihi per litteras obtulisset fiduciam sui. Ipse autem principium facere conferendis mutuo scriptis a tali genere non debui. Erit itaque optio amplitudinis tuæ in aures ejus perferre quæ scripsimus. Dignum quippe est ut quod existimationi utriusque proficiet, amborum consensus emendet. Vale

EPIST. LV.

SYMMACHUS SALLUSTIO.

Nolo ex moribus cæterorum, qui sensus Senatorios tractant, etiam hujus ingenium, quem commendo, perpendas. Est enim non mediocri loco aut infima sorte progenitus; sed honestatem natalium pudore custodiens. Atque ideo nec ego indecorum putavi bene cognitum prosequi testimonio litterarum. Nec singularis generositas tua debet de ejus amore dubitare, quem videt nobis astipulantibus approbari. Et hæc quidem pro Ammonio satis dicta sint. Ipse autem desiderium tui sermonis silere non debeo, cujus appetentiam scriptorum tuorum raritas vehementius excitavit. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS SALLUSTIO.

Cumulatius officium mihi, quam poposceram, detulisti. Nam cum domesticos meos juvari a te in conquisitione equorum curulium postulassem, quadrigis quatuor gratuitis auxisti numerum comparatum. Ex illis equos undecim superstites cæteris prosecutorum cura perduxit. Nec longo intervallo pars succubuit traditorum. Gratiam tamen religionis tuæ fortuna non minuit. Quia in muneribus amicorum non sunt damna casuum cogitanda: quinimo ea in acceptum summa referenda est, quæ ab offerente processit. Ad te dypticum candidati, et apophoreticum libra rum argenti duarum per hominem tuum misimus, approbare cupientes editioni nostræ te animo non defuisse Vale.

Digitized by Google

EPIST. LVII.

SYMMACHUS SALLUSTIO.

Utilitati tuæ etiam non commonitus affuissem, cujus me habuisse rationem dominus et filius meus patruinus, vir spectabilis non tacebit. Hunc admonere debebis ut et sui voti consuetudine, et meæ petitionis intuitu, desideria tua juvare dignetur. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS PATERNO.

Ego quidem senatui interesse non potui, quo die Thalassi filius dignitatis nostræ muneribus exemptus est : sed spem futuræ pro eo actionis non levi apud amicos commendatione solidaveram : nec tamen impetrationis gratiam mihi vindico. Justitia postulati, et interventus tui desiderata promovit. Mea valetudo diu jactata, tandem se in tranquillum recepit. Quod eo scribo ut auctus lætitia salutis meæ, parem voluptatem de prosperis tuis referas. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS PATERNO.

Primis petitionibus nostris multum ponderis addit iteratio. Et ideo de venatoribus exhibendis repeto postulatum, quo facilius tibi diligentiam geminata scripta sollicitent. Dies nostri muneris tempori adamovetur : cui largitas candidati sola non sufficit, si lautioribus arenariis deferatur. inepta est enim munificentia quæ præstatur indignis. Quapropter quæso te ut venatorum potissimos auctoritate judicis et fratris amore, concedas ; multum rebus omnibus additurus, quas civium voluptati animoso impendio præparamus. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS PATERNO.

Omnes qui tuo aditu cupiunt sublevari, non castam, quantum arbitror, capessunt viam ineundæ gratiæ, cum me astipulatore nituntur. Horum unus vir probabilis Turasius familiaris meus, qui indictæ sibi litis injuriam fortunæ imputat, gratiam vero boni reditus de tuo potissimum sperat auxilio. Tuere igitur æqua poscentem, et humanitatis tuæ latius extende famam ; quæ incrementis maximis cumulabitur, si Turasio per te secunda successerint. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS PATERNO.

Religio postulavit ut scriberem, præsertim cum hortaretur familiaris occasio. Nam homo tuus tabellarium se mihi obtulit ; cui nihil litterarum dare, summam piaculi esse perspexi. Valere igitur te opto, me nuntio ; et vicissim peto ut nos sospitatis tuæ indiciis muneréris. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS PATERNO.

Quæstores ordinis nostri nunquam ferarum suarum portorium contulerunt. Grave enim majoribus visum est, ut tolerantibus onera senatoriæ dignitatis, sumptus immodicus adderetur. Hæc mihi proxime, cum gladiatorium munus instruerem, magis populi Romani, quam meo nomine prærogativa delata est. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. Quæstorio candida quinquagesimæ vectigal exigitur ; quod solos ursorum negotiatores, ut pote quæstui servientes, oportet agnoscere. Cujus injuriæ affectatio tuum moderamen exspectat. Resiste, quæso te, publicanorum cupiditati, et damna collegarum recide. Ad geminam tuam gratiam res ista proficiet ; si privilegio honoraveris senatum levamine juveris candidatos. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS PATERNO.

Causa amici suasit ut scriberem. Sed fatendum est, majorem me curam tuæ existimationis habuisse. Nunc Minucianus V. C. exiguo periclitatur argento. Tibi autem non tenuis ad laudem reserabitur via, si falsis, ut audio, syngraphis excitata calumnia conseder t. Piget dicere quibus strophis apparitio itali ærarii grassetur. Fertur sub publici debiti specie privatorum nominum falsa recitari. Invalidos quidem statim vincit impressio. Validiores autem cum munimenta pro se juris asciverent, criminosis verborum interpretationibus implicantur, ut ad damni patientiam sese invidiæ timore submittant. Sed V. C. Minutianus, tui securus et legum, relationis minas amoliri optat examine. Da igitur, oro te, judices, quos urbanis potestatibus imperialis præfecit electio. Neque enim dignum est, ad longinquam cognitionem vocari debitum tenue et præcipuam dignitatem. Longius pergerem, si æquitas vellet multis precibus adjuvari. Causæ genus relatio publicabit : quæ etsi errorem tuebitur cognitoris : nonnunquam tamen poterit emereri, ut illi a te sine alio disceptatore credatur. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS PATERNO.

Ostentator mei in te studii esse non debeo. Officia quippe ex debito religionis profecta jactationem recusant. Quinimo uberis gratiæ instar accepi, quod amicitiæ meæ V. C. Scipio, te mystagogo usus, accessit. Maximum enim lucrum est quærere familiaritatem bonorum. Et sane spero ipsum quoque in omnibus nostris diligentem futurum, postquam cognoverit suorum relatu, quod negotio eius cura nostra contulerit. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS PATERNO.

Quadragesimæ portorium (sive vectigal) non recte poscitur a senatoribus candidatis : quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet. Hoc tibi etiam pro Cynegio V. C. dudum missis litteris indicavi. Nunc filii mei Pompeiani clarissimi et optimi juvenis par necessitas depoposcit, ut repeterem postulatum. Quæso igitur ut humanitatem, quæ inter virtutes tuas prima est, nostri ordinis editoribus dignanter impertias ; et ursorum transvectionem cupiditati mancipiorum subtrahas. Perveniet beneficii istius gratia et ad senatum, qui levatur incommodis, et ad populum, cujus voluptatibus præstatur immunitas. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS PATERNO.

Ampeli illustris memoriæ v ri necessitudines, incessuntur lite privata. Non putes sola parentis recordatione curam pro illis nostram moveri. Externos quoque, et memorari viri nescios, causæ urit indignitas. Cujus breviter, ut possum, fastigia et capita contingam. Ampelius de summatibus quondam senatus, quem famæ celebritate didic sti domunculam Romæ de Posthumio V. C. Porphyriæ hærede mercatus est. Contractus istius origo justa ætas, prope sæcularis, qua intentata possessio est. Nunc nuper veterator quidam procuratorio nomine caput extulit, Eusebii ex notario V. C. quassans vetustam petitionem de impetratis olim Theodosii ejusdem bonis, quibus hoc prædium mentitur hæsisse. Theodosio et Porphyriæ nulla rationum societas fuit, nulla conjunctio facultatum. Res in judicio urbano, et a petitore cœpta, et ipso fugiente finita est. Denuo cineres negotii obreptiva supplicatione refovet in flammam; et per diffidentiam justi, divinæ domus pro se attrahit actiones ob inquisitionem videlicet mobilium, quibus nihil commune est cum prædio. Pervestiget ista legum ordine rector privati ærarii; ædium domin s relinquat judici suo. Duplex itaque causa est, div.sa rerum vocabulis, actione discrepans, origine non cohærens, separata personis. Neque mobile emit Ampelius, neque domum fi-cus incessit. Cur procurator alienis invalidam petitionem, publicis viribus juvat? Cum fratre nostro Sperchio illustri viro quæso ista communices. Est æqui servantissimus, et qui libentius communi juri cedat, quam potestati suæ faveat. Scit enim leges honoribus esse potiores. Confido cum suppressa cognoverit, elicitis non defuturam correctionem. Si quæret cur ad eum super hoc nihil scripserim, respondeas oro nondum facta inter nos styli consuetudine veritum esse me ne quid a principio viderer arguere. Dabit mihi causæ hujus emendatio, sermocinandi cum eo materiam lætiorem: gratiarum actio auspicium litteris meis faciet. Non exspectabo ultra ut alloquii sui fiduciam præstet hærenti: ad omne officium justitia ejus hortabitur. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS OLYBIO ET PROBINO.

Juvenalis industriæ est exeire saltibus feras, et liberalia studia sylvestri voluptate distinguere. Sic olim Marsus impiger et fortis Sabellus robur habuerunt. Nostris annis parta proficiant. Est hujus indulgentiæ in aliquibus avibus exemplum, ut nutrimenta senescentibus ætas prima vicissim comportet. Sed nondum convenit valetudini meæ uti ferinis visceribus: nec tamen gratiam muneris vestri minuit apud me necessitas parcimoniæ. Nam etsi utendi abstinentia sanitati consulit, honor tamen muneris animo satisfecit. Valete.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS OLYBIO ET PROBINO.

Supputere vobis plenam roboris valetudinem, ferarum indago testatur. Hæc igitur prima mihi de vobis gaudii causa est, quod rusticis voluptatibus sanitatem juvatis. Secundus lætitiæ gradus est, venatu capta meruisse. Nam ut honori Numinum datur, cornua sacrare cervorum, et aprinos dentes liminibus affigere; ita amicorum cultui dedicantur libamenta sylvarum. Interea recuso sententiam quæ rem venaticam servile ducit officium. Statuerit hoc scriptor stylo tantum probandus, nam morum ejus damna non sinunt ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas. Vos malo cum Atillo rusticari et ludum virium sequi, quam bonis verbis deduci ad instituta dexteritatis. Certe ætatibus vestris hic labor convenit. Distinguenda est lectio juvenum, non alveolo, aut pila, nec trocho Attico, vel Græcis palæstris; sed alacri fatigatione et innocentis audaciæ gaudiis. Ad hæc etiam meum Symmachum si succreverit, quamquam unicum, cohortabor. Erit olim tempus, quo renuntiare annis graves huic operi debeatis. Tunc servile munus jure habeatur cura venandi. Famulatus est enim quidam, si cedentibus viribus recusemus uti laborum vacatione, quam nobis præstat senectus. Valete.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS OLYBIO ET PROBINO.

Commendastis vetus judicium meum, qui eadem de littoris Formiani gratia et salubritate sentitis. Parce antehac o æ illius bona transitus vester degustaverat. Ea nunc pensius per moram cognita amari a vobis usu longiore meruerunt. Fero ægre tanquam vestri cupiens, quod procul degitis, et desiderio in vos meo indico patientiam. At si fors votis effectum secundet; opto in illo sinu agitare vobiscum quod restat ætatis; ut et locus mihi præstet valetudinem, et vos animi voluptatem. Valete.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS OLYBIO ET PROBINO.

Ad tum mihi ad scribendum sero reseratis. Vos enim oportuit inchoare libamina litterarum: qui ad peregrina discedit, alternandis epistolis præstet auspicium. Ergo absolutus observantiæ religione, et nunc vobis vicem salutationis rependo, et in reliquum, si fors obtulerit commeantes, assiduitatem spondeo familiarium paginarum: ut vobis possit liquere non mea culpa, sed vestra mora me siluisse. Valete.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS OLYBIO ET PROBINO.

Sermonis vestri assiduitate delector, et abunde ex eo munere usurpo lætitiam. Quod enim vel vestri animi speciem, vel mei desiderii solamen potest esse clarius, quam ut apud me in dies singulos meritorum vestrorum cultus augescat? Amicitia enim quæ celebratur officiis, nunquam certo fine contenta est. Atque ideo decet vos in deferendis alloquiis efficaces promptiores, cum ad solvendam vicissitudinem non probetis immemorem. Valete.

Digitized by Google

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS LICINIO.

Regiliani amici mei filius, et ipse suæ honestatis intuitu probatus, dudum tibi litteras meas, quibus commendaretur, exhibuit. Et ideo secundæ astipulationis auxilium, ut pote jam cognitus, non requirit. Mei igitur studii ratio et consuetudo exegit ut scriberem. Neque enim fas est, quamvis jampridem ipse dissimules, me quoque hujusmodi officiis abstinere. Spero enim, quod sponte amicitiæ tribui solet saltim assiduitati meæ esse referendum. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS LICINIO.

Cum ad proxima urbi digrederer, scribendis ad te litteris abstinere non debui, ut te observantia prisci moris absolverem. Nam vetere instituto hic usus increbuit, ut ingressi iter, prælibent primitias scriptionis. Quare familiaris officii invitatus auspicio, fraternam religionem, quam mihi semper mente exhibes, assiduo sermone testare. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS LICINIO.

Octavo demum die multas eluctatus itineris difficultates larem patrium salutavi. Continuo, ut amicitia postulabat, convenit me recordatio mandatorum tuorum. Nam discedenti injunxeras ut negotium lectissimorum juvenum Ticiani atque Helpidii fida exploratione disquirerem. Quorum præceptor vir prudens et nescius gratificationis asseruit esse in illis scientiam juris idoneam nimis in omnes usus judiciarii et forensis officii. Nunc tuum est optimos juvenes advocare, quorum indolem militiæ honoribus jam paratam non debet ulterius procrastinare cunctatio. Vale.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS LICINIO.

Prompte favendum est honesta cupientibus, ut probabiles voluntates alieno etiam juventur annisu. Quapropter opis indignum esse non patior Felicem sanctissimum juvenem ad electiora tendentem : qui ubi urbani fori dissensiones, ut pote mitis ingenii, exhorruit, modestiori causidicinæ dare nomen affectat; quem meus quoque hortatus animavit. Spopondi enim bonæ indoli, et moribus defæcatis, nequaquam defore tuæ mentis auxilium. Ergo exoratus ac facilis non ut transfugam sedis alterius, sed ut affectatorem fori quietioris amplecterere : qui tibi tuisque beneficiis debebit, quidquid officio bonæ fortunæ aut commoditatis accesserit. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS LICINIO.

Bonoso optimo viro, et post militiam Palatinam geminæ administrationis integritate conspicuo, discussionem pontis ac basilicæ novæ præceptio Augusta mandavit, quod munus fide et vigilantia posset implere, si solus istiusmodi examinis jus haberet. Nunc Cyriades C. V. comes et mechanicus, qui dudum impensas operis utriusque tractavit, in societatem discussionis admissus, sæpe, ut dicitur, a Bonosi investigatione dissensit. Hinc fit ut inquisitio, quæ per unum strenue posset agitari, artificio quodam interpositi certaminis differatur. Atque ideo metuit vir honestus Bonosus ne sibi invidiæ sit, quod tanti negotii adhuc nutat effectus. Quapropter orat ut si quis est qui V. C. Cyriadem putat ejus operis, quod idem ante curavit, etiam discussorem esse debere, sibi hæc molestia detrahatur. Si vero ipse negotio videtur accommodus, ad se unum disquisitionis summa pertineat. Ergo amore Reipubl. cujus utilitates inter præcipua et prima complecteris, clarissimo et illustri viro præfecto dignare conferre; quatenus lacuna tantorum sumptuum remotis contentionibus, delegatur. Spero enim fore ut, cessantibus novis expensionibus, utriusque operis perfectioni usurpatorum summa sufficiat. Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS LICINIO.

Longum siles. Sed ego talis exempli imitator esse non debeo. Quare in officium primus erupi, teque religiosa admonitione convenio : ut litterarum munus, quod sponte amicitiæ nostræ deferre debueras, saltim provocatus exsolvas. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Quæris ut valeam, vel quid rerum geram. Respondeo percontationi tuæ ex amore venienti. Agri quiete delector. Hæc mihi aeris præstabit salubritatem, et pabulum lectionis. Sæpe oculos pasco culturis, quas hyberna exercet operatio. Tibi et secundare valetudinem, et memoriam nostræ amicitiæ superesse amplissime gratulor. Silentii vero mei non est justa causatio. Nihil enim quod scriberem suppetebat : simulque occupato tibi auditione causarum verebar obstrepere, ne multis negotiis onus adderet loquacitas otiosi. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS HELPIDIO

Præsentiam tuam spero. Neque enim soles promissa deserere. Sed frequens fama est prætorianas litteras obstare dispositis. Quare ne hæream diu exspectationis incertus, confirmari scriptis recentioribus volo : ut sciam moræ esse pretium, si affuturus es, aut solvar manendi fastidio, si teneris. Vale

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Prosequor litteris civem amicumque communem; cujus bona, quia judicio tuo nota sunt, non requirunt assertionem. Merito mihi de eo apud scientem facilis sermo, et brevis est. Admoneo tamen ut in gratiam meam validius diligatur, meique apud te curam vigere documento sancti circa se amoris intelligat. Vale.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Cum sæpe occasionibus ad scribendum utar incognitis, committi in amicitiam puto, si domesticis videar abstinere. Libens igitur Acrio honestissimo viro cultori tuo nuntium sospitatis meæ paginam dedi, cui honorificentiam salutationis adjungo : quæ sola, et

Digitized by Google

cum dicatur, et cum vicissim refertur, munia familiaris explet officii. Vale.

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Plenum religionis officium est quod sponte votum fratris antevenis. Proxime igitur familiares nostri ad equorum coemptionem cum pretiis commeabunt, ut ex omnibus quadrigis, quas scripsisti esse venales, præstantiores cursu et genere pollentes defloret electio. Hæc autem tibi cura sumenda est, ut præterkis editionibus nostris recens ludorum fama respondeat. In primis igitur hanc de te gratiam peto, ne magis numerum, quam merita perpendas. Nam cum de Hispaniis copiam equorum spes certa mihi promittat, hos, quos de proximo polliceris, securior diligentia debet excerpere. Vale.

EPIST. LXXXIII

SYMMACHUS HELPIDIO.

Curam nostram senatoriæ functiones ad votiva sollicitant. Præturam quippe filii mei, si fors dictum juvet, proximus annus exspectat : cujus instruendi causa amicis nostris negotium dedimus ut equos ex Hispania electissimæ nobilitatis edecument. Experiantur igitur suffragium tuum, si quid opis et favoris oraverint. Decet enim te pro amore mutuo mecum curanda partiri. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Silentium meum etiam ipse reprehenderem, si tuas litteras aliquando sumpsissem. Itaque in altero arguere non potes, quod a te admissum meministi. Ego tamen in hæc officia primus erupi, ut et te ad scribendi studium cohortarer, et amicum meum testimonii astipulatione prosequerer. Est enim ejus industriæ atque probitatis, ut favorem tuum jure mereatur. Pro quo ego petitor accedo, præsumens apud animum tuum nostras litteras plurimum profuturas. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Quod epistolas meas condis, amoris est tui ; qui describenda nescit eligere. Sed me fucus hic decipit. Nam præcipitor ad scribendi fiduciam, placendi securitate : et tamen (si quando resipisco) nimis vereor ne ista simplicitas incidat in lectorem alterum, tibi disparem. Quare velim tibi habeas quæ incogitata proferimus : licet eadem mei quoque librarii servare dicantur. Sed illi per ignorantiam examinis, quod te facere non oportet Mercurialis artis peritum. Nam mediocribus scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum invidia nescit ignoscere. Quod superest, oro jam venias, et præsentia tua honorem augeas festorum dierum. Nempe Minervæ tibi solemne de scholis notum est, ut fere memores sumus etiam procedente ævo puerilium feriarum. Ad eum diem convictum tibi paramus, agrestibus olusculis partum, quia luxuries offendit deam sobriam. Vale.

EPIST. LXXXVI.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Insidiaris infantiæ meæ, quam tego silentii verecundia. Nam ad elicienda responsa, venturum, si annuam, polliceris; cum tibi facere de proximo, quam spondere promptius fuerit. Mihi vero adipisci gratum, sperare prolixum est. Et tamen voluntati tuæ pareo : nec vereor ne temere a me effusa verba in paginis librarii tui referas. Nam, si quid horum, quæ apud te incuriosus loquor, cuipiam lectori nauseam moverit; non tam in scribendo negligentia displicebit. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Nostrorum duritiam ferre non possumus, qui cum reliqua superiora non exsolverint, etiam pensionem proximi anni ferre detrectant. Idcirco quæso ut cum homine meo, quem ad exactionem titulorum misi curam communicare digneris, et religiosam operam libenter arripias. Grave est enim, nos quidem pro agris nostris functionibus publicis esse munificos : actores autem locorum, ne id quidem velle redhibere, quod sciunt per annos singulos esse solvendum. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Nullum tempus esse patior ab officio ferlarum. Merito properanti tabellario cursim debita verba commisi; quibus quæso referendæ vicissitudinis curam capessas, licet malim jam tuo reditu quam scriptorum honore lætari. Vale.

EPIST. LXXXIX.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Non ex officii parcitate amicorum religio et cura pendenda est. Plerumque enim scribendi cupidis defit occasio; nec tamen amicitiæ memoria temporali silentio consenescit. Itaque quod hucusque conticui, voluntati non debet ascribi : multa enim studium nostrum fortuita impedimenta frenarunt. Sed ubi tempestivam comperit facultatem, contuli in has litteras mei circa te propositi atque amoris indicium; compensaturus, quod hactenus silui, frequentia paginarum, si me incentivo quodam mutuo sermonis animaveris. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Attentatam denuo valetudinem tuam meorum cura suggessit. Quare sollicitatus incertis emittere scripta non distuli; quibus ut de te læta respondeant, præstabit divina miseratio. Erit muneris tui ut otio meo securitatem sanitatis adjicias. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Et rebus et litteris partes religionis exsequeris. Nam hominibus meis adminicula favoris impendis, et me sermonis tui honore participas. Ago igitur atque habeo gratias, daturus operam, ne officiis nostris vicissitudo unquam dissimilis judicetur. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XCII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Cum ad filium meum scriberes, solum me styli honore fraudasti. Potui te silentii talione mordere, sed amicorum negligentiæ nunquam parem repono contemptum. Atque utinam redditæ filio meo litteræ nihil asperitatis ex conventione fraterni debiti habuissent. Ego quoque mihi nequaquam viderer omissus. Nunc duo pariter acciderunt, ut me et honor officii præteriret, et participata cum filio amaritudo percelleret. Vale.

EPIST. XCIII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Formianum littus accessimus. Hinc Puteolos mox petemus. Grave est enim sub auribus judicis Baiarum appetentiam confiteri. Habes ordinem propositi mei. Ipse memento promissi, quo te ob causas publicas peregrinationis meæ fore solatium spoponderis. Vale.

EPIST. XCIV.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Romam egressus, post legationis officium, sumpsi litteras tuas, quibus patriæ communi largas rei annonariæ copias polliceris. Itaque gemino affectus gaudio, et quasi civis publica securitate, et facti tui gloria quasi frater superexsulto, teque ad hoc studium religiosa exhortatione distimulo, licet bona voluntas, quæ ex ingenio venit, non sit agitanda calcaribus. Ego lectioni sermonis tui civium nostrorum curam levavi. Neque enim silere debuit tam laudabilis et certa promissio. Superest, ut proposito religionis tuæ melior aspiret eventus, et in posterum competens decus pro tanto in patriam labore respondeat. Vale.

EPIST. XCV.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Mediolanum sum missus a patribus ad exonerandam divini principis opem, quam communis patriæ sollicitudo poscebat. Celerem mihi reditum, præfata Dei venia, res prosperæ pollicentur. Sed præsentia læta cumulabis, si per litteras mihi cognitio tuæ salutis accesserit. Vale.

EPIST. XCVI.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Romam rediisse me nuntio. Atque utinam sanitatis quoque meæ index esse potuissem, quam labefactavit peregrinationis injuria et hiemalis asperitas. Sed otio redditus spero meliora. Ipse ut valeas divina præstabunt. Nam ut homines meos solito favore tuearis, postulare non debeo; cum incitamentum spontanea officia non requirant. Vale.

EPIST. XCVII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Maluerim quidem tuum solamen adipisci, quia litteris secundus ad gratiam locus est. Desiderio tui scriptorum compensatio satisfecit, maximeque juvit animum, quod tecum bonam valetudinem rediisse in gratiam nuntiasti. Ipse Formiis adhuc residere constitui, ut mitigatis autumni æstibus ad suburbana concedam. Neque enim temporis ratio patitur, ut communem patriam mœstus ingrediar. Vale.

EPIST. XCVIII.

SYMMACHUS HELPIDIO.

Si conditio temporis sineret, votis me tuis etiam non rogatus ingererem. Qua in re certus animi mei, assertionem verborum, sicuti arbitror, non requiris. Nunc fortunæ meæ qualitas in tantum nos a festivis excusat officiis, ut insuper solatia deposcat aliena. Ergo quia in manu mea interim non est frequentare lætos conventus; tuæ opis erit levare mœrentem. Quorsum istud inquies? ut fratrem meum Florentinum, clarissimum atque ornatissimum virum, peregrinationi meæ cohærere patiaris. Tantum peto, ut ab eo interpreteris impendi ex hac commoratione, quam mihi tribuit, quantum ex ejus præsentia voluptatis habuisses. Vale.

LIBER SEXTUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

De rebus liquidis atque manifestis rectius natura quam fama consulitur. Ergo in tenui patriæ victu, superioris providentiæ laudem refotam non ex ore multitudinis, sed ex ratione humani ingenii colligamus. Necesse est enim seros æstimatores beneficiorum, cum succedant angustiæ copiis, dissimulatam gratiam collatione sentire. Et plebes, quidem nostra paucorum studiis antehac in odium tanti civis subacta, testatur propalam pœnitendi correctionem. Collegarum vero notissimus pervicax livor non sinit fateri, quod cogit veritas judicare. Quare tacito afficiuntur rubore, et convictorum similes de vobis proferre nequeunt, quæ sentire coguntur. Sed hæc longius exsequi non est necesse. Sufficit enim rediisse ad conciliationem famæ vestræ publicum testimonium. Vivat modo, et in patris celebri memoria solatium tuum, et in tua salute paterna reparatio. Valete.

EPIST. II.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Hilaratus est mihi dies litteris vestris, et festivitatem natalitiam domus nostræ desideratus sermo geminavit. Sed decursa paginæ lectione conrugavit mihi frontem adjecta subscriptio, quæ vos de peculio Petroniæ agitari jurgiis indicavit. Arbitror tamen, si Marcianæ sororis vestræ non sit clauda promissio, successionis ambiguum domesticæ posse removeri, cum ad examen meum, quod ipsa delegit, documenta negotii miseritis. Quæ autem capita quæstionum pars adversa commoveat, subdita enumeratione signavi, ut sancta unanimitas vestra informata oppositis, in vicem pro se respondenda meditetur. Valete.

Digitized by Google

EPIST. III.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Præfato opus est, si ardua postulentur : pronis ac facilibus admoveri ambitum non oportet. Breviter igitur et strictim quid frater meus Fulvius de vobis favoris poscat advertite. Sororem Pompeiani, olim viro maturam, te auspice in manum optat accipere, nec genere minor, et re fortassis superior. Nam laudabiles vitæ ejus artes, et ex bonorum amicitiis spes secundas inter sponsalia ornamenta non numero. Sibi enim quisque habet quidquid spei et laudi ducitur. Mihi autem tanta est perficiendæ conjunctionis hujus antiquitas, ut in gravi dono habiturus sim, si illius votis cura vestra profuerit. Cum igitur res inceptu honesta, effectu facilis postuletur : quæso, ut in promovendo negotio quantam me velle conjicitis, adhibeatis industriam. Valete.

EPIST. IV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Ægritudinem, quam dexteræ manus dolore sustineo, nuntiorum acerbitate duplicastis. Acrior autem cura me distringit, quod scio filiæ meæ ciborum et potuum continentiam non posse suaderi. Anxius igitur vulnere animi et corporis morbo, usque ad subscribendi possibilitatem litteras differre non potui : sed dictatione properata magis sollicitudini meæ, quam consuetudini satisfeci. Et primo timorem meum responsis levetis, exoro. Dehinc te, domina filia, precor, saluti adversa declines, et interpellatam toties valetudinem repares auxilio temperantiæ. Quia non solum sanitati commodat, verum etiam ad testimonium prudentiæ pertinet noxiis abstinere. Valete.

EPIST. V.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Severianum primorem Cliterninæ urbis a publica interpellatione revocavi, ne sancto amico nostro Severo invidiæ aliquid conquestio ejus afferret. Promisi autem media unanimitate tua, decus nostrum, si quid inter eos concertationis est, posse finiri. Atque ideo quæso ut viro optimo Severo terminandæ apud te litis auctor esse digneris. Valete.

EPIST. VI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Tanquam adhuc negotiorum vestrorum nescii agendis rebus formulas præfinitis. At ego unanimitati vestræ utriusque exitum causæ jampridem retexui, et credo in manus vestras per milites vicarianos delata, quæ scripseram. Merito enarrata et comperta non repeto. Hoc solum etiam nunc notitiæ vestræ ostentationis pudore subtraxeram, misisse me necessariis litteras, quibus amici de tutoris fraudibus instruantur. Et puto, si fors inceptum juvet, decernendum aliquid quo frangatur obnoxius. Quod vero iter ad proxima urbi prædia distulistis, quanquam vestri cupientissimus, improbare non possum. Allegatis enim piam causam morarum, atque ideo desiderio meo necessitatem religiosæ affectionis antefero : haud scio an morantibus vobis aliqua invitatio nos potius in Campaniam possit educere. Sed hoc relinquatur eventui. Nos interim mutua desideria scriptione foveamus. Solatiis enim leniendus est animus, quoties protelantur optata. Valete.

EPIST. VII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Taburnius evocatum me non siluit ; et fortasse mirentini, nihil super ea re meis paginis indicatum. Sed quia multis ac necessariis causis domi manere decreveram, inanis esse operæ judicavi, irrita ad vos, et dissimulata perferre. Credo autem sanctæ unanimitati vestræ incomperta non esse, quæ me a peregrinandi consilio retraxerunt. Nam et fractam valetudinem meam nostis, et unici mei solitudinem contemplamini, et eruptiones fluminum usque ad metum diluvii comperistis. Pontium quoque ruinas, et montium labes apud vos, ut arbitror, fama non tacuit. Ex quo factum est, ut cæteri quoque veniam postularent, quos similis accitus exciverat, præter Arcentium et Evangelium : quorum alterum vigor adolescentiæ, alterum incautus animus objecit incertis. Intelligo vos profectione hominis non amici posse terreri. Sed ut scrupulum hunc rejiciatis admoneo. Nam et meis litteris multa curata sunt ; et proficiscentibus datum negotium est, ut æmuli obtrectatio repellatur. Quare curarum vacui agite otium, neque ut facere dignamini, scriptorum assiduitate refovete. Valete.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Redditæ sunt nobis litteræ vestræ, cum in Ostiensi die septimo degeremus. Et illico per illustrem virum vicarium petitu meo actorum processit editio. Sed puer vester, inconsultis atque ignorantibus nobis, urbe discessit, ut est servis familiaris improbitas. Vestra in manu est, utrum hoc inultum patiamini. Interea filiam meam jactari instaurato languore non siluit. Cujus nuntii vulnus alte insedit pectori meo, nec abolebitur metus, nisi mutua scriptione fidem sanitatis ejus accepero. Facite igitur, oro vos, ut formidinem meam securitas protinus reportata commutet. Valete.

EPIST. IX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Frater meus Censorinus de confinio Baianorum prætoriorum conquestionem tentat iterare, quam didicit inter me et actores filii mei Pompeiani dudum esse finitam. Adhibiti namque inspectatores, muro, qui inter ædes a summo monte descendit, dividi loca nostra dixerunt : quorum judicium novus possessor credit posse rescindi. Quæso igitur adhibito Felice amico nostro, et Castore, veri arbiter esse digneris, ut sanctitate tua coram locata inanis attentatio comprimatur. Dehinc cum fratri meo Censorino satisfecerit præteritæ judicationis assertio, tunc operi ejus et molitionibus novis decem tantum pedum ultra ædificia sua permittatur adjectio : ita ut partium fines, et placito comprehensus assensus, et constructio interjecta discriminet. Valete.

Digitized by Google

EPIST. X.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Rogatos nos esse audio ad officium consulare. Mihi quiescere et domi manere sententia est, post anni superioris laborem. Ipse quid statuas, altius cogita, et sapienter expende. Præsumo autem, vos, qui dicuntur acciti auctoritate præcelsi virí, edecimates esse, et his unanimitatem tuam consulto esse sociatam; ut ad agendas gratias sub occasione officii consularis excurras. Verendum autem est, ne si excusandum putaveris, proximi rescripti impetratione videaris offensus. Et fortasse, quantum de incertis sperare fas est, error iste, cum feliciter affueris, corrigetur. Hispanum non comperi rogatum esse. Considera igitur eventum utriusque partis. Ego denuo nuntiabo, si quid super hoc novæ cognitionis accesserit. Valete.

EPIST. XI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Multa mihi ad vos scribenti pauca responoes, et moleste fero mandatorum nostrorum calere principia usque ad solitudinem meam; mox autem per silentium frigere processus. Fortasse quæratis, quid etiam nunc referri innocentiam meam postulem. Capuanæ domus pretium scripseram cum venditore decisum. Nihil de ejus confirmatione rescribitis. Samniticæ possessionis reformatio et vindicta mandata est. Tantum vacuatos dotibus agros sero docuistis. Adhuc tamen nescio, quid exhibitio injuncta profecerit, cujus me exspectatio rus ire non patitur. Vereor enim, ne, quod sæpe factum est, clandestina aliquid tentet obreptio. Quare aut instruite, quid supersit negotiis explicandis; aut si res in vado sint, viam mihi usurpandæ secessionis aperite. Cum fratre meo Censorino non moleste fero sub quolibet dispendio nostro de littoralibus spatiis judicatum. Restat ut interjectu muri prætoria dividantur, ne cessante indicio judicationis, rursus vicinæ angustiæ in alios sese terminos nitantur extendere. Valete.

EPIST. XII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Amici litteris delectatus sum, quarum me lectorem esse voluisti, et velim credas, nihil eum de usurpandi animi remissione mentitum. Mihi vir illustris judex prætorianus, ob collationem senatus et alia remedia Urbis, Augustæ denuntiavit offensas; contristatus, ut asserit, curione, quod præfectus urbi Iudorum imperialium die, cum a senatu caro nobis præsentibus posceretur, oblationem communem populo publicavit. Hæc omnia ad destruendam promissorum suorum gloriam composita suspicatur, et in me solum, quia hoc referentibus placet, vertit invidiam. Respondi, ut potui dignitate servata, ejus calori. Et quantum legati Orientales asserunt quibus ipse scriptorum meorum fecit indicium, cunctis responsa nostra placuerunt. Sed ne ratione et auctoritate victus sileret, molliores postea litteras misit, parem querimoniam continentes. Horum tibi omnium tradetur exemplar, ut noveris quibus fluctibus perstrepamur. In negotio autem sanctæ unanimitatis vestræ quod præceptio iterata commovit, consilio rahendæ solutionis utendum est; et pars, quæ ad germanum tuum pertinet, subjicienda auctioni: ut hujusmodi injuria factum juvenis exaggeret, aut expleat voluntatem. Sed scire desidero, quæ potissimum prædia ad jus sancti fratris tui pro parte pertineant: ne per ignorantiam, juris tui corpora apparitionis error attrectet. Fratrem vestrum Romæ tantisper teneho, quoniam subsidia annonæ in dies viginti oblatio prorogavit. Moleste igitur filia mea ferre non debet, si jumenta itineri ejus deputata tardavero. Cætera Cumazon filius meus, vel quærentibus vobis, vel sponte narrabit. De legatione mittenda ob angustias frumentariæ rei, usque ad reditum viri excellentissimi comitis tractatus publicus differetur. Consilium sanctitatis tuæ salubre mihi visum est. Itaque datis ad homines meos litteris, statim jussi ex re nostra Apula ad Campaniam frumenta deferri. Valete.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Assiduitas epistolarum superiorum scribenda consumpsit. Sola nunc superest salutationis religiosa generalitas. Et sane, si qua suppeterent paginis persequenda, commeanti rectius crederentur. Nunc enim stylo indulgendum est, cum recipiendis mandatis proficiscentium persona non sufficit. Nunc si quid scitu dignum putabitis, sine nostri sermonis excursu plenius a commeante discetis. Valete.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Dubitare vos video, an Rufini pœnam secuta sit etiam publicatio facultatum. Fides præsto est imperialibus signata præceptis. Et tamen prædonis annosi merita pendentibus non fuit ambigendum, quod spolia orbis desiderat ærarium. Atque utinam tanto gaudio non obstreperet defectus annonæ, quam nulla producit novæ frugis accessio. Præterea ipsius cibi qualitas gignit horrorem, corrumpit valetudinem corporum, graviorque est hominibus talis alimonia, quam pœna jejunii. Solatur inter hæc populum spes frumenti a patribus oblati, et religiosa optimatium voluntas tenet concordiam civitatis. Nunc votis opus est, ut divina opitulatio invehat commeatus, dum salus civium privata collatione producitur. Valete.

EPIST. XV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIO.

In eas angustias communis patriæ fortuna deducta est, ut extrema vitanda sint. Itaque fratrem vestrum continuo ad vos opto dimittere, cui Basternarios mox præbere dignamini: festinatio ejus jumentorum adminiculis juvetur. Cæterum filiam meam vexari itinere, sicuti ante scripseram, non oportet. Quoniam post incommodum grave, valetudo ejus otio et quiete refovenda est. Valete.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Prævidi quem metum meæ ægritudinis vobis fama posset incutere: quæ cum soleat supra verum de absentibus loqui, magnitudinem periculi mei ne

Digitized by Google

fando quidem videtur æquasse. Itaque ubi primum formare litteras per valetudinem licuit, non distuli lenire apud vos stylo, quæ vulgata crediderat. Et quamvis modificandæ sollicitudini vestræ prior sermo sufficeret; ad ædem tamen securitatis attestatio secunda proficiet. Interea de ordinando reditu facite noverim quid consilii cœperitis. Fateor enim molliorem me esse affectione post discrimen salutis, nec ulterius posse suadere, ut desiderio meo vestrum otium præferatis. Valete.

EPIST. XVII

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Amicitia animis, non annis æstimatur. Rudis igitur tibi eorum non videatur affectus, quorum in te cultus annosus est. Hoc eo spectat, ut noveris Auxentium et Marianum, filios meos, pudentissimos juvenes, inter laudatores tuos primore loco censeri; atque ideo non cognoscendos novo aditu, sed amoris fœdere et religione recolendos. Nunc illis proficiscendi attulit causam medicorum coactu impetrata curatio. Nam Stabias ire desiderant, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant. Sed majorem judicant in tuo congressu esse medicinam. Tibi igitur assignabitur eorum sanitas, si remediis herbarum salubrium fomenta benignitatis adjeceris. Valete.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Castori nostro ad Campaniam revertenti, largiora mandata de domesticis rebus quam scripta commisimus. Plura igitur auribus quam lectione noscetis. Horum pleraque ad statum pertinent patriæ; quam defectu alimentorum graviter laborantem periculosum est inhabitare, impium et crudele deserere. Valete.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Germano Taburnio, cui me auxilio esse voluistis, etiam salutis dubius adfuissem, si eorum præsentiam fors dedisset, quos ex usu ejus oportuit conveniri. Satisfaciat igitur unanimitati vestræ animus meus, etiamsi voti efficaciam negavit eventus. Ipse adhuc invalidus, sed jam præfata Dei venia convalescenti securus hæc scribo; tantoque magis assurgo viribus, quanto mihi celeriorem sanctitatis vestræ reditum spes vicina promittit. Valete.

EPIST. XX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Dudum sanitatem filiæ meæ integratam esse rescripseras. Mox sequentibus litteris sollicitudini nostræ recidivum aculeum subdidisti. Conflictor igitur nuntio recentiore, quia magis adversa creduntur. Exspecto anxie, ut si quid boni dies attulit, indicetis. In eo autem quod vos discessus noster excitat, habitum mentis meæ agnosco: sed adhuc desideriis mutuis præstat suadere præstantiam, quam pœnitendum aliquid per imbecillitatem affectionis ordiri. Mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis, et necessarium reditum dividendæ inter vos communionis causa præstabit. Valete.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Fratris mei Entrecii spectabilis viri liberos impatientia paterni amoris acciverat, quibus properandi causas inopia urbis adjecit. Atque ideo recursum sine justi temporis exspectatione moliti sunt. Quapropter dum navigatio intractabilis est, in oris Campaniæ paulisper hærebunt. Sed ne peregrinationis amara sustineant, humanitas vestra præstabit. Quare vicem meam suscipe: ut qui nunc a nobis necessitate divulsi sunt, animum se meum in te reperisse lætentur. Valete.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Dura commotio est, quam gignit injuria: sed mollire debet dolorem medicina patientiæ. Nec deest vobis usus adversa tolerandi. Nam crebro ictum fortunæ ferre didicistis. Quod si in secundis rebus ageretis, jure insolitis malis felicitas læderetur. Hæc eo scribo, ut miratum me scias, quod constantiam tuam lis privata mutaverit, quam sub affinium nomine (ut opinio mea est) Baiani littoris persultator animavit. Sed illi aliud mercedis erit. Causæ autem vestræ propugnaculum judiciale non defuit. Impetratum quippe est ab altero cognitorum, ne impune sit, quod designavit apparitor: ab altero ut hæreditas tua præstetur. Ipsum quoque dominum quæstionis, cum se ab agro receperit, admonebo, ut aut desistat incœpto, aut sibi graviora esse referenda noverit. Hæc de rebus domesticis satis dicta sint. Patriæ vero nostræ inter cætera frumentariæ penuriæ mala, legationis ambitus nequiorem facem subdidit. Nam principio Posthumianum et Pinianum duobus aulæ summatibus junxit electio, sub ea expressione judicii, ut in ipsis solis plena esse legatio diceretur. Interjectis diebus, cum mandata ordinis tractatus expenderet, Paulinum illis studia privata junxerunt. Hinc orta certatio usque ad nefarias pugnas me absente processit. Pudet dicere, quæ in se optimates senatus crimina et maledicta projecerint. Sed dirimendas partium quæstiones meo dicuntur doluisse judicio. Fors viderit, qui finis causam publicam maneat. Interim senatus fama laceratur, et infortunatis etiam crimen accessit. Si in manus meas venerint monumenta gestorum, legendo noscetis, quæ verborum meorum verecundia noluit explicare. Valete.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Debui litteris abstinere, spectabili viro filio meo Decio commeante, qui religioni vestræ plura narrabit, quam posset paginarum textus amplecti. Sed jucunditatem, quam tribuet fraterna præsentia, stylo augere non piguit. Idcirco unanimitati vestræ honorem salutationis impertio, ut adventus mei exspectatio oris munere mitigetur. Valete.

Digitized by Google

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Sapricius, vir ornatus ac mihi familiaris, diligentiam sanctæ unanimitatis tuæ sine adstipulatore meruisset. Sed quia primi aditus sermo commendat incognitos, facilitatem sibi promerendæ familiaritatis tuæ per me optavit aperiri. Dignum est igitur, ut cupidissimum tui obvio amore suscipias, et amicitiam postulatam non in longi usus tentamenta procrastines, sed statim parili voluntate desiderio adventantis occurras. Valete.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Zenodotus filius meus nondum te consuetudine propiore cognovit, sed fama conciliante jam suscipit. Nam cum propere Lucanos ac Brutios petat honore cogente, nihilominus in conspectum tuum flexo itinere gestit excurrere. Hunc in amicitiam tuam tanquam mystagogus induco, atque in me recipio dignum esse, quem diligas. Si quid igitur parentis testimonio tribuis, adultam mox apud te religionem primus aditus adventantis inveniat; eamque continuo experiatur facilitatem tui pectoris, quam scit nunquam delatam esse novitati. Valete.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Diu mecum ipse contendi, ut ad vos pignus commune dimitterem, sed vicit affectio, maxime assurgente specula proficientium conditorum. Nam viginti dies urbis alimoniis parca interim promittit expensio. Præterea amplissimi ordinis secunda collatio accessurum securitati aliquid pollicetur. Nihilominus etiam carnis oblatio animos Romanæ plebis erexit. Redire igitur ad vos jumenta præcepi, agens gratias quod necessitatem fratris vestri congruis adminiculis juveritis. Legatorum adhuc vacillat electio. Nam Postumiano et Piniano, quos a principio mandati sui senatus agnoverat, tertius Paulinus asseritur, et divisis in studia partibus adhuc differtur utilitas; cum terminum confirmationis acceperit, plena cognitio deferetur. Valete.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Uberius scribendum est, si commendentur incogniti. Justini autem gravissimi atque honestissimi viri antiqua nobiscum familiaritas conciliationis adminiculum non requirit. Satis est igitur, si ei amorem solitum deferatis. Quæ vero ad nos pertinent, et proxime unanimitati vestræ litteris indicata sunt, nunc ore ipsius pandentur. Valete.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Si quid homini tutum est, in spem vitæ redisse me nuntio post internorum dolorem, qui me vobis repente subtraxerat. Si quid igitur vobis asperum famæ licentia nuntiavit, antiquet oblivio. Præcipue autem impetratum volo, ne improvida sollicitudine recurratis. Sed quia res vertit ad salutem, justis itineris dimensionibus communi desiderio satisfacere dignemini. Valete.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Dicendæ vobis salutis occasio, et quærenda est mihi sæpe si desit, et amplectenda, si præsto sit; eo maxime tempore, quo de filiæ meæ sanitate sollicitor, cujus valetudinem credo etiam jejuniis sauciatam. Absolvite igitur metum nostrum nuntio prosperorum. Mihi etiam nunc gressus infirmus est. Sed si optata de vobis mutuus sermo pertulerit, protinus corpusculi querela sedabitur. Non omiserim jungere paginæ, quod Martinianum conventio judicialis expulerit; cui tantus terror incussus est ob omissam diu ad Gallias profectionem, ut ei necesse fuerit prævenire itinere privato exhibitionis injuriam. De Atellano quid fieri velimus, amico interveniente quæsivit auditor. Respondi, post judicium sacerdotis solam me exspectare vindictam conflatæ nuper invidiæ. Nihilominus in arbitrium tuum statuenda rejeci. Quæso igitur, ut inter feriarum moras, quid facto opus sit, digneris aperire; simulque cogites contra interventum tot antistitum, quid possit magis, quam quid debeat impetrari. Neque enim justitiæ et innocentiæ deferri plurimum potest, cum illis reverentia religionis opponitur. Valete.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Postquam dimisimus puerum, multus rumor increbuit, sanctitatem tuam sacris litteris evocandam: ita ut etiam nomen Gratiani cujusdam, qui hujusmodi scripta perlaturus asseritur, in publico ore versetur. Hoc etsi adhuc mihi incertum videtur, tacendum tamen non credidi. Erit summæ divinitatis statuere circa vos, confirmare ordinem prosperorum. Valete.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Vir clarissimus Principius, genere et probitate conspicuus, commendationem non requirit alienam, cum tui quoque in se amoris atque judicii testimonio glorietur. Cujus bona latius explicarem, nisi esset operæ redundantis cunctis nota replicare. Hoc unum adjecisse sufficiet, quidquid illi honorificentiæ tribueris, ad omnes bonos, qui eum diligunt, pervenire. Valete.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

In suburbano dego secessu. Nam et urbanarum tædet molestiarum, et villæ autumno commodæ jucunda instauratione delector. Præterea frequentiam mihi, quæ sola Romæ honorabilis judicatur, amicorum præstat adventus. Sed non mediocriter nepticulæ meæ Gallæ infirmitas conturbat otii nostri securitatem; de qua ut mature votiva et commoda nuntietis, opitulatio divina præstabit. Tibi autem, domina filia, quantum in dies singulos refectionis accedat, quæso curæ habeas indicare. Erit hoc testimonium religiosi in me animi tui; si et consulue-

Digitized by Google

ris sanitati, et in notitiam meam placitura pertuleris. Valete.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Si qua adhuc de Sicilia speramus, incerta sunt. Nam cum litteræ Eusebii nuntiaverint, dudum circi et scenæ artifices navigasse, etiam nunc de adventu eorum rumor in operto est : atque ideo apparitorem placuit postulari, qui peragratis ubique littoribus explorata in aures nostras reportet. Crevit autem cura ludorum, postquam frequentibus studiis relationem de amphitheatro promerendo populus postulavit, qui mox judicis impetravit assensum. Dei nutus efficiet, ut super hoc etiam divini principis concordet auctoritas. Valete.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Frater vester diu animi affectus dolore ob amissum magistrum, cœpit aurem præbere solantibus, cujus mœstitudo me quoque graviter sauciavit, præter cogitationem, quæ nos de eligendo præceptore sollicitat. Si igitur placet communibus litteris ab illustri viro Adriano Gallum rhetorem, quem proxime Eusebius non ingesserat, postulemus, ne pignorum nostrorum indoles in profectu posita deseratur. Me futuræ editionis, et labor, et sumptus exercet. In disponendis enim præmiis, quanquam numero vestium satis affluam, nonnulla adhuc deesse apparatui deprehendo. Valete.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Quandiu jactata rumoribus temere differuntur curarum vacuus otiare. Si quid auditu dignum fideque subnixum recentior sermo pervexerit, neque nuntiandi, neque suadendi partibus abstinebo. Unum hoc ante rei necessitatem de meo sume consilio, nulla ratione te posse evocationis honorificentiam deprecari. De fratre autem vestro præter mandatum nihil etiam nunc opinionis accepimus. Ipsi hæc de nuptiis Ostiensibus, ad quas, nos viri illustris Sallustii filius junior evocavit, contulimus in paginam. Sed continuo ob ludorum præparationem Roma repetenda est. Diu enim mihi ista curanda sunt : quæ facile, si adesset sanctitas vestra, communis diligentia posset absolvere. Valete.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Cum ab agente in rebus sacræ litteræ mihi redderentur, quibus ad officium præcelsi viri consulis evocamur; vidi alias æque ad tuum nomen emissas, quibus te honorificentia imperialis accivit. Consulis quoque scripta idem agens exhibuit. Suadeo igitur mature iter instruas, cui non cohærebit Hispanus. Aliud quoque accessit, quod te possit hortari. Nam vir illustris frater meus Neoterius, domini fratris mei admirator, ad eamdem causam rogatus, solatia tibi et adjumenta præstabit. Nolo igitur ambigas, cum scias auctoritate præcelsi viri electas amicorum esse personas, tibique hæc prima, post dubia fortunæ, A divini principis alloquia deferri. In negotio autem tuo, quæ per me agi volueras apud sanctum tribunum, non invitus ingredior. Interea ad Formianum littus iter promove, et cum ad te delatæ litteræ fuerint, Romam citius excurras. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Dictionem salutis antefero, quæ et voto meo supra omnia convenit, et litterario debetur exordio. Dehinc diligentiæ tuæ, domina filia, natalitium fratris tui commendo convivium. Homo enim noster allegat fuga nautarum littora destituta. Quæ res compulit, ut sanctitati tuæ facta minora committam. De publicis scribenda non suppetunt; absque eo, quod in Trajani platea ruina unius insulæ pressit habitantes : quod B adeo ad fortunam vehiculi publici plebeia vertit invidia, ut jam privato rectore utatur. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Amicus noster Severus molestia publica liberatus, in patriæ otium revertit, quem mox apud fratrem vestrum vicarium spectabilem virum, et sanctitatis tuæ pagina, et veteris inter eos amicitiæ juvit agnitio. Mea circa prætorios apparatus cura crebrescit. Quod eo scribo, ut intelligat unanimitas vestra adminiculi sui societatem desiderari. Nec sum imperiosus exactor, ut qui sciam, necessitates meas post vestrum commodum collocandas. Sed, si bene æstimo, satisfacient vobis ad refectionem præsentis mensis inducíæ. Paucis habitum propriæ voluntatis exposui : quid C facto opus sit, vestro relinquo judicio : ut sit vobis laudabilius, mihi gratius, quod spontaneus affectus elegerit. Valete.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Miror pueros, quos diversis diebus ad sanctitatem vestram misimus, retardari; nec tamen usum scriptionis omittimus, scire cupientes, quantum refectio profecerit. Incunctanter igitur exspectationi nostræ satisfaciat recursus alloquii. Valete.

EPIST. XL.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Prima mihi voluptas est sciscitari, quem statum sanitatis habeatis ; in secundis reliqua collocabo, quæ dudum requirenda duxistis. Gravibus civitas D sollicitatur ostentis, quorum leviora prætereo. Illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod natali Urbis suffectum consulem currus quo vehebatur, evolvit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, et consulari insignis ornatu, fracto crure sublatus est. Offendit me infausta narratio, atque ideo in hac expositione servabo brevitatem. Tibi in dies singulos, decus nostrum, domi forisque fama florentior est. Et præsentium quidem rerum nos testes sumus. Externa judicia Cæcilianus asseruit, a quo sigillatim relata enumerare fastidium est, cum in summa gloriæ tuæ cuncta conveniant. Dominam filiam meam salutatam cum dulcissimis nepotibus volo, quæ te contexendis in apparatum ludo-

Digitized by Google

rum vestibus religiose a nobis voluit commoneri. Sciet igitur ex subditis, quid in supplementum prætoriæ largitatis oporteat præparari. Valete.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Male est animo, postquam filiam meam comperi consueto dolore vexari; et iter ad vos inchoare voluissem, nisi et me gravelo capitis, et Symmachum nostrum febris inopina retineret: cujus corporales querelas præstat silere, ne sanctitatis vestræ sollicitudo geminetur. Et certe frater meus Comazon, desiderio vestro urbe digressus, cumulatius quæ tacemus expediet. Postulare non debeo, quod sponte facietis, ut curarum nostrarum magnitudinem scriptis lætioribus comprimatis. Valete.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Eusebii nuper litteras sumpsi, quibus aurigas nostros et aliquos scenicos navi impositos, et secundum præceptum meum missos ad Campaniam nuntiavit. Jubeat igitur sanctitas vestra diligentissimos scrutatores usque Salernitanum littus accedere, ut susceptos Neapolin prosequantur, vel aliquod de adventu eorum scrutentur indicium. Felicem quoque communem amicum nronitum volo, si Campaniam feliciter venerint, annonis et sumptibus adjuventur, continua ad nos navigatione mittendi. Quia longe ante ludos, et ipsos jungendis equis erudire debemus, et novitati eorum favorem plebis allicere. Summa igitur petitionis meæ hæc est, ut ad homines vestros inquisitio eorum, et perfectio celerata pertineat.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Crocodilos theatrali spectaculo publicatos in præsentiam vestram servare tentavimus: sed perseverante inedia, quæ illos per dies quinquaginta producta macerabat; secundis ludis congressionum more confecti sunt. Duos etiam nunc spirantes in vestrum differemus adventum, licet eos cibi abstinentia longum vivere posse non spondeat. Valete.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Redundantis est operæ memorem commonere. Sed suscepta amicorum negotia nequaquam nos modum servare patiuntur. Quare ut amici communis Herculi V. C. votiva mandata acriter exsequaris, orare non desino. Faciat autem cum studio sanctæ unanimitatis tuæ assensio propinquorum: siquidem filius meus Valentinus asseruit se quoque consultum litteris Juliani, eadem quæ volumus de nuptiarum pactione suasisse. Valete.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Postquam te jactatam comperi dolore consueto, omnis reliquarum sollicitudinum mearum sensus evanuit. Nam, ut ait Hippocrates: Præsentia hebetantur incommoda, si cui dolor major accesserit. Exspecto igitur, ut accepto de te indicio lætiore, in priores curas revertar. Cætera in hac consternatione animi mei tanquam intempestiva prætereo, et tamen commonitorium junxi, quod velim redacta in tranquillum sanitate consideres. Valete.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Nullas quidem nobis per hominem nostrum litteras detulistis. Sed mihi silentium unanimitatis vestræ nequaquam licuit æmulari, vel quod ita sollicitudo, quam de me non frustra geritis, postulabat, vel quod me in officia scriptionis amor verus impellit. Gratum vobis fuisse factum meum rescripti vicissitudo testabitur. Valete.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Urbis negotia nec vacat scire, nec libet scribere: animus enim meus morbo corporis occupatus, rebus alienis curam nescit intendere. Unum hoc scio de seditionibus nuntios esse mentitos; atque adeo a vero dissentire rumores, ut nunquam majori plausu præfectura celebrata sit. Itaque studia plebis in judicem favor quoque ordinis æmulatur. Hæc ad nos, si qua dolorum intercapedo admittit officia visentium, pari omnium sermone perveniunt. Cætera hominum vestrorum, qui versantur in publico, stylus debet aperire. De me tunc aliena quærenda sunt, cum propria adversa requieverint. Valete.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Natalitio munere, quod frequentari a vobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum, vestrum probastis. De quo me prolixe scribere verecundia vestra non patitur. Copiosior tamen in sensibus manet gratia, quam sermone proferatur. Quæ ad urbem pertinent, indiculi cohærentis lectione noscetis. Tibi vero, domina filia, eadem religione qua dignum est, injungo curam juvandæ valetudinis: ut omnibus nobis sanitatis tuæ securitas voluptati sit. Valete.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Homine vestro ad Campaniam revertente scribenda consumpsi; et tamen sanctum atque honorabilem virum parentem vestrum Severum nolui abire vacuum litterarum mearum: ut et morem salutationis exsequerer, et de opere, quod domi construis, judicium meæ inspectionis aperirem. Thermarum et situs et amplitudo admodum placuit. In minoribus balneis piscinalem picturis potius quam musivo excoli non probavi. Res admonet, ut profectum Messalam nocte ea quam consecutæ sunt nonæ Martiæ noveritis. Legati cæteri mox sequentur. Adverti tamen ex quorumdam colloquio, in gratiam domus, de qua plerique nostrates viri edulibus farciuntur, quædam esse lenita. Sed mea cura non deerit, ne quid mandatis senatus per conniventiam detrahatur. Valete.

EPIST. L.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Scribere non recuso: sed malui domino filio meo Sibidio narranda coram per otium reservare. Sola

Digitized by Google

igitur salutatione fungetur hæc pagina, cujus brevitas et vestro honori satisfaciet, nec illi referenda decerpet. Valete.

EPIST. LI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Prioribus litteris comperistis, quæ nunc respondere potuissem. Rediisse non pœnitet. Nam et salutis compotes sumus; et per diligentiam magistrorum fratris vestri profectus adolescit, hoc tantum mordet animum, quod longo a vobis itinere discernimur. Sed scriptorum vices frequens usus exerceat : sarciemus inter nos præsentiæ voluptatem. Valete.

EPIST. LII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Adventus domini et principis nostri denuo postulandus est. Theodorus enim vir illustris, Mediolanensium legatione suscepta, eniti dicitur, ut senatus petitionibus provinciale desiderium præferatur. Præfectus urbis huic negotio sanctitatem tuam optat adhiberi, quem puto super hoc litteras ad vos esse missurum. Hortor igitur, ut scripto ejus evocatus digneris accurrere ante senatum, qui idibus Juniis erit. Ipso enim die legatos arbitror eligendos. Multa sunt domus vestræ negotia, quæ a te coram sub occasione causæ publicæ terminentur. Præterea votiva legatio est, quæ apud aures evocandorum amabilis futura credatur. Quæso ne differas, ut reconciliationem præteritæ gratiæ consequaris. Valete.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Maximum veterem amicum, sed novum agentem in rebus, accipite inter tirones cum canitie militantem. Ab hoc procontanda discetis : atque ideo mihi fugienda est prolixæ epistolæ gratia. Absque adventus vestri petitione, quem frequenter exambio, et si desiderium vestri sineret, jam silere deberem, quia verecundiam creant inefficaciter postulata. Sed amor in vos meus prope impudentiam suadet frequenter elusus. Vereor autem, ne ideo vestrum reditum promiseritis, ne nostrum ad vos prohiberetis excursum. Valete.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Salutem vobis precamur, cujus indicium, puero revertente, optamus accipere. Mea valetudo caret interim doloribus, sed indiget firmitate, maxime accedentibus curis, quas proxime facta a senatu auxit oblatio. Ire longius piget, cum hæc quoque securis animo ingessisse pœniteat. Valete.

EPIST. LV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Heri per hominem meum scripsi metu percitus, postquam de valetudine filiæ meæ amara cognitu nuntiastis, et adhuc pendente responso crucior incertis. Peto igitur edoceri quid ei ad confirmationem sanitatis accesserit. Rerum vero præsentium nullum vobis indicium facere decreveram, ne in aures vestras redirent, quæ probabili discessione vitastis. Sed quia civicus amor in negotia urbana curam vestram reduxit; quædam collata in titulos breviter percurri, ut sine fastidio lectionis insinuata noscatis. Valete.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Credo nunc saltim priores domini mei Præfecti litteras tibi redditas : quæ si casu aliquo aut negligentia portitoris elapsæ sunt, en tibi aliam subtilissimi viri paginam, cui me hunc sermonem jussit adjungere; ut quid sententiæ tibi sit de suscipiendo negotio, cui te optat adhiberi, bis consultus expedias. Puto enim vos in meliorem valetudinem revertisse, postquam mihi fecistis indicium, quod reversioni vestræ morbus obstaret. Et nos quidem malumus, ut integrato statu sanitatis reditum spondeatis, sed si corpusculi querelæ votum morantur, evidentibus scriptis exspectationem consulentis absolvite. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Superioribus diebus et meæ circa vos observantiæ, et vestræ exspectationi multo epistolarum numero satisfeci. Hæc vero pagina copiam non requirit, cum hoc tantum benevolentiæ vestræ pro captu consilii mei suadeam, ut ad præfectum prætorio Siciliensis causæ vestræ actio transferatur; si tamen aliquid vobis experiendum data oblatio reservabit. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Postquam pignus nostrum Sibidius Romam rediit, nuntius fuit, quantus filiam meam vexet corporis dolor; meus quoque animus ægrescit. Itaque litteras nihil moratus emisi, anxie petens; primo modica ope et abstinentia noxiorum ad sanitatem juventur: dehinc rescripti fides abolendæ sollicitudini meæ consulat. Ipsi post legatorum profectionem rus Vaticanum, quod vestro prædio cohæret, accessimus; et, si nihil disposita conturbet; in Apriles kalendas villæ otio defruemur. Juniorum delectus urbanis familiis imperatus, usque ad æterni principis responsa pendebit. De conjunctis exemplaribus formam præcepti utriusque noscetis. Hæc quia tuis litteris desiderata sunt, misi. Cæterum mera atque unica mihi causa dictandæ epistolæ fuit, ut ad nos super filiæ meæ valetudine certa et amica voto referantur. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Anteriores litteræ tuæ, quas mox aliæ consecutæ sunt, spem mihi aliquatenus reditus tui fecerant : secundæ promissa vacuarunt. Ita ut post multas causas negationis meo consilio sequenda committeres. Sed ego cogitans, primo filiæ meæ conturbatam valetudinem, quæ spoliari solatio tuo non potest : dehinc stomachi tui imbecillitatem, quam esse imparem scribis itineri promovendo : tum consilium amici paterni otium præferentis : dehinc exspectationem illustris viri, quem diu existimans abfuturum : præterea interpretationes hominum, qui te, ut ais, opi-

Digitized by Google

nantur munus publicum recepisse in occasionem negotiorum tuorum : permissam mihi deliberationem vobis refundo. Iniquum est enim tot oppositis quæstionibus obnoxiam fieri sententiam meam, et fidem suadentis incertis futurorum casibus obligari. Interea constituendæ rei dies existimo prorogandos, et epistolam tuam tantisper reddere magistratui temperavi. Primo, quia reverentia nuda est : dehinc quia causas negationis infra devotionis magnitudinem prætulit; et quod nossem pluribus legenda, quæ scripseras. Volo igitur, ut reverentia cumulatiore, et gravioribus querelis excusationem tuam munias, si voluntas manserit laboris et itineris deprecandi. Valete.

EPIST. LX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Prisca observantia hunc scribendi ordinem fecit, ut domo profecti officium litterarii muneris auspicentur. Sed longum visum est operiri unanimitatis tuæ litteras, quarum nos arguimus tarditatem. Atque ideo mutato usu in hoc munus erupimus. Superest ut libens rependas, quæ inchoare debueras, et provocare exerceas stylum indicem tuæ sanitatis. Ipsi in Arabiana dominæ filiæ meæ exspectamus adventum : licet te etiam decus nostrum solemnium dierum ratio confestim spondeat adfuturum. Valete.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Felix materia est suadere otium. Sed hæc exhortatio animum sui juris requirit. Nos neque residere patitur liventium factio, nec filii juvenis institutio longum peregrinari. Quare ut possumus, modo abscessu, modo reditu, variamus locorum distinctionem. Testimonio est hæc epistola, suburbano agro nuper emissa, quam de Corano nostro, si nihil disposita turbaverit, alia consequetur. Vestrum est hujusmodi absentiæ nostræ conditionem litteris frequentibus augere, si placet; juvare, si displicet. Valete.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Legati ordinis nostri ex usu actis omnibus reverterunt. Nam et tironum conquievit indictio, et argenti nobis facta gratia est. Super impetratis tamen adhuc speratur oratio. Nunc domestica et animo vestro amica jungemus. Stat nobiscum valetudinis bonum. Sæpe urbanam commorationem proximo rure distinguimus. Sola nos vestri absentia macerat. Sed si in conspectum nostrum propere veneritis; nos quoque recursum vestrum in Campaniam cum voluptate comitabimur. Valete.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Per hominem meum litteras dederam. Continuo adfuit Maximus, qui alias postularet : quare salutationem geminare non piguit. Præterea exegit recens nuntius super adventu domini et principis nostri, ut vos de reditu commonerem, quem maturare debetis, ne moram vestram votiva legatio jam nunc ex usu publico iteranda, prævertat. Valete.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Purgatorio medicamento alvum vacuasse te scripseras, ut fervor oculorum cum cætero onere decederet. Scire postulo, an prædicta curatio efficax fuerit, nec subegerit causa etiam sanguinis emissione venas juvari. Par requirit affectio, quantam vobis fidem faciat filiæ meæ sanitas, ut his ex voto cognitis sollicitudinum acuta deponam. Nam mihi ob alia quoque ægre est turbas patriæ cogitanti, quas præcipue movent in usum militarem petita servitia. Et nos quidem crebris precibus obnitimur, et diem ducimus supplicando; jamque ad pretium argenti quinque librarum misera oblatione perventum est. Sed vereor, ne nos alterius rei fuga utroque despoliet. Præfectus agendo negotio segnior visus, Lampadio successore mutatus est, cujus moribus crediderunt impossibilia promoveri. Nunc peto, ut me anxium majore cura, quæ vos respicit, elevetis. Nam adhuc discrucior incerto per moram servuli, qui dudum ad vos ob eadem noscenda missus, necdum revertit. Valete.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Scribenda non desunt, sed horret animus loqui dura memoratu. Video tamen famam rerum urbanarum nequaquam posse cohiberi, quæ, ut fieri amat, in majus præsentia nuntiabit. Id ne accidat, Breviario addito noscenda discrevimus : ut neque litteræ, quæ vobis salutationem ferunt, de sollicitis amaritudinem trahant, et nihilominus rumorum licentiam fides scriptionis excludat. Sed de his hactenus. Filiæ meæ valetudo gravior mihi cæteris est, quibus nunc animus asperatur. Exspecto igitur ut illi, Deo juvante, ad salutem esse omnia nuntietis. De qua si voto apta comperero, pars ista solatii curarum quoque mearum reliqua mitigabit. Valete.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Paucis a patria diebus abfuimus, et theatralibus ludis reditum nostrum suffragia civium poposcerunt. Nos tamen etiam nunc suburbanum viæ Ostiensis incolimus, recursum tantisper morantes, ne preces exspectasse videamur. Quod si facere ex sententia religionis tuæ antea voluissem, et vitassem periculosa, quæ post secuta sunt, et exspectatio mei plus dignitatis habuisset. Sed una fuit hujus consilii ratio, ne quibusdam loco pulsus viderer, et verecunda discessio verteret in notam timiditatis. De Siculo negotio vestro sanctus Comazon me quoque assentiente rescripsit. Circa rem nostram Siculam turbidum esse Nectarium indicio erunt litteræ, quas nuper Euscius misit. Peto ergo, ut homo rerum nescius, qui cubiculo clausus otium fovet, scripto a vobis coerceatur, ne post de Euscio aliter sentiat, si validius justo nostra defenderit. Ipsam hominis nostri epistolam misi, ut tentamenti insolentiam de ejus moribus æstimetis,

Digitized by Google

quem certum est a nobis nolle reprehendi. Petieram superioribus scriptis ut Puteolani prætorii mei latus, quo itur ad balneas, dispositione clivi mollioris ornares. Si dilata res est, peto rursus, facias : si impleta, rescribe, quo gaudeam. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Verum est, nequire hominem cuncta pariter voto amica sortiri. Quanto luculentius natalem mihi diem, si adfuissetis, egissem? quod in reliquum saltim numerosis annorum processibus fors orata præstabit. Interea, domina filia, honoratum me optimo lanificii tui monumento satis gaudeo. Una quippe et amor in parentem tuum, et industria matronalis inclaruit. Sic priscæ feminæ vitam coluisse traduntur. Et illas quidem deliciarum sterile sæculum colo, et telis animum jubebat intendere : quia illecebra cessante temporum vivitur. Tibi vero, et Baiæ appositæ curam sobrii operis detrahere non possunt. Renuntias stagna verrentibus, et residens aut obambulans inter penea et foragines puellarum, quas solas arbitrarie sexus tui delicias. Merito igitur te amo, dignamque viro tuo judico : quando nobis æque laus et voluptas ex illius perfectione adventitia, et ex tua probitate genuina est. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Quamquam sperem, præfata Dei venia, mox in conspectum mutuum nos esse venturos : tamen litteris abstinere non debui, ne quod tempus familiaribus careret officiis. Sume igitur prælibatam salutationem, quam tibi boni auspicii gratia adhuc stylo impendimus, sed voce proxime deferemus. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Eleganti commento silentium vestrum purgare voluistis. Allegata est enim cautela tristium nuntiorum, quamdiu secunda succederent : ut ea, quæ intermissio scriptionis ante cetaverat, lætioribus indiciis proderentur. Sed nobis et illa per nuntios incognita non fuerunt, et hæc sera admodum visa sunt. Augebat enim rumorum licentiam suspicio cessantis officii. Et tamen succensere non possumus, postquam gratia præsentium litterarum memoriam præteriti doloris exemit. Modo memento curam styli inter præcipua et prima sortiri; ne hujus exempli recordatio majores denuo metus afferat, dum credimus sub exspectatione meliorum rursus aliqua adversa reticeri. Valete.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Diu ab stylo fateor temperasse. Nihil enim quod scriberemus, emersit. Salutis autem vestræ lætam fidem de adventantium sermone capiebam. Tandem cessationem vicit affectio. Reparamus igitur morem dicendæ salutis, vacui omnium negotiorum. Post Tyburtem quippe secessionem Romæ otia lenta producimus. Sed non usquequaque agendarum rerum sumus desides. Nam domi corruptorum parietum discidia sarciuntur : quia festinationem soliditati conditor primus ante tulit, et antiquior ei visa est celeritas utendi, quam securitas succedentium. Vos nova et ævum mansura molimini : siquidem sermo distulit quædam vos Jucullanis operibus æquanda fecisse. Nec tamen vobis impendii magnitudine cesserimus. Par enim sumptus est, semel solida collocare et sæpe integrare cadentia. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Indulgete deliciis, quando ita terræ ac maris copiis redundatis, ut vobis pollucibilem victum utriusque elementi ministret opulentia. Nos, satis est, quod omnium, quæ capitis, parte defruimur adeo largiter, ut ipsi quoque opimis dapibus affluamus. Valete.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Patriæ ac penatibus redditi, quædam quibus offenderemur inveniimus : siquidem Ostiense prædium nostrum frequens pulsat impressio. Sed si vobis prospere optata procedunt, præstate litteras, quarum lætitia tergent nubem præsentis injuriæ. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Renum dolore discrucior. Sed ne major ad vestras aures fama perveniat, præsentem statum valetudinis breviter indicavi. Cum læta successerint, morem meum secutus, dabo ad vos paginam lætiorem. Valete.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Non frustra hactenus responsa distulimus. Tractatus enim negotii et chartarum investigatio moram justi temporis exigebant. Hæc ubi absoluta sunt, cæteris, quæ causæ poscit instructio, reciprocum litterarum munus adjecimus. Ipsi enim multis obstantibus curis, iter ad vos nequimus arripere. Consilium tamen, quod transactioni vestræ possemus adhibere, cumulatius ex alio parente capietis. Qui etsi adjutore non indiget, dignabitur tamen ob inania fori, et sutelas veterum formularum, sanctum Prosdocium præstolari : venturum ad vos protinus, cum reliquias malæ valetudinis plena sanitate limaverit. Vale.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Fuit animus Fundos præterire, si vos Formias accessisse didicissem. Postquam aliter evenit, partiri iter placuit ad minuendum laborem. Erit igitur in arbitrio Fortunæ tatum facere, ut ad quintum calendas Augustas Formiana sede recreemur. Hæc est animi nostri destinatio; nunc in cœlestium manu est effectus optati. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Nullus absque epistolis meis dies labitur. Quid si affatum mutuum redderetis? Nec tamen pœnitet diligentiæ, quamvis honor vicissitudinis negligatur. Nam quæ ex more fiunt, etiam gratuita delectant. Ego ad sanitatem lento adhuc gradu provehor : at-

Digitized by Google

que ideo itineris ulterioris ambiguus usque ad profectum deliberationem sequestro. Quid ipsi de reditu aut suburbana commoratione statueritis, avet animus edoceri. Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Anteveni inquisitionem, cum vos sollicitos fore, quod essem morbo attentatus, adverterem. Et quamvis ultro scripserim doleris mei adversa tenuari : abolendæ tamen sollicitudinis causa (quæ apud amantes semper incredula est) nunc quoque nuntio, si dictum nullus fortunæ livor effascinet, in concordiam mecum sanitatem redire. Sed nondum sensum meum penetrat amœnitas littoralis. Nam ut ex longa maris jactatione stabilis gressus sero reparatur : sic tempore opus est, ut tanti mali decessio locum faciat voluptati. Ergo neque Formianæ oræ, neque ædificationis meæ tantisper ullam capio dulcedinem. Sed hæc, ut spero, omnia eam bono valetudinis revertentur, moxque ad lætum vestri animi stylo meo communicata pervenient. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Cum mihi fuer vester unam epistolam reddidisset : ut rescriberem protinus, tanquam mox rediturus ad vos incubui. Sed ut didici, ipse ad ulteriora contendens, miserici locus est techna, quo pagnam nostram comes ejus Rusticus deportaret. Hic alteram nunc regressus accepit. Ridere vos arbitror, quod ego servili circumscriptus stropha, pro sorte simplici duplum solverim. Nam callidus vernula, quod semel perdidit, bis recepit. Pergerem longius, si adjicienda suppeterent. Vos in propinquo urbis, celebriore fama rerum agitis, et pari otio. Vestrum est procul positos ditare comperti. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Ævum maneat hic dies, qui te nobis, filia, dedit. Hunc ego et gaudiis mentis, et verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum opto celebrare, adjicere etiam mihi ingravata, tibi jucunda munuscula. Ut nunc limam misi ; cujus potest oblatio exigua non videri, si magis mei in vos animi, quam sui pretii æstimatione pendatur. Vale.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Natalem dominæ filiæ meæ, quem per annorum recursus optamus esse numerosum, vobiscum agere et participare voluissem, nisi proposito restitisset imbrium continuatio. Fungimur tamen religioso honore jucundi munusculi : petentes, ut susceptionis benignitate oblationis exilitas augeatur. Vale.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS NICOMACHI FILIIS.

Omnes ad nos natalitii convivii copias transtulistis. Sed unum defuit, quominus ad nostrum animum redundaret plena festivitas : quod non vobiscum potius cuncta consumpsimus : quorum contuitus atque convictus commendare nonnunquam solet etiam parca convivia. Quare et vobis, et communi pignori, cujus solemnem diem sedula religione celebrastis, uberes precamur annos, recursum in hæc eadem festa numerosum. Decet enim pios parentes inoffensa felicitas. Nobis Tyburis aura blanditur ; sed contra exasperat animum male gesta ratio villicorum. Neque ager cultura nitet, et fructuum pars magna debetur, nihilque jam colonis superest facultatum, quod aut rationi opituletur, aut cultui. Vale.

LIBER SEPTIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS SYMMACHO FILIO.

unc placet paterni sermonis auspicium, et deinceps officii parilis in nos esto munificus. Simul accipe, quod voto tuo congruit, fasces præturæ tuæ, in eum annum feliciter proferendos, cui advocata numinum voluntate, ego quoque lætus intersim. Optato igitur lætare processu, et propagatos tibi annos vitæ atque honoris interpretare : longiora enim fiunt, quæ differuntur. Nec dubites utrique nostrum prospexisse fortunam ; ut et tuus magistratus juvetur præsentia patris, et festorum tuorum voluptate coram defruar. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS FILIO.

Ubi primum scribendi mihi ad vos copiam familiaris ingessit occasio, non distuli desiderium tui scriptione testari : ut salutis meæ certus tuam cures, et subinde absentiam meam litteraria voluptate soleris. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS FILIO

Secundas ad amabilitatem tuam litteras mitto, ut sit assiduitas mei sermonis utrique solatio. Tu quoque studium meum, quoties dominus et frater tuus occasiones repererit, æmulare : et salus tua mihi securitatem tribuat, et scriptorum jucunditas voluptatem. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS FILIO.

Circensium solemnitati consularis magnificentia satisfecit. Ludorum adhuc et muneris splendidissimæ imminent functiones ; quibus ante Februarias nonas, ut opinamur, impletis, iter ad nostra relegemus. Hæc eo scribo, ut lætitia amabilitatis tuæ spe meliore pascatur. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS FILIO.

Credo alias litteras meas in manus amabilitatis tuæ ante venturas. Hujus namque epistolæ portitores

Digitized by Google

lento itinere mulos reduces prosequentur. Ego tamen salutationis munere abstinere non potui : malui enim redundare officium sero perfectum, quam desideraretur omissum. Tuæ amabilitatis necdum ullam epistolam sumpsi, quæso ut hujus tibi muneris summa curatio sit. Ex tuo enim metiri animo potes, quid levaminis absentibus tribuat assiduitas scriptionis. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS FILIO.

Desideratas proxime amabilitatis tuæ litteras sumpsi, quibus indicabatur et sedulitas animi tui, et profectus ingenii. Sola epistolæ brevitas nequaquam paterno desiderio satisfecit. Quod eo scribo, ut intelligas, quantum ex sermone tuo ceperim voluptatis, qui queror copiam defuisse. Quis enim optet satietatem, nisi rerum bonarum? Posthac igitur indulgentius scribe, lux mea, ut pleniore styli tui munere legentis animus expleatur.

EPIST. VII.

SYMMACHUS FILIO.

Accessit peregrinationi nostræ largior dies ex comperendinatione ludorum, quos pluviarum interventus retardant. Sed volo, ut hanc dilationem salutis meæ certus leniter feras, et desiderium tui, quod apud me crescit ex mora, styli assiduitate soleris. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS FILIO.

Confido, solando animo tuo styli mei assiduitatem posse sufficere. Nam recentibus scriptis hunc addo sermonem, cujus lectio tibi spem reditus mei pollicebitur, si fors præsumpta confirmet. Ratio autem hujus æstimationis in aperto est : quia post magnificam ludorum consularium functionem sola adhuc arenæ restat editio. Mutetur igitur animus in gaudium, et adeptum esse te crede, quod possibilis conjectura promittit. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS FILIO.

Scintillare acuminibus atque sententiis epistolas tuas gaudeo : decet enim loqui exsultantius juvenilem calorem. Sed volo, ut in aliis materiis aculeis orationis utaris : huic autem generi scriptionis maturum aliquid et comicum misceas : quod tibi et rhetorem tuum credo præcipere. Nam ut in vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur : ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quamdam debet imitari, in forensibus vero quatere arma facundiæ. Sed de his non ibo longius. Perge interim, quo te ætatis impetus, et naturæ ardor impellit. Mei voti caput est, bene valeas, et supra annos tuos litterarum dote ditescas. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS FILIO.

Amico nostro Annio cursim prætereunti potui solam dictionem salutis injungere; sed debuit tibi sanitatis meæ fidem facere lectio litterarum. Esto igitur animo lætiore : et spera, decus meum, frequentibus scriptis in notitiam tuam similiter ventura, quæ gaudeas. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS FILIO.

Assurgit animus meus, quoties amabilitatis tuæ sermo defertur. Nam et sanitatis tuæ apportat fidem, et profectum ostendit ingenii. Hortor igitur, ut me hujusmodi linguæ flosculis frequenter aspergas. Nec ullam cessationem tibi vindices, dum æstimas, me brevi adfuturum. Planiora enim fient, et faciliora omnia ad recurrendum, si paginis tuis revertentis animus incitetur. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS FILIO.

Magnum in modum sollicitavit me inæqualitatis tuæ nuntius, licet securitas sanitatis iisdem litteris esset adjuncta. Quare animi incertus appropero, orans divina præsidia, ut te compotem bonæ valetudinis, et epistola mea, et recursus inveniat. Hæc enim voti paterni impetratio faciet, ut rediisse delectet. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS FILIO.

Iter meum famæ varietas retardavit. Nam dum exploro tua, et longitudinem viæ dierum interpositione distinguo, tandem sextum cal. Martias Mediolanum per Ticeni longinqua perveni. Nunc laborem meum domini et principis nostri blandus sermo solatus est. Spero etiam legationem brevi in notitiam divini principis perferendam : siquidem vir cuncta præcelsus, cui primas partes causæ publicæ noster ordo mandavit mox cum præsidiis validissimis adfore nuntiatur. Vestro silentio vehementer offendor : atque ideo peto, ut peregrinationis meæ patientiam crebro juvetis affatu. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS FILIO.

Cum veredarii deesset occasio, privato homini reddenda scripta commisi. Hunc ad vos arbitror sero venturum. Utriusque litteris eadem continentur, quod sextum cal. Martias Mediolanum multo anfractu circumvectus intraverim, veneratusque dominum et principem nostrum, cujus sermo itineris mei laborem compensavit. In præsentiam viri cuncta præcelsi comitis agenda produco ; quem mox, Deo juvante, adfore nuntiorum confirmat assertio. Nunc tuæ curæ sit, decus nostrum, peregrinationis meæ curas styli assiduitate solari. Vale.

EPIST. XV.

SYMMACHUS FILIO.

Amicitiæ nostræ contemplatio spem mihi adventus tui fecerat. Prope est ut errasse me credam, qui te speravi in conspectum parentis sponte venturum. Quando igitur sine ambitu nostro recte facere nescis, oratus appropera. Et si te superbum Tybur explevit, Laurentibus sylvis amœna commuta ; nec verearis ruris horridi denuntiationem. In oculis est venantibus mare : celebri itinere villa præstringitur. In ipsa itur ferarum, cubilia, plano ac patulo accessu. Etsi hæc abessent, anteiret nimirum sermo inter nos mu-

Digitized by Google

tuus, et litterarum liberalis collatio, Tarentinas aut Siculas voluptates. Quare si tu quoque huic sententiæ manum porrigis, adde te rusticantium numero; et paulisper Catones atque Atilios æmulare, quos vomis et stiva ad consulares misit secures. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS ATTALO.

Vicem sermonis mei desiderasse te gaudeo: sed amolior invidiam negligentiæ. Parata enim responsa deseruit tabellarius tuus, excitus, ut fando comperi, valetudinis tuæ dubio. Agnoscis nempe infucatas esse, nec ex alto trahi cessationis meæ causas. Non ibo longius, quia brevis est assertio veritatis. Nunc sanitatem tibi gratulor, qua post nimium metum cognita, multum gaudii in pectore meo diluxit. Indicium autem respirantis vigoris tuarum litterarum jucunditas prætulit. Petis namque ad confirmandam valetudinem styli mei remedia subministrem. Festivitas ista Baiana est. Nimiis salibus te sinus Lucrinus infecit. Estne aliquid in verbis meis, quod aures tuas sospitet? quod medicinam sensibus faciat? Credo, consentio. Nam plerumque amara hausta ad salutem valent, et succis tristibus affecta refoventur. Sed nimium quantum avarus es, qui Flaviano meo præsente quidquam requiris; in quo tanta rerum bonarum delinimenta sunt, ut mihi quasi apud sirenas aut Lotophagos hæsisse videaris. Atque utinam vestro otio jungerer. Plus de vobis carperem salubritatis, quam tu desideras, qui a me solas litteras poposcisti. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS ATTALO.

Næ ego frustra hactenus tacui, dum te promissi certus opperior. Tandem redeundum mihi est ad consueta solatia, meliorum desperatione. Et fortasse succenses diuturno silentio meo. Id vero etiam reliquum est, ut irritus spei cunctationis arcessar. Est igitur tui juris super ordiendo itinere stare promissis. Me contentum styli levamine non pigebit. Hoc certe officiorum commercio, aut solabor, quod non venis, aut merebor, quod venias. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS ATTALO.

Proxime de Formiano sinu regressus in larem Cœlium, domo jam diu te abesse comperi. Datum mox negotium est Theophilo communi amico et nunc itineris mei socio, ut et ad te in Tyburem agrum reditus mei nuntius pergeret, et salutationis verba deferret. Hunc tu, ut es curiosus rerum mearum, quasi aliqua tibi in nos decreto publico inquisitio esset tributa, versando palam facere coegisti, quæ foris gesseram. Nam hoc confessæ sunt litteræ tuæ, quas idem vir optimus Theophilus reportavit. Fuerit benignitatis tuæ actuum meorum fastigia et capita disquirere; utrum crebra vectatio campi ac maris valetudinem meam juverit; an ullus agris nostris cultus, ædibus nitor, pecori numerus accesserit; quid affluxerit ediliium copiarum; utrum consularem mensam succinxerit modus voluntarius; aut unquam Formias vicina urbe, longinquiore mutaverim. Etiamne explorare te fas fuit, quid procul ab arbitris studiorum meorum cura contulerit in paginas? Utrumne me operatum ceris, stantes plerumque oculi et palloris signa detexerint? Exploratorem te stylus meus patitur. Doces amicos suspicionum vias, et si dici potest, odore atque vestigiis scripta nostra venaris? Nunc ego scire postulo, quid in Tyburtibus pomariis litterarum operis exerceas. Solum hoc fama attulit; balneum tibi nuper exstructum, cui torris unus ad justi caloris pabulum satisfacere narratur. Lectitasse autem te in multo otio utriusque linguæ auctores, ipse index fuisti. Ego tamen non quæro an aliquid etiam scripseris. Animadverto enim te gloria conscientiæ proprii operis accensum, voluisse cognoscere, an ego quoque idem fecerim. Sed jam omissis epistolis velim redeas: nisi forte tui balnei brevis sumptus hortatur, ne deseras parcimoniæ consuetudinem. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS ATTALO.

Duo pariter commissa in amicitiam redemisti. Diu epistolæ tuæ salibus abfueras, nihil scripseras: quis Colchus aut Thessalus cantu aut manu has offensiones levasset? Ergo ob epistolæ delinimentum veniæ pretium feres. Sino ut amici tui nuptiale festum curæ vacuus exerceas, et urbem Tyburtem, quæ nuper tibi faces prætulit, communem Junoni et Herculi facias. Reverteris, ut spero, post repotia in Cœlium larem. Vel si adhuc juvat æstivos dies in pomariis tuis ducere; iterum tibi indignatio mea litterarum tuarum melle placanda est. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS ATTALO.

Villa Tyburis, quæ proxime in jus tuum venit, majoris ingenii prædicatorem requirit. Ego tamen linguæ modicus, ut potero, verbis honorem loco faciam. Quid hic in positu ædium venustatis est! quis situs! quantus ex edito late in plana jactatus oculorum! Frequentare has sedes Orchomenias dixerim deas, atque eas sedulo adnisas, ut te conciliarent ædibus suis dominum. Perge igitur ut facis, et victis ævo redde novitatem. Multo hoc factu promptius, quam quod Hesiodum ferunt posito senio in virides annos rediisse. Interea gratulare nobis bonam valetudinem; quæ ut tibi quoque longum secundet, inter fastigia est votorum meorum. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS ATTALO.

Postquam mihi litteras tuas rhedarius meus reddidit, et salutatio ex itinere portata observantiam nostram solvit religione; datus est mihi aditus, crebro dum aberis, tecum loquendi. Quare ab his ordior, quæ in voto tuo prima sunt. Deum pace, mea atque unici tui sanitas viget. Urbanas turbas Vaticano, in quantum licet, rure declino. Et tamen, si quando in cœtum vocamur, ad obsequium concilii publici pedem refero. Scio te nihil amplius de nobis velle.

Digitized by Google

Tantumdem pernoscere rerum tuarum desiderii motus postulat. Vale.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS ATTALO.

Longa me deliberatio habuit, an tibi honorem facere sub justa reditus vestri exspectatione deberem. Verebar enim, ne festinatio tua solatiis obviis frangeretur. Sed hoc ambiguum solvit ratio contraria, quæ spem dedit, has litteras revertenti stimulorum, non frenorum instar futuras. Et consulto affecto brevitatem, solam tibi præferens dictionem salutis : ut verborum meorum exiguus haustus efficacior sit ad sollicitandam sitim, quam explendam. Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS ATTALO.

Requirunt me, credo, oculi tui : mens adesse non dubitet. Mecum enim diligentia tui peregrinatur, totumque animi affectione circumfero. Nihilominus exerceo stylo amicitiæ voluptatem. Quod si tu quoque invicem feceris, eveniet ut longum fruar otii possessione; quia non negabis quod me possit abducere. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS ATTALO.

Ad Neapolitanam provectus oram, litteras sumpsi, quibus nos in adventum tuum Baiis residere jussisti. Asserebat perlator epistolæ imminere exercitum tuum calcibus suis. Quid facerem, cum me nec locus idem teneret? Expeditius visum est ut a te potius gratiam continuandi ad vos itineris posceremus. Amicos enim, non Baias desiderasti; nisi forte illo luxuriæ sinu traheris. Comitabimur te, si eo redire malueris : quamvis regionis istius cœlum salubrius et pares copiæ sint. Erit optio tua, intendere iter, an relegere debeamus. Ad defensionem meam pertinet, eo redeuntem te sequi, ubi adventantem exspectare non potui. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS ATTALO.

Si respondisses epistolæ meæ, levasses onere conscientiam tuam : nunc nostram taciturnitate juvisti. Repensa enim officia lætitiam mihi præstant, negata victoriam. Et scio ex abundanti posse facere, quod nos multo sudore destringitis. Sed quia invides bona verba lectoribus; ne vim facere existimer avaritiæ tuæ, dispendium meum devoro. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS MACEDONIO.

Audeo te in agrum Lavinatum meum post Tyburtes rogare delicias : nec sum religiosi desiderii longus precator. Ea quippe inter amicos petitionum debet esse conditio, ut præstantibus prona videantur, quæ sunt magna poscentibus. Vale.

EPIST. XXVII.

YMMACHUS MACEDONIO.

Soles affirmare, quod me tibi præferas. Posset hoc esse credibile, si filium meum Attalum ad nos venire patereris. In tuo enim jure est, tuis monitis acquiescit. Quod quidem fieri oportere consentio; sed non eatenus, ut pontificium tuum in damna nostra protendas. Parumne est, quod ipse æque desiderandus consortium meum deseris, et invides nobis exoptatissimam societatem? Insuper alterum quoque delenificis amoris artibus retines; credo conjiciens acceleraturum esse me reditum, si utroque destituar. At ego denuntio opus esse monitore, qui retrahat hærentem. Nam, ut scis, amo otium, pascor quiete. Instruo itaque te adversum lentitudinem meam : si absentis amici jam desideras reditum, patere brevem præsentis excursum. Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS MACEDONIO.

Licet gravissimis febribus impedirer, non potui denegare tibi honorificentiam litterarum, ne religionis negligens judicarer. Nec tamen in multam seriem propagare litteras valui : quarum brevitas inculpabilis est, cum ex injuria valetudinis, non ex voluntate descendat. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS MACEDONIO.

Neque fratris nostri V. C. Procliani profectio passa est ut silerem, neque nostra sivit affectio, ut officiis temperarem. Cape igitur debitum munus alloquii, et ut me facias promptiorem, impertiendæ salutationis operam frequenter usurpa. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS ATTICO.

Est quidem mihi ruris otium voluptati : sed antiquiorem judico tui voluntatem : quare officiis consularibus, si fors dictum juvet, spectator et conviva non deero. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS ATTICO

Retrahere nos e Campaniæ gremio Tyburtis agri laudibus studes. Est ille, ut prædicas, in tuo rure densus cupressis, et fontium largus, et montano situ frigidus. Essent hæc mihi desideranda, si te mora uberiore tenuissent. Nunc properato in urbem reditu, nescio quam mihi fastiditi loci suspicionem dedisti. Habent enim sæpe voluptates satietatem. Quod si ita est, satisfactum Formiis puto, quibus renuntiaveras; cum tibi etiam prælata displiceant. Vale

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS ATTICO.

Relegere iter et in conspectum vestrum tandem redire meditamur, licet filii nostri virium vacui sint, et me febrium noxa tentaverit; minuetur tamen labor intervallis brevibus mansionum. Spero locorum mutatione processurum aliquid optatis. Curam in me diligentiæ tuæ usu probatam crescere in dies gaudeo : cui impense verbis gratias agerem, si id laudis potius affectatione, quam sincera pietate faceres. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS ATTICO

Proxime indicium salutis meæ prætuli; nec dum quod invicem de prosperis tuis legerem, reddidisti.

Digitized by Google

Non piget tamen ante solutionem religiosum fenus iterare. Tanta est enim securitas animi in nos tui, ut repensum putem quidquid ab amante debetur. Vale. A

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS ATTICO.

Salutationis honorificentiam prælocutus, Getulici agentis in rebus exsequor postulatum, qui a te justum favorem per me optat adipisci. Humanitatis tuæ est amplecti probabilem voluntatem, numerumque eorum, qui te jure suspiciunt, adjectione novi cultoris augere. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS DECIO.

Animum meum Campani littoris commemoratione sollicitas: sed nobis quoque in Prænestino rure de gentibus non minus voluptatum suppetit. Sint licet plures hominum sententiæ, quæ maritimis montana postponant: ego tamen vitandis æstibus magis judico nemorosa, quam cultu aperta congruere. Adjeceras ad irritamentum profectionis nostræ, filium meum Flavianum brevi tecum futurum. Hujus ego præsentia jam diu defruor. Ex quo intelligis sortem meam multo esse potiorem. Nam et comparationem loci utriusque in ambiguo collocavi, et societatem pignoris mei, qua maxime gloriabare, in fructum meum transtuli. Ergo tu potius remetiri ad nos viam mutata conditione deberes ad satietatem, quam tibi attulit copiarum longus usus. Nam Campania, ut est absentibus desiderabilis, ita facile explet morantes. Sed de hoc non ibo longius, ne illi regioni, quæ nobis acceptissima est, denuntiare, si venero, fastidium meum videar. Vale. B C

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS DECIO.

Nondum Neapolitanum litus accessimus, visuri arcem deliciarum tuarum. Sed tamen omnia, quæ Tyrrhenus alluit, nominis tui plena sunt. Quid multa? successisti in famam Luculli; quo magis miror, ad alia te nonnunquam posse transire: nisi forte fastidio fugis copias, et mutatione castigas satietatem. Sed nimium hactenus abfuisti. Puto jam parcimoniæ diuturnitate conciliatum tibi desiderium copiarum. Quin ergo ad nos gradum promoves? aut si libenter illic nostræ immoraris frugalitati, redeundum nobis propere est, quos non decet alienas affectare delicias. Vale. D

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS DECIO.

Voluptati mihi est, quod vales. Sed quod Formiis nostris Neapolitana ora præfertur, animadverto tui non esse judicii. Jo gratiam quippe præsentium non sententiam, sed verba mutasti: nisi forte rerum tuarum collatio facit, illud tibi esse jucundius, ubi fructus uberior. Sed natura regionum suis meritis, non nostris quæstibus æstimanda est. Et quid de hoc multa? Testabitur commoratio tua, an ibi libentius otieris: cum in dubium non veniat, quod a me invitus abscesseris. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS DECIO.

Jocari mihi visus es, cum te scriberes obvia militum arma timuisse. Credo ne tuum iter in Campaniæ longinqua sequeremur. Nam si ipse diu versatus in castris, nonnihil timoris expertus es; ego togæ assuetus, quid amaritudinis incidissem? Sed non patior, ut tibi ad moram prosit æmulata trepidatio. Caret Appia tota militibus, transvectis omnibus, qui pacato Africæ statu in obsequium divini principis reverterunt. Quid, quod etiam patria in rebus angustis, vel opem bonorum, vel societatem requirit? Neque etiam præsentiam nostram sola prospera ejus exspectant. Laudabilioris officii est, participare dubia cum civibus. Sed jam spes melior urbis mœstæ vultum serenat, et alimonia interim proviso fulta subsidio, frugis Libycæ stipulatur adventum. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS DECIO.

Plerumque fors disposita conturbat: quod nunc mihi usu venit, qui Etruscos vapores salubritatis causa adire non potui, retentus subitis et tumultuariis. Nulla igitur tibi per me indicitur mora: quinimo et hortor, et postulo, ut festinato itinere Romam revisas, reddasque nobis jucunditatem præsentiæ tuæ, qua defrui in suburbanis non contigit. Vale.

EPIST. XL.

SYMMACHUS DECIO.

Jam dudum curis publicis absolutus relegere iter potius, quam auspiciis litterarum lenire amicorum desideria debuisti. Nam si valetudo ex sententia suppetit; quid causæ dicam, quod diutius in Campania demoraris? An ut nos amantissimos tui defraudes bonis, quæ in te solemus amplecti? Quinimo urbis, nostrique reminiscere, et dum opportunitas æstatis invitat, iter festinus usurpa, ut longa absentiæ tuæ damna tandem optato reditu sarciantur. Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS DECIO.

Quo abiit promissorum fides? Speranti recursum tuum litteraria levamenta tribuisti. Potuit jucunda nobis hujus muneris esse perceptio, si nihil grandius spopondisses. An veritus es deliciarum tuarum consularem virum testem? nihil egit hæc cautio. Oculis subtracta miracula, auribus deprehendo. Nam ut quisque nostra offenditur parcimonia, te abesse suspirat. Itaque in contumeliam convivii mei palam desideraris. Sciet hæc Senatus, audiet populus. Neque enim possum aliter ulcisci absentiæ tuæ justum dolorem. Vale.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS DECIO

Abrumpenda juste cessatio est, et in affatus mutuos cura tendenda, ne veteris inter nos amicitiæ memoriam scribendi neglectus attenuet. Quod ut libentius dehinc facias, a me sume principium. En tibi litteras salutationem ferentes, quas sensibus tuis

Digitized by Google

voluptati esse testabitur officii æmulatio. Quod si etiam portitori fructum patrocinii tui sermo iste quæsiverit; præcedentis silentii accusabo dispendia. Constabit enim, pluribus me potuisse consulere, si te alloqui ante cœpissem. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS DECIO.

Cum ruri agerem, libertate cœli gressum reformans, cujus me usus post dolorem moratur; familiarissimus meus ordiendo itineri paratus fecit ad scribendum sui copiam. Illico amicam studio meo amplexus communionem, scripta non distuli : quæ et inter nos augerent commercium religionis, et commeanti primum apud te notitiæ limen aperirent. Si probabiles hujus epistolæ causas putas, mihi sermonis tui gratia, illi amoris fructus eveniat. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS DECIO.

Remuneror mihi dictam a te salutem, quamvis diebus proximis ultro amicitiam styli opere frequentaverim : quæ commemoratio non exprobrat officia. Hujus enim diligentiæ voluptate animus meus pascitur. Est igitur tua optio, an in me velis sæpe litterarum esse munificus, quod quidem maxime cupio. Sed si quando nobis fructus iste defuerit; eadem mihi gaudia tecum loquendi sermo noster præstabit. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS DECIO.

Una hæc via est qua maxime civibus ac familiaribus meis prosim, si eos in clientelam tuam, quasi mystagogus inducam. Quod nunc pro Gaudentio facio, viro generis senatorii : cujus modestiam, si propius inspexeris, repereris claris natalibus parem. Igitur in obsequia tua incunctanter receptus, ante plenam sui fiduciam, quam mox illi morum præstabit inspectio, intelligat de se testimonio meo creditum. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS DECIO.

Singularis animi tui bonitas sæpe vocat ad justas petitiones fiduciam meam. Non est igitur commendationum familiarium verenda reprehensio, cum ipse ad hoc me studium voti benignitate sollicites. Spes ergo certa est, gratas tibi fore litteras quibus ornatissimum virum Desiderium veterem amicum meum prosequor. Domestica huic causa rumpendi otii admovit necessitatem. Eam facile jacturam dissimulare potuisset, si admitteret magnum animum angusta fortuna. Ex ipso latius audies, quidquid epistolæ brevitas recusat absolvere. Mihi satis est, pro eo in universum rogare. Suscipe, oro, benefaciendi provinciam, quæ hominum merita Deo applicat, clarioresque fructus ex hujus commodo cape. Mihi enim videntur beneficia plus conferre præstanti. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS DECIO.

Nec abstinere litteris possum proficiscente ad vos domino et filio meo Flaviano, quem prosequi hoc viatico debeo, nec aliquid adjungere : quia tua erga eum diligentia non recipit augmentum. Volo igitur noveris, non esse fastidii, quod quam minimum de eo scribimus, sed securitatis de tua mente præsumptæ. Talis jugiter in eum esse dignare, qualem te vetus amicitia pollicetur : cui adjicit tui honoris gradus, ut quæ pro eo velle debes, posse non neges. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS DECIO.

Favore tuo factum est, ut evectionum adminicula sumeremus, quibus familiares mei empturi equas Curules ad Hispaniam commearent. Quæso igitur in rem missos mox transire præcipias; quod longo tempore opus est, ut de singulis provinciis optimos quosque excerpat electio, et morosior cautela perducat. Præterea tibi validius obligabor, si duobus aliis veredis eorumdem iter juveris : dividentur enim singuli, ut ex diversis provinciis edeciment lectiores. Erit tui beneficii, post illustrem et præcellentissimum virum comitem, quidquid domui nostræ prætoria filii mei editio splendoris adjecerit. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS DECIO.

Certissimus contra omnes procellas animi tui portus est; ideo ad te sororis meæ filius spei certus accurrit. Negotii autem genus de humanitate sæculi exspectat auxilium, cujus qualitas virtutibus tuis precum lectione pandetur. Ergo prolixus esse non debeo enarrator injuriæ, cum seriem desideril fides supplicationis exponat. Has autem solas partes mihi injungit affectio, ut pro conjuge pignoris mei, cujus paupertati gravis paratur ruina, suffragium tui favoris exambiam. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS DECIO.

Gaudii de te mei nec ipse ostentator esse per verecundiam possum, nec testem alterum cito. Sufficit enim, quod amorem meum de tua mente metiris. Debeo tamen lætitiam confiteri, quæ præfecturæ habenas ad bonam transtulit voluntatem. Interea non minore abundo lætitia, quod domini et filii mei Flaviani prolixus in judicando labor optata quiete perfrui meruit. Neque enim te differri diu ab hoc præmio par fuit, neque illum ab otio retardari. Hoc eo scribo, ut noveris nos pro tuo honore agere æterno principi gratias, et te idem facere pro illius securitate debere. Interea quæso, ut in epistolis frequentandis morem tuum teneas, nec privatis officiis actus publicos obstare causeris. Nam multijugis necessitatibus par fuisti : nullumque experientiæ genus est, cujus magnitudo vel novitas te possit a negotiis amicitiæ debitis avocare. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS DECIO.

Habeant fortassis aliæ commendationes meæ interpretationem benignitatis : ista judicii est. Trado enim sancto pectori tuo fratrem meum Severum,

Digitized by Google

episcopum omnium sectarum attestatione laudabilem : de quo plura me dicere, et desperatio æquandi meriti, et ipsius pudor non sinit. Præterea testis, non laudatoris partes recepi; tibi reservans morum ejus inspectionem. Quem cum penitus expenderis, reperies me cessisse potius ejus laudibus, quam per negligentiam defuisse. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS DECIO.

Quid tibi pro tanta in me meosque cura dignum rependam? Officia tua revera æquare non possum : spondeo tamen, nunquam me cultu mentis et affectione cessurum. Nec ambigo etiam te pro benefactis solam boni animi mercedem exspectare. Sed in hac contestatione gratiæ morari me longius pudor tuus non sinit : deberi enim judicas amicitiæ nostræ quidquid ego credo præstari. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS DECIO.

Parva est commendatio scriptorum meorum, cum Eusebium familiarem vita innocens, et annosa militia bonis quibusque conciliet. Suo igitur præditus merito, testimonium pro te meum, non ambitum postulavit. Et tamen abstinere non debeo tali genere litterarum, magis ut fidei satisfaciam, quam ut labantem gratificatione sustentem. Hæc igitur petitionis meæ summa est, ut in præclaro pectore tuo formam circa se voluntatis meæ inveniat. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS DECIO.

Ut es solers omnium rerum, scis quantum legatio sollicitudinis habeat, quantum peregrinatio difficultatis circumferat. Hæc domino et filio meo Attalo senatus desideriis prosequenti, amor tuus levia et tuta præstabit. Suscipe igitur partes benignitatis et petitioni meæ debitas, et tuo ingenio congruentes. Satis Attalo videbitur, quisquis erit eventus officii, curam pro se meruisse potioris. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS DECIO.

Sæpe nos, ut condecet, litteris muneraris. Obsolescere enim quadam silentii rubigine animorum fœdus existimas. Facias officium germanis studiis animisque convenientes. Pro qua re vicem tibi sermonis referre non distuli. Cujus ea solutio est, ut me affectui tuo etiam nunc sentiam debitorem. Omnia enim facili vicissitudine, et compensatione redduntur. Contractus vero amicitiæ et religionis æternus est. Vale, et ad scribendum diligens esse persevera. Nos litterarum solatia suggeremus, quibus aut animum mulceas occupatus, aut vicem referas otiosus. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS DECIO.

Tua vetus humanitas nos hortatur opem poscentibus non negare. Pro Theodulo autem scribendi mihi ad te causa propensior est, cum sit colonus agrorum meorum, atque illi debita magis, quam precaria cura præsletur. Serva igitur consuetudinem tuam, et precibus meis, ut mos tuus promittit, inflectere : ut quidquid culpæ aut erroris incurrit, contra illius meritum meo digneris interventu relaxare. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS DECIO.

Et virtutis et propositi tui est, bonos quosque suscipere : inter quos Alexander contemplatione honestatis jure censetur. Hunc et in adjumentum sui, et amoris in te mei gratia, familiaribus litteris prosecutus, impendio deprecor, ut illi favorem congruum tribuas, mihi vicissitudinem sermonis exsolvas. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS DECIO.

Duas orationculas meas nuper editas, ad illustres viros, virtutum et litterarum sacerdotio præditos, Felicem et Minervium misi. Harum etiam te, ut amantem mei, si mediocribus ingeniis non offenderis, opto esse lectorem. Ipsi voluminis copiam facient. Ita enim studiose famam meam nutriunt, ut suffragia bonorum mihi nesciant invidere. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS DECIO.

Sacras mihi litteras Julius agens in rebus exhibuit, leopardorum munificentiam continentes. Idem tuam desideratam nobis paginam simul tradidit. Principe igitur loco salutationis tibi solvo reverentiam. Dehinc postulo, ut pro me gratias agas votivæ largitatis auctori : quæ jucundior erit, si ei commendationem prosecutio opportuna præstiterit : et quod verecundia mea vix implere potuisset, oris tui affabilitas exsequatur. Spero enim ex mensura affectionis, quam de te mereor, quod cumulatissime possim magnitudinem nostræ gratulationis implere. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS DECIO.

Onerabat verecundiam meam, quod prior scripseras. Continuo altera epistola tua gravatæ fronti duplex fenus imposuit. Formido, quod cupio, ne mihi ante solutionem duorum contractuum tertius a te sermo tribuatur. Habet quippe hanc impatientiam, quæ in te pollet, oris ubertas, ut intervallum vicissitudini neget, et officia nondum compensata præveniat. Una igitur ad satisfactionem via superest; ut imparem me stylo fatear, quamvis cultu amicitiæ parem non negem. Nec contumaciter fieri putes, quod tibi animi mei diligentiam confero. Alioquin frustra a te diligor, nisi affectione saltim nos patiaris comparari. Quare post hanc professionem meam laudatæ facundiæ donum frequenta : me, si rarior fuero, memento cessisse. An ego adversus judicium publicum provocem scriptis epistolarum regiarum magistrum? Nostrum est, pastorales inflare calamos; tuum sacris tibiis carmen incinere : nos obtundit otium, te usus exercet. Nisi forte hanc nostram privatæ vitæ vacationem magis opportunam frequentandis litteris putas. Vides non eodem motu flumina de stagno serpere, et de fonte properare. Omne quod in cursu est, viget. Continuatio experientiæ, vires suas renovat. Sublatum tibi est, quod respondere potuisses. Fac deinceps, qui vales scribendi copia, ut tan

Digitized by Google

tum mihi afferat facultatis exemplum tuum, quantum ingenium meum non dedit. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS PATRICIO.

Denuntiaveram quod rarior in scribendo essem futurus. Quid amicitiæ faciam, quæ cogit, ut mentiar? Descivi a proposito: sed credo te hujusmodi probare fallaciam. Nunc velim cogites quam frequens esse debeas, qui spei amplius obtulisti. An non prior in me jaculatus es cris tui munera? Quibus ego veluti herbam porrigens, cum veniæ petitione respondeo. Maneas oro promissis, et cœptorum tuorum diligentiam teneas. Fidem tuam convenio, qui me pene jactito mentitum. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS PATRICIO

Ideo amicitia comparata est, ut officiorum vicibus mutua gubernetur utilitas. In rem præsentem spectat præfata sententia. Præsumo namque eximitatis tuæ studio supplicationem fratris mei Callistiani, atque ejus uxoris, exsortem sacri beneficii non futuram; cui et æquitas desiderii, et usitata impetrationis forma suffragio est. Quando igitur nihil obstat oratis, admove juvandis precibus benevolentiam. Quæ cum tibi innata sit, remittit mihi deprecandi laborem. Nam pene injuriam facit benignitati, qui anxie petit, quod præstantis natura sponte promittit. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS PATRICIO.

Tantum esse apud te loci Aurelio meo gaudeo, ut a me tibi traditus invicem sub commendatione reddatur. Vicisti nostram pro eo diligentiam, quam jubes accrescere. Itaque sum dicto audiens. Nulla enim caritas ita plena est, ut augmentum non capiat. Me domo abesse, et Campaniæ pasci otio libens admittes. Nam soles amicorum prospera, voluptate partiri. Tibi honor militiæ pariat fructus secundos: sit vita nostra secura, vestra conspicua. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS PATRICIO.

Propinquorum meorum causas Martyrius prosequitur, qui has a me litteras in suffragium suum moruit. Quæso ut effectum sperati de te favoris obtineat. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS PATRICIO.

In tuas manus veniet causa mei pignoris, adeo ut amica legibus fulciatur. Sed ut est multiformis plerumque perfidia tutorum, in varias se frequenter artes vertit. Obnoxios credo, nunc saltim sacro cessuros oraculo, si vestra æquitas suggerenda celebraverit. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS ALIPIO.

Salutationis honore præfato, familiarem precationem tui animi annecto. Agris enim, quos in Cæsariensi Mauritania possidemus, ut fieri amat per dominorum absentiam, nihil reliqui facit officii præsidialis improbitas. Sæpe ad rectorem provinciæ delata querimonia parvi habita est per ignaviam judicantis. Ergo, quoniam remedia minora non prosunt, ad majora confugimus. Feras opem, quæso te, ne res tot injuriis exhausta succumbat. Debes hoc et tuæ famæ, et amicitiæ meæ; ut peculiariter juvare digneris justitiam postulati. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS ALIPIO.

Qui sperat brevi se venturum in conspectum amicorum, solet scribendis epistolis abstinere. Mihi et illa spes, visendi te, integra est, et fastidium non creat litterarii usus officii. Calebro igitur honorem tuum salute dicenda, nec interim posco rescriptum: quia fœnus styli mei fabularum munere ex proximo repensabis. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS ALIPIO.

Intelligo diligentiam, quam sanctæ domui tuæ defero, nimium tibi esse compertam. Illinc est, quod mecum læta communicas, et dominæ ac filiæ meæ valetudinem stylo indicas in spem redire meliorem. Ago igitur uberes gratias, et Deos precor, ut tua secunda proficiant. Nobis tardior Africanarum naviuum commeatus incutit curas, et sterilitas conditorum. Quapropter ad collationem vocati, remedia patriæ usitata promisimus. Sed votis opus est, ut voluntariæ sponsioni solutio prompta respondeat. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS ALIPIO.

Tradiderunt memoriæ, qui res priscas locuti sunt, in judicium quemdam vocatum, quod Aricia tenus precarium de amico cantherium mutuatus, ulterioris clivi ardua præterisset. Fuerit hæc parcimonia, et diligentia paupéris sæculi, ut prætervectus decretum locum, commisisse in amicitiam diceretur. Assumpsi igitur, quod amor tuus ingerebat; tantumque absum a metu succensionis tuæ, ut sperem ultro bonam fiduciæ meæ gratiam. Necesse est enim probes quod ipse fecisses. Sed quid hæc tanquam purgata produco? De Formiano scribo integer valetudinis; unde equorum copulam magis exercitam quam fatigatam remisi. Mulos paulisper tenebo. Hunc enim dederas optionem: quam si repudiassem, viderer libentius in usurpandis uti animo meo, quam in permissis tuo cedere. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS ALIPIO.

Cum molestias urbanas retracto, abesse delectat: cum vos cogitatione contemplor, tædet absentiæ meæ. Medium est igitur levamen in litteris: quas ideo ad te dedi, ut simul et amicitiæ satisfaciam, et secutus exemplum, tuas mihi epistolas præstes, in quibus vides plus esse solatii. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS ALIPIO.

Plurimum mihi opis atque adjumenti tuæ litteræ ad confirmationem sanitatis impertiunt. Primo, quod te memorem nostri esse testantur: deinc, quod

Digitized by Google

indicia tuæ prosperitatis apportant. Fateor igitur adhuc infirmam valetudinem meam scriptorum tuorum assiduitate refoveri : atque intelligo, quid ex præsentia tua commoditatis habiturus sim, cum tantum ex litteris salubritatis indicibus accipiam. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Mediolanum profectus hæc scribo, et hinc honorificentiam vobis debitæ salutationis exhibeo. Æquum est, ut mea cura de vobis relatu piæ vicissitudinis mitigetur. Valete.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Pervenimus, sed venisse jam pœnitet. Nam ubi primum solum Baiani littoris contigi, statim pedis dolore correptus sum. Atque ideo pauca dictavi, mox in scribendo futurus uberior, si me sanitas optata respexerit, et vestræ invicem litteræ provocaverint. Valete.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Primo adventu, ut scripto superiore signavimus, valetudo nostra percussa est : seu insalubribus aquis, sive aeris mutatione. Fors viderit. Nunc status melior cœpit adversa tenuare : sed præ cæteris remedio fuit, quod vos salvere cognovimus. Quod si etiam reditus nostri tempus inquiritis, ad idus Octobris legere iter, si dicto fortuna adsit, optamus. Valete.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Scio et desiderari et exspectari a vobis litteras meas, quia moris est, ut munus hujusmodi a proficiscentibus incboet. Auspicium ergo vobis servandæ inter nos salutationis emitto; nequaquam dubitans, tanquam signo dato ad respondendum vos desides non futuros. Valete.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Religiosum atque votivum est, ut a quæstoribus candidatis dona solemnia potissimis atque amicissimis offerantur. Quo in numero jure censemini. Offero igitur vobis eburneum dypticum, et canistellum argenteum librarum duarum filii mei nomine, qui quæstorium munus exhibuit : et impendio precor, ut hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti. Valete.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Subesse aliquas silentio meo causas sponte æstimare potuistis : nam quomodo omissem religionis munia, si valerem? nunc paulatim dolore cedente officium salutationis differre non potui. Vestri erit muneris referre mutuam vicem. Quæ mihi dies optata pertulerit, ad convalescendum fomenta præstabit. Valete.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Postquam pagiuam, quæ vobis salutationem ferret, emisi; tempore affuit, qui mihi vestras litteras exhiberet. Quarum perceptione principio lætatus; ubi commune pignus decubuisse cognovi, conflictatus sum repente amaritudine lectionis. Sed quia filium nostrum redditum sanitati subjuncta docuerunt, in tranquillum denuo animus remigravit. Meæ valetudinis statum scriptis superioribus indicavi; cujus denuo meminisse non opus est, ne vos sollicitæ scriptionis iteratio conturbet. Valete.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

De reditu filii nostri Fausti prænuntias paulo ante litteras misi, ut accelerata securitas desiderii vestri impatientiam mitigaret; sed munus salutationis iterare ipso etiam proficiscente non piguit. Capite igitur geminam voluptatem : primo ex ipsius reditu; dehinc ex sermone fraterno, quo vobis redditos sanitati communes liberos indicamus. Valete.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS FRATRIBUS.

Superioribus diebus litteras frequentavi; sed nulla assiduitas potis est animum amantis explere. Puto autem vobis ad cognitionem sufficere, quod valere nos scribimus : licet commune pignus paucis diebus sanguinis effusione vexatum, otii nostri minuerit voluptatem; quod jam divina ope ad plenam sanitatem cœpit emergere. Valete.

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Fortuna cum civibus nostris revertit in gratiam, postquam te sibi respublica vindicavit. Annumerandus est igitur cæteris speranti bus æquitatem Jucundus amicissimus meus; quem morbo jam diutino gravem, præfectura eminens ad cognitionem privatæ litis exciverat. Est illi quidem votivum, sub examine tuo respondere propositis. Sed valetudo voluntati obnititur, quæ effusione sanguinis sauciata, itinerum recusat incerta. Nec deerit jus adversantis petitioni, si ad Vicarium tuum disceptatio transferatur. Hæc igitur summa est postulati : ut cum causæ nihil de loco pereat, salutem homini peregrinatio repota conciliet. Vale.

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Instruenda mihi atque adornanda prætura est, ad cujus editionem magnitudinis tuæ processus animavit. Incœptum enim meum viribus fratris utetur. Quæso igitur mecum religiose votiva officia partiaris, et familiaribus meis ad Hispaniæ longinqua pergentibus, ob equorum caruliam coemptionem, suffragia promovendi negotii digneris annuere. Longum fiat, si velim litteris præstanda percurrere. Capita rerum subjecto iudiculo strictim notavi. Tibi integrum erit adjicere beneficia, si qua stylus petentis omisit. Vale.

EPIST. LXXXIII.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Si quid pro amico atque unanimi meo Jucundo priora scripta valuissent, agendis magis gratiis, quam renovandis petitionibus a me sermo impenderetur :

Digitized by Google

sed quia in civili negotio auget ejus infirmitatem crebra conventio, jam non pro causa, sed pro valetudine familiaris mei instauro sermonem. Et certe difficilis impetratio esse non debuit, postquam illi divinus affatus longæ peregrinationis gratiam fecit : cujus rei exsecutionem miror esse difficilem, cum lenitas tua soleat talia etiam sine rescripti auctoritate præstare. Impensius igitur quæso, ut Vicarii foro sæpe in his judiciis agitata causa reddatur : quando hoc et sacræ litteræ imperant, et judiciorum non refutat humanitas. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Primam mihi scribendi causam religio fecit, ut amicitia nostra litteris excolatur. Secundam suggessit humanitas, ut viro optimo Thalasso familiari meo tua concilietur affectio. Superest ut et mihi sermonis tui vicissitudo respondeat, et commendato ex sententia procedat optatum. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Et mei circa te propositi ratio poposcit ut scriberem, et viro clarissimo, atque ornatissimo Eusebio adstipulatio mea deesse non debuit : quem probe de optimis viris meritum quæso tua benignitas muneretur. Nam laudabilis quisque hanc solam mercedem pudoris atque honestatis exoptat, ut ad intimam familiaritatem bonorum, tuique similium, pura conciliatione perveniat. Vale.

EPIST. LXXXVI.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Omnis commendatio amicis testimonium tribuit, suffragium præstat incognitis. Processus igitur, vir ornatissimus, filius meus, non est in ea parte numerandus, cui beneficio scripta præstantur; sed potius in ea, cui vicissitudo ex amore persolvitur. Puto jam loquere tibi, quæ circa illum familiariter tenenda sit forma judicii, quem sine favore commendo. Dignum est igitur, quantum apud me meriti collocavit, tantum apud te benignitatis inveniat. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Numidam familiaritas nostra apud te debet juvare : quem tuo trado suffragio, ut meritum, quod apud nos honestis officiis collocavit, tua pro me cura compenset. Mores hominis ex meo pende judicio, et in omnibus quæ utilitas ejus exquirit, votum commendantis imitare. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Amicitiæ parentum recte in liberos transferuntur, ut caritas semel inita successoribus eorum velut hæreditario jure proficiat. Quo nomine optimi quondam viri Gregorii filium diligendum pariter ac tuendum recepi. Fuit enim mihi cum patre ejus fidum fœdus animorum; sed religionis debitum tecum opto partiri. Quapropter quæso ut curam meam pro eo in his quæ usus poposcerit exsequaris. Inter cætera autem vota juvenis præcipuum liberalis animi signum est, quod cupit foro tuo non obscurus ortu actor accedere : cui (ut spero) et magisterium splendore dicendi, et suffragium mentis bonitate præstabis. Vale.

EPIST. LXXXIX.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Jamdudum litteras meas in manus tuas credo perlatas quibus allegavi quod judiciis approbatum est, amicum meum Jucundum, quanquam tui examinis cupidum, per valetudinem non posse proficisci. Hujus in dies morbus augescit : et ideo repeto postulatum, ne incidat invidiam contumaciæ, qui miserationem meretur. Et sane civili causæ nihil decerpet humanitas, si ad Vicarium vestrum transferatur examen. Nam pariter et laboranti detrahetur injuria, et negotio finis debitus veniet. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Probavit effectus non immerito a me sperata, quæ præstare dignatus es, magisque me culpam potuisse contrahere, si apud amantem, Prætorias pignoris nostri necessitates pudore tacuissem. Ornari ergo nos gaudeo frequentibus amoris tui testimoniis : et volo speres, quidquid gratiæ editio nostra quæsierit, ad tua beneficia me cedente referendum. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Honores quidem semper vitæ ac litterarum splendore gessisti. Sed bonorum nunc omnium gratulatio est, etiam publicum tibi decus esse delatum. Opto igitur ex sententia partis fruaris insignibus, et provectus in cumulum gloriæ, magnitudinem judicii imperialis æquipares. Vale.

EPIST. XCII.

SYMMACHUS MESSALÆ.

Officii mei est nuntiare quod valeam; voti, ut te salvere cognoscam. Ergo indicio prosperorum meorum partes amantis implevi; tu mihi adhuc debes sanitatis tuæ gaudia. Quæ ut solida fide in notitiam meam veniant, et Deorum favor, et tua scripta præstabunt. Vale.

EPIST. XCIII.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Amico animo gaudia nostra participas, et integratum Flaviani filii mei honorem styli gratulatione prosequeris. Dignus læta cui semper eveniant. Hanc autem dignationis tuæ benignitatem scio ab illius instituto manare, qui præstitit. Laudabiliter igitur sequeris magisterium optimæ voluntatis. Tene, quæso, ut facies, constantiam rerum bonarum; illum imitare, nos dilige. Vale.

EPIST. XCIV.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Honor militiæ vestræ dantis beneficiis enitescit. Cum igitur te meritorum ratio summis proximum faciat, famæ et gratiæ decus benignitate conquire. Nec procul abest, de quo hujusmodi fructum capessas. Juvandum enim tibi filium meum Desiderium litteræ ingerunt; virum, præter fortunam, cunctis rebus ornatum, quas sibi hominum cura præstat. Sed

Digitized by Google

illa quoque cum eo in gratiam, si faveris, revertet. Restat ut velis, quod pro loci ac meriti tui viribus potes, sic facile inclinatum amici nostri negotium depulsa lite sanabis. Vale.

EPIST. XCV.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Amplecti amicitias domini et filii mei Flaviani ante dignatus es. Sed nunc tempus datur, ut illi documenta veræ familiaritatis exhibeas. Sacris enim D. N. Honorii augustissimi principis litteris ad officium magnifici consulis evocatus, occasionem dabit, qua et ipsius meritum judicio tuo pateat, et tua in eum affectio clarescat. Interea partes parentis interventus meus exsequitur. Nec in dubium venit quid ponderis habeat pignorum commendatio apud eum qui suos diligit. Hæc autem summa est desiderii mei, ut in animo tuo reperiat amorem meo similem. Vale.

EPIST. XCVI.

SYMMACHUS LONGIMANO.

In favorem me Dynami cohortaris, cujus tibi amore non cesserim. Est enim vir artium bonarum, cultus, ornatus. Libens itaque in tuam concedo sententiam, dignumque esse prædico qui nostro ordini copuletur. Sed adjicienda est ei prærogativa militiæ, ut beneficio allectionis utatur. His quippe tantum munia relaxari divalia constituta voluerunt, quos castrensis honor illuminat. Si igitur et hoc insigne detuleris, quod annonarum et evectionum cumulet adjectio, prono cursu in consulares legetur. Quare in tua manu est et illius meritum, et meum studium supplementis talibus adjuvare. Interea nimis miror, quod in viro illustri Flaviano domino et filio meo, nec gradum honoris, nec jus amicitiæ cogitasti. Nam cum præstans auctoritas tua vinarii tituli debita flagitaret, usque ad officii multam condemnatione progressa est. Patienter admitte, neque præfecturam, neque amantissimum tui virum tali contumelia debuisse perstringi. Quæso igitur, ut tantum ei posthac deferre digneris, quantum tibi invicem convenit exhiberi. Ego certe amborum parens nihil a te patior stridoris emergere: quinimo religiosis officiis crescere inter vos causas mutui amoris exopto. Vale.

EPIST. XCVII.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Cepi ex litteris tuis gaudium, postquam familiares meos ad Hispaniam commeantes adjutos epistolari commendatione docuisti. Quare acceptam gratiam et mente concipio, et ore contestor. Facit autem verecundia tua, ut de hoc parcius loquar; affectum enim, non verba desideras. Vale.

EPIST. XCVIII.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Jamdudum desideratas litteras tuas, nunc immodica animi gratulatione suscepi. Debita igitur reverentia et amore respondens, adjicio, ut in reliquum frequentare digneris munus voluptabile, quod sponte tribuisti. Sed huic postulato non opus est immorari. Neque enim petitio mea debet elicere, quod tua promittit benignitas. Vale

EPIST. XCIX.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Cultum amicitiæ libenter exerceo. Video enim mihi a te talionem curæ parilis non negari. Magnus autem diligentiæ incentor est amor tuus. Quare beneficii loco exprobrare non possum, quod ex debito defero. Ipse enim tibi auctor es officiorum meorum, quæ scribendi assiduitate sollicitas. Vale.

EPIST. C.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Sentio quid mihi affectionis invicem deferre digneris. Sed vehementer admiror, quod dominum filium meum Flavianum, qui te parili amore complectitur, erga amicitias tuas imparem esse suspiceris. Si igitur aliquid in assertione mea putas esse gravitatis, o o ut hujusmodi persuasionem me assertore deponas; et expulsis aliorum susurris constantiam serves sanctis moribus tuis et amicitiæ congruentem. Certe, si quid in notitiam tuam æmulus sermo pervexit; mecum quæso participes, ut amaritudo, quæ ex aliorum insimulatione concepta est, fidis purgationibus diluatur. Vale.

EPIST. CI.

SYMMACHUS LONGIMANO.

Sancto Eusebio arbitror pro summa commendationis sufficere, quod enm mihi profiteor approbatum: et ideo verbis pluribus elaborare non debeo, ut ei tuam conciliem voluntatem. Præsumptum quippe teneo, his, qui mihi fida obsequia detulerunt, favorem tuum minime defuturum. Nos ex sententia valemus; libenter habituri, si sospitatis tuæ litteras non negaris. Vale.

EPIST. CII.

SYMMACHUS PETRONIO et PATRUINO.

Pro cognitis et probatis pauca dicenda sunt. Mei enim officii, non sui meriti testimonium ferunt. Quapropter laborare non debeo, ut præstantiæ vestræ domini et filii mei Flaviani merita commendem: siquidem vetus inter vos amicitia vertetur ad usum feliciorem. Mei sermonis hæc summa est, ut in patriam redux sibi perpetuum amorem vestrum, mihi meæ tuam reportet salutationem. Valete.

EPIST. CIII.

SYMMACHUS PETRONIO et PATRUINO.

Opto ut hanc salutationem vigeris integer et prosperis lætus accipias. Tradetur autem ad optimum virum Desiderium, cui maximam laudem pura vita conciliat. Testis hæc officii mei pagina; relatura plurimum boni, si te pronum in amicitiam tradentis attraxerit. Nam ut respondere digneris, enitendum mihi pro tuo amore non arbitror. Hæc una voti mei cura est, ut favorem commendatus acquirat, redeatque laudator beneficiorum tuorum; quorum utilitas ad illius commodum, ad meum sensum gratulatio redundabit. Vale.

EPIST. CIV.

SYMMACHUS PETRONIO et PATRUINO.

Video Flaviani filii mei honorem propterea hucusque jaculsse, ut ei testis melior eveniret. Incidens

Digitized by Google

in tyranni justitiam judicio bonorum temporum reservandus. Sed præstitit illi amissio præfecturæ, quod mutavit auctorem. Quæ igitur verba tantum munus æquabunt? Conjungite, oro vos, nobis, ad referendas præcelso viro gratias. Nam cum singuli vincamur rei magnitudine, opus est laudatoribus multis, ut numerus impleat onus debiti. Et sane dominus pectoris mei, a quo profectum est beneficium, non ex alterius verbis, sed ex gaudio conscientiæ mensuram facti sui colligit : nec ignorat talia esse, quæ præstat, ut vincant spem solutionis. Nos tamen gratiæ vicem, fide amicitiæ et observantiæ rependemus : damusque huic rei obsides animos, quibus satisfaciunt liberi lucis auctoribus. Piis enim contractibus amor sufficit. Vale.

EPIST. CV.

SYMMACHUS PATRUINO.

Agendis D. M. comiti excellentissimo viro gratiis par esse non potest mediocritas verborum meorum. Tibi igitur hoc munus injungo, ut de impetratis evectionibus in adminiculum prætoriæ functionis, habitum mentis meæ apud eum plenius exsequaris : simulque digneris eniti, ut in rem missis celer ad Hispanias transitus impetretur. Appetit enim tempus editionis, metusque mihi est ne equorum curulium tarda coemptio, et morosa deductio sollicitis arctetur angustiis. De hoc etiam sublimem virum et præcellentissimum comitem, securus impetrationis oravi. Adjeci præterea commonitorem, cujus suffragator esse dignaberis : ut si molesta petitio non videtur, familiares meos, datis ad potissimos Hispaniarum litteris, prosequatur. Satis dictum est. Si quid aliud tuis auribus amicorum meorum sermo suggesserit, oro, ut in curam sancti et fidelissimi pectoris tui recipere non graveris. Vale.

EPIST. CVI.

SYMMACHUS PATRUINO.

Amor mutuus facit ut tibi ex usu meo agenda delegem. Cum igitur filii mei prætoria instet editio, quam vir illustris comes, omni virtutum genere sublimissimus, suis evectionibus juvare dignatus est, coemptioni equorum curulium celeritas admovenda. Quare quæso te ut familiares meos ad Hispanias missos nulla tarditas demoretur : quos commendari tuis litteris volo, ut illis merita tua Hispanorum mentibus impressa suffragio sint. Vale.

EPIST. CVII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Juliani Agentis in rebus molestiam novi, natales probo, fortunam doleo. Fatalibus enim malis diu et graviter exhaustus est. Sed credo cum eo omnia in gratiam reditura, si patrocinio tuo et humaniate foveatur. Plura non dicam, cum præclaris moribus tuis familiare sit opis indigos sublevare, et huic petitioni meæ etiam tuæ mentis natura consentiat. Vale.

EPIST. CVIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Post consensum partium, post vinculum pactionis, allegataque in judicio monimenta placitorum, filius meus Cæcilianus denuo ad incerta litis attrahitur. Nota est tibi qualitas causæ, merito omitto comperta stylo exsequi. Hoc tantum de sancto animo tuo impetratum volo, ut iisdem viribus, quibus luctamina sedasti, repetitæ medearis injuriæ : quia justitiam tuam debet acrius incitare adversum fidem placiti rupta concordia. Vale.

EPIST. CIX.

SYMMACHUS PATRUINO.

Aperta est improbitas eorum qui reducunt in quæstionem pactionibus terminata, et per impatientiam quietis finem jurgii secunda lite commutant. Æstima igitur filii mei Cæciliani dolorem, cui otium conciliare non potuit damnis patrimonii empta concordia. Nam reducitur in longinqua judicia, quibus facile, si suffragium tuleris, eruetur : est enim in te atque fratre portus omnium, quos fortuita sollicitant. Prolixior in petendo non esse debeo, cum causæ qualitas, et tua justitia plus de te favoris quam meus interventus eliciat. Vale.

EPIST. CX.

SYMMACHUS PATRUINO.

Duo ad me bona paritis voluptatis recentes nuntii pertulerunt : et vos justis bonorum crevisse processibus, et domino ac filio meo Flaviano fructum privati otii esse delatum. Sumpta igitur gemina fide, vestras litteras super hoc exspectare debui, quas æstimavi per verecundiam differendas. Quare æstimationem lætitiæ meæ vobis relinquo : quia mensuram ejus de vestro in nos amore colligitis. Sed his gaudiis etiam illa opto conjungi, quæ de prætoria editione filii mei jam pridem postulata meministis. Nam vehementer admiror, justis et solemnibus desideriis nondum arrisisse sacrum rescriptum. Itaque secundis litteris rursus oravi, ut petitiones nulli graves, mihi vero jucundas, quibus missa pariter etiam minorum magistratuum exempla suffragantur, benigne, ut mos ejus est, tradi jubeat effectui. Sed beneficentiam tanti viri, cui semper voluptas est supra spem magna præstare, promptiorem spe reddendam, si, ut frequenter poposci, vestris admonitionibus provocetur. Vale.

EPIST. CXI.

SYMMACHUS PATRUINO.

Fratrem meum Severum multo sermone prosequerer, si novo aditu amicitiam tuam peteret, aut prædicationi ingenium ejus conveniret. Parco igitur copiæ, tuoque judicio, ut justitia diligentiæ tuæ potius voluntati quam meis litteris applicetur. Vale.

EPIST. CXII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Cum tibi omnium meorum cura præcipua sit, præsumo filio meo Arcentio spectabili viro, quem mihi adjungit affinitas, intimam familiaritatem tuam posse reserari, quam merito illi et vitæ decus, et familiæ antiquitas conciliat. His propriis ejus bonis etiam meæ preces in augmentum commendationis accedunt : ut plane dubitare non possim cumulatius ei,

Digitized by Google

meum testimonium, et tuum judicium profuturum. Vale.

EPIST. CXIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Dominum et filium meum Attalum de summatibus viris ad dominos et principes nostros amplissimus ordo legavit, instructum variis de more mandatis, quæ spectare visa sunt bonum publicum. Huic si fautor accesseris, futurum reor, ut illi pro labore fructus accommodet. Quæso igitur, vel legationis merito, vel meo nomine in optimum virum bene consulas; qui satis animi confirmatus est suffragio tuo successuram felicitatem. Vale.

EPIST. CXIV.

SYMMACHUS PATRUINO.

Beatum te, qui honorum emeritus otiaris. Nos in patriæ salo vivimus, et fluctibus verberamur. Quorsum ista protulerim, dominus et filius meus Attalus eloquetur: cui spes visendæ præstantiæ tuæ laborem peregrinationis fecit optabilem. Vale.

EPIST. CXV.

SYMMACHUS PATRUINO.

Duo mihi pariter jucunda delata sunt. Primo sermo tuus: qui etiamsi continuus, fastidium non moveret. Dehinc fratris nostri Frumentii exoptatus adventus; quem ego in numerum bonorum esse referendum, priusquam morum ipsius periculum facerem, ex prærogativa tui testimonii judicavi. Sed tibi propiore congressu probitatis ornamenta patuerunt, adverti eum minus quam ratio postulabat per verecundiam prædicatum, ne ipse se laudatione sua mandata litteris videretur ingerere: his ergo muneribus optatum tibi solvo responsum, quo me agere ex sententia, et frui commoda cum meis valetudine recognoscas. Huic autem rei nihil adjiciendum puto, cum solo nostræ salutis indicio gratulatio fraterna possit expleri. Vale.

EPIST. CXVI.

SYMMACHUS PATRUINO.

Scis pro insita tibi humanitate, quid parvulis, et parentum suffragio destitutis benignitatis ac misericordiæ debeatur. Merito mihi apud te utendum esse non arbitror longo ambitu litterarum pro illustris memoriæ viri Severi filiis: qui si bonorum judicum juventur auxilio, prædæ atque injuriæ subjacebunt. Quidquid eorum poscit utilitas, favor tuus non gravetur impendere: ut publico saltim defendantur adjutu, qui familiaribus adminiculis deseruntur. Vale.

EPIST. CXVII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Exortem te sermonis mei esse non patiar, neque a scribendi perseverantia silentii tui imitatione deducar. Scio enim plerumque non amicitiæ negligentia, sed obstrepentibus curis officia retardari. Velim idem credas, et in posterum curam capessas integrandi istius muneris, quod ipse jam pridem moraris. Ero tunc promptior exhibendis litteris, qui ne nunc tempero, cum gratiam mutuam non reporto. Vale.

EPIST. CXVIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Certum habeo nihil apud animum tuum amicorum litteris esse jucundius: et ideo promptissime frequento colloquia, quæ scio apud eximium virum magni esse momenti. Superest ut ipse quam benigne litteras meas sumis, tam libenter indicia proprie sospitatis emittas. Vale.

EPIST. CXIX.

SYMMACHUS PATRUINO.

Cordi est frequenter alloqui vos, ne videatur apud me officiorum familiarium cura tepuisse. Atque ideo salutem votis opto, litteris dico: petens ut si quando styli usus intervallo longiore cessaverit, causam silentii non voluntati, aut desidiæ, sed occupationibus applicetis. Vale.

EPIST. CXX.

SYMMACHUS PATRUINO.

Athanasius V. C. peregrinationis injuriam justo dolore suscepit. Nam pactæ ei, et nobis arbitris junctæ obligatione pignorum nuptiæ denegantur. Exaggerarem facti hujus invidiam, nisi verba rebus essent minora. Ipse apud te quod quæsito opus est, plenius eloquetur. Orare non debeo, ut tuo juvetur auxilio, quod illi et amor tuus spondet, et munita legibus causa conciliat. Vale.

EPIST. CXXI.

SYMMACHUS PATRUINO.

Scio ad indicium amicitiæ pertinere, quod religionem tuam participem nostræ necessitatis assumo. Suscipe igitur, quæso te, proclive mandatum, quod pro mutua diligentia etiam non rogatus curare deberes. Ursi quam plurimi ad editionem muneris nostri ex Italia devehuntur, quos cupimus celeriter in usum exhiberi. Dignare igitur eorum transitum studio et diligentia vindicare; simulque adhibere custodiam, ne qua fraus avara commutet. Maxime autem rumpendæ sunt moræ, quia dies proximus functioni cogendo apparatui non relaxat inducias. Vale.

EPIST. CXXII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Probo modestiam tuam. Sed damno mihi esse non debuit, dum sperata exspectat impleri. Et certe nunc postquam rei effectus finem silentio dedit, dispendium meum frequentior stylus sarciat. Est aliud quo cuncta scripta compenses. In agendis D. M. Consuli pro beneficio suo gratis nostram sortire personam, eo affectu, quo amicorum tibi gaudia vendicas. Sed, ut scio, luculentioribus verbis, et propter ingenii tui magnitudinem, et sine adulationis pudore absentis gaudium prosequeris. Adde, si placet, quod ante postulatum tenes, ut aliarum Lybicarum mihi emptio sacra auctoritate præstetur. Quo impetrato omnium perceptionum donum putabo. De juvene autem meo retexere non laboro, quæ sponte meministi. Intelligo enim remitti modestiæ meæ precandi necessitate

Digitized by Google

tem, cum libentius a sublimi et magnificentissimo viro non exspectata præstentur. Vale.

EPIST. CXXIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

In viro optimo et amicissimo meo Perrocio Romana simplicitas est. Taceo quod illum longa militia et inculpata cohonestat. Minora enim cætera facit morum ejus inspectio. Hunc unanimitas vestra ante non didicit : judicium meum secuta suscipiat. Si visu vestro jam ei opus fuerit, quæso ut illi honor testimonii mei conciliet apud vos amoris augmentum. Vale.

EPIST. CXXIV.

SYMMACHUS PATRUINO.

Amicorum liberis usui esse debemus, quod etiamsi ipse nescirem, tuo exemplo et imitatione didicissem. Ad hanc sententiam pertinet, qui tibi litteras exhibebit. Fungitur autem militia in scriniis litterarum : cui satis opis et felicitatis eveniet, si ad clientelam splendidissimæ domus tuæ meruerit pervenire. Vale.

EPIST. CXXV.

SYMMACHUS PATRUINO.

Athanasium bonis artibus clarum securius amare cœpi, postquam de eo judicium tuum comperi. Magna enim prærogativa est, placuisse sapienti. Quare commendatione ejus abstineo, ne minora afferam, quam te credo sentire. Illa pars mihi pronior dictu est, ut ames in eo spem quam dedisti, addasque inchoato beneficio perfectionem. Quam si aliquis eventus eluserit, effice, oro te, majora præstando, ut illi prioris voti prosit amissio. Vale.

EPIST. CXXVI.

SYMMACHUS PATRUINO.

Non novum atque intentatum refero postulatum, sed quod ingestum tuis auribus recognoscas. Illustris memoriæ viri Rufini expræfecti urbis filias paterna affectione defendo : quarum sollicitudinem per vos, quibus reipubl. cura est, opto tutari. Et ideo precator accedo, ut quidquid claræ quidem, sed miserabilis domus usus exegerit, facili impetratione mereantur. Res namque illis est per Apuliam, non tam reditu ampla, quam censu. Hæc nisi bonorum judicum fulciatur auxilio, publicis oneribus fessa succumbet. Opis igitur tuæ levamen exspectat. Me quoque tibi facies gratiæ debitorem, si gravi pondere victam salutaris defensor erexeris. Vale.

EPIST. CXXVII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Promptiorem me circa Herennii laudabilis viri defensionem judicia vestra fecerunt. Habet enim plurimum voluptatis electio, et provocant animum sperata præsidia. Sed meum non est, scripto ostentare quid negotio promovendo cura nostra contulerit. Narrabit hæc vobis ille quem juvimus, simul ipsius rei exitus officia testabitur. Cuncta enim, quæ direptio sparserat, investigata patuerunt. Itaque in jus Herennii revertetur legibus quidem debita, sed patris sensui acerba successio. Nunc vestræ de me existimationi gratias ago atque habeo : et spero fiduciam nostri apud optimates viros esse mansuram, cujus documenta cœpistis. Vale.

EPIST. CXXVIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

Amor in te meus ex summis opibus annititur, ut in dies singulos bonorum tibi cultus accedat : tantum abest ut sinam veteres tibi amicos insimulationum improbitate decerpi. Inter quos vir clarissimus Scipio virtutum tuarum, me quoque teste, laudator, spoliatum se amore tuo per æmulos ingemiscit. Sed mihi verisimile non videtur, stabilitatem animi tui rumoribus falsis potuisse mutari, cum bene conscius vitæ nihil in se maledicis licere sermonibus debeat æstimare. Quare hortor et deprecor, despuas, si qua sunt inculcata mendacia, atque hunc honorem meritis tuis vendices, ut qualis ipse es, talem te ab omnibus intelligas judicari. Nemo in te transferat odii sui semina. Jam dudum enim genus est artis, ad alendas vires discordiæ suæ, sollicitare metum potiorum. Non ibo longius, cum mihi impetrationem spondeat sapientia morum tuorum, quam puto ea tenus responsuram litteris meis, ut non tam ignovisse te Scipioni quam nihil de eo asseras credidisse. Vale.

EPIST. CXXIX.

SYMMACHUS SIBIDIO.

Curam de te meam nolo ex epistola metiaris. Pauca salutantium verba sunt, sed vota prolixa. Liceat igitur imitari erga te parcimoniam religionum, quibus jura amicitiæ conferuntur, et officium pium brevi pagina tanquam parvo ære persolvetur. Neque enim devotio requirit excursum. Tibi autem præscribo styli terminos. Erunt mihi quæ de te scripseris nimis magna, si læta sint. Vale.

EPIST. CXXX.

SYMMACHUS SIBIDIO.

Æger est animus meus, quandiu fides certa sit quod portum sanitatis intraveris. Huic exspectationi satisfacias volo. Non enim mihi honorem fieri obsequio litterario, sed magnæ sollicitudinis levamen tribui exopto. Vale.

EPIST. CXXXI.

SYMMACHUS SIBIDIO.

Numquam efficies silendo, ut me ad parem voluntatem ducat imitatio. Cogito enim non quid temporali causæ, sed quid perenni amicitiæ debeatur. Cumque sim mei officii severus arbiter, curam tuam casu sæpius quam fastidio credo cessare. Sed ne longa colloquii intercapedo, quamvis tui amantem, cogat timere neglectum, quæso constanter munia familiaritatis exerceas. Quo enim pacto intelligere possum grata esse quæ defero, si negaveris quæ reposco? Vale.

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA PRIMA.

Compertum habeo, quolibet honorum culmine animum tuum non solere mutari. Quidquid enim bene meritis honestatis accedit, id solutum magis videtur esse quam præstitum. Et ideo mirari me ac stupere confiteor, cur tanta virtute atque humanitate præditus, jampridem circa me munere litterarum abstineas. Quod ego etsi causarum occupatione magis quam voluntate arbitror accidisse, tamen orare non desino ut censuram tuam nostri memorem frequens sermo declaret. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS ALMACHIO.

Mihi quidem a te multiplex, atque varium munus exhibitum est : sed adverti verecundia factum, quod tibi in solidum assumere noluisti omnem capturæ silvestris eventum. Nam tua indagine captum leporem gloriatus, aprum serviles manus asseris incidisse. An ævitas feræ indigna tibi visa est, quam laudi propriæ vindicares? Sed hæc joco dicta ridebis. Nunc ana quæ de me requiris adverte. Diebus pauculis etiam nunc morari Capuæ destinavi ; dehinc mutationibus vicinorum totum hunc mensem producere; atque ita, si dii juverint voluntatem, relegere Appiam potero molestæ accessu hiemis. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS FRUCTIANO.

Sollicitatus jamdudum litteris tuis tandiu angar, quandiu de te secunda cognoscam. Quid igitur, vel medicorum curatio, vel abstinentia tua ad salutem promoverit, opto cognoscere. Ipse bonæ valetudinis compos revisere patriam fortuna suffragante constitui, priusquam labor itinerum processu adultæ hiemis augeatur. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS LOLLIANO.

Primas litteras sponte tribuisti ; secundas mea cura debet elicere. Sumé igitur salutationem, quam vicissitudine munereris, polliceor itidem cum responsis tuis paria me facturum. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS PRISCILLIANO.

Essent mihi gratæ litteræ tuæ, vel si nihil de meis apud Africam meritis ac laudibus continerent. Nam ut mihi decus aliquod, ita tibi pro mutua amicitia gaudium præstiterunt. Hinc factum est, ut epistolam lætus emitteres. Exsultans quippe animus gloriatur, et ostentatione sui non potest abstinere. Pro tanto igitur in nos amore deorum benignitas te muneretur. Etenim cum ipse me non solvendo dignum arbitrer, ad vicem meæ gratiæ, favorem tibi præsidii cœlestis exopto. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS SEVERO.

Gratæ quidem semper litteræ tuæ nunc legentis animum momorderunt, cum te indicarent morbi diuturnitate macerari. Quæso custodes bonorum deos valetudini tuæ medicas applicent manus : ne optimi senatoris longa vexatio fidem faciat, nihil curare cœlestes, a qua opinione dissentio, teque protinus ope salutarium potestatum solidæ sanitati præsumo reddendum, si modo ipse plenus spei lætis cogitationibus elucteris adversa. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS CAPREOLO.

Adventante Euscio speravi litteras tuas; sed fiduciam casus fefellit. Ego tamen silentii tui imitator esse non potui, quare indebitis fungor alloquiis : ut qui præsul hujus officii esse debueras, exempli necessitate ad diligentiam provoceris. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS EUSEBIO.

Fuerit verecundiæ tuæ, quod hactenus nihil nobis alloquii detulisti : nunc sume fiduciam, quam ad invitamentum familiaritatis ingerimus, et gratas fuisse litteras meas sermonis assiduitate testare. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS MARTIANO.

Scriptionis auspicio fiduciam tuam provoco. Quare familiaritatis nostræ aditum ingredere securus. Vicissitudo officii tui faciet, ut inchoata per me amicitia convalescat. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS IRENEO.

Exspectasse te arbitror litteras meas, ut in mutua officia provocatus erumperes. Sume igitur sermonem cujus sequens exemplum. Ero posthac in scribendo diligentior, si cœptis nostris vicissitudo respondeat. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS. . . . .

Affectio in te animi mei non litteris æstimanda est. Religio enim fide pectoris continetur : in verborum officiis latet plerumque æmulatio. Quare tibi in scribendo rarior videar, nihil amori existimes decerptum. Et sæpe evenit ut homines tui nec profectionis suæ mihi indicium faciant, et mutuas paginas non reposcant. Sed de hoc loqui largius non oportet : quia sufficit amanti brevis et districta purgatio. Ad ea transeo quæ utrique votiva sunt. Hilaratus sum sanitatis tuæ nuntio, et rependo, quo gaudeas. Nam mei quoque corporis vigor post infirmam valetudinem cœpit assurgere. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS PACATO.

Et in deferendis et in rependendis tibi litteris desidem me arbitror non videri. Quare, etsi memini ad te diebus proximis officia nostra manasse : curavi tamen etiam debito fenore sermonis absolvi. Sed si unquam brevi intervallo usus iste cessaverit, velim cogi es amicitiarum non frigere respectum. Religio

Digitized by Google

enim magis fide animi metienda est quam ostentatione verborum. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS APOLLODORO.

Pervenisse arbitror famam, quæ te absolutum non modo honoris, verum etiam curarum fasce vulgavit. Si ita est, ero tibi nunc confirmator boni olim desiderati. Mea cum filio sanitas ope divinitatis in solido est. Tibi ut et salus valida, et reditus felix secundet, tam nostra vota quam tua merita præstabunt. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS CÆCILIANO ET PROBINO.

Abundo lætitia, quostquam valere vos didici, nostræque amicitiæ inter negotiorum dura meminisse. Sed quando fiet ut solatiis litterarum damna abstinentiæ sarciantur? Ego autem vos prætoriis meis fascibus primos interesse voluissem, festisque communibus decus facere. Sed feram necesse est, anteferri mihi causam senatus. Quare in superioribus verbis desiderii magis contestatio est, quam querela dissidii. Præstabit cœlestium favor, ut mandatis patriæ absoluti, iter felix ad ludorum nostrorum solemne relegatis. Valete.

EPIST. XV.

SYMMACHUS ALLEVIO.

Ex debito venit sermo qui redditur, ex beneficio, qui sponte defertur. Secundæ mihi partes relictæ sunt, postquam stylus tuus mea scripta prævertit. Nunc vice salutationis repensa, operam tuam curamque deposco in his quæ Castor ex usu atque utilitate nostra promovenda suggesserit. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS CARTERIO.

Gratum habeo de testimonio meo non esse dubitatum, receptumque in familiam tuam Auxentium filium nostrum lectissimum juvenem, in meo ære aluco. Quo nomine amicitia nostra in arctiora fidei jura convenit. Et præstabit usus longior, ut cum in eo bona plura cognoveris, astipulationem meam de meritis ejus infra terminos veritatis stetisse fatearis. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS RUFINO.

Provinciali actione decursa, quæ ad sacri auditorii cognitorem necessaria provocatione pervenit, delectatus sum fide ac diligentia tua : et fortunam negotii, non defensoris inscientiæ, sed voto judicis imputavi. Hortor igitur amicitiæ meæ fiduciam geras, et testimonii interim astipulatione contentus, domum nostram, quæ multis circumlatratur injuriis, forensis industriæ tuearis officio. Nos ut sponte gratiam nudo et simplici protestamur alloquio, ita ad referendam vicissitudinem, si fors juverit, pares esse nitemur. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS PATRUINO.

In agro me esse miraris. At ego justius stupeo ad communem te patriam spreto ruris otio revertisse, nisi quod causam tibi reditus iterata lis attulit. Alioquin, ut est mens tua quietis cupida, malles negotiis rusticis immorari. Mihi suburbanitas pedum ægritudine laboranti magis solatio quam voluptati est. Nullam jucunditatem tristis morbi sensus admittit. Sed spero, si innocentiam divina respiciunt, et forensi observatione sanandum. Gratus et facilis erit, aut mihi Romam reditus, aut tibi ad agrum, in quo nunc diversor, excursus. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS PATRUINO.

Ipsum te malo, quam delinimenta verborum. Tu contra epistolis absentiæ moras redimis. Quid si tibi respondisset optimitas segetis, aut vindemiæ arrisisset ubertas? Omnium temporum vices in otio ruris exigeres, qui patriæ famem agris demorando non respicis. An solo juvaris aucupio, cujus me parte donasti? Sed hic quoque positus gulæ illecebris largiter utereris. Nam simul tibi, et coempta ex foro Cupedinario, et ex suburbano tuo perlata suppeterent. Quid, quod etiam jactari morbo matronam tuam simulas? cujus valetudini, si vera prædicas, solitudo non competit. Plura enim Romæ salubritatis instrumenta sunt, major medentium numerus. Vide igitur ne aliud genus suspicionis incurras, si obsessam a morbo conjugem vacuo secessu et intuta ablegatione maceraveris. Vale.

EPIST. XX.

Præ cæteris temporum vicibus æstate delector : non quod diurnas horas longior solis meta producit, nec quod res rationesque nostræ nova fruge ditescunt : sed quia pacata navigatione desideratas mihi litteras tuas frequens invehit commeatus. Quid enim vel animi voluptate jucundius, vel ad officium amicitiæ accommodatius præstari potest, quam ut te mei amantem usu crebri sermonis experiar? Ergo dum anni tempus invitat, dum pervium mare est; pabula quædam et nutrimenta mutuæ affectionis veluti in hiemem congerantur. Cum hæc scriberem salus mihi ex sententia suppetebat, tuis videlicet adjuta votis. Neque enim alia nobis de causa arbitror optata succedere, quam judicio, et amore Carthaginis. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS LUCILLO.

Indulgere te otio, opinionis falsus putabam : tu vero animum lectione, labore corpus exerces. Hoc indicant scripta, et munera tua stylo exsculpta, et parta venatu. Mihi Flaminia emetienda est, ad novos fasces generosi consulis evocato. O si reditus tuus antecaperet profectionis meæ molitiones! juvari me amplissimo viatico crederem. Sed quia multo itinere discernimur, et neque mihi mora, neque tibi properatio commoda est, verbis pagina fungetur. Præfata numinum venia, prætorem Symmachum meum mox urbanum tribunal accipiet. Festa ejus frequentari potissimis amicorum, quibus annumeraris, exopto. Da istam gratiam procul abfuturo iisdem diebus. Gratius est quod defertur absentibus. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXII.

SYMMACHUS ANDRONICO.

In ore tuo vernat Cecropia musa : mihi lingua Latiaris est. Nec desideraveris æqua styli mei munera. Litteris vincimur, amore certamus. Sed merito rescriberem, si solam epistolam detulisses. Tu vero, ut es amicorum diligens, bibliothecæ nostræ carminum tuorum divitias intulisti. Quid tibi hoc dignum rependam, tenuis ipse facundiæ, et pauperlini ingenii? Tradam publicæ admirationi, quæ legenda misisti. Et quanquam laudator impar, bonum sæculi publicabo. Nihil ex hoc derogabitur operis tui gloriæ. Nam et Homerum novimus a dissimilibus prædicari. Careret quippe fama magnorum virorum celebritate, si etiam minoribus testibus contenta non esset. Sed quid hæc longius traho, cum brevitatem verecundia tua postulet? Cura ut valeas. Et si quid stylo adjeceris, cum mediocri judice, sed non ingrato lectore, participa. Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS MARCIANO.

Deos oro, ut quæ mihi interim valetudo est, eadem tibi ac tuis suppetat. Videor plene hoc anteloquio scribenda complexus, de tua sanitate votum meum, de mea gaudium. Sed epistolas breves esse non pateris. Quæ igitur ὑπόθεσις erit paginæ longioris? Ubi sim, quid egerim (nam præcipue amicitia rerum talium curiosa est) si placet prosequar. Principium voluptatum de Formiano sinu nascitur, quæ civitas quondam Læstrygonum populo fertur habitata. Hos ventri et gulæ usque ad feritatis invidiam legimus obsecutos. Plusculos in eo littore dies, sed deliciarum parcus exegi; tantam cœli salubritate et aquarum frigore suadentibus moram. Affluerunt pignora mea; quorum cupiens nostra urbe processeram. Nec fuit operæ, mox ulterius iter aggredi, cum præsto essent desiderati. Illorum dehinc arbitratu legi oram, quæ Formias et Cumanum littus interjacet. Nunc mutuis invitationibus aut in Baulos, aut in Nichomachi Gaurana migramus. Amicorum subinde mihi affluentium largiter est. Non vereor, ne me lascivire in tanta locorum amœnitate, et rerum copia putes. Ubique vitam agimus consularem, et in Lucrino serii sumus. Nullus in navibus canor, nulla in conviviis helluatio, nec frequentatio balnearum, nec ulli juvenum procaces natatus. Scias nullum esse in luxuria crimen locorum. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS MAXIMINIANO.

Nihil inter te, et parentem tuum optimum re aut affectione divisum est. Ergo et litteras, quas ad ejus reverentiam misi, ut omnium particeps, in acceptum referre potuisti. Sed jam colendus es nobis etiam tuo nomine. Præterea cavi, ne respondente uno imputaretur mihi vicissim munus duorum. Convenit tamen brevitas huic paginæ, quia relatu digna præcerpsi. Quare sermonem istum tanquam amoris in te nostri tenebis testem. Verum te in rescribendo decet esse prolixum. Neque enim par conditio est iterati a me, utrique autem nostrum singularis laboris. Duos meatus replere uno fonte difficile est : uni alveo abunde influunt duplicata principia. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS ALBINO.

Credo arbitreris circumsessum me Campaniæ amœnitatibus, scribendi ad te hactenus negligentem fuisse. Non est ea fortuna horum locorum, ut seriam curam sepeliant voluptates. Insolitis omnia necessitatibus strepunt, et oneri cessere deliciæ. Quare negotium pro otio reperi. Nec possum facile ad hæc amicitiæ munia animum retorquere. Spondeo tamen reverentiæ tuæ, quæ litteris meis præferas. Relegere ad vos iter avidissime studeo. Eadem quippe me causa, quæ voluit scribere, cogit redire. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS GREGORIO.

Dedi ad parentem tuum litteras, quibus contentus esse potuisti. Nam ut est utrique vestrum unus animus; ita satisfaciet idem cultus ambobus. Sed metui imitationem, ne mihi alter e vobis duorum vice et ore rescriberet. Quare, ut in honore Numinum fieri solet, litationi addo donarium, breve, fateor, et quod prolixius esse voluisses. Sed in adjectis mensura non quæritur. Ipse copiam redde brevitati; quia familiares paginas eos oportet extendere, quibus non est necesse geminare. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS CENSORINO.

Prompta et avida manu litteras tuas, cum mihi offerrentur, invasi, ut prospera cogniturus. Sed cum percurrerem lectione enumerationem dispendiorum tuorum, voluptati successit offensio. Et illa quidem adversa, quæ cum plurimis pertulisti, more humani ingenii, habent aliquod de societate solatium : hunc vero piraticæ deprædationis ictum, quem speciatim casus tibi durus adjecit, impressum altius puto : quia neque habet participem, et geminavit dolorem. Contra hæc fortuita, virtute ac ratione animus armandus est, spes quoque assumenda meliorum. Sæpe titubantia in solidum reverterunt. Nihil hominibus æternum est. Volvunt mortalia vices crebræ, et omnium rerum fuga visitur. Paucis ista perstrinxerim, cum tibi pro eruditione plura succurrant. Nunc ad illa respondeo quæ tu me scire voluisti : Quamprimum Neapolim petitu civium tuorum visere studeo; illic honori urbis religiosæ intervallum bidui deputabo. Dehinc, si bene destinata dii juverint, Capuano itinere venerabilem nobis Romam, laremque petemus. Inter hæc, si mihi evenerit aspectu et colloquio tuo defrui, explebor gaudii satietate. Sin major necessitas negaverit nobis tui copiam, velim curarum nube detersa eam sapienter resumas animi alacritatem, quam tibi congressus noster sedulo conciliare potuisset. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS ROMANO.

Meminisse te scio quod me quoque idem de amico dolor perculit; sed jam nobis sermonum vices debent esse solatio. Scribo igitur, respondere cogaris, et a funestis cogitationibus redeas in officia viventium. Fecerit religiosa causa ne prior scribere s : non eris tam irreverens, ut provocatus abstineas. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS SALVIO.

Vidi in litteris nuper mihi redditis religiosum pro nobis animi tui gaudium, et apertissime deprehendi quid voluptatis ex amicorum prosperis usurpes. Promptius igitur te diligo, postquam hoc votum bonæ mentis inspexi. Et quamvis ipse domino pectoris mei excellentissimo viro scriptorum gratiam pro Flaviani fratris tui honore retulerim, nihilominus tamen quæso, ut etiam magnitudinem gratulationis meæ apud auctorem tanti beneficii digneris astruere. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS JOVIO.

Interfuit publicæ utilitatis ut tibi majora negotia crederentur. Quare prolixa non debet esse gaudii mei attestatio, ne adulationis suspicio devenustet judicii veritatem. Opto igitur, tibi suscepti officii cursus arrideat. Quamvis dubitare non possim, nec mutari probitatem, et bonas artes stimulo præmiorum felicius incitari. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS EUDOXIO.

Exsultavi gaudio ob amicitiæ honorem, cum litteras tuas sumerem. Sed ubi Annius noster, quam sis dubius valetudinis, indicavit, in gravem curam lætitia derivata est. Video enim peregrinationi, quæ morbi instar est, damnum sanitatis adjectum. Solatur tamen sollicitudinem meam, quod parcimonia ubi familiaris est, quod cognata sapientia, et adversis fortunæ animus ingentior : quæ bona reducere solent valentiam corporis, et vigoris serenum. Spero igitur de te cognitu lætiora, et aures jam felicibus nuntiis paro. Faciet justitia, quæ pios respicit, ut post hujus incommodi citum transitum, vitæ tuæ prospera longius porrigantur. Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS URBICO.

Auspicium mihi scribendi prior, ut mos est, facere debuisti, cum te hujus diligentiæ domestici tabellarii reditus commoneret. Sed quia nobis vel oblivio, vel occupatio religionis tuæ desideratum munus invidit, ego usurpo principium : æstimaturus in reliquum de raritate vel copia tuorum apicum, utrum voluntate litteris ordiendis, an magis necessitate defueris. Vale.

EPIST. XXXIII.

SYMMACHUS JUSTINIANO.

Scio me in scribendo tardum fuisse. Consulto stylum distuli, dum refoveo tenuatum itinere vigorem, quo tibi de me læta cupienti voto similis pagina tra-

A deretur. Fiat igitur ex optimo nuntio moræ compensatio. Certe ego eam dico legem litteris amicorum, ut assiduitate illorum animos probent, meum bonitate delectent. Vale.

EPIST. XXXIV.

SYMMACHUS EUSEBIO.

Scribere ad te ante voluissem; sed commeantibus multis fidam occasionem debet excerpere scribentis electio. Accepisti causam tardioris officii : quæ si animo tuo satisfecit, curare dignaberis ut ad me quoque responsa tua idoneis commissa perveniant. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS JOHANNI.

Quod sero ad te scribo, amicitiæ tenacis indicium
B est, cujus memoria repetitis ex intervallo probatur officiis. Ipse quoque silentium tuum non aliter interpretor. Nam etsi styli honorificentiam quæro, certus fidei tuæ, etiam de tacito amore non dubito. Sed vereor, ne ista sententia tibi suadeat negligentiam scriptionis, et hæc amicitiæ munia judicii mei securus omittas. Hortor igitur, quæsoque, ut illam potius cogites partem, quæ assiduitati gratiam parit; non quæ promittit veniam raritati. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS QUINTILIANO.

Ad indicium mei circa te amoris hæc scribimus, et ut ipse ad respondendum provocaris exemplo. Cum igitur ego partes religionis impleverim, exspecto ut ipse etiam vicissitudinis solutione fungaris.
C Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS CRISOCOMÆ.

Proxime penatibus meis redditus, etiam nunc te mente et cogitatione respicio. Itaque animi illa jucunditate, quam coram de sermone tuo hucusque capiebam voluptatem, compenso. Cui si mutua cura responderit, cum tantam mihi delata amicitiæ tuæ scriptio gratiam tribuat, quanto amplius relata præstabit? Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS ROMULO.

Salus pignoris communis in tuto est, cujus studia sollicitudini meæ delegata proficient. Meæ quoque valetudinis esto securus, et ad vicem talium nuntio-
D rum curam de te meam similibus responsis absolve. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS...

Queri de silentio non potes, qui nihil scriptorum mihi hucusque tribuisti. Sed si simile styli opperiris auspicium, sume exemplum religiosi officii, quod debeas æmulari. Ero deinceps ad exercendum stylum promptior, si me fructu mutui sermonis animaveris. Vale.

EPIST. XL

SYMMACHUS AVENTIO.

Secessionem tuam etiam tacitus approbavi. Nam cum interveniente discordia supremis generi inter-

Digitized by Google

esse non posses, ea mœsta profectione visus es satisfecisse pietati. Ipse, quantum civi optimati fuerat deferendum, triduo domi commoratus implevi, non famam captans, sed humanæ fortunæ vices cogitans. Quid enim tam rationabile est, quam tribuere collegæ, quod tibi quandoque bonos cupias exhibere? Vale.

EPIST. XLI.

SYMMACHUS ANTIOCHO.

Nunc primum honoris limen ingressus, nimis immature adventum successoris exoptas. Agnosco impatientiam Græcis deliciis congruentem, quam velim toto anni orbe dissimules, ac te migrasse in tribus Romuleas recorderis. Quid enim dignum conquestione perpessus es? Nondum te militares contumelias perculerunt, nondum catervas mulierum scissa veste fugisti, nondum ante januas eminentium potestatum vigilem noctem salutator expertus es; et jam delicato fastidio renuis magistratum? Commuta, si vales, animum, teque in annum, vel biennium obdura.

EPIST. XLII.

SYMMACHUS...

Probabilem causam... Quis enim Siciliam recto itinere petens, sermonem meum potest reddere in longinquis studiis constituto? Sed desino. Tu tene, curam circa te meam de numero epistolarum non debere perpendi. Diligentia enim erga amicos jugiter manet, occasionum vero raritas scripta distinguit. Sed de hoc satis dictum puto. Nunc elegantia ingenii tui, et inventionum subtilitas prædicanda est. Novum quippe musivi genus, et intentatum superioribus reperisti, quod etiam nostra rudilas ornandis cameris tentabit affigere, si vel in tabulis, vel in tegulis exemplum de te præmeditati operis sumpserimus. Vale.

EPIST. XLIII.

SYMMACHUS CALLISTIANO.

Inter cætera parentum decedentium bona, amicitiæ quoque affectanda successio est. Et fortasse studio validiore captanda familiaritatis hæreditas: quia facultates fortuna præstat, caritas judicio fœderatur. Volo igitur inter nos promptius convalescat familiæ tuæ propagata conjunctio. Consentaneum quippe naturæ est, ut officia a te inchoata, a me probata coalescant. Ergo in reliquum sermonis esto munificus: me cura non deerit, quæ te styli vicissitudine muneret. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS PASTINATO.

Litteras tuas agrorum fructibus jure contulerim. Nam ut illorum proventus non fallit temporis sui debitum, ita fidem nostræ exspectationis annuus dignationis tuæ sermo non decipit: hujus nunc mihi per homines nostros advectio satisfecit. Lectis igitur paginis, valere te gaudeo, et alloquii tui honore delector. Nec me arbitror respondendo imparem judicari. Præstabit divinus favor ut has inter nos officiorum vices ætas prolixa multiplicet. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS PIERIO.

Redditum mihi est annuum quodammodo sermonis tui debitum. Tibi quoque gaudium solemne de nobis, hæc responsa præstabunt, quæ propter tantam longinquitatem frequentare non possumus, sed bona fide certis temporibus exhibemus. Maneat igitur hic usus, et quotiam salutis indicio mutua inter nos securitas recondatur. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS STRATEGIO.

Agis mecum desiderio amantis, ut redeam: jam dudum hoc animus meus vestri expetitor efflagitat. Sed valetudo sau ia obstrepit voluntati. Humor enim noxius articulis illapsus etiam nunc me tenet lectulo, et vix littorali siccitate tenuatur. Tribue igitur tempus refectioni, quod ego vendicaveram voluptati. Præ te autem fers in tanta bonorum multitudine post discessum meum nihil ut ante jucundum esse. Sed puto quod pia affectione fallaris, quia rarum est in amante judicium. Et ego quidem non ex his primum litteris, quid de me sentias, scio. Prope est tamen, ut agere gratias absentiæ meæ debeam, quia mihi syngrapham quamdam testimonii tuæ præstitit. Verum hæc missa faciam. Non morabor exspectationem tuam post conciliationem vigoris. Sed quia hoc longum est diligenti, visis quæ in proximo possidemus, reditum maturabo. Spero enim tantumdem accessurum sanitati meæ ex conspectu vestro, quantum sperari posset ex otio. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS VALERIO.

Vellem sedatam filii mei ægritudinem nuntiare, sed nihil prosunt figmenta sollicitis. Audeo tamen sperare meliora. Imminutio enim febrium, Deo auctore, ad fiduciam sanitatis cœpit accedere. Tuæ pro nobis sollicitudini gratias ago, et cœlestem comprecor potestatem ut tuo circa amicos animo prosperorum omnium vicissitudo respondeat. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS MAXIMILIANO.

Soles in scribendo esse prolixus pro ingenii tui viribus. Postquam te honor aulicus in procinctum vocavit, tu quoque verba succingis, et tanquam levis armaturæ miles rorarios æmularis. Quid faciam senex garrulus, cui mensura sermonis a juvene præscribitur? Trahit nos vitium senile verbositas: sed occurrit exemplum, et fastidia aurium tuarum de styli brevitate conjecto. Non enim violanda est interim mihi paginæ tuæ formula. Exspectabo tamen an copiam de me exigas, si plura rescripserim. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS VITALI.

Diu sanitati pariter ac venustati litterarum tuarum, mediocris eloquii conscius respondere dubitavi: sed religio rupit timorem. Malui enim stylo, quam superbiæ displicere. Quidquid igitur hoc est, quod tenet pagina, quæso boni consulas, teque submittas ad me-

Digitized by Google

diocritatem scriptorum meorum, ne retundatur offi- A cium meum, dum desperatur imitatio. Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS JOVIO.

Jamdudum datis ad te litteris mutua scripta non merui; et tamen propositum meum servans, honorificentiam scriptionis instauro. Credo enim quod negatam primo officio vicem, vel nunc impetrare possit iteratio. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS MAXIMILIANO.

Assiduitatem scriptorum meorum tibi esse fastidio prope asserit tuorum raritas. Es enim præter solitum parcus alloquii. Sed tueor constantiam diligentiæ, nec a proposito argumentatione deducor. Erit potestas B tua hunc animi mei habitum, vel augere silentio, vel litteris amoliri. Vale.

EPIST. LII.

Quatenus me absentia contristet, intelligis. Nam ideo necessitatem tibi a filio meo scribis injunctam, ut publici negotii excusatione purgeris. Alterum igitur religioni tuæ ex utroque faciendum est, ut aut cervorum ac aprorum copiam mittas, aut in conspectum amici celerius revertaris. Nulla enim satisfactioni justitia suppetit; si et illi venatum, et mihi solatium denegaris. Vale.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS LEPORIO

Debitum tibi rependo sermonem; dudum enim parem mihi scriptorum tuorum honorificentiam com- C munis amicus exhibuit: cujus verecundia et honestate diligenter inspecta, dignum esse quem diligas approbavi. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS MARCIANO.

Seras tibi videri arbitror litteras meas. Sed si itineris dies numeres, ratio moram diluet. Intervenit præterea ex humore solito dolor corporis, officiorum familiarium sequestrator. Nunc quia labori et valetudini quies reddita est, salutationis verba non differo, pretium laturus obsequii de remuneratione responsi. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS MAXIMILIANO.

Si bene in te animum meum nosti, dubitare non D potes, adversam valetudinem corporis mei missitandis hucusque litteris obstitisse. Hac parte purgatus salutatricem tibi paginam reddo, quæ testabitur esse me sospitem.

***

Postquam sanitas silentii excusationem removit, venturum te ad Campaniam tibi mei assertione cognoveram. Hinc factum est ut epistolis abstinerem. Sed dum te aut curæ urbanæ, aut voluptates morantur, pene culpam taciturnitatis exspectatio nostra contraxit. Fungor igitur erga te saluto dicenda, et eligendum relinquo utrum mihi adventum præstare malis, an res; onsum persolvere. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS ROMANO.

Servo observantiam, quam mos priscus instituit, ut domo profecti litteras auspicentur, et salvere me nuntio. Ex debito venit ut tu emisso a me muneri solvas amica responsa. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS VALERIO.

Filium meum Romulum accerso; tu retines. Ego in eum mihi personam parentis arrogo; tu jus affinis exerces. Mihi ex voluntaria sponsione præsentiam suam debet; a vobis spe sociandi itineris retentatur. Sed cum etiam tuus prænuntiatur adventus, quæstuosa taxatio est moræ, quæ mihi pro uno utrumque promittit. Cedo igitur voluntati tuæ, et paucorum dierum patientiam non nego. Fratri quoque tuo Romulo nimis gratulor, cujus solatium pio et amico certamine nobis ambo vindicamus. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS MARCIANO.

Filius meus, cum bona Dei venia, periculo caret, sed defectum virium patitur prope usque ad ægritudinem. Redire consilium est, paulatim mansionibus in spatia minora divisis. Ego quoque meorum contagia socius accessi. Credo ex vigiliis nocturnis, quarum in præsentia exigimus fuit sensus, noxa post eruduit. Comprimere tamen nitor diligentia, et parcimonia ingruens malum. Ergo cœlestibus advocatis iter paramus ordiri. Vestræ in nos beneficentiæ gratias referrem, si se amor speratus et ex munere debitus lactari laude poterentur. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS ROMANO.

Ad scribendum creber esse voluissem, et hoc sperandum esse promiseram: sed valetudo filii mei diu in dubio versata, cessationem ab hujusmodi officiis imperavit. Qui ubi primum suffragio salutarium potestatum cœpit emergere, secutus est illico scribendi usus securitatem. Accipe igitur libens dictam salutem, quam, si fors optata juverit, mox sequemur. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS SERVIO.

Opperiris, ut intelligo, litteras meas: quasi ipse familiaris officii præsul esse non debeas. Fortasse allegatione moris utevis, quoniam plerisque persuasum est, auspicium salutationis profectis esse capiendum. Absolvo te consuetudinis observantia, aut lege pigritiæ. Satis erit mihi ad plenam satisfactionem, si aversatus scribendi occupare principium, saltim sequaris exemplum. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS AMICIS ROMAM.

Iter Capuam promovemus; forsitan suspicemini interventuram soliti in vos officii oblivionem per longitudinem viæ. Vulgati quippe proverbii est, enavigato Malvo oblimari eorum memoriam, quos domi reliqueris. Me quoque versum pedem tulero, amicorum cura comitatur. Sperate igitur honorem hujus

Digitized by Google

muneris circa vos esse mansurum, si optatis fortuna consenserit. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS ROMULO.

Non sum opinionis ambiguus exspectari litteras meas. Nam parem desiderii impatientiam de tuis patior. Una igitur est nostri causa sermonis, ut tuum mereat: cujus, ut in potu fontium, ideo major est sitis, quia sapor dulcior. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS LAMPADIO.

Admonueras, cum proxime urbe digrederer, si vellem tibi aditum scriptionis aperire, ut prior litteras inchoarem. Satisfacio voluntati tuæ, quæ observantiam prisci moris amplectitur. Absolutus igitur hac religione, erumpe in familiaris styli munera, mecumque communica, quidquid in administranda urbis tutela ex bono publico feceris. Nec quidquam vero scribentis detrahat pudor, ne voluptati meæ damno sit epistolæ verecundia. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS NICOSTHO.

Offenderat bonos quod immature ante discesseras. Doluit fortuna peccatum suum, quæ nobis te pari festinatione restituit. Sed quid absentem juvat amici reditus? Solare hunc casum literis frequentibus: scribe etiam quid tibi apud Urbem mandata cura permiserit: ut cum mihi spem visendæ eximietatis tuæ promiserit dies largior, ego quoque vix post tot annos molestias usurpato otio longius defruar. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS LAMPADIO.

Indicio quietis urbanæ tempus quodammodo usurpandi otii prorogasti: abesse enim longum, placiditas civium me sinit, tuis parta consiliis, quibus plebes relicta est in pœnitendi verecundiam. Nunc ergo post curarum omnium fugam producere mihi ferias, ut ita dicam, pingues licebit. Quamvis præcipere animo incerta non debeam, qui sim mihi conscius teneræ in vos affectionis, et illius desiderii, quo præcunctis vitæ voluptatibus patriam meam diligo. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS HERCULIO

Agerem tibi largiter gratias, quoniam me laud dudum a vobis profectum dicenda salute præveneris, nisi hanc sibi gratulationem meam spes auctioris beneficii vendicavet. Ipse enim dicturis adfuturus; cujus rei nomine vadari me tibi in majoris gratiæ modum fateor. Velim tamen scriptis tuis sperato bono fidem astrui, ut qui tali opinione delector, multo amplius gaudeam confirmationis securitate. Vale.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS DYNAMIO.

Litteras meas amore desideras, sed infrequentem me videri communis filius facit, qui rescripta non repetit. Hoc tamen strictim dixisse sufficiat, ne illius verecundiæ oneri sit nostra purgatio. Nunc tibi honorem salutationis impendo, nec reposco, quod sponte facturus es, ut nos mutuis alloquaris; cum mihi hanc vicem et religio animi tui, et consuetudo promittat. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS TICIANO.

Desideratas quidem litteras tuas libens sumpsi; sed cognitio morum actuum, quorum testis atque narrator Fuscius fuit, uberiorem mihi attulit voluptatem. Itaque hortor ac moneo ut bene cœpta non deseras, et præmium laudis honestæ sectaris. Subjungerem curam meorum, si esset alius alloquendus, sed cum facias ultro quæ meus sermo posset expetere, partes commendationis omitto: quia quidquid ex fiducia amicitiæ præsumitur, plus habet gratiæ, si sponte præstetur. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS VALERIANO.

Rusticari te asseris, etducendis vitibus, aut arboribus inserendis crudam senectutem fovere. Non hoc litteræ tuæ sapiunt, nisi forte Gallia tua redux sit ab Helicone. Alios sulcos styla intermoves, alios ordines pangis. Ego autem, quoniam scire nostra desideras, in domicilio Latiaris facundiæ, otio et studio torpeo. Dii dabunt incrementa annorum meo parvulo. Ipse me, præfata fortunæ venia, ad studiorum suorum societatem vocavit. Interea frequentibus epistolis desidiam meam stimula. Unum quippe hoc litterarum genus superest, post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit allicere. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS ROMANO.

Nunc demum affluo voluptate, quod te curarum vacuum nuntiasti. Nam me hactenus rerum tuarum amaritudo mordebat. Itaque salutis præsides deos comprecor, ne unquam paginas tuas mens tristis infuscet. Interea talibus litteris pretium rependendum est. Quare vicissim sume quo de me gaudeas. In bono statu valetudinis sumus, et relegere Urbi propinqua meditamur. Sinat fortunæ benignitas hoc inter nos manere commercium, ut prosperis scriptis responsa consentiant. Vale.

EPIST. LXXI.

AD PRÆT. MULT. INVIT.

Prælato divinitatis favore, urbanæ præturæ fasces filius meus Symmachus kalendis Januariis sortietur. Præsentia tua ornari ejus officium participata petitione deposcimus. Vale.

EPIST. LXXII.

SIMILIS.

Divinitatis honore præmisso, filius meus Symmachus calendis Januariis præturæ urbanæ accipiet magistratum. Quæso, ut præsentia tua festa nostra cohonestet. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS MARCIANO.

Silentium mihi duci vitio non oportet : familiarium quippe officiorum usus inter adversa negligitur. Sed quia spes datur Symmacho meo integrandæ paulatim bonæ valetudinis, redit animus ad amicitiæ munia : ut si quem tibi taciturnitas mea metum fecerat, sermonis securitas absolvat. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS ANCHIO.

Certum habeo, nihil te litteris meis antiquius æstimare. Nam mihi quoque eadem de tui sermonis jucunditate sententia est. Merito amicitiæ munus arripui. Quod si pari lance reddideris, studium meum incitamento religionis acuetur. Vale.

LIBER NONUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS PALLADIO.

Si amicitiæ veteris memoria perseverat, nec ulla oblivione tenuata est, credo quod litteras meas libenter accipias, quas fiducia mutui amoris emisi : multum relaturus gratiæ, si officio meo vicissitudo respondeat. Nunc te pro amico meo Benedicto oratum volo, quem gradu atque honore militiæ fortuna magis quam culpa privavit : ut innocenti fautor arrideas, nec eum publicæ felicitatis, quæ ad universos pari ratione manavit, solum exsortem esse patiaris. Interest enim serenissimorum temporum gloriæ, ut sicuti omnibus in hac vita positis ac locatis, communis est cœli spiritus, lux diei; ita clementiam maximi principis nostri sentiant vota et facta cunctorum. Vale.

EPIST. II.

SYMMACHUS JAMBLICO.

Plerisque amor est undique gentium pretiosa conquirere. Me juvat studiosos sapientiæ viros in amicitiæ possessionem vocare, quorum te summatem esse jam diu attestantur experti : in primis familiaris noster cunctis probatus Eudoxius, diligens judex bonorum; qui degustatis propius virtutibus tuis, cæteros æque ad honesta tendentes laudare didicit, illis desiderium doctrinæ vitæque tribuens, tibi perfectionem. Invitatus igitur consensu famæ, et optimorum testium fide, amicitiæ tuæ dexteram porrigo; simulque opto ut mihi epistola a te relata declaret concordiam voluntatis tuæ, et mutuæ in nos diligentiæ impetrationem. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS ZENODORO.

Repetenda mihi apud te, non inchoanda est Eusci commendatio. Nam cum Romæ ageres, meo precatu in ejus suffragium provocatus, libenter partes benevolentiæ recepisti. Tempus est igitur ut meas utilitates in Euscio juves : cujus modestia ita negotiis nostris aderit, ut famæ judicis nihil deroget. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS DIONYSIO.

Jamdudum te mihi, et morum, et medicinæ fama commendat. Hortatu igitur laudis utriusque, amicitiæ tuæ manum porrigo, et te sponte ad fidem nostræ familiaritatis invito. Dabit autem tibi judicii mei non mediocre documentum, quod his quos erudiendos misimus arti medicinæ præceptor adhiberis. Repende igitur mihi pignus mutuæ voluntatis, et suscipe in disciplinam medendi quos et fidei tuæ et honestati Euscio tradente committimus. Vale.

EPIST. V.

SYMMACHUS AUXENTIO.

Amicitias inter nos, cum Romæ ageres, inchoatas munere scriptionis accumulo, ut fidem tibi animi mei faciat collati in absentem pignus officii. Tuam circa nos diligentiam privatim litterarum vicissitudo publice forensis pro Euscio cura testabitur. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS.....

Actores absentium, quibus res longinqua committitur, tanquam soluti legibus vivunt : quoniam procul positis nullus dominorum terror incurrit. Opus est igitur judiciali vigore, ut locationibus ascripta persolvant. Quare quæso ut suggestiones notarii mei, cui exhibenda nonnulla ad prætoriam functionem, et debita ab obnoxiis servis eruenda mandavi, juvare digneris; et vicem sollicitudinis meæ in curam tuam recipere non recuses. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS CARTERIO.

Pro filio meo Auxentio, parentis religionem, petitoris ambitum, fidem testis in me recepi. Si quid igitur tantarum rerum auctoritas apud te ponderis habet, admitte, quæso, in familiam tuam juvenem cunctis vitæ bonis et fortunæ muneribus excultum. Vadem me tibi in omnia spondeo quæ solet parentum sollicitudo trutinare, licet noverim futuros generos moribus æstimari. Et tamen huic post ornamenta naturæ, etiam census ad honestatem redundat. Possem copiosius loqui; sed non vult veritas verbis juvari. Quare si tibi videor non inanis assertor, perpende hominem de testimonio meo, et ei, quem pignoribus meis libenter annumero, dignare filiæ tuæ spondere conjugium. Credas velim, cum vota processerint interventu meo, non minorem te gratiam, qui rogaris, habiturum, quam illum quem committo. Vale.

EPIST. VIII

SYMMACHUS POMPEIANO.

Arguere diuturnum silentium meum non potes, qui me in sacro comitatu hactenus fuisse didicisti; unde nuper regressus honorificentiam dicendæ salutationis exerceo. Vicissitudo testabitur quod paginam meam libenter acceperis.. Interea commendo

Digitized by Google

scripta reddentem. Mihi enim proficiet, si quid suggestioni ejus favoris impenderis. Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS VINCENTIO.

Probo homines, ad clientelam tuam pertinere cupientes. Nam quædam scintilla sapientiæ est virtutum luminibus applicari. Et ideo amici mei Zenodori laudabilem voluntatem commendatione non differo, eumdemque in domus tuæ sacrarium tanquam mystagogus induco. Fac, quæso, ut et meo studio, et ipsius voto impetratio prompta respondeat. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS LEPORIO.

Fortunæ telo graviter sauciatus, nunc primum epistolæ mœstæ verba committo. Neque enim diu ab officio debui temperare, cum tanti vulneris dolor nulla temporis diuturnitate possit aboleri. Saluto igitur te, simul amicissimum meum Sylvanum diligentiæ tuæ promptus commendator insinuo : qui refovendi patrimonii mei gratia laboriosam peregrinandi necessitatem recepit : eoque dignior est boni cujusque suffragio, quod nullis edictis designationem personarum videmus expressam. Sed principalibus et tabulariis liberum est, alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere. Vide, quæso, ut hanc partem et nostræ utilitatis et tuæ laudis consideratione discutias. Postulant enim capitularii taxationem tironis ab hominibus meis, nulla super hoc publicæ auctoritatis monumenta promentes. Unde mihi non injusta suspicio est, quod in excusationem sui aut suorum, nostros quoque homines falsa ascriptione subdiderint. Et ideo dignum est, ut provincialibus vel edicto, vel suscriptione tua instructio plena pandatur, ne tabulariorum et curialium licentiæ vaga et libera exactio quæstum præstet. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS MARCELLO.

Cum vicem præsentiæ meæ et possit et debeat tuus interventus implere, miror suggestionibus Amazonii occupationes nostras frequenter onerari. Exsequere igitur, oro te, partes amicitiæ congruentes, ut auxilio tuo tutata possessio, et ipsa a molestiis vindicetur, et nobis aliquid commoditatis exhibeat. Inter reliqua autem, quæ idem intimavit, magnopere deprecatus est ut Ursum, quem dudum domui nostræ cum familia sua dicet obnoxium, ab omni publica conventione secernas, quo facilius delata munivit. Sed major opitulatio ex tui arbitrii favore proveniet, cum causæ ejus etiam justitia non desit. Circumscriptus enim quantum res docuit, improvida cautione, non debet noxam rusticæ facilitatis incidere. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS PERPETUO.

Votiva domus meæ functio tua adjumenta deposcit. Proxime enim, si optata nostra favor divinitatis adjuverit, filius meus præturæ editione fungetur, cui equorum curulium paranda nobilitas est. Si quid igitur apud te valet amicorum absentium cura, quæso ut ex omnibus gregibus, quibus pollet Hispania, lectissimos genere et velocitate præstantes diligenter edecimes, quos amici mei in rem missi justa pretii definitione mercentur. Stabit apud me jugiter beneficii tui gratia, si huic negotio studium, quod religio mutua promittit, impenderis. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS VALERINO.

Ingeniorum video inter nos esse certamen in eo negotio, quo ratio, amicitia, tempus abolere debuerat. Modum igitur expostulationibus mutuis facio, ne amarissimæ scriptionum vices sine fine procedant. Munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur. Sed a te prædicti muneris posco vectorem, quia meos prætorius apparatus sparsim in longinqua egit. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS APOLLODORIO.

Curarum tuarum me esse participem jure præsumis, quas ego animo meo etiam non commonitus pro amicitia vindicarem. Pars igitur sollicitudinis tuæ filia mea adventante minuenda est, quam proxime Roma suscepit, dimissura in conspectum tuum, cum se interposita refectione recreaverit. Interea de communis patriæ victu celeriter invehendo, silere me apud te non sinunt angustiæ conditorum. Quæso itaque ut vigore quo præditus es, annonarios urgeri jubeas paratus. Adjiciet enim plurimum gloriæ tuæ Romana securitas. Vale.

EPIST. XV

SYMMACHUS GLMINIANO.

Consuetudinem meam servo, et religiosa in amicos instituta custodio. Quare salutationis honore præfato, mutuum de te posco responsum : et, si memoria viget mandatorum meorum, ut securum me de apparatu prætoriæ functionis facere digneris, exhortor. Crescit enim per dies singulos cura apud me, quoniam propinquat editio, et nihil de vestibus atque animalibus, quæ olim sub æstimatione ac definitione tua per meos coemi debuerunt, miror exhibitum. Et quoniam sollicitor tarditatis, notarium meum misi, qui tuis præceptis et monitis obsecutus devehenda cuncta suscipiat, actoresque nostros ad pretia quæ statueris, solvenda impellat, ne pecuniarum videantur inopia hactenus tuum declinasse conspectum. Tandem igitur partes religionis exsequere, ut exemplo diligentiæ tuæ in officiorum vicissitudinem provocemur. Vale.

EPIST. XVI.

SYMMACHUS SAPIDIANO.

Leontius agens in rebus, et honestate vitæ et militiæ exercitatione bonis quibusque placitus, meum quoque judicium assidua diligentia provocavit. Inter amicos igitur ac familiares meos jure numeratur. Hunc tibi in manum trado, petens, ut exemplum nostræ circa eum affectionis imiteris : quod te sedulo præsumo facturum. Interea de animalibus lu-

Digitized by Google

dorum apparatui præparandis admonitionem frequentare desino, cum per eam sponsionem tu me hujus curæ vacuum reddidisti. Mandavi tamen Leontio monitoris officium, cui aurem præbere dignaberis, si quando ipse publica et majora tibi tractanti hanc quoque petitionem domestica insinuatione suggesserit. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS VENUSTO.

Integrum situm prætorii mei, et picturam quamdam fabrilis operis ante oculos collocasti : ita adaperta distributio, vel adhuc assurgentia, vel jam absoluta signavit. Dissimulo igitur meorum tantisper accusare segnitiem, qui in iisdem molitionibus fabricatione hæserunt, dum suavitate paginæ tuæ mulceor. Volo tamen relegendo *iter Capuanum architecti nostri tarditatem* oratione castiges, ut vicem mei felliş exerceas : ut de tua objurgatione conjiciat, quanta illi pernicies, nisi commissa curaverit, ex mea indignatione metuenda sit. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS POMPEIÆ.

Votiva mihi emersit occasio, quæ tibi salutationis apportaret obsequium. Nam cum ob præturam filii, familiares nostros ad Hispanias mitteremus, quibus equorum curulium mandavimus coemptionem : litterarum cultum tibi par fuit exhibere, simulque adjicere postulatum; ut nobilissimos quosque de tuis gregibus equos digneris excerpere, quos in rem missi sub justa taxatione mercentur. Quæso igitur, ut si qua apud te memoria domus meæ residet, rem tibi factu facilem, mihi vero jucundam atque honoratissimam, promptissima beneficentia digneris annuere. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS FABIANO.

Votiva me in amicitiam tuam causa reducit, quamvis ob decus generis et morum tuorum familiaritas tua mihi fuerit ambienda. Prætura filii mei, fors dictum juvet, equis curulibus instruenda est. Dudum per meos ..... gregibus tui pecoris.....

EPIST. XX.

SYMMACHUS BASSO.

Salutationis honore præmisso, subtexo necessarium postulatum. Filii nostri instat editio. Huic equorum curulium paranda nobilitas. Quapropter ad Hispanias fidelissimos cum copiosis sumptibus misimus, ut generosas quadrigas sub diligentissima lectione mercentur. Sed quia veremur ne equorum transitum hiemis interventus excludat : quæso te, ut si necessitas postulaverit, tribus vel quatuor mensibus hibernis pabula illis in re tua pro numero jubeas ministrari : ut incipiente temperie sine vexatione perveniant. Præterea adjumentum meis oro decernas ad equorum coemptionem, si quos in Arelatensi urbe cursu et genere præstantes eorum cura repererit. Amplectenda est enim vicinæ emptionis occasio, si eximium aliquid casus obtulerit. Stabit apud me ingis memoria beneficii tui, cum votivæ editioni nostræ fraterna, ut spero, cura profuerit. Vale.

EPIST. XXI.

SYMMACHUS VICARIO HISPANENSI.

Senatoriis editionibus convenimur, quorum necessitas equorum curulium desiderat emptionem. Hujus igitur rei gratia familiarissimos meos ad Hispaniam misi, ut quadrigas ex omni gregum nobilitate mercentur. His ad peragenda mandata tuum posco suffragium, summoque beneficio profiteor obligandum, si rem factu facilem, tuum imperium promoverit. Vale.

EPIST. XXII.

SYMMACHUS AURELIO.

Domum nostram in apparatu esse ludorum quos, Deo juvante, filii mei prætura deposcit, quantum credo, didicisti. Missurus igitur ad Hispanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex omni gregum nobilitate mercarentur; jam nunc in favorem prætereuntium curam tuam provoco, ut illis et velocitas transeundi, et evectionum præstetur adjectio. Hæc interim pro tempore prælibavimus. Sed plura tribues, vel tuo provisa studio, vel illorum suggestione comperta. Vale.

EPIST. XXIII.

SYMMACHUS MARCELLO.

Requirunt te per Hispanias aliæ litteræ meæ. Illic enim te degere ob rei familiaris amplitudinem duxeram. Postquam in avitis penatibus otiari constantior fides attulit; ego huic errori gratias, qui mihi præstitit ut te rursus alloquerer. Et tamen ista gemination, quamvis satisfacere animo tuo debeat, nondum meo sufficit. Vellem quippe ita continue honorare amicitiam tuis litteris, ut mente jugiter colere nunquam dissimulaverim. Subjungo postulatum. Jampridem commendata sensibus tuis, prætoria filii mei, si fors dictum juvet, instat editio. Ea nos admonet, ut quadrigas nobiles in certamen deducas, quæ posset ex multorum gregibus edecimare meliores. Non obsit securitati meæ, quod Hispanias longinqua sede mutasti, admotus a me equorum coemptioni. Tantum litteris juva. Valebit pro nobis, ut spero, apud amicos curæ tuæ delegatio. Vale.

EPIST. XXIV.

SYMMACHUS BASSO.

Multam capio animi voluptatem, quoties sermonis tui munus accipio. Est enim in litteris et sanitatis et amoris indicium. Præterea lætitiæ mihi est, quod brevi te adfore polliceris. Quo magis autem redire te properes, nuntio filium meum (si favor divinus arriserit) prætorios fasces anno ineunte sumpturum. De qua re ad te per familiares meos plenius scripsi, quibus equorum Hispanorum mandavimus emptionem. Sed quia suadet occasio, nunc quoque repoco postulatum. Et quæso te, ut si forte eorum reditum intemperies hiberna retardaverit, stabulari in agris tuis paucis mensibus jubeas, atque ad nos inde, verno tempore incipiente proficisci. Interea hominum tuorum cura submota est, quos et præsentia mea et judiciaria tuitio defendit. Denuntiavi enim litem mo-

Digitized by Google

venti, quod ad me causa pertineat, nec defuturum eis meæ actionis auxilium. Quod non dubito etiam eximietatis tuæ homines indicasse. Vale.

EPIST. XXV.

SYMMACHUS VINCENTIO.

Facio officium meum, si quando te cultu salutationis impertio. Nec dissimulo referre grates, quod invicem me frequentet remuneratio scriptorum tuorum. Sed hæc produci longius non oportet : quia bonæ amicitiæ jactationes refutant. Illud nunc de te impetratum volo, ut litteris et apparitore decreto juvare digneris curam meorum, quibus emendas ex Hispania curules quadrigas in apparatum prætoriæ functionis injunxi. Oro præterea, ut equorum tractoriis, quas vir illustris Theodorus emisit, confirmationem per epistolam præstes, et mutato judice beneficii lentescat auctoritas. Exambirem super his nimio precatu gratiam tuam; sed apud verecundas aures simplicitas efficacior est, et libentius pudor annuit, quod cum fiducia postulatur. Velim tamen teneas, nunc quidem in petendo esse me parcum, sed fore in agendis post impetrationem gratiis copiosum. Vale.

EPIST. XXVI.

SYMMACHUS VALERIO.

Juvat animum meum, quod sæpe vitio vertis scribendi ad te negligentiam. Amoris enim tui signum est, vicissim desiderare, quæ præstas : et tamen dissimulandi..... destinatio tua voverat. Contristavit me fateor, nec tibi conveniens, nec mihi sperata jactatio irriti beneficii. Ne quid igitur ingenua verecundia simile rescriberet, malui premere mutuum dolorem. Nam inter absentes alterna epistolarum decertatio plerumque ad odia procedit. Nunc redeo in usum styli simplicis, gratus magis voluntati tuæ, quam reus casui. Te oro jam desinas amicitiam meam, quæ nihil tibi indixerit oneris, damnosam putare. Vale.

EPIST. XXVII.

SYMMACHUS ALEXANDRO.

Silentium circa te meum nullo jure culpabis, si tuum cogites. Et fortasse justius tibi hujus rei subeunda est verecundia, qui ob rem Romam sæpe litteras mittens, amicitiæ circa nos munia præteristi. Meos autem sola ferarum emptio Aquileiam compulit præterire. Nec tantum succensionis meretur unius occasionis oblivio, quantum laudabilitas tua inter assiduos commeatus tuorum contemptu mei contraxit invidiæ. Sed sit venia utrique nostrum, quanquam imparis negligentiæ. Posthac et ipse omissum munus instaura, et nobis rescribendi per eosdem copiam præsta. Difficilis est enim mihi hinc pergentium inquisitio. Denuo styli cessabit officium, nisi *tui familiares nostra* ad te redituri susceperint. Vale.

EPIST. XXVIII.

SYMMACHUS MAXIMO.

Agitare te venatibus feras, et hibernis mensibus Apennini gelida lustrare, valetudinis tuæ æstimatione nunquam putavi : amicior enim litteris quam laboribus videbaris. Horum alterum diu de te ignoratum, munus silvestre patefecit : alterum pene creditum, paginarum tuarum cultus asseruit. Quare inter sodales Apollinis ac Dianæ, sectator utriusque numerabere, etsi te magis, ut scripta testantur, venaticæ artis gloria juvat. Nam cum te nivosis saltibus inerrasse describeres, supra epistolæ temperamentum verbis tripudiasti : nimirum lætus ex arduo, et adhuc calens montani operis eventu. Interea satis fuerat Apennini spolia misisse. Adjecta autem de corde plura fastidio esse potuerant, nisi amor tui removisset satietatem. Vale.

EPIST. XXIX.

SYMMACHUS VARO.

Dum provincialium mederis adversis, et salutarem laborantibus manum porrigis, gravior Apulos casus incessit, a quibus ob inanem famam fecunditatis, frumenta poscuntur, et detrahenda provinciæ, et reip. usui non futura. Quando enim in hiemem vergente anno poterunt maturari tantæ fruges? Si igitur tibi suppetit facultas itineris celeriter ad Campaniam promovendi, scire me facito, ut te paulisper opperiar; aut si promissum major causa mutabit, id ipsum notitiæ meæ protinus pande, ut Symmachus noster diu in Formianis littoribus otiatus, propere mecum ad studia revertatur. Vale.

EPIST. XXX.

SYMMACHUS LEONI.

Opto quidem te in tantum copiis pecuniæ familiaris affluere, ut possis opima prædia comparare. Sed mallem te sine amicorum noxa atque injuria oculum ac desiderium novis emptionibus admovere. Nam ego Postumianensem rem jure optimo sine ulla mentione consortii tui ab antiquissimo possessore mercatus; nunc primum tua admonitione convenior, ut prope jam inveterata possessione decedam. Cujus pretium non ejus mediocritatis est, ut emisse delectet : ideo cum possim tibi legibus obviare, et desiderio ejus, cujus res aguntur, obsistere : copiam tamen facio, ut quod argenti dedimus venditori, id homini meo Euscio, cui summa comperta est, digneris expendere : si tamen præoptas nostra mercari, quam tua nexu obligationis absolvere. Vale.

EPIST. XXXI.

SYMMACHUS CARTERIO.

Quod defendendum socero erat, cujus te momordit querela, competenter in Epictetum commotus implesti. Caret foro, et inconsultæ linguæ pretium tulit. Ac, si quid mihi credis, contumeliæ talione correctus est. Nunc ingenium tuum moresque considerans, flecte ad veniam placabilem voluntatem. Scis causidicorum sæpe improvidos lapsus : et cum ornares tribunalia, ante defensor, post cognitor jurgiorum, talis advocationis errori plerumque restitisti. Sed quia nunc aliqui, quorum tota flagitia sunt, Epicteti amici mei silentio claruerunt; quæso, ne diu infortunato potius quam innocenti patiaris illudi. Faciet vir amplissimus, communis frater, quidquid te velle cognoverit. Erit etiam ille promptus ad restituendum ei munus orandi, si voluntatis tuæ sumat indicium.

Digitized by Google

Tu modo benignam mentem litteris meis applica; et qui togæ amicus es, cujus laude supra alios splenduisti, honesto ordini notam detrahe, et homini parum cauto rogatus ignosce. Vale.

EPIST. XXXII.

SYMMACHUS JANUARIO.

Solebas antehac, cum tribunalibus præsiderem, fori tirones commendare judiciis : quod nunc officium versa conditione suscepi, qui magisterio tuo causidicinæ insinuo candidatos. Qua in re meum necesse est sequaris exemplum : ut qua facilitate oblatos a te frequenter admisi, eadem religione suscipias me assertore productos. Vale.

EPIST. XXXIII.

Assectatores diligo litterarum, non quod mihi cum talibus studiis ulla cognatio sit; sed quia professio bonarum artium, quasi pulchritudo etiam in alieno corpore locata delectat. Merito Valentinianum congressu mihi primore compertum, paginis prosequi officium duxi : ut ei apud te primam januam meus sermo reseraret, sua vita atque eruditio conciliaret amicitiam pleniorem. Vale.

EPIST. XXXIV.

Religiosa cura est, quæ amicorum liberis exhibetur : præsertim, si familiaritas majoribus delata, cumuletur meritis posterorum. In rem præsentem spectat præfata sententia. Nam Lampadium C. M. V. non utique ad se pensi habui, ut solet esse multorum caduca et fragilis affectio : sed ex eo genitos, et in bona paterna nitentes prorogato amore contemplor. Hos tibi trado ab omni injuria vindicandos. Quæso ut vicem meam, si usus tulerit, justus arbiter exsequaris. Multum hujus beneficii impetratio in tuam laudem, in meam gratiam promovebit. Vale.

EPIST. XXXV.

SYMMACHUS.....

Multas inter nos officiorum vices scribendi cunctatione perdidimus. Non sinam produci longius commune delictum. Assumo igitur mihi religiosi muneris partes priores : et si referre verba distuleris, non mutabo propositum. Tuæ deliberationis erit intercapedo rescripti : modo memineris, acceleratum gratiæ recursum, voluntatis signa præferre, serum necessitatis. Satis mihi videor instaurandis commerciis epistolarum locutus. Dein sermo Probo portitori aliquid utilitatis debet afferre. Est enim mihi familiaris dignusque patrocinio tuo : quem si placido ore respexeris, fortunas suas crevisse gaudebit. Vale.

EPIST. XXXVI.

SYMMACHUS.....

Taceas licet, et salutationi respondere dissimules, nunquam me a religioso officio dimovebis. Excudam quandoque, ut hac obstinatione decedas. Interea necdum recuperata fiducia tui, audax munus ingredior. Commendare enim tibi hujus scripti studeo vectorem, juvenem gravitatis exactæ, mihique dudum probatum per honesta documenta, nec inexpertum (si recte æstimo) judicio tuo : quia securus vitæ et militiæ veteris, nunquam refugit examen superiorum. Sed fac mediocriter a te hominem esse perspectum : fas non est, si quid tribuis amicitiæ nostræ, ut post testimonium meum tanquam novus amicus tibi accedat. Vale.

EPIST. XXXVII.

SYMMACHUS.....

Pendeo animi usque ad valetudinis tuæ nuntium. Nam infirmis adhuc viribus tuis laborem itineris addidisti, nec possum super hoc commeantium sermonibus esse contentus, siquidem major affectio pro falsis accepit dubia rumorum. Exopto igitur litteras, quarum fides apportet mihi de te certam securitatem. Si quid ipse meorum actuum scire postulas, ab epistolæ perlatore cognosces. Est enim nobis conciliatissimus ob vitæ integritatem, dignusque, me teste, qui sedulo domus tuæ cultoribus inseratur. Vale.

EPIST. XXXVIII.

SYMMACHUS.....

Antistianus vir ordinis nostri, olim mihi probitate vitæ complacitus est, et honestis carus officiis. Quod me ex vero potius, quam in gratiam ejus asserere, qualitas præsentis desiderii ostendit. Nam diu patriæ suæ functus defensione, desiderat tantum portum privatæ quietis adipisci. Quæ res tibi commendabilem faceret, etiamsi meus non interveniret affatus. Soles enim pro tua virtute diligere cupidos otii, et nescios ambiendi. Oratus igitur atque exoratus litteris meis, dignare concedere optatam requiem vacare cupienti. Nec deerit subrogandus, cum facile ex tot optimatium numero parem fide atque industria virum tua edecimare possit electio. Vale.

EPIST. XXXIX.

SYMMACHUS.....

Desiderium mihi amicitiæ tuæ frater meus Nicias, cum primis philosophorum numerandus incussit, postquam per epistolam fecit indicium, quod ei filiam tuam fida pactione desponderis. Quæ res testimonio est, sincerum tibi inesse judicium : et propterea familiaritatem tui ultro omnes bonos debere sectari. Asserit enim probabilem mentem talis electio. Quare optimæ voluntati calcar admoveo, teque hortor, ut quamprimum laudatissimum generum diis juvantibus sortiaris. Cujus accessio tibi et conciliabit gratiam plurimorum, et decus affinitatis adjiciet. Vale.

EPIST. XL.

Ratio quidem justitiæ serio semper habenda est. Sed circa nobiles probabilesque personas plus debet esse moderaminis, ut perspiciatur in discretione judicium. Hoc eo proloquor, ut interventum meum generalitate commendem. Genus autem petitionis hujusmodi est. Agri sororis meæ Italicæ, illustris feminæ, cultore vacuati, et fessi onere munerum publicorum, judiciaria auctoritate refovendi sunt. Hanc opem de tui animi æquitate promisi. Certa est enim de bonorum mente præsumptio. Sponsioni igitur meæ, si tibi cordi sum, fidem præsta, et quidquid rebus atque rationibus matronæ absentis accommodum est, nutu facili tribue, meæ imputaturus gratiæ, quidquid illi favoris impenderis. Vale.

Digitized by Google

EPIST. XLI.

Silere non debui eo commeante, qui tuus est : siquidem necessitudo inter vos futura persuadet ut utrique vestrum similis a me diligentia deferatur. Quare salutationem litterariam tibi defero, et hortor ut virum devotissimum Ticianum, mihique amicissimum, præmissæ conjunctionis quamprimum compotem præstes. Vale.

EPIST. XLII.

Fructus laboris est, placere melioribus, et pro industria atque integritate palmam judicii promereri. Quapropter Benignus V. C. filius meus, rei frumentariæ negotium pervigili animo, et puris manibus exsecutus, solam de te mercedem justi amoris exspectat. Testatur insomnes ejus curas imbecillitas corporis. Nihil enim de Sardinia reportavit, nisi bonam conscientiam, et malam valetudinem : horreis autem tantum frugis invexit, quantum illi provinciæ anni fortuna contulerat. Nullus de eo rumor adversus, nulla conquestio, res semper ad arguendum paratæ. Horum omnium locupletissimum pretium est, si amicitia tua dignus habeatur. Quod mihi declive ad impetrationem videtur : si quidem necesse est, te delectet eorum probitas quorum non fefellit electio. Vale.

EPIST. XLIII.

Religiosa potius quam invidiosa quæstio est, quæ fidem pactorum repetit. Nolo igitur existimes, culpabiliter ad me esse perlatum, quod pactas filiæ tuæ nuptias cum Herculio amicissimo meo hæsitatione suspendas. Sed cæteris, quos matrimonii de te impetrati vel adjutores scit fuisse, vel testes, mecquoque voluit admovere, ut suspensa diu vota novi hortatoris impulsus acceleret. Maneat igitur, oro te, stabilitas promissorum, nec senatoriam fidem voluntatis mutatio devenustet. Prosit etiam pacto fœderi meæ pro illo petitionis adjectio : cui non sine contumelia placita denegabis, cum prompte nobis deferre etiam intentata debueris. Certe ea viri modestia, ea in foro Romano dignitas est, ut quantum ei gratiæ tribuisti, tantum ornamenti ex genero consequaris. Uberes laudes ejus, et vitæ honestamenta prosequerer, si bonum aliquem videreris admittere. At cum tibi ejus bona esse comperta evidenter astruat dudum recepta conditio ; non debeo ejus protelare præconium, quem tibi suscepti fœderis pignus indicat jam probatum. Vale.

EPIST. XLIV.

SYMMACHUS.....

Disarius, medicinæ professor, virum sanctæ memoriæ atque illustris, patrem tuum spe *commodi uberioris in Galliam secutus fuit*. Et quia ei cohærere decreverat, rerum suarum Aquitanicam nonnulla præmisit. Nunc contra bonorum omnium votum tanti viri obitu destitutus, relegere ad suos iter, ut parens attestatur ejus, optat. Juva, quæso te, piam juvenis voluntatem : et quæ ei pro insita moribus tuis fidelitate reddenda sedulo spopondisti, jube ocius reportari, ne illi supra vulnus amissæ spei, injuria longæ peregrinationis addatur. Vale.

EPIST. XLV.

SYMMACHUS.....

Pervectæ sunt ad me litteræ tuæ, cum in Campanis littoribus otiarer. Credo te fando, aut lectione didicisse, quanta sit hujus regionis venustas. Vicit epistola tua appositas voluptates. Spretis igitur cæteris, quæ ingerebat loci gratia, totum animum recensendæ paginæ usque ad memoriam mancipavi. Utinam plura dictasses. Mihi tamen sæpe repetita instar multorum fuerunt. Posthac parcius promas, quod ex abundantia ingenii tui nascitur, ne me quoque, cui stylus pauper est, in arctum revocet voluntaria tua frugalitas. Quod restat, Aurelium tibi denuo in manum tradimus, non quo inefficax fuerit prior commendatio; sed ut meritum ejus nostramque curam testetur etiam iteratio. Vale.

EPIST. XLVI.

SYMMACHUS.....

Quisquis a nobis in commendationem sui litteras petit, præstat gratiam, *quam se putat accipere*. Antiquior est enim mihi amicitiæ cultus, quam illis præsidii impetratio. Repende igitur hujus promptæ operæ mercedem scripta reddenti, et pro mediocritate fortunæ hominem munerare. In tuo jure est, me etiam officii mutui honore digneris. Neque enim verborum fenus exerceo, ut te de solutione conveniam. Grave est te ad leges debiti redigi, qui me officiis voluntariis sæpe superasti. Vale.

EPIST. XLVII.

SYMMACHUS.....

Bonorum virorum curam tibi esse non ambigo. Mores enim tuos necesse est similium virtutum conjunctione gaudere. Si quid igitur mihi tribuis, quæso te, amplectere amicitias domini et filii mei Flaviani : quem non solum parentis, verum etiam testis fidelitate commendo. Reperies in eo mentem dignam amore tuo, et meliore fortuna, licet sacri beneficii magnitudo casibus ejus occurrerit, et ad cumulum lenitatis adjecta sit evocatio. Unde æquum est, quem respicit imperiale suffragium, familiaritas tua non deserat. Vale.

EPIST. XLVIII.

SYMMACHUS.....

Ad posteros amicorum curam transferre debemus, ne fides cum homine interiisse videatur. Exigit igitur a me memoria Petronii exconsularis, cui lar apud Ariminum fuit, ut ejus filios hæreditario amore defendam. Horum domus militaribus habitanda decernitur, et ni publica succurrat auctoritas, extremum patietur excidium. Si quid igitur interventui meo tribues, datis ad Ariminensium magistratus atque ordines minacibus litteris, arceri ab ea hospites jubeas, et restituere penatibus parvulorum priscam securitatem. In judicis enim jubentur esse tutelam, qui a parentibus deseruntur. Vale.

EPIST. XLIX.

SYMMACHUS JUSTO.

Voto ac desiderio suo me adjutorem Severus vir honestus ascivit ; cujus cum petitionem probabilem

Digitized by Google

judicassem, flagitatas litteras negare non debui. Summa autem petitionis hujusmodi est ut filio ejus conjunctionem filiæ tuæ spondeas : cujus rei impetrationem facilem fore personarum promittit æquatio, et honestate et possibilitate congruitis. Exspecto igitur ut responsio tua testimonium meum vires apud te habuisse declaret.... Vale.

EPIST. L.

SYMMACHUS CÆCILIANO.

Quantum domui meæ cultum Lucillus quondam pictor adjecerit, cum potissimis amicorum nosse te certum est. Hujus filium, per naturam quidem et per necessitatem procul positum, injusta sollicitant, orto certamine inter Numerarium quemdam et Opinatorem, dudum supradicti possessoris colonum, qui superiorum temporum ratiocinia in Lucilli vertere damna. Æquum posco, non gratiam; licet interventu meo etiam voti et studii accessio debeatur. Et primore loco postulo, domus viri prudentissimi, longeque degentis per officia publica et ordines tuta præstetur. Dehinc, ut si quid inter illos decertationis est, tuo cædatur examine : ne quando alteri judici servata cognitio recidivam Lucilli filio gignat injuriam. Vale.

EPIST. LI.

SYMMACHUS APOLLODORIO.

Quintus et Felix Hipponienses curiales, has de me litteras summatibus viris intervenientibus impetrarunt. Debui enim probitatem hominum de testibus æstimare. Interest igitur amicitiæ, ne spes eorum, qui me ad impetrationem validum crediderunt, decepta videatur. Quare, si quid eorum poscet utilitas, benignitatem adde justitiæ. Credo enim talia poscenda, quæ nec intervenientis petitionem, nec præstantis judicium decolorent. Vale.

EPIST. LII.

SYMMACHUS MAXIMILIANO.

Me ex sententia valere significo, tibi secunda opto suppetere : post hæc depostulo, quod spontanea benignitate fecisses, ut conductorem rei meæ Siciliensis, ad provinciam revertentem, celeri transcursu ad destinata dimittas.

EPIST. LIII.

SYMMACHUS.....

Assiduæ scriptionis nullum potest esse fastidium. Fungor igitur apud te salute dicenda, simulque hortor, et deprecor, ut hominum meorum curam gerere non graveris; quibus non solum tribuenda est fiducia, si quid usus desideret suggerendi, verum etiam necessitas admovenda. Hæc enim est natura servorum, ut adire renuant profuturos, dum culpam suam metuunt deprehendi. Vale.

EPIST. LIV.

SYMMACHUS PŒMENIO.

Tacenda sunt damna fortunæ, ne sera consolatio scindat præteriti doloris cicatricem. Rectius ergo tecum filii nostri Nemesii ornatissima indole, vel potius fecunda laudum fruge contulerim. Habes virum dignissimum pro numerosa prole censeri : hunc tibi in manum reddo, quod utroque facere voluissem. Æstimabis de cultu morum ejus ac litterarum, quantum illi studiorum mora potuisset adjicere, nisi respectum paterni desiderii timor noster habuisset. Vale.

EPIST. LV.

SYMMACHUS EUSEBIO.

Communis amici Eusebii merita longo sermone prosequerer, nisi de probitate ejus atque militia plura sentires, qui nunc de loco suo anxius, postquam de eo comperit esse dubitatum, allegationes suas properavit astruere lectione publici scripti, non assertione verborum. Qua in re et fautor *litiganti, et testis allegationibus ejus a nobis accedere juberis* : quorum alterum nobis tua amicitia promisit, fides alterum pollicetur. Nam dudum eum ad scholam Gallicani palatii translatum esse meministi, quod ideo te credimus ipso absente siluisse, ne existimaretur gratiosa esse suggestio : nunc majore fiducia aderis veritati, cum allegationes præsentis audieris. Vale.

EPIST. LVI.

SYMMACHUS GEMINANO.

Felix, cum et domus tuæ cultor esse diceret, et humanitatem commendationis meæ amicis intervenientibus postularet, desiderio ejus familiarem paginam non negavi, qua principe loco fungor apud te salute dicenda. Dehinc prosequor receptam petitionem, quæ supradicto, si nondum tibi cognitus est, præstet clientelæ aditum si jam notus augmentum. Vale.

EPIST. LVII.

SYMMACHUS QUINTILIANO.

Moris mei est, bene cognitis ac probatis ferre suffragium, nec personas hominum, sed vitæ merita cogitare. Cum igitur Assellus domesticus noster in urbanis castris militiæ stipendia sine offensione confecerit, quæso ut admissus in clientelam tuam, et meum patrocinium sibi profuisse, et tuum accessisse lætetur. Vale.

EPIST. LVIII.

SYMMACHUS CÆCILIANO.

Intervenire pro justis debitis non recuso. Malitiæ est enim repudiare locum gratiæ, in his, *quæ ipsa postulati æquitas commendat*. Formianis ad egestatis levamen certum ex Africa olei modum decrevit antiquitas. Poscunt a te morem longa ætate servatum, cui debet adjicere celeritatem præstantis humanitas. Vale.

EPIST. LIX.

SYMMACHUS JOVIO.

Non novum vel incognitum, sed compertum jam fide et antiquitate militiæ Eusebium amicum meum promptus commendator insinuo : quem ad hoc ævi nulla actuum culpa fuscavit, sed absentia, quæ plerisque occulit merita, si testimonio præsentium deseratur, locum ejus dicitur in ancipitem statum deduxisse fortunæ. Singularis tamen animi tui æquitas non patietur, ut spero, adversum stipendiorum prærogativam casum valere. Et mea igitur hortatio, et ipsius fiducia judicium tuum respicit. Quæso ut

Digitized by Google

causa cognita, véterum ejus stipendiorum justa confirmes, præstaturus et nobis amicis securitatem, et honestum collegis de optimi viri retentione consortium. Vale.

EPIST. LX.

SYMMACHUS PROBINO.

Omnibus qui occasionem scriptionis impertiunt, commendationis quamdam rependo mercedem. Nunc optimo viro Petrucio factum volo, quem scio hanc epistolam non tam sui commendatione, quam mei officii gratia postulasse : cujus operam versa vice munerandam putavi. Poposcit litteras, ut tibi probarer impensius. Ego contra ideo scripsisse me fateor, ut tibi ille acceptior redderetur. Vale.

EPIST. LXI.

SYMMACHUS PACATO.

Vix adducor, ut credam litteras meas sæpe repetitas nihil Leontio remedii contulisse. Quia si nihil virium frequens interventus noster habuisset, desisteret suffragium meum toties elusus optare. Cum igitur apud me querelæ istius fides dubia sit; experiri volo, cui potissimum parti dubitatio mea debeat applicari. Est igitur in manu tua, utrum posthac tenere in scribendo morem debeam, an verecundiæ nostræ continua etiam taciturnitate consulere. Vale.

EPIST. LXII.

SYMMACHUS ROMULO.

Tu quidem paterna affectione pignus commune commendas. Sed illi efficacius studia et amorem bonorum probabilis vita conciliat. Habes juvenem cujus fruge gaudere debeas, etsi scio patres avaros esse voti, nec ulla filiorum bona putare perfecta desiderio et cupiditate potiore. Forte lactari animum tuum judicas dulci potius nuntio quam fideli. Cum vero tibi ejus reditum favor divinus annuerit, tu in illius meritis deprehendes mei testimonii veritatem. Vale.

EPIST. LXIII.

SYMMACHUS.....

Observantiam vetus usus induxit, ut domo profecti præstent auspicium mutuæ scriptionis. Sed ego longæ exspectationis impatiens ordinem servare non potui. Prior igitur tibi honorificentiam styli defero. Dehinc subjicio postulatum, cujus hæc forma est, ut Laurentium domesticum (quod domus meæ poscit utilitas) suffragio tuo dissimules adjuvare. Vale.

EPIST. LXIV.

SYMMACHUS PACATO.

Incitare debueras. Sed prolixus in hac conquestione esse nunc piget. Itaque ad commendationem viri devotissimi Olympii amicissimi mei flecto sermonem : teque sedulo rogo, ut eum securus testimonii in penetralia familiaritatis admittas. Reperies in eo morum bona, qualia judicii tui circumspectio consuevit eligere. Vale.

EPIST. LXV.

SYMMACHUS ALLEVIO.

Vehiculi rotæ cujus debeant esse mensuræ linea missa testabitur. Superest ut omne carpentum affabre et firmis compaginibus explicetur. Si parte pretii ad hoc opus est, quod dandum scripseris, jubebo numerari. Humanitas xeniorum tuorum debet esse moderatior. Religio enim animis potius quam muneribus æstimatur. Vale.

EPIST. LXVI.

SYMMACHUS AD SÆCULAREM.

Pretia desertorum confuso errore poscuntur. Nam neque judicia .... certus futuri laboris institues : fixum enim ac definitum tenet amplissima præfectura, nullum ejus esse meriti, ut sublimitati tuæ debeat subrogari.

EPIST. LXVII.

SYMMACHUS.....

Et quiete provinciæ, et vigoris tui laude delector. Nec quidquam magisterio meo vindico, cum omne quod spectat ad gloriam, tuæ potius indoli debeatur. Macte igitur primi honoris auspiciis, et in uberiorem gloriam felices tende conatus ut tibi ad celsiores gradus januam pandas, et Romanum nomen claritudine administrationis illumines. Vale.

EPIST. LXVIII.

SYMMACHUS.....

Soleo amicitias optimorum primus expetere. Nunc fortunæ meæ inclinatio ut prævenirer effecit. Tribuenda est igitur venia tarditatis, non negligentiæ, sed mœstitudini meæ : et bono omine familiaritas copulanda, cui auspicium fortunatus præstitisti. Sed licet me ipse officii ordine et dignatione præverteris; in posterum tamen nequaquam residem judicabis, ut animorum nostrorum conciliatio, quæ tuo invitamento sumpsit exordium, meis litteris frequentata cumuletur. Vale.

EPIST. LXIX.

SYMMACHUS.....

Mallem quidem reditum tuum quam litteras impetrare. Sed etiam habent solatia locum, quoties fraudamur optatis. Vereor autem ne te diu ab urbe protermines. Namque hoc nobis minatur tarditatis tuæ elaborata defensio, quare velim noveris, nullas moræ allegationes desiderantibus juetas videri. Quidquid igitur ipse causationis attuleris, surdis, ut aiunt, auribus ingeretur. Hæc interim de quarto Latinæ viæ, mox agrum Laurentem petiturus emitto. Est enim familiare mœrentibus, animi curas migratione discutere. Vale.

EPIST. LXX.

SYMMACHUS.....

Accusarem silentium tuum, nisi te in fratre vidissem. Ille et officii satisfactionem, et præsentiæ imaginem mihi solus exhibuit. Nam omnia bona in eo agnovi, quæ in te dudum probavi. Amo igitur venam familiæ vestræ. De qua nobis, etiam qui adhuc comperti non sunt, prærogativa optimi generis laudabiles jam videntur. Superest nunc mihi solemnis illa effligitatio litterarum, quam nec omittendam penitus exi timo, ne remissius cures, quæ putas non deside-

Digitized by Google

rari, nec magnopere perurgendam, ne tibi perpetua conventio spontanei gratiam decerpat officii. Vale.

EPIST. LXXI.

SYMMACHUS.....

Quamvis relegere iter, atque illico parem rure deducere; hoc ipsum tamen breve intervallum dici vacuum esse litteris non patiar. Primum, ut officium scriptorum tuorum vicissitudine sermonis æquiparem. Dehinc, ut expetitas amicitias relatu gratiæ intelligar munerari. Postremo, ut indicio adventus mei pauxillum de te, si mox abire decreveras, residendi tempus obtineam. Ob has causas epistolam venturus ipse tanquam præsulem misi. Sed in his præcipua mihi fuit ratio non silendi, quod prior votum sanciendæ familiaritatis habuisti. Unde curare me decuit, ne culpam fastidii contraherem dissimulando responsa. Atqui mallem semper mea opera amicitias inchoari; tantum abest, ut pigre et negligenter accipiam munus religionis oblatæ. Ago igitur gratias bonæ voluntati tuæ, et curabo sedulo officiis meis, ut credas potuisse me scribendi ordine præveniri, diligentia animi non posse. Vale.

EPIST. LXXII.

SYMMACHUS.....

Alexandrum, sicuti loquuntur historiæ, gravis momordit invidia quod Achilli fortissimo ævi sui Homerum præconem fortuna tribuisset. At mihi animus gliscit gaudio, quod eventus reip. prosperos parili sermone ornasti. Unde factum est, ut nostris quoque obtutibus, qui procul agimus, quædam gestorum facies subderetur. Quare fortunæ tuæ gratulor quæ spectatorem te secundis rebus apposuit, et facundiæ quæ talium negotiorum magnitudini orationis gravitate respondit. Cœlestis natus efficiet, ut ornatissimo linguæ tuæ promptuario nunquam desit materia talium nuntiorum. Vale.

EPIST. LXXIII.

SYMMACHUS.....

Cura anxius eram priusquam litteras tuas sumerem, utrum commode peracto itinere ad destinata pervenisses. Sed ubi certior factus sum, nihil valetudini tuæ labore itineris deminutum, animus ad se revertit. Præstabit divinus favor, ut sicuti absentia tua optata cognovimus, ita tuo reditu gaudeamus. Vale.

EPIST. LXXIV.

SYMMACHUS.....

Editionibus nostris amicam operam polliceris. Intelligo litteris benevolentiæ tuæ effectum respondere potuisse, si honoris tui tempus felicitas provinciæ propagasset. Sed quamvis depositis reipubl. habenis nequeas promissi terminum dare, ego tamen fatcor ita me tibi vadatum gratia, ut sperata perfeceris. Voto enim faventis, non exitu rei animus obligatur. Interea abundo gaudio, quod tibi omnium rerum fama floret et in partem quæsitæ a te laudis accedo. Vale.

EPIST. LXXV.

SYMMACHUS.....

Beasti curiam nostram forumque Romanum, de quo sortiri Sicilia magistratus, anteriorum recordatione metuebat. Ades igitur nobis exspectatus, illis desiderandus. Et præsumo tibi accepto ferendum, si provinciæ commodaverit posterioris imitatio. Auctor est enim bonorum sequentium, qui relinquit exemplum. Vale.

EPIST. LXXVI.

SYMMACHUS.....

Querebar tacitus ipse mecum de silentio, sed amicam succensionem recens sermo placavit. Ergo in usum veterem revertamur, et mutuam diligentiam religiosis salutationibus excolamus. Vale.

EPIST. LXXVII.

SYMMACHUS.....

Scripta tua plurimum mihi tribuunt voluptatis. Sed si paulum Romæ residere voluisses, multo amplius nobis præsentia tua, quam sermo gratiæ contulisset. Fero tamen æquo animo, quod desiderio nostro amorem patriæ prætulisti. Et spero visendi filii tui gratia, qui nunc liberalibus studiis eruditur, reddendam mihi sæpius tui copiam. Interea dum absumus, frequentanda tibi est opera scriptionis, ut meus etiam stylus ad vicissitudinem provocetur. Vale.

EPIST. LXXVIII.

SYMMACHUS.....

Credo miraris, quod adhuc crudo fortunæ meæ vulnere silentium ruperim. Hæc solatia, his pascor, his recreor : etsi illa duco majora quæ mihi ex tuo pectore et sermone rédduntur. Sed nolo tantisper a me exigas litteras longiores. Breves sunt doloris induciæ, et mox in miseras cogitationes recurrunt dissimulata paululum mala. Ergo tua potius redundet oratio, quæ tibi laudem servatæ amicitiæ pariet, et mihi præsentis ærumnæ solamen afferet. Vale.

EPIST. LXXIX.

SYMMACHUS.....

Utinam te melior causa tenuisset, et facile absentiæ tuæ damna ferremus. Utcunque tamen desiderium tui litterarum solatio mitigasti : quas frequentare dignaberis, si quam tibi adhuc necessitas familiaris moram indixerit. Vale.

EPIST. LXXX.

SYMMACHUS.....

Et sancti animi tui affectione, et sermonis assiduitate delector. Ne illud quidem beneficii minoris existimo, quod ad scribendum mihi idoneas tribuis facultates. Spero enim paginas meas tibi posse restitui, quas reposcunt, qui tuo judicio portitores hujus officii deliguntur. Et vero quæ pro mutua amicitia dignaris injungere, libenter exsequenda suscipio, quoties desiderant operam meam quos commendatione prosequeris : sed si quid aut negligentius, aut serius sortitur effectum, eorum dissimulationi, quos commonendi cura deserit, oportet ascribi. Cæterum tam justa et honesta sunt, quæ ipse plerumque delegas, ut mihi vel utro appetenda sit exsecutio probabilium litterarum. Vale.

Digitized by Google

EPIST. LXXXI.

SYMMACHUS.....

Diu litteras tuas desiderasse me fateor, quarum apportatio exspectationi plenissime satisfecit. Præcipue autem gaudio fuit, quod te pro voto agere nuntiasti. Dehinc quod adventus tui dedisti obsidem sponsionem. Et quoniam te mutuis de me præsumo gaudere, post ingentia pericula, quæ solus in communis patriæ perturbatione toleravi, in bonum statum rediisse significo. Superest, ut ad plenitudinem prosperorum lætitia nobis sperata proveniat; quod mihi tuo reditu spopondisti. Vale.

EPIST. LXXXII.

SYMMACHUS.....

Pomis tuis abunde honorem scripto facerem si valerem. Nunc obsessus membrorum omnium doloribus, silvarum tuarum laudem sequestro. Faciet frequens humanitas tua ut sæpe alias in Marsos bona Phæacum translata celebremus. Vale.

EPIST. LXXXIII.

SYMMACHUS.....

Ruri cum parentibus otiabar, ut algore Prænestini diversorii flagrantiam torridæ æstatis excluderem. Eo me loci repererunt litteræ tuæ, quas exspectatione prosperioris indicii principio lætus accepi. Namque ad hoc locorum nullo me munere sermonis hilaraveras. Sed ubi omnes molestias quas Pado auctore tolerasti, sollicita lectione percensui; accusato vernula tuo flumine, cujus turbidos meatus et infidum agmen expertus es; retuli istam conservationis tuæ gratiam diis auctoribus, Bonæque Fortunæ. Quamobrem complacitum est mihi serum exhibiti sermonis officium, cujus longam cessationem secundis rebus tuis incusare potuissem. Factum est enim religione qua debuit, ut prius liberationem tuam, quam periculum discerem. Quare penes sospitatores tui deos manebit hæc cura, ut beneficiis suis jugiter immorentur, teque ob meritum donent largo ætatis excursu; ita ut senectus nihil decoquat firmitatis. Interea quoniam te grata secessio et quies dulcis amplectitur; quæso curam dignatus arripias nobiscum sæpius loquendi. Adjicies plusculum refectioni corporis si, aut emittendis epistolis, aut vicissim sumendis peregrinationem levaris. Certe nobis nihil antiquius erit, quam te legere, quibus blanditias oris tui interim non contingit audire. Vale.

EPIST. LXXXIV.

SYMMACHUS.....

Quod ait noster comicus: *Nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam*, id ego de epistolis tuis jure memoraverim, quæ multis salibus nonnunquam sententiarum, plerumque versuum sarciuntur. Veluti nunc litteræ tuæ halantes Platonicum nectar, quantum mihi muneris dederunt! Nam nisi tibi bonarum partium spectatus essem, nunquam me Atticis musis impertiendum putasses. Quare hujusmodi operi frequenter accingere, et amicitiæ diligentiam sedulo persevera, cum hoc negotium tibi nostri officii vicissitudo commendet. Vale.

EPIST. LXXXV.

SYMMACHUS.....

Amicæ voluntatis indicium est, quod adeptus amplissimum consulatum, cognitionem mihi et societatem tanti gaudii præstitisti. Quare hujus tibi apud me muneris opima laus est: quando ita securus es mei animi, ut tuis rebus prosperis scias nos posse lætari. Quid quod etiam consulare negotium fuit honoris sui nuntium latius promovere? Gaudia enim, quibus pauci fruuntur, angusta sunt. Dehinc ipsius æterni principis beneficium celebrius atque ornatius reddidisti, cui sub occasione talium litterarum apud multos gratias videris egisse, quam benigne animadvertantur officia. Facito ut istam gratiam scribendi assiduitate continues. Vale.

EPIST. LXXXVI.

SYMMACHUS.....

Compotem me optati nuntii præstitisti. Fateor enim veræ amicitiæ hanc esse rationem, ut commoda nostra mutuo gaudeamus. Gratulor igitur cum tibi familiaritatis nostræ causa, tum famæ temporum quam recentis judicii æquitas in æternam gloriam vindicavit. Functus es optimi civis officium, multa opera, perpeti sollicitudine. Sed nolo pœniteat. Virtus durioribus negotiis enitescit, et aspernatur declivem facilitatem, maximoque sudore arduum laudis annititur. Adde huc quod in ore fortissimi principis agis, et publico bono sine satietate defrueris: quæ res non compensat modo, sed etiam commendat laborem. Jam illud quale est, quod in causa non tantum tua fortunæ eluctatus incertum, nulli nostrum debes victoriæ tuæ gratiam? Plura vellem; sed videor mihi in præsentia satis fecisse verborum. Nunc si tibi potestas est, malo ut jam recurras. Si quid morarum est, quæso respondeas. Vale.

EPIST. LXXXVII.

SYMMACHUS.....

Summa tibi apud me laus et solida gratia est, quando id affectas amicitiæ cultu, ut nos litterarum honore digneris. Sed pars epistolæ tuæ quæ laudem mihi assignavit eloquii, sit licet nimis jucunda, minus tamen vera. Non audeo scribere: *Mentiris* et *Decipis* cum hæc de me prædicas, sed illud potius: scio quod amore falleris. Tu quemquam facundum voces, vir in dicendo summarum partium, cui sit patriciæ dignitatis oratio? Ergo parce verbis lenocinantibus, et fuco oblitis, et ad gratiam comparatis. Amicitiæ nostræ forte conveniat, ut talem videri me cæteris cupias; pudoris tamen mei non est, ut mihi ipsi talem me esse persuadeas. Vale.

EPIST. LXXXVIII.

SYMMACHUS.....

Olim te mihi fecit optabilem cultu, fama litterarum tuarum: sed diu officium scribendi per verecundiam distuli, ne in aula positum viderer ambire. Cujus morbi ita crebra est affectatio, ut diligentes existimationis viri pro alienis vitiis erubescant. Jam remota est causa hæsitantiæ, postquam me prior salutatione dignatus es. Patentes amicitiæ tuæ fores

Digitized by Google

benigne accitus introibo, et compensare meditabor pudentes silentii moras crebrioribus paginis. Tu tantum bona venia recipe obsequium linguæ inopis, et paulisper imperialis magistri submitte judicium. Indicasti certe meorum te aliqua legisse. Eamdem posco patientiam. Novus tibi non ero, nec inexpertum formidabo arbitrum. Omnia mea ferre didicisti. Accessit etiam nobis familiaritas quæ te mihi æquiorem judicem faciat. Gratiosa quippe est amicitia a severo examine in blandiores sensus caritate mutatur. Quid si ego deposito ingenii pauperis metu assiduas tibi epistolas spondeo? Vide; quando amplius speres de promptuario largiore? Fatendum est amice: Gallicanæ facundiæ haustus requiro, non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excessit; sed quia præcepta rhetoricæ pectori meo senex olim Garumnæ alumnus immulsit. Est mihi cum scholis vestris per doctorem justa cognatio. Quidquid in me est, quod scio quam sit exiguum, cœlo tuo debeo. Riga nos ergo denuo ex illis Camœnis quæ mihi lac bonarum artium primum dederunt. Et si te in meis scriptis aliquid offenderit, auditorem quondam popularis tui, aut silentio tuere, aut tu quoque rursus institue. Vale.

EPIST. LXXXIX.

SYMMACHUS.....

Accuso litteras tuas quas male credulus desiderio in te meo facturas medicinam putavi. At illæ decursæ oculis admoverunt tædas ferventiores. Affluebant enim multo melle facundiæ, quod avectum tecum doleo. Itaque parvæ lectionis sapore commotus, tristiorem damni sensum recepi. Inter hæc occurrit altera cogitatio, amarius esse, si taceas. Quapropter conditio durior vertit me ad optionem prioris. Peto igitur scribas. Sed hac epistolis tuis temporis intervalla breviora. Sæpius ad me commeent, et confabulationem præsentis imitentur. Fruemur assidue ea parte qua melior es. Quod si aliquid prolixioris curæ et elaborati a te operis adjunxeris, prope erit, ut non solum Romæ, sed in Athenæo quoque nostro, qua soles gratia, perorare videaris. Vale.

EPIST. XC.

SYMMACHUS.....

In curam tuam rediisse me gaudeo. Sed hujus tam subiti operis boni ornatissimus juvenis Asterius mihi auctor est; qui parandæ commendationis gratia, ut tandem scriberes impetravit. Et illius quidem familiaritati, licet a nobis olim repertæ, ob meritum recens adjecimus animi diligentiam. Te vero non patiar ultra exspectare monitores, et aliorum potius usui operam navare quam mutuæ inter nos affectioni debitum pium solvere. Non invideo poscentibus testimonia vel suffragia tua. Sed validior est amicitiæ causa, quam gratiæ. Precarias epistolas postpone legitimis: his frequentius caritas studeat, illas nonnunquam præstet humanitas. Vale.

EPIST. XCI.

SYMMACHUS.....

Exspectare non debui litteras tuas, quibus indicium mihi faceres honoris accepti. Itaque verecundiam tuam gratulatione prævenio, et opto adaugeat gradum meritis jure delatum continuata felicitas. Restat styli assiduitate acuas inter nos amicitiæ diligentiam, vincasque officiis intercessus tuos. Ille enim vere incrementis suis major est, quem sublimitas parti honoris inclinat. Vale.

EPIST. XCII.

SYMMACHUS.....

Incassum dissimulationis et taciturnitatis accusor, cum debitam tui diligentiam Jove teste non deseram. Sed nequitia meorum arbitror accidisse, ut missa ad te scripta resederint. Quæso igitur ne ex infrequentia litterarum meus in te animus æstimetur. Nam plerumque officiis simulatur affectio. Amicitiæ autem sinceritas pectoris magis fidem postulat, quam delinimenta sermonis. Vale.

EPIST. XCIII.

SYMMACHUS.....

Pignora nostra conjunximus. Atque ideo consentaneum videtur, ut quos cœtus participes habuimus, etiam honore sportulæ prosequamur. Duos igitur solidos offerendos tibi misimus, parvum munusculum, si æstimemur pretio sui: religiosum, si amore pendentis. Vale.

EPIST. XCIV.

SYMMACHUS.....

Romam te venturum certa fama promiserat. Spem visendæ præstantiæ tuæ multo gaudio ceperamus. Sed improviso mutatus nuntius indicavit, quod pio accitu domini et principis nostri ad votiva remearis. Ergo officium salutationis quod coram speraveram deferendum, styli honore compenso: teque oro ut ingravatam vicem referas, quæ suadeat desiderari ex me crebra colloquia, si ostenderit prima placuisse. Vale.

EPIST. XCV.

SYMMACHUS....

Pro utroque nostrum causam diutini silentii reddidisti. Nam me quoque fateor scribendi officio hactenus temperasse. Tua igitur purgatione defensus, diluere litteris, quod commune est, non laboro. Nunc omnium statu in tranquillum reducto, æmulis studiis omissa repetamus. Ita enim demum probabitur temporis fuisse, quod diu inter nos stylus quievit; si reddita facultate mutuam diligentiam frequens sermo renaraverit.

EPIST. XCVI.

SYMMACHUS.....

Etsi a litteris temperasti, exempli tamen imitator esse non debeo. Integro igitur largam salutationem, nec diffido reddenda saltim mihi esse officia quæ a te fuerant inchoanda. Vale.

EPIST. XCVII.

SYMMACHUS.....

Solet bonis livor obstrepere, ut nunc speratum præsentiæ tuæ gaudium mihi subduxit invidia. Hactenus vires suas in damna voti communis intenderit. Sic ero contentus, quod me adventus tui exspectatione fraudavit. Ipsum te sospitem manere patiatur,

Digitized by Google

et tandem cum utroque nostrum redeat in gratiam. Instar beneficii erit, si mihi contingat de tua securitate voluptas. Vale.

EPIST. XCVIII.

SYMMACHUS.....

Sumpto adventus mei nuntio, de quo non potuit apud te fama reticere, exspectavi ut prior scriberes, vel quod est amabilius, ut ipse Formias commeares. Sed quia utrumque vel dissimulatio tua, vel occupatio denegavit, in partes tuas libenter ipse succedo, teque oro ut mihi aut excursum tuum præstare digneris, aut, si obstat aliquid saltim litteraria salutatione respondeas.

EPIST. XCIX.

SYMMACHUS.....

Amo litteras tuas, sed exspecto præsentiam, quam mihi dierum ratio pollicetur. Plura scribere spes adventus tui non sinit. Sed quod nunc epistolæ detrahimus, coram fabulis rependemus. Vale.

EPIST. C.

SYMMACHUS.....

Gratum mihi est, quod promptissimum studium rei nostræ dignaris impendere, et te memorem scriptorum assiduitate testaris. Hinc fit, ut officiis tuis etiam cura nostra respondeat. Libenter igitur rependo sermonem. Et quamvis spontaneam juvandis hominibus meis adhibeas voluntatem, hortamentum tamen petitionis adjicio, ut officia quæ ultro tribues, cumules provocatus. Vale.

EPIST. CI.

SYMMACHUS.....

Conquestio tua de raritate epistolarum mearum magis religiosa quam justa est. Nam cum ex amore descendat non habet tamen æquitatem. Nunc tamen immenso itinere, promitto præterita officiorum dispendia crebris a me epistolis sarcienda.

EPIST. CII.

SYMMACHUS.....

Dum petis beneficium, præstitisti. Plus enim mihi ex amicitia tua quam tibi ex nostra defensione quæsitum est. Nihil igitur assumam gratiæ meæ, cum plurimum tuæ debeam. Potest tamen adhuc istiusmodi munus augeri scribendi assiduitate, ut cumulet voluntas familiaritatem nostram, quam nunc videtur necessitas inchoasse. Vale.

EPIST. CIII.

SYMMACHUS.....

Totis viribus adjuvandi sunt communis patriæ corporati, præcipue mancipes Salinarum, qui exercent lavacra lignorum præbitione. His plerique sunt debitores: quod nisi ad solutionem vigor judicialis adstrinxerit, eliciet publicam querelam series incommodi. Quare quæso, ut inter cætera, quæ sibi de studio tuo Roma promittit, hanc quoque partem diligentiæ tuæ vindices.

EPIST. CIV.

SYMMACHUS.....

Parva fatemur esse quæ misimus, sed honorificentia parentis, religione potius quam mole muneris æstimatur. Hæc ipsa tamen exilis oblatio plus ad te gratiæ portabit, si religio tua usui suo a me delibata susceperit.

EPIST. CV.

SYMMACHUS.....

Juvandi sunt mancipes salinarum, qui splendori atque usui patriæ communis inserviunt. Dignaberis igitur auditis eorum querelis, adeuntibus deferre justitiam, et urbi utilem, et tuis moribus congruentem. Vale.

EPIST. CVI.

SYMMACHUS.....

Pro filiis nostris Deo juvante conjunctis, in duobus solidis ad te misimus sportulam nuptialem, quam cum prompta dignatione susceperis, documentum dabis omnia amicorum facta esse communia. Vale.

EPIST. CVII.

SYMMACHUS.....

Nuptiis quidem filii mei te quoque inter amicorum potissimos interesse voluissem. Sed quia longinqua absentia tua desideratum mihi negavit officium, in duobus solidis sportulam misi, ut vigere apud me tuam memoriam votiva oblatione testarer. Parvum quidem munusculum est, si æstimatur pretio sui: religiosum si amore pendatur. Vale.

EPIST. CVIII.

SYMMACHUS.....

Omnia quæ sine auctore jactantur incerta sunt. Sed ego in sacra virginis famam nihil patior licere sermonibus. Quare officio pontificis, fide senatoris admoneor proferre comperta. Diceris ante annos legibus definitos vestali secreto velle decedere. Nondum credo rumori, sed assertionem tuæ vocis exspecto, quæ opinionis dubium aut agnoscat aut respuat. Vale.

EPIST. CIX.

SYMMACHUS.....

Tandem de actibus tuis certum me facere dignata es, quibus lectis atque decursis lætatus sum vitæ et innocentiæ tuæ apud Justum. Cæteris in rescribendo diligentiam defuisse video, quos tu ad referendam gratiam dignaberis incitare, ut intelligam vicissitudine provocatus, epistolas meas iisdem fastidio postea non futuras. Vale.

EPIST. CX.

SYMMACHUS.....

Aliorum quidem tibi spectanda est sententia, quos decet de patribus judicare. Mei ingenii exilitas etiam parva miratur. Quare velim credas nihil tibi ex meo testimonio honoris accedere. Nam etsi laudari ab laudato viro vetus dictum est, nostri tamen mediocritas non multum famæ tuæ claritudinem juvat. Sed quia voluntati tuæ mos gerendus est, quid quidam e medio de orationibus tuis sentiant, jussus expediam. Prope est ut te arguere debeam quod sæculo nostro Tulliani styli famam parcus invideas. Respondebis omnem te operam condendæ historiæ depu-

Digitized by Google

tasse. Ignosce avaritiæ meæ, si utrumque desidero. Nam pari nitore atque gravitate senatorias actiones et Romanæ rei monumenta limasti, ut plane Homerica appellatione περιδέξιον, id est, æquimanum te pronuntiem. Perge igitur, quæso, et stude hanc posteris dotem relinquere, ut quæ divisa in singulis auctoribus ante placuerunt, eadem nunc in te conjuncta laudentur. Vale.

EPIST. CXI.

SYMMACHUS.....

Fontes, ac difficultatem ducendæ aquæ inter labores censere Herculeos debeamus..... nunc Neapolis mutata sede suscepit. Unde post breve intervallum dierum transire Capuam tui desiderii gratia non morabor.

EPIST. CXII.

SYMMACHUS.....

Cum jam Decembrium cal. tempus appeteret, redditæ sunt mihi litteræ, quæ annalem trabeam meruisse loquerentur. Credas velim multo ex ea re gaudio mentis meæ habitum splenduisse. Primo, quod ita natura comparatum est, ut omnes sibi delatum decus judicent, quod dignus acceperit. Dehinc, quia honor, jam pridem togæ, et ordini rarus nimisque difficilis, tandem summatem civilium partium virum respicit. Postremum, quod amicitias nostras necdum aliis officiis inchoatas prompta evocatione junxisti. Videsne quam probabiles lætitiæ meæ causæ sint? Sed vereor ne his parùm credas, cum accitus excusem, quamvis justa ratio sapientem non possit offendere. Quo enim pacto ad prima fascium tuorum vocatus auspicia, paucis diebus Galliarum longinqua penetrarem? Exime itineris apparatum, cogita hiemis impedimentum, defectum cursus publici, et brumalis lucis angustias. Nonne mihi ante cal. Jan. futurus erat irritus labor, aut post inverecundior adventus? Hæc, oro te, æquo animo pronuntia, et amicitiæ nostræ bonus auctor esse dignare. Eo animo interpretare, quæ jure astruo quo rogasti: nec propositum tuum deseras. Solus enim benigne creditur advocasse, qui excusatione non læditur. Vale.

EPIST. CXIII.

SYMMACHUS.....

Multa me gratia nexuisti, et cum prioribus officiis tuis adhuc solvendo non sim, denuo aliud posco quod debeam. Consul amplissimus auspiciis honoris sui interesse me præcepit, cujus litteris tua quoque accessit oratio. Hæc ut venturo honesta est, ita excusanti vehementer onerosa. Sed tua æquitas verecundiam meam veri facilitate relevabit. Ille ut sit placatus annitere, cui me tristis de fratre casus excusat. Nam turpe atque impetibile est, attonito animo et fronte mœsta lætos adire conventus. Quid fortunam deceat, agnosco, cum qua nimis contumaciter agit, qui accepto vulnere statim miser esse dissimulat. Si justa, si necessaria, si vera prætendimus; facito, oro te, tam prompta venia ignoscat absentiæ meæ quam bona affectio me ut pergerem postulavit. Vale.

EPIST. CXIV.

SYMMACHUS.....

Recte Cæcilius comicus: *Homo*, inquit, *homini deus est, si suum officium sciat.* Hanc ego in te dixerim sententiam convenire, qui nostris negotiis curam vigilem præstitisti. Hinc in pectore memoria, laus in ore versatur. Nec in præsentia modo floret facti et studii tui gloria, sed, ut mens augurat, ævum vigebit. Prolixior agendis gratiis sermo etiam nunc competeret, ni vererer, ne simul totum videar expunxisse, quod debeo. Impatiens est accepti beneficii, qui nexu properat liberari: nec videtur mutuam operam quasi amicus accipere, si erubescit ad moram gratiæ. Alia mei ingenii ratio est. Pecuniæ fenus accelero persolvere: officiorum vices diu opto debere. Vale.

EPIST. CXV.

SYMMACHUS.....

Mones æquo animo feram vel æmulorum facta improba, vel ingratorum fœda decreta. Convenit studio atque ingenio nostro consilii tui qualitas. Nullius quippe tam vehemens nequitia est, ut motu meo digna sit. An ego istud feram moleste, qui noverim Marcellorum monumenta sublata Verre prætore, et Marianis tropæis nequaquam manus invidas pepercisse? In sola conscientia est fructus et ratio virtutis. Nihil moror statuas et publica falsa titulorum. Fucum faciunt provincialium oculis, qui animis exciderunt. Quod si mihi ullus honor testimonii publici affectandus foret; judicio tuo et similium contentus esse deberem, vel fidicinis exemplo, qui indignatus considentium turbam, sibi et musis cantum ciebat; vel secundum Heraclitum philosophum, qui summam laudis arbitrabatur placere uni, si esset optimus qui probaret. Quare esto securus patientiæ nostræ, et congratulare mihi quod solus torqueo corda liventium, cum alii quibus statuæ quoquo modo tributæ sint, nihil habeant invidendum. Vale.

EPIST. CXVI.

SYMMACHUS.....

Valeo quantum sinit æger animus. Atque utinam leges æque mecum valerent, quarum sanitas ab ipsis plerumque corrumpitur, quibus curanda mandatur. Non pergam longius, cum hoc ænigma frater meus Buleforus possit aperire. Cui ut amicitia mea chara, ita querela comperta est. Is ubi te scientem doloris mei fecerit, confido tali adjutore leges ad fora nostra reditura. Vale.

EPIST. CXVII.

SYMMACHUS.....

Exprobraveras mihi ante hac feras, quibus non est usa quæstura filii mei. Mordebar commemoratione irriti beneficii, de quo arguere amicum nec compotem gratiæ debuisses. Tu vero etiam pretia, ut vir excellentissimus communis frater Brotadius allegat, nec speratæ, nec traditæ rei postulas. *Magis juvat* me, si credis, a verecundia ad pecuniam lata conventio. Minus enim grave est debitorem, quam ingratum videri. Est igitur optio tua, ursos, quos intempestate

Digitized by Google

dicis amissos naufragio, taxare. Habes in manu, quanto æstimare mihi debeas inefficacis voti benignitatem. Tantum maneat amicitia nostra, nihilque fortunæ in eam liceat. Summam pone dispendio: non subducam pecuniam meam navis tuæ casibus, Vale.

EPIST. CXVIII.

SYMMACHUS.....

Hospitem tuum Faustinum Senatus amplissimus in societatem recepit, tanta apud nos testimonii tui antiquitas est, ut differri quæ velis instar injuriæ sit. Tibi igitur acceptum ferat studium totius ordinis. Nam ut beneficio sacro debet dignitatis impetrationem, ita tuo decreti nostri celeritatem. Vale.

EPIST. CXIX.

SYMMACHUS.....

Plerique te accitu consulis Mediolanum venire credidimus: pars in Gallia resedisse jactabant. Inter hæc opinionum varia, quonam mittenda essent quæstoria dona dubitavi. Postquam mihi solvendi officii occasionem tribuit adventus tuorum, Clarentio, cujus spectatam fidem noveram, consueta munerum deferenda commisi. Non aspernabere, ut æstimo, dyptici et aphoretici oblationem. Neque enim grave est verecundiæ tuæ solemnia et votiva suscipere. Quæ cum amicitiæ deferantur, pertinet ad caritatis confessionem, ut deberi sibi hæc animus sumentis agnoscat. Vale.

EPIST. CXX.

SYMMACHUS.....

Ariminum sæpe præteriens magisterio tuo didici amicos honorare munusculis. Quare institutus exemplo necessaria usui magis rependo quam defero: quæ nisi prompta dignatione susceperis, videbere meam facilitatem de acceptis toties notare muneribus. Vale.

EPIST. CXXI.

SYMMACHUS.....

Promptum mihi atque declive negotium credidisti, in quo nullum nisum tibi operæ meæ vendito. Quippe ubi primum spectabilem virum Faustum tua epistola, meus sermo convenit, ut Epiro mancipium de quo ambigitis, in examen accersat, nequaquam adversatus est postulatis. Spero igitur accitu ejus brevi adfore hominem quem vestrum alteri disceptatio familiaris adjudicet. Sed de hoc satis verborum est. Te oratum volo, ut nos subinde scriptorum honore locupletes, et quod nunc causa cogente fecisti, id amicitia hortante non deseras. Vale.

EPIST. CXXII.

SYMMACHUS.....

Præsumebam quidem justitiam tuam fratris mei Magnilli sinceris actibus adfuturam. Sed fide cognitionis audita, quam nobis omnibus adventantium sermo patefecit, admodum gratulatus sum, quod illi æquum judicem fortuna præstiterit. Ago igitur gratias pro amici mei securitate, cujus innocentissimam vitam sententiæ testimonio comprobasti. Et spero contemplatione tui brevi cæteras infortunii ejus reliquias submovendas. Itaque ut promptius partes ingenitæ tibi æquitatis arripias, precator accedo; memor semper futurus tanti beneficii, si quem constanter purgare dignatus es, tandem securitas plena respexerit. Vale.

EPIST. CXXIII.

SYMMACHUS.....

Plurimum voluptatis ex litteris tuis ante capiebam; nunc lacrymabili conquestione mentem legentis infuscas. Ubi illa sententia, quæ te et naturæ bono et veterum lectione contra omnia fortunæ tela firmavit? Dignam viro assume patientiam, et quæ mutari nequeunt, desiste lugere. Leviora tibi cuncta post improbum generum debent videri. Cur autem torpori atque otio vaces, et patrimonii negligens, feriatum pascas dolorem? Curæ sint reliquiæ rerum tuarum, quas facinorosus invasor exhaustas, et laceras reliquit; ne in his reipublicæ necessitatibus recuperata sustentare non possis, quæ prius omissa contempseras. Vale.

EPIST. CXXIV.

SYMMACHUS.....

Coactum te licet fatearis ut scriberes, ego tamen non minus acceptum tibi refero, quod me styli honore dignatus es, quam si hoc sponte fecisses. Sed videris, qui fuerit auctor tanti muneris. Mihi ex illis litteris non honos tantum gaudii, sed fructus evenit. Didici enim commeatu annonario convalescere urbis securitatem. *Faustum etiam intellexi, cum primum causam vestram cognosceret, æquum se judicem præstitisse, et allatis in medium allegationibus tuis,* codicum constitisse rationem. Nam cætera, quæ post secuta significas, ipso invito opinor extorta, et sperare debemus, talem fore in reliquis disceptatorem, qualem tibi ostendit prima cognitio. Ego tamen ad incitamentum justitiæ, quam meritis tuis arbitror deferendam, familiares litteras misi, quas, si ratio poposcerit, in manus ejus facies pervenire. Aliud enim salubritatis genus conditio temporis non permittit adhiberi. Volo autem scias (et sponte pro amicitia nostra debes advertere) curam pro te meam non desiderare monitorem, sed non posse amplius fieri quam ut tibi animum disceptatoris petitio nostra conciliet. Vale.

EPIST. CXXV.

SYMMACHUS.....

Ludos prætorios præparamus, quorum ornatus peregrina animalia desiderat, ut novo cultu Romana splendescat editio. Addaces igitur et pygargos tuo studio mihi opto præstari, quorum copiam limes vobis finitimus subministrat. Dignare, rogo te, amicitiam nostram votivo pignore fœderare. Non ero impar ad vicissitudinem rependendam, si quid etiam tuus usus exegerit. Vale.

EPIST. CXXVI.

SYMMACHUS.....

Spem mihi adventus tui longo tempore pollicebar. Tu vero etiam nunc de me scriptorum vices postulas, et diuturnam quodam modo minaris absentiam.

Digitized by Google

Nam quid sibi vult mutui solatii flagitatio, si redi'us A jam paratur? Si quid igitur apud te consiliis meis loci est, suadeo urbem revisas, ad quam te et amor civicus evocat, et cura quæstoria : cujus apparatus etiamsi copias divitis habet, tamen requirit diligentiam Candidati. Vale.

EPIST. CXXVII.

SYMMACHUS.....

Animum quem nobis repandis, agnovimus recentium serie litterarum; sed moleste ferimus hujus muneris raritatem. Et ideo adhortamur, ut frequenter arripias indicium familiaris officii. Petitio tua super hæreditate C. M. V. Æriti, neque mihi, neque aliis, qui tui curam gerunt visa probabilis. Nam quæ jure ac legibus sunt relicta, alienari impetratione non possunt. Quod ita esse Valentinianus communis amicus expertus est, qui magnopere laboravit, ut aliquid, si fieri posset, excuteret. Sed cum refragante justitia deseruit laboris effectus. Proinde si quid mihi credis, remove a te petitionis invidiam, quam etiam consorti opto suaderi. Malo vobis integram esse famam quam imputeri hujusmodi petitionem. Hæc me amice et benigne circa te voluntate suadere, pro mutua in nos diligentia recognosces. Intelligis enim nihil me magis quam existimationem familiarium nostrorum debere curare. Vale.

EPIST. CXXVIII.

SYMMACHUS.....

More institutoque majorum, incestum Primigeniæ, dudum apud Albam vestalis antistitis, collegii nostri C disquisitio deprehendit : quod et ipsius, quæ contaminavit pudicitiam sacram; et Maximi, cum quo nefandum facinus admisit, confessionibus claruisse gesta testantur. Restat ut in eos, qui cæremonias publicas abominando scelere polluerunt, legum severitas exeratur. Quæ tibi actio de proximi temporis exemplo servata est. Et ideo dignaberis, reip. utilitatem legesque considerans, facinus cunctis ad hunc usque diem sæculis severissime vindicatum, competenter ulcisci. Vale.

EPIST. CXXIX.

SYMMACHUS.....

Secundum proximæ ætatis exempla, clarissimo et excellentissimo viro fratri nostro præfecto Urbi incestatæ Primigeniæ virginis, quæ sacra Albana curabat, a collegio nostro vindicta delata est. Sed quia litteris ejus causæ probabiles afferuntur, quod neque muros Urbis æternæ tanti criminis ream fas sit intrare; neque ipse ad longinqua possit occurrere : cum facinus, ubi admissum est, debeat expiari : necesse perspeximus potestatem finitimam convenire, cui provinciarum jura mandata sunt, ut in Primigeniam, quæ publicarum cæremoniarum maculavit arcana, corruptoremque ejus Maximum, qui quidem flagitium non negavit, severitas semper his adhibita exeratur. Dignaberis igitur consideratis confessionibus, quæ nefandi criminis tragœdiam prodiderunt, injuriam castissimi sæculi reorum suppliciis vindicare. Vale.

EPIST. CXXX.

SYMMACHUS.....

Idoneum tempus est quo probemus quid amicitiæ nostræ religionis exhibeas. Delatus est enim a clementissimis principibus ordinarius consulatus. Et ideo curam tuam efflagito in providendis omnibus, quæ poscit editio. Homines mei spectorum pretia ministrabunt. In hoc tantum studium tuum, curamque desidero, ut quam primum provehi justis pretiis comparata præcipias. Vale.

EPIST. CXXXI.

SYMMACHUS.....

Apud eos quibus curæ debet esse fama temporum, justa non sileo, certus atque securus, nullius studium legibus obfuturum. Ob reliqua arcæ vinariæ, B quæ multis præfectis superiores principes exigenda mandarunt, et quæ magna ex parte collata imperiali constat ærario, soceri mei Orfiti olim præfecti, et ante annos quindecim sine ulla tituli hujus conventione demortui, pulsatur hæreditas; obtentu epistolæ, qua divus Constantius, id quod operibus publicis constabat impensum, integrari per eum statuit; minatus ipsi atque officio, ut fieri assolet, sub conditione dispendium, si exactioni cura competens defuisset. Sed neque ipse mandatum sibi munus omisit, et sequentes principes, quod præfectura susceperat, ad posteriores judices transtulerunt. Hoc inclytus Valentinianus omni ætate memorabilis princeps, et divus Gratianus sacris litteris censuere, a quorum definitione non decet deviare. Dehinc cum etiam crimina morte soleant terminari; in hac tantum causa contra optimos principis mores, ad posteros inopinata damna extenduntur, et tanquam integrum designatur, quod partim solutum est, partim a rectoribus provinciarum constitit eruendum. Super hoc cum divina jussa sumpsissem, fidem veri occultare non debui, cum legis audientiam tribuerent his qui neque in cognitione constiterant, neque sumpserant relationis exemplum. Accedebat enim causa robustior, quod materfamilias mea dudum emancipata bonorum possessionem patre mortuo non poposcit, atque ideo rescripto se asseruit non teneri. Misi igitur sub relatione monumenta gestorum, sperans etiam tuæ religionis auxilio novum exemplum posse removeri, in ea præsertim causa, quæ nos jure non im- D plicat. Teneantur veri hujus tituli debitores. Exstat vetus professio Campani consularis; exstant Acta apud Etruscum rectorem confecta, quibus docetur exactio promissa reliquorum. Parcatur innoxiis, ne in omnes qui rempubl. curant, inusitata forma procedat. Convenit sæculo tuo ista justitia, cujus existimatio vestris consiliis debet ornari. Vale.

EPIST. CXXXII.

SYMMACHUS.....

Meretur de præclaro animo tuo votiva causa suffragium. Prætura domum nostram, Deo juvante, exspectat, in qua me crocodilos, et pleraque peregrina civibus exhibere, et aliorum hortantur exempla, et propria impellit animositas. Quare amicum

Digitized by Google

meum Cyriacum benigne in curam tuam dignare suscipere, ut indicata promoveat. Habebis in posterum tantæ gratiæ non immemorem debitorem. Vale.

EPIST. CXXXIII.

SYMMACHUS.....

Quod scribis, voluntariæ benignitatis est : quod sero, curarum. Nos autem religionem meritis tuis debitam, et otium styli assiduitate testamur. Eusebium nostrum circumsessum domesticis negotiis deduci in obsequium tuum præcipe, et quæ in meam notitiam pertulisti de instruenda editione ludorum, ipsi familiariter curanda committe.

EPIST. CXXXIV.

SYMMACHUS.....

Sportulam consulatus mei, et amicitiæ nostræ, et honori tuo debeo. Hanc in solido uno ad te misi, orans, ut benigno animo solemnia officii mei libamenta suscipias. Vale.

LIBER DECIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

SYMMACHUS THEODOSIO SENIORI.

Etsi scio virtuti cognatum pudorem, desideravi tamen in litteris celsitudinis tuæ copiam, maximarum rerum gloriæ congruentem. Primo, quod amicitia postulabat, ut apud amantem tui nævum jactantiæ non timeres. Dehinc, quod æque manu et ore promptus, fidem gestorum tuorum debueras linguæ honore dotare. Nunc me ad famam rejicis, et jubes aurem rumoribus præbere, cum tanti negotii dignitas parem testem requirat. Sed qui animi mei securus es, meritum tuum voci publicæ credidisti, contentus veritate pro laude. Ergo Africa revaluit ex morbo, sane invictorum principum medente consilio, quorum remedium tu fuisti. Solent enim qui medicinam callent, cum jam forti usu in magisterium provehuntur, ac fiunt artis emeriti, proximis imperare, et feriata manu curationem juvare præceptis. Tua igitur palma laus temporum est. De qua ego plane et indulgentius loquerer, nisi obsequerer singulari verecundiæ tuæ, et mihi oppido præcaverem, ne laudatus proxime ab excellentia tua feneratam gratiam viderer retulisse, hoc est, quod aiunt : *Mutuam scabere mulos.* Cui proverbio ne videar esse confinis, præconia virtutum tuarum presso dente perstringo ; præclaræ conscientiæ tuæ pendendum relinquens, quid vel ipse mereris, cujus ductu provincia mihi amica respirat; vel quid ego tibi debeam, cujus fama sub tali teste nunquam succumbet invidiæ. Vale.

EPIST. II.

GRATIANO AUGUSTO.

Scio amore factum, quo summates viros plerumque dignamini, ut sacræ orationi vestræ lector adhiberer. Sed cum intelligo sermonem illum præminere omnimodo scriptis aliis, quæcunque ad hoc locorum senatus audivit, me quoque arbitror pluris habitum esse quam cæteros. Magnis enim negotiis itidem ut magnis comœdiis edecimati apponuntur actores. Non idem honor in pronuntiandis fabulis Publio Pollioni, qui Ambivio fuit, neque par Æsopo et Roscio fama processit. Quare optimi principes, quæ in me bene consultatis, ut divinitus oblata complector. Laus tua, domine Gratiane, officium est meum; quando ita animatus es, ut cum reip. medicinam facis, operam meæ vocis accersas. Tu nobis publicas turbas in tranquillum redegisti. Minimo stetit, quin omnes occumberemus, tantum flagitii designaverant, qui amplissimas potestates malis artibus possidebant. Ferox ille Maximinus ob res secundas, incubator judiciorum, difficilis decidendis, simultatibus promptus..... Simulque res tuæ in tranquillum rediere. Quæ bona, etsi honoris tui necessitas contigit, meum tamen animum tanquam duplicata juverunt. Sed altiora metuentes nondum explet hic nuntius, quandiu in alteram messem procedat ratio conditorum. Faciò igitur sciam, quid invehant horreis dies singuli, ut voluptas otii mei cum patriæ copiis augeatur. Vale.

EPIST. III.

SYMMACHUS.....

Ad sextum cal. Novemb. quæstoriæ editionis exordiis interesse me præcipis. Hujus evocationis litteras ante biduum temporis præstituti circa Neapolim sumpsi. Purgat, ut vides, absentiam meam longus itineris tractus, et functionis dies proximus. Sed diis juvantibus multis spectaculis vestris compensabo obsequii mei debitum. Nunc veniæ dandæ facilem quæso te præbeas. Neque enim fas est, ut tanto dispendio meo etiam culpa jungatur. Vale.

EPIST. IV.

SYMMACHUS.....

Propositi atque ingenii mei est eorum famam curare quos diligo. Tibi autem plus me favoris impendere hortatur affinitas. Quo circa impatienter ferò apparitorum notariis senatui nuntiari, quod Romani populi magistratus abesse patiaris, et in tuam referri injuriam quod patriæ functiones ab obnoxiis deseruntur. Id etsi falso in aures publicas præsumo perlatum, fungor tamen admonendo parentis officio, et deprecor ut cæteris administrationis tuæ laudibus hunc quoque titulum de quo laboramus adjicias. Grave quippe est ut generosæ familiæ viro, summis per Africam tribunalibus præside, collegarum nonnulli munia Romana detrectent, et annus pene editoribus vacuus, pro consulari fastigio gignat invidiam. Audiant certe qui deserunt functiones, quanta impendii mediocritate anni superioris prætor Ædesius urbanos fecerit ludos, et de exemplo colligant quid præsentibus magistratibus honoris et levaminis deferatur.

EPIST. V.

SYMMACHUS.....

Interesse votis tuis animus affectat, sed valetudo corporis longum recusat excursum. Nam, ut est morborum ferax otium, denuo me pedum vinci do-

Digitized by Google

lor, dum quieti ruris indulgeo. Da igitur, quæso te, officio meo justam remissionem, et interim sine nuptialibus domus vestræ abesse pignoribus, ut paulo post sanatus fœderibus admiscear. Vale.

EPIST. VI.

SYMMACHUS.....

Non solet ab amicis anxie venia postulari. Quapropter pauca cogo sermone otianti mihi in agro solitus unius pedis morbus obrepsit. Itaque obeundis officiis vacationem desiderati muneris peto. Dabunt dii auspices facultatem ut nuptialibus familiæ vestræ votis compos sanitatis interim. Vale.

EPIST. VII.

SYMMACHUS.....

Frater meus Rabilianus, genere et amore conspicuus, injuriæ suæ acerbitatem privata apud me conquestione deflevit. Asserit enim procuratorem suum sine cujusquam denominatione correptum : et cum vindictam de te impetrare debuerit, quam cum Romæ degeres, postulavit; auctam domus suæ cognovit injuriam. Id ego oblivione arbitror accidisse. Quomodo enim præciperes, quod incoram positus improbasti? Quare, ut parens moneo, ne augere, quæ doluit, genus putes esse conscientiæ. Certe si abest æquitas judicatis, familiariter mihi ede rationem, ita ut noveris pro absentibus dominis rectorem suscipere debere partes defensionis. Vale.

EPIST. VIII.

SYMMACHUS.

Jucunda mihi fuerit perceptio scriptorum tuorum. Amicitia enim mutuis gaudet officiis. Sed utinam hominum meorum diligentia fidem tuæ pollicitationis implesset. Nam cum scripseris, eos ad solvendam pensionem profectos, exiguam partem redituum perdiderunt : nec illis pudori fuit, cumulum debitorum sub tanta anni fecunditate contrahere. Dignare igitur curam nostræ utilitatis arripere, et ad solutionem cogere debitores. Quid enim juvat, quod studio tuo et beneficiis adjuvantur, cum hoc commoditas nostra non sentiat? Vale.

EPIST. IX.

SYMMACHUS.....

Salute præfata, quam litteris anteferre solemne est, ut seriem familiarium scriptorum vota præveniant, silere apud te nequeo, Cajetanæ Formæ tentamenta frigere; et nisi præsentia tua cœptis calcar admoverit, vereor ne operi emoliendo æstiva opportunitas subtrahatur. Quid igitur super hoc agendum sit in tuo jure constituo. Mihi satis est, in his quæ ad laudem tuam pertinent, partes amici monitoris implesse. Vale.

EPIST. X.

SYMMACHUS.....

Abundantissime gaudeo tibi esse curæ, ut filii mei editio ursis pluribus instruatur, statimque pretia annumeranda misissem, nisi hiemalis asperitas impediret invectionem. Sed paulo post, ubi opportunitas veris molliverit itinerum difficultatem, curabitur ferarum emptio, cui definitionis justitiam spopondisti. Interea tibi ago atque habeo gratias, et provocatum me ad amicitiæ incrementa protestor, licet sponte digneris advertere honesta beneficia apud memores non perire. Vale.

EPIST. XI.

SYMMACHUS.....

Per amicum communem Gaudentium propinqui mei Valentini preciculas misi, sane ad fidem meam, et conscientiam pertinentes. Nam frater ejus Proserius cum premeretur extremis et præsentem me, et per epistolam summis precibus obsecravit, ut impetrata facili auctoritate rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum manifesta testantur exempla. Quare plæ supplicationi adjumentum meum negare non possum, quoniam fidem meam super his nuptiis voluntas propinqui morientis adstrinxit, ut epistola precibus connexa declarat. Dignare igitur juvare effectum pii desiderii, eatenus, ut si quis conturbare tentaverit mandatum paternum, comminatione infamiæ terreatur. Rescripti autem beneficium cum fuerit impetratum, spectatæ fidei perlator apportet. Vale.

EPIST. XII.

SYMMACHUS.....

Meretur auxilium tuum causa communis. Nam quidquid ad senatorias pertinet functiones, participata ope et conjuncta animositate peragendum est. Juva igitur auctoritate, qua dignum est, partes atque rationes ad amplissimam curiam pertinentes : multum ex hoc negotio laudis habiturus, si munia ordinis nostri, quæ jam dudum fluctuare manifestum est, solutio ab obnoxiis efflagitata reparaverit. Vale.

EPIST. XIII.

SYMMACHUS.....

Editioni nostræ fortuna consulit, quæ te regendæ Apuliæ voluit admovere. Utere igitur occasione præsenti, et apud præturam domus nostræ, ad quam feliciter de transmarinis ursi proxime perferentur, convenientia decerne præsidia, ut prioribus officiis hujus quoque cumulus applicetur. Vale.

EPIST. XIV.

SYMMACHUS.....

Diligentia tua et judiciali vigore delector. Sed inopia vel potius egestas ordinis Forminiani, etiam curationis impatiens est. Nam sicut affecta diuturno morbo corpora, sæviorem medicinam ferre non possunt, ita curia numero et paupertate tenuata, duritia immodicæ emendationis exstinguitur. Libens igitur parentis sume consilium, qui non defendit ordinis culpam, sed correctionis modum postulat. Habenda est ratio vectigalium publicorum, et lavacri æstivi instauratio cum reip. viribus conferenda, ut si quid redundat expensis cæteris, in sumptum operis conferatur. Dandum quoque est instaurationi largius tempus, ne quid deroget firmitati præcipitata reparatio. Nihil ex hac mora tuæ gloriæ detrahitur. Ad præsentem enim judicem veteris curiæ culpa non pervenit. Possem plura connectere, sed cum rerum omnium considerátio apud sapientiam tuam vigeat,

Digitized by Google

parco esse prolixior, una admonitione contentus, magnopere nobis esse curandum, ut levamen potius ordinibus aliquot exhaustis tuus adventus apportet.

EPIST. XV.

SYMMACHUS.....

Si novum beneficium de ursorum comparatione peteremus, longior ambitus esset adhibendus. Sed cum promissa repetantur, admoneri potius te quam rogari convenit. Hæc igitur epistolæ summa est, ut homines meos, quibus ferarum jam mandavimus emptionem, juvare adminiculo non graveris, ut editio nostra, quam auspice Deo, pro filio præparamus, tuis auxiliis, meis sumptibus instruatur. Vale.

EPIST. XVI

SYMMACHUS.....

Suessa honestorum civium patria est, ita ut merito dixerim, minimæ quoque fortunæ homines extra vitia plebeia esse censendos. Volo igitur credas, nullum ex illa urbe ad fori strepitum processurum fuisse, nisi acerba coegisset impressio, de qua meæ litteræ non loquentur. Vehementius enim vox publica suffragabitur eorum dolori quam privata potuisset. Audientiæ tantum per me optant facilitatem mereri. Quidquid autem spoliatis atque vexatis properandum est, favor tuus et legum norma præstabit. Vale.

EPIST. XVII.

SYMMACHUS.....

Suessanorum allegationes commendat tibi publicus magistratus, mihi privata miseratio. Atque ideo a te judiciarii vigoris auxilia, a me verba poscuntur. Fungor igitur partibus meis, et te familiariter rogo ut, auditis infelicium deplorationibus, in eam partem, quæ est juri et miserationi amica, movearis. Vale.

EPIST. XVIII.

SYMMACHUS.....

Prima scribendi causa est ut honorificentiam salutationis exhibeam. Secunda, ut probatam mihi modestiam tuam justa petitione conveniam. Plurimi enim de familia domus meæ per fugam elapsi, in his locis, quæ tibi contermina sunt, delitescunt, hos, auditis allegationibus procuratoris mei, quæso restituas. Convenit enim tuis moribus et amicitiæ nostræ contemplationem gerere, et servili nequitiæ negare perfugium. Vale.

EPIST. XIX.

SYMMACHUS.....

Postquam de freto Siculo litteras tuas sumpsi, ad curam vicissitudinis incitatus, salutem mihi nuntio secundare, tibi opto suppetere. Dehinc de apparatu nostræ editionis admoneo, quamvis religiosus animus monitorem alterum non requirat. Præ cæteris autem quæ Romana spectacula desiderant, crocodilos funetio theatralis efflagitat. De quibus fidam tuam sponsionem teneo: cui facilis succedet effectus, si peculiariter in rem missos suffragii tui nisus adjuverit. Vale.

EPIST. XX.

SYMMACHUS.....

Plures de Dalmatia ursos in apparatum domus nostræ proxime esse venturos fides asserit nuntiorum: quorum subvectionem dispositis vehiculis privatim debemus instruere. Hujus mihi curæ absolutionem diligentia tua usu explorata promittit. Quæso igitur ut hanc provinciam confestim ineundis. . . . . .

EPIST. XXI.

SYMMACHUS.....

. . . . Capitali exitio cunctorum lacrymisque expiavit. Nunc interlucet homo homini. Senatus antiquum obtinet. Vivere libet: natum esse non pœnitet, et ad salutem spectant omnia. Nulli a paupertate discrimen est. Respub. se in vetustatem recepit et decrepitos mutavere animos, postquam vos ad virtutem verba fecistis. Pari vigilia prospectum videmus ut res annonaria satietati urbanæ liberalius ingeratur: Flandæ monetæ nequitiam decoquat larga purgatio: nullo jam provincialis auri incremento trutinam spectator inclinet. Mille alia, quæ si persequi velim, vestræ gloriæ memor, meæ infantiæ immemor deprehendam. Nam nemo prudens humanus verbis corrupit oracula. Igitur divina mens tua, juvenis Auguste, Romani nominis decus, vehatur curru eloquii sui; nos in agendis gratiis humi reptamus, socco magis idonei, quam cothurno, postquam facundia res esse cœpit imperii. Nam, quod sciam, musis in palatio loca, lautia tu dedisti: quæ res prospere vertat vobis vestræque pietati, quia fastum et otium, fortunæ grandioris vitia, nihil moramini. Mihi satis salutis est cum valetis. Felicitas voto publico exorata præstabit, ut clementiæ vestræ, quanta est reddendi voluntas, tanta suppetat copia negotiis promovendis.

EPIST. XXII.

DOMINO VALENTINIANO SEMPER AUGUSTO SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Quieto mihi et jampridem a desideriis honorum remoto, præfecturam multis cupitam sponte tribuistis. Ago gratias tot bonorum circa me principum voluntati. Sed intelligo quanto plus sollicitudinis habeat magistratus qui ex judicio, quam qui ex gratia venit. Ille enim, ut meritis datus, spem sui debet æquare: iste ut per beneficium quæsitus, a periculo præstationis alienus est, D. imperator. Quis ergo me huic oneri parem faciet? Scilicet vestra clementia, cujus interest ne temere electus existimer. Mihi ad conscientiam satis est non affectasse publicam curam. Jam qualis inveniar in manu temporum est. Bonos enim magistratus favor principum facit, semperque de moribus vestris virtutes judicum fluunt. Facite ut omnes intelligant, si forte desit rectoribus integer vigor, et justa conscientia, hominis culpam esse, non sæculi. Non sum voti immodicus, cum honorem meum commendo auctoribus suis. Quantum est enim quod ego numini vestro ago gratias? Facite ut vobis etiam respublica pro me grata sit.

EPIST. XXIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Olim me, ut res indicat, cognitiones numinis vestri secundo favore respiciunt. Neque enim aliter imperatoribus nihil temere præstantibus, inter primos aut

Digitized by Google

primus occurrerem. Dilatus ergo hactenus mihi cum republica videor, quæ ubi in longinquas imperii partes majestatis vestræ curam vocavit, reperit apud vos meditata judicia, D. imperator. Justum est igitur ut æternitati vestræ pro solo honore, quem cepi, gratias agam. Præfectos sæpe fecistis, et immensa ætate facietis, sed quos assiduitas et usus ingesserit. Me dudum proconsularem virum cedentem jam diu potentium moribus, ante capere magistratum quam exspectare voluistis. Nunc vos oro, atque obsecro ut favore perpetuo factum vestrum juvetis. Amabile est præesse civibus, sed placere difficile. Multum enim et inter cognitos semper dura constantia est. Quid quod plerumque evenit, ut aliqui longo potentiæ usu, jam nesciant honorem meum? Non deseruerint, qui dederunt. Ego enitar, ut potero, ne clementiam vestram fefellisse de me prior fama videatur: vestri numinis erit communem causam tueri. Nam in bonis magistratibus majorem gloriam quærit temporum fama quam judicum

EPIST. XXIV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Quod apud germanum clementiæ vestræ divum principem non sileremus, si eo res Romana frueretur, custodibus famæ ejus insinuo: ea devotione, qua præfectum vestrum decet fidem præferre blanditiis, D. imperator. Falso creditum est quod urbanæ fastigium potestatis peregrini ac superbi vehiculi usus attolleret. Hæc enim ratio sola novum statutum benigno tunc persuasit ingenio, ut veterem magistratum dives pompa gestaret. Recusat istiusmodi decus honor sobrius quem nunquam pœnitet sui. Cui si quid patimur accedere, fatemur hactenus defuisse. Itaque oculi civitatis quærunt privati vehiculi nobilem modum, et degenerem præfecturam populus Romanus existimat, quæ posteriora traxit exempla. Absit ut moderator urbis liberæ, atque adeo devotæ, tanquam Salmoneus alius invehatur. Nihil moramur externa miracula. Irritamentum superbiæ Roma vestra non patitur, memor scilicet bonorum parentum, quos Tarquinii fastus et ipsius Camilli currus offendit. Nam tanto illi viro albentes quadrigæ exsilium triste pepererunt. Submisit Publicola concioni civium consularem securem, et honoris sui culmen infregit ut libertatem civitatis erigeret. Ergo moribus potius quam insignibus æstimemur. Non culpamus novum beneficium, sed bona vetera præferimus. Submovete vehiculum cujus cultus insignior est: illud malumus cujus usus antiquior.

EPIST. XXV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Inter præcipua negotiorum sæpe curatum est ut erudiendis nobilibus philosophi præceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos jus et auctoritas publica in usum nostræ urbis accepit, D. imperator. Nunc vestri sæculi bonitas ultro optimatem sapientiæ Romanis gymnasiis arrogavit: siquidem Celsus, ortus Achetimo patre (quem memoria litterarum Aristoteli supparem fuisse consentit), juventuti nostræ magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quæstum professionis affectans, atque ideo dignus in amplissimum ordinem cooptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum dignitatis præmio muneremur. Sunt hujus rei exempla nobilia, quæ prudens æmuletur imitatio. Nam et Carneadem Cyrenæum, et Pœnum Clytomachum Atheniensis curia societate dignata est: itidem ut Zaleucum, legum Lucrensium conditorem, civitate donarunt. Dignum est igitur æternitate numinis vestri, Celsum, genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa scilicet consulari, ne sumptum ejus magis quam magisterium quæsisse videamur, non sine avaritiæ nota, si ab eo munia publica postulemus qui spondet gratuita præcepta.

EPIST. XXVI.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Præcipua quidem beneficia numinis vestri populus Romanus exspectat, DD. imperatores. Sed ea jam quasi debita repetit, quæ æternitas vestra sponte promisit: non quod sibi tribuenda diffidat (nusquam enim major spes est quam in bonorum principum sponsione), verum ne existimetur oblata fastidiose sperare, nisi instanter exegerit. Orat igitur clementiam vestram ut post illa subsidia, quæ victui nostro largitas vestra præstabit, etiam curules ac scenicas voluptates circo et Pompeianæ caveæ suggeratis. Illis enim gaudet urbana lætitia, cujus desiderium pollicitatione movistis. Exspectantur quotidie nuntii qui propinquare urbi munera promissa confirment. Aurigarum et equorum fama colligitur: omne vehiculum, omne navigium scenicos artifices advexisse jactatur. Et tamen amor perennitatis vestræ acuit desideria plebis, non cupiditas ludicrorum. Date igitur interim quæ petuntur, ut sit locus cæteris, quæ sine fine tribuetis.

EPIST. XXVII.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Calendas, anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas, DD. imperatores. Hujus instituti usum munificentiæ festinatione prævertitis, seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus admovetur. Felix mehercule sæculum, quo principes cohibere diu nesciunt tribuenda de votis, cum sibi debita cunctentur exigere. Quid ergo primum, quid potissimum prædicem? Promptamne numinis vestri, et celerem largitatem, an circa absentes memorem diligentiam, an quod sacrum munus auxistis honore verborum? Dicam, ut res est, curasse clementiam vestram ut, tanquam coram locatus, et alloquiis principum fruerer et augusta in ipsis donis ora venerarer. Quando mihi continget expressa potius et viva gaudia capere de vobis? Quantum veritas est bonum, cujus species et imago mirabilis est! Ago igitur atque habeo gratias, et

meam vicem, qui solvendo par non sum, cœlestibus, ut sc. dii pro me solvant quod ego non sum solvendo. (Vide Senec. lib. IV de Benef. cap. 11 ; et nota usum verbi *Delegare.*) Delego virtutibus . illæ clementiam vestram dignis processibus munerentur : nos colimus, nos amamus ; quod scitis omnibus rebus esse præstantius ; qui ideo salutariter rempub. regitis, ut hæc sola mereamini.

EPIST. XXVIII.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Omnium beneficiorum, quæ tribuit potior fortuna subjectis, certa sunt tempora, DD. imperatores. Solæ leges, quæ in bonum commune procedunt, nunquam patiuntur occasum. Agit divinis sanctionibus vestris gratias ordo reverendus, etiam nomine posterorum, quibus resp. emendata tradetur. Nam cum fœda jactatio senatorias functiones gravibus impendiis obruisset, et moribus et sumptibus nostris sanitatem veterem reddidistis : ne aut impares facultate collegas tenuis decoloraret editio, aut per verecundiam viribus majora conatos effusio inconsulta demergeret. Ejusdem præterea rationis salubritate, vetus dicendarum sententiarum forma reparata est : ne summum cuique decernendi locum, non ratio munerum, sed honorum fortuna præstaret : atque id assensio cæterorum vel invita sequeretur, quod ante omnes felicior censuisset. Credimus igitur his remotis, ad regnum suum rediisse virtutes. In editionibus parcimonia, in senatu ordo retinebitur : nec se ostentabit opulentia, semper bonis infirma temporibus. Superest ut ea quæ serenitas vestra patribus deliberanda legavit, cognito senatusconsulto, lex Augusta confirmet. Nullo enim dissentiente quis modus censitum, semel aut sæpius, quæ fungendis mediocritas editionibus applicetur, quæ gladiatorio muneri, et quæ scenicis ludis sumptuum temperamenta conveniant : quid libertatis habere mereatur præsentis expensio, quid damni absentium contumacia debeat experiri. Hæc æternitas vestra venerabilis, cum senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit, ut placita cunctis immortali lege solidentur. Jussis paruimus. Exspectemus oraculum, quo salutariter, ut vestro numini familiare est, Patrum decreta firmetis : adjecta comminatione, si ullus aliquando ambitus hæc vel illa corruperit, quæ consilio cœlesti pro ordinis dignitate sanxistis.

EPIST. XXIX.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB

Gratiosa beneficiis vestris agere pro urbe Roma ut officii probabilis, ita insolentis audaciæ est. Nam neque ingentibus verba conveniunt, et personam populi Romani nulla implet oratio, DD. imperatores. Sed quia in talibus negotiis voti magis quam ingenii ratio versatur, non metuo imparis famam, dum fugio nomen ingrati erga Urbem cœlo et sideribus acceptam : cui bona terrarum omnium congesta præstatis, atque id præcipue vobis putatis accedere quod Roma quæsiverit. Recepimus veteris prærogativæ fidam securitatem : siquidem constat imperantibus vobis, populi esse Romani, quidquid ubique generosum vel gignit natura, vel informat industria. Enimvero etiam posteris egregium dedistis exemplum. Scient futuri ita demum affluere publicas voluptates, si eas palatia non requirant. Hoc est specimen animi continentis, sibi negare quod aliis deferatur, et lætitiam cæterorum propriis anteferre solatiis. Hic usus bonos principes decet. Namque aurium et oculorum fructus caducus est, largitatis æternus. Alii triumphis suis hæc dona servassent, ut posita lauro novis actoribus personarent Pompeiana proscenia : ut pro captivis tetrarchis Indicæ currum belluæ prævenirent, ut equorum longus ordo instar gentium duceretur. Vester triumphus Arsacidas post tergum revinctos, et gazas victæ Babylonis accipiet. In magnos quippe animos non cadit affectata jactatio. Nescitis tribuenda differre : quidquid nationum famulatus obtulerit, statim publicum est. Merito vos senatus ac populus ore celebrat, devotione veneratur, amore complectitur. Mihi credite, arcana omnium pectorum possidetis : illa bonarum necessitudinum loca, quibus liberorum, quibus parentum immoratur affectio. Et quia omne præmium, dum beneficiis vestris confertur, angustum est, invenit ordo amplissimus amabilem vicem, qua se gratum probaret. Nam familiæ vestræ et stirpis auctorem, Africanum quondam et Britannicum ducem, statuis equestribus inter prisca nomina consecravit, qui felicissimum sidus, et imperio salutare progenuit. Sic coluntur, quorum liberi ad bonum publicum nati sunt. At vero populus imperialis munificentiæ pignoribus expletus, in amorem vestrum prompta inclinatione concessit. Qui ubi comperit meo præfatu, adfore dona publicorum parentum, portis omnibus in longinqua fusus erupit, felliciorem cæteris judicans, qui primus bona vestra vidisset. Ego cum exspectari munera principum soleant, nunc tacita venerunt. Prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præcessit. Malo fremitum Murciæ vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videretur, cui electionem mox urna tribuebat, par vel potior erat quem sors fecisset extremum. Quoties sequenti primus invidit? Dubia est enim optio, cum de similibus judicatur. Nec putetis istiusmodi voluptatem plebi Martiæ parvam videri, cui delinimenta circensium finitimorum connubium præstiterunt : cui summus honor visus est, ut ovantes equorum dorsa gestarent, ut triumphantes currus inveheret : quando Victoria, genti Romuleæ familiaris, clementiam vestram pro voto omnium muneretur? Fecistis ut Urbs cana luxuriet in primam reducta lætitiam, et ver illud quondam vigentis ætatis. Audeo jam sperare potiora. Mittetis etiam regiam classem, quæ annonariis copiis augeat devotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tiberinis ostiis mixtus populo senatus excipiet. Venerabuntur tanquam sacras puppes, quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexe-

Digitized by Google

rint. Non sunt avara vota, quæ sæculi excitavit humanitas. De exemplis venit ista fiducia. Magna sumendo majora præsumimus. Nunc legite senatus ac populi fausta suffragia : licet sciam plus inesse animis quam vocibus explicari : et quædam libamina publici in vos amoris accipite. Si parva adhuc sunt dicta, munerum vestrorum imputate miraculis. Nam magnitudo stuporis locum multis plausibus non reliquit.

EPIST. XXX.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Lætarum rerum index esse malueram, DD. imperatores; sed ratio officii publici necessitatem mihi nuntii tristis imposuit. Prætextatus vester, prætextatus honorum, antiquæ probitatis assertor, invida morte subtractus est, vir omnium domi forisque virtutum. In cujus locum, vestræ quoque æternitati, quæ optimos novit eligere, nimis arduum est similem subrogare. Itaque summum sui in Republ. desiderium, magnumque civibus gratis reliquit dolorem. Nam ubi primum Romæ amarus de eo rumor increbuit, recusavit populus solemnes theatri voluptates : memoriamque ejus illustrem multa acclamatione testatus, graviter egit cum livore fortunæ, quod sibi inclytorum principum beneficium sustulisset. Et ille quidem functus est lege naturæ : nos vero socios animi sui vestrique judicii tanto dolore confudit, ut otii remedium postulemus. Sileo cætera quæ me non sinunt præfecturam ferre patienter. Vel hæc una consortis amissio justa est ad impetrandam vacationem. Ament alii perpetuas potestates : mihi summus est fructus felicitatis, ut coram vestrum numen advenerer, intuear benignitatis vestræ sidera. Hoc unum, præ omnibus, quæ præstitistis exopto. Simplex petitio est, nec viam capessendi honoris affectat. Satis enim claruit, nihil aliud esse quod cupiam, cum supplex refugerim magistratum.

EPIST. XXXI.

D. VALENTINIANO S. AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Licet arbitrer meas litteras nuntiis aut rumore præventas : quid enim fama potest esse velocius, D. imperator? ego tamen officii publici necessitate cogente excessum viri illustris crudo adhuc dolore non sileo. Vettium Prætextatum veteribus parem, virtutum omnium fata rapuerunt, summo patriæ gemitu, cui decus insigne præstabat. Cujus ego laudes et justa præconia animi consternatione prætereo. Neque enim locus est cujusquam testimonio, cum vitæ ejus gloriam clementiæ vestræ judicia testentur, mortem celebrem dolor omnium fecerit.

EPIST. XXXII.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Licet Vettius Prætextatus naturæ lege resolutus sit, vivit tamen in memoria et amore cunctorum : atque hoc uno punit invidiam, quod tantum ei mors ad gloriam contulit, ut huic quoque fortunæ livor debeat invidere, DD. imperatores. Nam præter illum populi Romani inusitatum dolorem, etiam senatus impatiens dispendii sui solatium petit de honore virtutis, vestrumque numen precatur, ut virum nostra ætate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum : non quod ille præmia terrena desideret, qui gaudia corporis, etiam cum hominem ageret, ut caduca calcavit; sed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio, et virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum est ut rusticis adhuc sæculis optimi quique civium manu et arte formati in longam memoriam mitterentur. Atque utinam nihil huic decori facilitas adulantium postea derogasset! quamvis paria non sint, quæ dispari arte quæruntur. Dignum est igitur ut qui in pectoribus omnium manet, sit in ore plurimorum. Ille semper magistratibus suis celsior, in alios temperatus, in se severus, sine contemptu facilis, sine terrore reverendus. Cui si quod commodum successionis evenit, ad testatores proximos mox revertit. Qui nullis prosperis fractus est, nullius risit adversa, indecoræ nescius largitatis : ille quem semper invitum secutus est honor, cujus æquitati conterminus quisque limites suos credidit. Plura de eo vellem, plura de eo deberem sed clementiæ vestræ testimonio cuncta servanda sunt. Illustrior enim laus est, de cœlesti profecta judicio. Ergo ut probitatis patroni, bona temporum vestrorum futuris quoque visenda proponite. Certe ille est Prætextatus, quem jure consulem feceratis, ut fasti memores celebre nomen extenderent. Aliis utiles, fatalia damna reparate. Abierit cum homine præmium, sed judicium post hominem perseveret. Probate casibus adversus gloriam nihil licere. Nam quod meruit a civibus singulare est : illud multis commune quod perdidit.

EPIST. XXXIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Si divinæ clementiæ tuæ merita cogitantur, nullæ opes, quas aut natura sufficit, aut fortuna circumfert, gratiam nostri erga te amoris æquabunt, D. imperator. Sed, ut mea fert opinio, publicum de optimo imperatore judicium non est muneribus æstimandum : senatus tamen promptus obsequi, omnes officiorum partes ultro arripit, quibus indicatur affectio, et salutare numen tuum precatur, ut in hac oblatione, quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum ne sub te minus posse videamur. Nam divis parentibus tuis, ob decennium singulis minor summa decreta est. Etiam divus frater mansuetudinis vestræ, cum tertium lustrum ævi imperialis exigeret, parciore munificentia honoratus asseritur. Nunc in amorem tuum studia nostra creverunt. Nam mille sexcentas auri libras decennalibus imperii tui fastis devotus ordo promisit, urbanis ponderibus conferendas, id est, trutinæ largioris examine. Quod si pares animo vires senatus habuisset, scires in publico amore perennitatis tuæ esse divitias. Sed maluit clementiæ tuæ solutionis fide placere, quam magnitudine perfidæ sponsionis. Dehinc sub imperatore primævo sanus muneris modus, votum est sæpe faciendi. Absit ut bono principi plus quam possumus ingeramus. Aman-

Digitized by Google

tium quippe largitio non deterit vires offerentium. Ergo et nunc libens sume sacro ærario decreta subsidia, et futuris processibus imperii tui obsequiorum similium spem reserva.

EPIST. XXXIV.

D. VALENTINIANO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Habent hoc publicæ necessitates, ut impossibilia plerumque persuadeant, D. imperator. Sed cauto opus est, ne asperitas negotii effectu irrito solas arcessat offensas, quæ nulli magis evitandæ sunt, quam juveni et principi, cujus gratia cum ætate debet adolescere. Ergo numinis vestri famam simulque arduum recogitans, corporatos negotiatores, membra æternæ Urbis, ad equorum collationem quam litteris imperastis, vocare dubitavi : ne liberationem clementiæ vestræ querela publica præveniret. Integra res est : adhuc salubritatem consilii diligentioris exspectat. Justitiæ præstate quod remittitis invidiæ. De exemplo veniunt quæ cavemus : siquidem cœli particeps parens clementiæ vestræ, cum munus exiguum huic hominum generi mandare tentasset, motus libertate plebis abstinuit. Et certe paucorum curam res illa poscebat, magisque officium desiderabatur tractandæ pecuniæ publicæ, quam dispendium conferendæ. Consuli tamen gloriæ suæ, ne quid juberet invitis, et diligentissimus ac serius imperator, speratum emolumentum tanquam popularis ignovit. Nec putet æternitas vestra ab incœpto temere destitisse Deo proximum virum. Noverat horum corporum ministerio tantæ urbis onera sustineri. Hic lanati pecoris invector est : ille ad victum populi cogit armentum : hos suillæ carnis tenet functio : pars urenda lavacris ligna comportat. Sunt qui fabriles manus augustis operibus accommodant : per alios fortuita arcentur incendia. Jam cauponas et obsequia pistoria, frugis et olei bajulos, multosque id genus patriæ servientes, enumerare fastidium est. Ad summam, liquet privilegium vetus magno impendio constare Romanis. Jugi obsequio immunitatis nomen emerunt. Quod si adjiciantur insolita, forsitan consueta cessabunt. Quare paternum clementiæ tuæ ingerimus exemplum. Prætuli oraculum, quod pius successor imiteris. Oro atque obsecro ne populum, quem triumphantes sæpe veneramini, cæteris urbibus conferatis. Dabit fortuna melior, quidquid castrensis usus efflagitat. Humanitatis merito necessitas vestra sedabitur.

EPIST. XXXV.

DD. VALENTINIANO, THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Ab exortu pene urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auspices primus accepit, DD. imperatores. Nomen indicio est viris strenuis. Hæc convenire ob virtutem : atque ideo vobis hujusmodi insigne deberi; quorum divinus animus magis testimonium vigilantiæ quam omen exspectat. Sumite igitur defensores publicæ salutis solemniter auro ducta munuscula : non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicis sæculi testetur opulentiam. Bonis principibus bene parta libamus. Suscipite a judicibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis. Merito vobis solemnes pateras, cum quinis solidis, ut numinibus integritatis offerimus : quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur. Maneat ævum talis circa nos usus officii : et honorem clementiæ vestræ interminus annorum recursus instauret. Libenter strenis solemnibus præfectura fungetur, strenuis deferendis.

EPIST. XXXVI.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB

Profiteor ultro quod scio clementiam vestram posse rescribere. Verecunde potius quam jure suscepi provocationem, non exstante sententia : ne existimarer offensus liberæ quidem, sed immaturæ vocis objectu, D. imperator. Nam cum inter proximos Emphasii C. M. V. itemque hæredes scriptos, qui olim beneficio prætoris corporibus defruuntur, super testamenti jure actio verteretur, et sententiam de possessione impatienter exigerent, quibus ab intestato bonorum possessio minime competebat, quod hæredibus scriptis secundum tabulas docebatur indulta : Priscianus et Polemonianus ad denuntiationem dilato negotio provocarunt. Et cum ab his ratio quæreretur, alios vocis suæ incentores fuisse testati sunt, ut gesta litteris connexa monstrabunt. Nec officium partibus defuit, ad mulctam præjudicii suggerendam. Sed judicem vestri sæculi decuit vim constitutionis sacro oraculo reservare, cum allegaverint petitores, quod se ad incautam provocationem alienus hortatus impulerit.

EPIST. XXXVII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Fidem meam convenit amor sæculi vestri, et cura reip. ne corrigenda dissimulem, D. imperator. Cum ad præfecturam urbanam civilium rerum summa pertineat, minoribus officiis certa quædam membra creduntur, quibus regendis industrios et privatos oportet adhiberi, ut suum quisque munus inculpata facilitate promoveat. Tales nunc de judicio numinis vestri publicus usus exspectat. Sed nolo culpare præsentes, cum satis sit sollicitudini meæ, si melioribus viris officia intramurana mandetis. Meis quippe humeris rerum omnium pondera sustinentur, credentibus reliquis, quos clementiæ vestræ multiplex occupatio probare non potuit. Habet temporum felicitas digniores. Bonorum virorum vena fecunda est. Melius urbi nostræ in posterum consuletis, et eligatis invitos.

EPIST. XXXVIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Felicitas quidem vestra æternæ Urbi solemnis alimoniæ copiam pollicetur, D. imperator. Sed re magis quam spe tuti esse debemus : quod facile factu est, si hanc quoque partem clementiæ vestræ cura respexerit. Nam æstate provecta cum ex Africanis partibus minimum devehatur, non inani tangimur metu ne res annonaria in graves cogatur angustias.

Digitized by Google

Et ideo oro quæsoque perennitatis vestræ salubre præsidium, ut judices Africanos, et notarium, cui æternitas vestra mandavit frumentarios commeatus, severiora scripta dissimulent, missis in hoc negotium strenuis, qui onera consueta, dum tractabilis navigatio est, victui Urbis exhibeant. Hæc sæculo vestro, hoc virtutibus divinis dignum est, ut securitatem Romani populi inter præcipua et prima curetis. Aderunt optatis cursibus plena navigia, et Romanos portus frequens atque onusta classis intrabit, si aspiraverint numinis vestri secunda suffragia.

EPIST. XXXIX.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Difficilis est exitus veterum jurgiorum. Res enim multis agitata judiciis, et actionum varietate, et cognoscentium motu, et personarum mutationibus implicatur, D. imperator. Ut mihi nunc venit usus, cum inter Gaudentium curatorem Martianæ clarissimæ feminæ, itemque Liberium procuratorem amitæ ejus eodem nomine, dum viveret, nuncupatæ, annosum luctamen audirem. Nam in ipso limine quæstionis, cum procuratio, quam C. F. senior Martiana mandaverat, invalida diceretur, quod ante cuidam principi esset injuncta, ubi refusas in dominam comperimus actiones, atque actis prætoriis in Liberium denuo jura translata; objecta cassæ procurationis agnovimus: tunc defensio partis adversæ negavit stare personam, cujus procurationem superioris gesta judicii non tenerent. Contra hæc exactam prius mandari recitationem, et inter partes tributum procuratori beneficium repatraionis aiebant: huic parti longius, quam oportuit, immorata contentio est. Sed quia prior cognitor, ut justo defensori restituerat temporum cursum, qui per actores non poterat impetrari, et procuratio legebatur prætoris alligata judicio: hæc quoque præscriptio conquievit. Successit aliud, ut obitu Martianæ C. F. mandatum diceretur exstinctum. Sed contra, venerabilis Juliani sanctio stare procuratorum jussit officia, causarum dominis viventibus inchoata. Ergo cum et reparationem superstite Martiana, et conventionem partis adversæ super æstimandis bonis Liberius impetrasset, pronuntiavimus non periisse mandatum. Dehinc petitore properante, ut ex constitutione numinis vestri, servandi debiti causa in materna corpora mitteretur, quod adversaria æstimationem bonorum conventa facere noluisset, responsum est, de supplicationis fide prius esse tractandum. Id quod probabile videbatur, admisi. Facto igitur aditu de precibus disputandi, defensor C. F. Martianæ notare sibi visus est mendacium supplicantis; quod cum Priscæ matris suæ testamento neptes ejus ex Placidiano genitas hæreditatem cepisse dixisset, non omnes neptes ab ea scriptas probaret hæredes. Responsum est, de his tantum, quas avia hæredes instituit, supplicatum, nec unquam factam omnium mentionem, sed earum quibus fuerat delata successio. His delectum curatoris patrocinium cœpit exigere ut petitor ediceret, ex quibus nominibus propositæ descenderent actiones. Tunc e diverso veniens ex Placidiani C. V. nomine, qui pater adultæ fuit immodicarum donationum causa manasse respondit. Supplementum vero unciarum ab hærede Placidiæ, cui soror Martiana successit, asseruit postulari. Hæc adversarius eatenus refellebat, ut diceret C. F. juniorem Marcianam, non Placidiani tantum patris successionem, sed etiam Placidiæ germanæ suæ pro certis unciis consecutam, nec tamen ullam Placidiæ mentionem precum serie contineri. Sed cum allegatio diversæ partis astrueret, rem se obnoxiam persequi designatis titulis actionum, et id, quod in litem venit, pro certa parte Martianum C. F. possidere: ejus nomen cum designatione causarum deceret precibus comprehensum, stetit judicii mei deliberatio: hoc asserente, personam Placidiæ supplicationi adjici debuisse: illo negante, post designationem rei et ejus personæ, quæ hodie corporum possessione defruitur, quidquam esse quærendum. Accessit cunctationi meæ causa vehementior; quod jubente lege, ut intra quatuor menses ad æstimationem bonorum possessor petitori teneatur; nunc ut gesta monstrabunt, angustum nimis ex conventione tempus fuisse visum est peregrinis corporibus æstimandis. Et ideo motus ambiguis, oraculo numinis vestri distinguenda cuncta servavi. Nam in rebus dubiis una est salubritatis via, ut divina quæque vel Deo proxima consulantur. Conjunctæ paginæ, allegationes partium, et supplementa sumpserunt: quæ cum majestatis vestræ justitia perpenderit, precor, ut metas curiosæ liti absoluta definitione ponatis.

EPIST. XL.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Cum clementia vestra meminisset faciendæ carrucæ impendium de sacro ærario esse decretum, censuit, ut ejus argentum publicis conditis redderetur, D. imperator: sed examinis reperit fides, ex aliis titulis assumptam speciem, quam vehiculi ornatus accepit. Cujus rei, etiam vir illustris prædecessor meus, Authemius Bassus, perennitati vestræ rationem dicitur intimasse. Et ideo sæculi vestri æquitas imperavit, ut examinata, et comperta suggererem. Cum fiscus in tempore, quod habendum fuerat, non haberet, ex arca questoria, itemque ex formarum condis, præterea ex argentariorum parcimonia, argentum jusso operi ministratum est. Cujus solutio, si carrucæ usus maneret, de thesauris imperialibus jure peteretur. Sed nunc carpenti novitate submota, suum quisque deposcit: nec difficile credimus impetrari, quod a legum parentibus postulatur. Quæso ut digna temporibus responsa reddatis, quo vir clarissimus et illustris sacrum largitionum comes, refundendum esse cognoscat publicis titulis privatisque personis, quod sine lacuna imperialis ærarii deprompsit aliena collatio.

EPIST. XLI.

AD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Scio quidem naturæ humanæ vitio probitatem

Digitized by Google

subjacere livori. Sed mirer eo progressas insidias æmulorum, ut crudo mendacio insontis fama peteretur, DD. imperatores. Quid enim non audeant, quidve intentatum relinquant, qui in arce terrarum, Christianæ legis injuriis vindicata fana finxerunt? Flevit, credo, scenæ istius fabricator, cum de Ecclesiæ penetralibus raptos ad tormenta simularet, cum de longinquis ac de finitimis urbibus duci antistites in vincula describeret. Neque enim serenum clementiæ vestræ animum sine his argutiis compulisset sacro edicto populum convenire, ut asperioribus, quam pietati vestræ mos est, litteris, præfectum, quem sine ambitu legistis, argueret. Reddat nunc, quisquis ille est, causas fallaciæ suæ, qui sub occasione justæ inquisitionis, qua me cultum spoliatorum mœnium investigare jussistis, tragicas quæstiones de ministris catholicæ religionis jactat agitatas. Respondeat litteris episcopi Damasi, quibus assectatores ejusdem religionis, negavit ullam contumeliam pertulisse. Non magnopere officii mei prætendo responsa : a quo ideo quæsita est rerum fides, ne factum aliquod recordationem quæsitoris effugeret. Credatur ejus legis antistiti, quæ læsa simulatur. Credatur præfecto, qui perennitatis vestræ admonitus edicto, miratur in procinctu creditum quod Roma nescit admissum. Omitto injuriam præfecturæ et conscientiæ meæ : quando eo processit insimulatio ut vos quoque ipsos, auctores honoris mei, quadam reprehensione perstringat. Nam qui summi loci judices decolorant, sacri testimonii facilitatem videntur incessere. Jam dudum me divus genitor numinis tui præcipuo honore dignatus est : ille meritorum arbiter singularis, cujus imperium cum moribus recepisti. Paternum sequere, tuum tuere judicium. Qui præfecturam sine ambitu merulmus, sine offensione ponamus. Suggestionibus viri excellentis et de rep. bene meriti Prætextati præfecti prætorio, abusus existimor. Quid si ex illo decreto, quod probabiliter impetravit, necdum a me quæstio ulla tentata est? Prævidi enim quid possent æmuli suspicari, atque ideo obsignata officio præfecturæ sacra jussa commiseram. Nec me hujusmodi conjectura decepit : siquidem severe exsecutus insimulor, quod non convincor aggressus. Hæc omnia fide actorum comprehensa subjeci : unum illud adjiciens, ut me perennitas vestra necessitate inquisitionis ejus absolvat, cujus auctoritatem referri ad scrinia palatina jussistis. Nam si tantum de me improbis licuit, exstante præcepto : quid retractatis litteris non licebit? Sane laudabili viro episcopo denegante ullum e suis aut carcere aut vinculis attineri, et officio eadem suggerente, ignoro quos potissimum præceperitis absolvi. Tenent quidem leges variorum criminum reos, sed, ut comperi, a mysterio Christianæ legis alienos. Quid igitur æternitas vestra decernat devotus opperior, et quæso ut fallaciam retundatis, quæ divini pectoris vestri sollicitavit quietem, quæ ad edicti necessitatem venerandi principis curam coegit. Me munivit invidia : apud aures enim sacras locum postea non habebit convicta mendacii. Si quid tamen denuo obtrectantium murmur ingesserit, opto judicium. Experientur me sub imperiali disceptatione constantem qui nocentem probare non possunt.

EPIST. XLII.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

De tribunatu vinarii fori nuper orta contentio causam mihi attulit legum arbitros consulendi, D. imperator. Præfectus instabat ut delatum sibi sortiretur officium. Vetus e lege, quæ tempora istiusmodi actibus certa decrevit, excusabat honore decedere. Secutus morem longa ætate servatum, eum qui recens majestatis vestræ beneficium præferebat, admisi. Sed ut deinceps, si forte usus tulerit, cunctationem judicii absoluta forma submoveat, statui sacrum numinis vestri oraculum sciscitari, utrum fas sit novos tribunos servata lege differri, an magis veteres oporteat devotione removeri.

EPIST. XLIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Unum levamen injuriis meis tribuit eventus, D. imperator, ut Romam publicæ utilitatis gratia V. C. et illustris, clementiæque vestræ semper dicatus, comes Hesperius mitteretur. Nam si eum testem contumeliarum, quas pertuli, non haberem, quis dubitaret eam præfecturam, quæ Romæ superior est cæteris, turbidum aliquid pro potestate fecisse? Is, quoniam semper amicus est veritati, et famam bonorum temporum colit, si dederit æternitas vestra copiam, contemptum legum et sæculi non silebit. Ego, ut potero, de multis pauca narrabo, repetitis paululum causis quæ mihi, ut arbitror, has insidias excitarunt. Cum pro diligentia, quæ debet omnibus inesse judicibus, argenti publici ratio quæreretur, quod censualibus editores munerum contulerunt; inter cæteras fraudes repertum est, quosdam functionibus absolutos, sumptum debitum reip. non dedisse. Et ut fallacia ita tegeretur, ex alieno argento tantumdem censualibus, falsis titulis imputatis, quantum duo conferre debuerant, contulerunt. Hoc cum clarissimi viri sponte sine adjectione dispendii reddidissent, senatum prisco more consului, quid in communi causa patrum innueret auctoritas. Dictis aliquot sententiis, factum meum reverendi ordinis probavit assensio. Interjectis diebus cum Romam V. C. et spectabilis vicarius commeasset, V. C. causidicus fori mei Cessus, socius ejus, qui debitum refudit impendium, tuitionem contra me, et annonæ præfectum clarissimum virum de sede vicaria postulavit, cum ego aditus in causa publica, civilem conventionem matri ejus super nepotis sui munere detulissem, responsione servata, qua retinere asseritur patrimonium Candidati; præfectus vero annonæ V. C. pistorem publicæ annonæ verbo tantum reposcere diceretur, quem manibus officialium Celsus eruerat. Hic jam vestræ perennitatis est æstimare contumeliam præfecturæ : cujus causidicus nihil passus, auxilium secundi judicii impetravit. Per hæc quoniam patientiam meam minime perculerunt, ad-

Digitized by Google

jectum est, quod dissimulare non possum. Nam cum ad examinandos actus Bassi præfecti Urbis potestas vicaria ad secretarium commune prodiisset; nescio quis, vicario libello dato, de officii mei colludio, vel iniquitate conquestus est; quod Memorius litigator, jussus a Basso solvendi debiti gratia ad judicia Africana deduci, cum et a viro illustri decessore meo Aventio, et a me per libellos, ne eo pergeret postulasset, navi esset abductus. Hunc illico V. C. et spectabilis vicarius, ut subscriptio libelli indicat, adesse præcepit. Ubi pariter ambo consedimus, et seriem querelarum recitatione cognovi, admonui ut is qui aderat vicariam sedem probaturus intraret. Tunc officium ejus hominem deesse respondit, qui præcepto judicis sui in examen acciri debuerat. Quid hic æstimandum sit, relinquo sapientibus. Semel atque iterum præconis vocibus advocatur, nec tamen inclamatus accurrit. Tunc nullo assistente, apparitio urbana cœpit urgere, quod ad Africam transvectus esset, quo Bassum clarissimum virum criminis posset arguere. Suggestum est paritum esse sententiæ: quam cum Bassus post luctamen partium protulisset, provocatio non removit. Ad hæc Fulgentius V. C. tribunus et notarius, conventos adjutores urbanæ sedis asseruit ne Memorius navigaret, a quo cum requireretur an ad eum aliquid super hisce criminibus Memorius detulisset, ait querelas ejus libellorum paginis contineri: credo simulare non ausus quod accusator esse voluisset. Ad hæc urbani adjutor officii per Felicem sibi a clarissimo viro Fulgentio mandatum esse respondit, ut secundum sententiam Memorius ad Africam duceretur. Mox Felicem censuimus attinendum, quo posset liquere an hujus mandati internuntius extitisset. Interea vir spectabilis vicarius, cum adessent alii, quos in Bassi causis possemus audire, ob ejus absentiam, quam facile est ex Africanis revocare provinciis, judicium omne deseruit: nescio an ex jussu eorum qui, ut audirentur, affluxerant. Promissa relatione discedo. Felix, qui in communi jussus est attineri, officii executione corripitur. Is, cum a me insequenti tuitionis auxilium poposcisset, et unius nomenclatoris, ut in urbe pacata adminiculo fretus incederet, post vehiculum præfecturæ, jussu Fulgentii, per Gaudentium et Victorem agentes in rebus, et Bonifacium palatinum, qui hactenus in officio urbano militavit, violenter arreptus deducitur in ejus ædes, de cujus mandatis fuerat audiendus. Quod cum sibi Fulgentius V. C. auctor contumeliæ meæ invidiosum putaret, ad circi secretarium convolavit, facti illiciti volens præstare rationem, quod sibi metum fuisse dicebat, ne officii subornaretur impulsu. Exspectatis, credo, augustissimi principes, ut præfectus et judicii vestri securus, et innocentiæ suæ aliquid severum censuisse dicatur. Fateor, neque pœnitet, animum temperavi, dum certam de vobis spero vindictam. Statui ut Felix vadibus, qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur. Quid mitius decerni, quid remissius potuit? Tunc ille, tanquam cessurus egreditur. Sed cum ad ejus ædes semel atque iterum princeps officii commeasset, et obstinatam hominis contumaciam non posset inflectere, inanem syngraphan reportavit, qua redhibitionem Felicis in alterum diem sponsione distulerat. Tenet domi testem, quem de se noverat audiendum. Etiam hujus injuriæ assumo patientiam. Culpate uti vultis, ut dignum est. Scivi meliorem esse judicum causam quæ rerum dominis reservatur. Exspectamus ut altero die instructus officio redderetur. At ille crastina luce, ut gesta monstrabunt, adversum cautionis fidem vicariæ potestati tradendus abducitur. Hoc ubi princeps officii comperit, paucis comitatus excurrit: retinet Felicem celebri Urbis loco, nec tamen eripit. Itaque Fulgentius, qui se simulat verberatum, manu validiore legibus repugnavit. Interea Felix a militibus vicariæ potestatis abducitur. Et cum princeps officii mei sub conspectu Romanæ plebis auditur, video quid de hoc facto perennitas vestra debuit judicare. Ego ordinem tenebo gestorum. Fatetur sub alterius cognitoris examine litigator, nihil sibi ab apparitoribus meis adversum Fulgentium esse mandatum. Hic jussu ejus ad communem secretarium, quo faciendæ oblationis gratia summates quosque conduxeram, a principibus officii utriusque perducitur. Nihil enim repertum fuerat quod præfecturam posset involvere. Tunc Fulgentius facti sui conscientia percitus cæsum se esse conqueritur. Sed mox ejusdem Felicis ac devotissimi viri principis responsione pars ista purgata est. Et tamen querelæ ejus audientiam non negavi, clarissimo et spectabili viro vicario in societatem cognitionis ascito, si vellet struere nomina testium plebeiorum danda. Promisit: credo, ut per moram meus dolor, vel per satisfactionem mitesceret, vel ipse rursus alias moliretur insidias. Qui ut res indicat, conscientia hominis subornati, a quo vicariæ potestati libellus oblatus est, domestice confessus apud eundem factum ausus est postulare, ne apparitores ejus, quos ob discessum litigatoris custodia carceris jusserat attineri, injuriæ subjacerent. Post hæc usurpato rursum publico neglectoque judicio, audacis facti conscius evolavit ut præfecturæ justas querimonias præveniret, ignarus, ut res est, parentes generis humani magis justitia quam invidia commoveri. Hæc ita esse gesta, nec ulla arte fingi, instructio subjecta testabitur. In qua reperiet æternitas vestra præfecturam, quam in me puro judicio contulistis, nihil saltim ad vindictam publicæ disciplinæ esse molitam: cum omnibus injuriis cederetur, quas boni quique præsumunt pro vigore sæculi vindicandas. Hæc enim spes et fiducia jus creditæ mihi potestatis infregit, ut auctores honoris mei, et publicæ dignitatis, et judicii sui contumeliam justa severitate defendant.

EPIST. XLIV.

DOMINO THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Per vices mensium singulorum ad perennitates vestras scripta senatus et populi acta mittuntur, quæ poterunt indicare quid vir præcelsæ illustrisque

Digitized by Google

memoriæ Prætextatus, vel ad amplissimum ordinem, vel ad devotum vobis populum, pro sæculi vestri commendatione pertulerit, D. imperator. Sed quia speciatim sacris litteris imperastis, ut si qua ab eo Romæ in his cœtibus gesta sunt, agenti in rebus excerpta tradantur: misi omnia jussis cœlestibus obsecutus, quæ ipso præsente venerabilium rationum vestrarum sanctio definivit, et patrum probavit auctoritas. Præterea, quæ apud plebem locutus est ut cunctos in amorem bonorum temporum provocaret, adjunxi. Judicium vero civium, quod supremo die de virtute atque innocentia ejus habuerunt, speciatim viro clarissimo et illustri officiorum magistro, subditis gestorum exemplaribus, intimavi: licet vehiculo publico cum cæteris, quæ ex more mittuntur, omnia necesse sit, rursus ad serenitatis vestræ notiam pervenire.

EPIST. XLV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Jam quidem rescriptum numinis vestri Cyriades V. C. comes et mechanicæ professor exhibuit, D. imperator: quo statuerat æternitas vestra, ut se ipse a quorumdam criminatione purgaret, ac rursus urgeret objectis, si quos fraudis incesseret. Qui cum Auxentium V. C. sub examine decessoris mei cœpisset arguere, postquam ad cognitionem meam ventum est, super basilicæ atque pontis immodico sumptu, Auxentii V. C. voce perstrictus est. Quem Cyriades, vir parilis dignitatis, mutua accusatione credidit remordendum. Visum est igitur accommodum ut utriusque ædificationem fida æstimaret inspectio. Dedi negotium sollicitis, quantum arbitror, viris, et Cyriade pene recusante, decrevi fabrilis artis magistros, quos adversario æquiores putabat, æstimationi operis admovendos: manente nihilominus penes Auxentium cura atque administratione cœptorum, quod necdum æternitas vestra officium ejus successione mutasset. Itaque exactis aliquot diebus, et adhuc pendente operis examine, apparitio, quæ Auxentio fuerat deputata, per notarium mihi fecit indicium, deseruisse clarissimum virum susceptorum curam locorum, et sub ipso æstatis exordio, quo possit profectus ædificationis assurgere, nihilum promoveri. Sed quia senatoris fuga non videbatur temere credenda, ut impensius requireretur admonui. Diu nusquam gentium deprehensus, ubi comitatum sacrum numinis vestri adire jussus est, evolavit. Interea Cyriades, V. C. comes et mechanicus, cum statutum meum discessu ejus videret elusum, multum anxius ne quid in absentem adversarius moliatur, ut æternitati vestræ et relationem V. C. prædecessoris mei, et nunc acta suggererem, deposcit: cui audientiam negare non potui; eadem via præcepto numinis vestri cupiens edoceri quid facto usus sit de æstimatione sumptuum, quos utriusque insumpsit expensio: siquidem meum spectat officium jacturam pecuniæ publicæ non tacere. Fidem litteris sociata gesta præstabunt. Quæ ubi ad sacras aures perennitatis vestræ recitata pervenerint, oro atque obsecro ut incertum animi mei responsis imperialibus instruatur.

EPIST. XLVI.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Certum est quidem clementiam vestram fidei amore, et studio veritatis, in examen assiduum sæpe explorata revocare, DD. imperatores. Sed cum Auxentius V. C. et Cyriades comes ac mechanicus parilis dignitatis, quadam inter se concertatione dissentiunt, nonnihil superioribus judicibus derogatur. Jam dudum enim V.C. et illustris Anthemius Bassus pontis novi opere perspecto, sub actorum confectione signavit culpam vel negligentiam singulorum; denuo successor ejus eadem loca rimatus asseritur. Dehinc cum apud me, ex rescripto, quod Cyriades V. C. impetravit, recidiva cognitione refugerent, atque ipsis consistentibus censuissem, ut utriusque tam sumptus, quam ædificationem investigatio discussionis inquireret, V. C. Auxentius repente deseruit judicatum. De cujus facto missurus relationem, quam sollicitudo intermissi operis exigebat, alia numinis vestri decreta rursus accepi, quibus examini meo V. C. et spectabilem vicarium copulastis, ut utroque residente, accusata pontis vitia quærerentur. Nec obsequium defuit imperatis. Itaque adhibito V. C. tribuno, et notario Aphrodisio, cui post Auxentium V. C. novarum molitionum cura legata est, habita est de his quæstio qui pontis ejusdem fundamenta posuerunt. Atque ita constitit partem brevem atque discretam sub exordio hyemis inchoatam vi fluminis corruisse, cujus impendium viginti solidorum definitione artifices æstimarunt. Sed casus partis istius, utpote adhuc a cætero corpore segregatæ, nihil videtur injuriæ locis distantibus attulisse: quam facili ædificatione reparandam Cyriades V. C. pollicetur. Post hæc alterius loci exploratio hiulcam compagem lapidum deprehendit, quam Cyriades comes et mechanicus consilio suo et ratione artis ita positam suggerebat, ut infuso postea impensarum liquore hiantia stringerentur. Quod cum facere debuisset, succedentis industriam affectasse potius dicitur, ut in auctoris invidiam feni et sparti manipulis claudererentur. Quod cum astrueret recitatione gestorum, factum quidem urinandi artifex non negavit, sed ex usu operis, non in dehonestamentum Cyriadis V. C. asserebat, remedium hujusmodi esse provisum. Tunc responsionum varietate commoti, coercuimus a præteritis discrepantem. At ille Cyriadem sibi ait dudum fuisse terrori. Quod credibile non videtur, cum illius temporis cognitor ad fidem veri destricta quæstione pervenerit. Interea Cyriades V. C. facilem prospectum esse suggessit operis sarciendi, cujus stabilitatem, sicut assertum est, hyems tertia non resolvit. Ipse autem de ædificationibus Auxentii V. C. et de usurpatione immodici auri nonnulla indiciis intimavit. Quæ ideo Gestorum paginis applicari placuit ut æternitas vestra, cunctis per ordinem patienter auditis, providere dignetur quemadmodum

Digitized by Google

concertantium æmulatione compressa, et integritati sumptuum et firmitati operis consulatur.

EPIST. XLVII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Ut vestri numinis veneror sanctiones, ita observantiam jugem saluberrimis divi genitoris vestri impendo decretis : Quid enim ille constituit, quod possit publica cura deserere? Is inter alia, quæ in bonum publicum contulit, etiam medendi professoribus dedit ordinem successionis, si locum quempiam decedentis fortuna nudasset. Qua lege cautum est ut primi artis ejusdem de novorum scientia judicarent. Hanc formam, quantum asserunt, ætas secuta servavit, D. imperator. Nunc Joannes V. P. non eum gradum, quem subrogandis dederunt divalia scripta, sed summo proximum conatur adipisci, fultus Palatinæ militiæ privilegio, et impetratione specialis oraculi, quo Epicteti archiatri locum tunc adhuc superstitis impetravit. Sed quia lege et more cogentibus, summates ejusdem professionis par fuit in examen acciri, adhibitum est judicio collegium omne medicorum : quorum potissimi inter venerationem legis et novi beneficii reverentiam judicare non ausi, eum locum Joannni V. P. statuerant deferre nudum, quem tenere potuisset, si eo tempore, quo aulæ obsequiis deputatus est, archiatrorum numero fuisset adjunctus. Et cum ab eo palatini honoris officia poscerentur, ut codicillorum prærogativa monstraret, quis illi inter archiatros ordo competeret, asseruit domestica expilatione etiam documenta sibi dignitatis ablata. At vero pars magna medicorum, munita lege divali, eorum exempla deprompsit, qui e Palatio in hunc gradum servato ordine transierunt. Quare motus ambiguis, et neque divi genitoris vestri ausus rumpere sanctionem, neque obviam specialibus venire præceptis; divino arbitrio numinis vestri, subditis allegationibus partium, summam negotii reservavi : opperiens quid deliberatio Augusta constituat, cui soli fas est de scitis divalibus judicare.

EPIST. XLVIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Quid possint justi principes culpare præsentio. In causis etenim, quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet. Sed consulto nunc objectum provocationis admisi, ut in examen clementiæ vestræ, et invasionis indignitas, et modus judicii perveniret, D. imperator. Nam Scirtius V. P. ereptam sibi partem Cæsarianæ massæ crebra aditione conquestus, cum integrationem status, quem amiserat, impetrasset, hæredes Thesei, qui reluctarentur objecti sunt. Tum vero Artemisius, Olibrii clarissimi atque illustris viri actor, exsecutori ut ipse professus est, obviavit. Et cum ad pernoscendum possessionis statum loci habitatores adesse jussissem, in injuriam legum, Ruffino officiali jussa curanti, qui deducebantur abrepti sunt. Gesta indicabunt facti incivilis auctores. Interea distuli vindictam judiciorum, et rursus officio negotium dedi ut necessarios evocaret. Tunc cessantibus auctoribus clarissimæ domus, cæterisque subtractis, ad contradicendum Thesei subrogantur hæredes : uno tantum exhibito qui se assereret libertum esse defuncti. Is interrogatus quo abiissent incolæ prædiorum, delituisse nonnullos, Scirtii vero mancipia ad urbanam villam, quæ est clarissimi et illustris viri Olibrii, translata respondit. Cætera, ut a liberto Thesei dicta, prætereram, licet in eum præscriptio ista non competat, cum a patre minorum beneficium libertatis acceperit. His ita positis, Prænestini in quorum finibus Cæsariana possessio jacet, missis apparitoribus exhibentur. Tunc demum V. C. et spectabilis Olibrii procurator emergit. Adest etiam defensor minorum. Tandem cogentibus judiciis postulatus, Scirtio adversum duos pugna proponitur : quamvis patrocinia clarissimæ domus, et successorum Thesei quadam specie dissiderent. Itur in quæstionem possessionis, quæ partium variis agitata conflictibus, ad interrogationem testium jure transivit. Admoneri singulatim ut mos est, jubeo curiales nominum et dignitatis. Ab unoquoque posco responsa, tum locorum justos possessores requiro : dehinc percunctor quis annuas functiones, aut indicta persolverit. Cum secundum Scirtium testimonia cuncta procederent, atque eam possessionem cum Theseo tenuisse constaret, quando aut per quos dejectus esset, examino. Secundum fere vel tertium mensem manare consentiunt, ut eum clarissimæ atque illustris domus homines expulerint. Auditis optimatum testimoniis, denuo defensores admitto jurgantes. Quæsita et responsa partibus intimantur. Ibi Tarpeius V. C. procurator illustris viri Olibrii asseruit, ei sex uncias prædiorum Thesei morte quæsitas. Contra Scirtius de sex unciis, quas minores etiam se consentiente retinebant, non ibat inficias, nec sua interesse dicebat actores clarissimæ domus an hæredes Thesei eadem parte fruerentur. Tunc actionibus copulatis, Scirtium urgere cœperunt, quod secundum mandatum C. F. Faciane sex uncias Theseo per epistolam reddidisset, sex vero alias in eos liberos contulisset spontanea largitate. Ad hæc Scirtius idem litteris familiaribus, quod donationibus in Theseum, vel parvulos transfusum esse dicebat, ipsius petitu, ut actorum fides beneficium roboraret. Et revera, cum posteriora gesta pro indiviso sex uncias massæ in eos collatas esse testentur, intelleximus partem donatoris exceptam. Cur enim pro indiviso daret, si nihil resideret quod retineret? Sed hoc cum ad proprietatis causam dicerem pertinere, recitata est a defensoribus constitutio, quæ judicibus tribuit copiam, non imponit necessitatem, ut quoties de possessione successionis judicant, continuo, si casus tulerit, etiam de jure censeant. Qua actione confessi sunt ad aliam causam se malle transire. Præterea non solus Scirtius proprietatis quæstione videbatur urgendus, cum ipsi quoque inter se super hac parte quodammodo dissiderent. Quare de possessione secundum documenta Scirtii et principalium testimonia judicavi, adversariis eius

Digitized by Google

sex unciarum retentione et jure firmatis. Principalem vero causam, salvis allegationibus partium futuro examini reservavi. Et mox sententiæ exemplar emisi, cum ejus editionem procurator spectabilis viri continuo postulasset. Tunc Scirtius obtulit sanctiones, quibus doceret, in reformatione momenti nullum esse appellationibus locum. Postridie procurator clarissimus et illustris, ac defensor minorum, qui putabatur in judicio discrepare, concordiam suam junctis provocationibus indicarunt. Hæc est omnis summa luctaminis. Nunc oraculum numinis vestri fortuna litis exspectat. Gesta et supplementa partis utriusque subjeci : quibus instructa perennitas vestra, exemplo unius causæ securitati omnium dignabitur commodare.

EPIST. XLIX.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Vendendis solidis, quos plerumque publicus usus exposcit, collectariorum corpus obnoxium est, quibus arca vinaria statum pretium subministrat. Huic hominum generi taxationis exiguæ utilitate nutanti, divus frater numinis vestri tantum pro singulis solidis statuit conferendum, quantum æquitas illius temporis postulabat, D. imperator. Sed paulatim auri enormitate crescente, vis remedii divalis infracta est. Et cum in foro venalium rerum majore summa solidus censeatur, nummulariis pretia minora penduntur. Petunt igitur de æternitate vestra, pro ratione præsenti, justissimæ deflationis augmenta, qui jam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt. Hæc est causa quærimoniæ, quam divinis sensibus vestris fides gestorum plenius intimabit. Si petitionis genus probabile judicatis, quæso ut huic quoque parti præceptio mansuetudinis vestræ salubre remedium deferatur.

EPIST. L.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Palatini munerationum sacrarum, Amicus et Castor, quæstus publicos eruentes, inter cætera nomina, quæ judicio persequuntur, hæredes Postumiani V. C. in examen meum conventionibus evocarunt, D. imperator. Luciano monente, qui census senatoris ante tractavit, quod oblativis functionibus ea demum domus esset obnoxia : pars debiti Lollianam, pars Cattianillam pariter ac Severellam suggerebatur urgere. Interea sequestrato Lollianæ C. F. nomine, quam pro sex unciis astringit exactio : horum orta refragatio est, quos pro singulis bonorum quadrantibus solutionis cura mordebat. Comperendinato plerumque judicio res eo deducta est, ut fisci patrocinium securitates a clarissimis personis impleti per vices muneris flagitaret, Cattianillæ vero ac Severellæ defensio scripta ad rationem divini principis mitteretur. Vetus enim quæstio, et cognitionibus præfecturæ frequenter agitata, usque ad inclyti semperque verendi genitoris vestri cucurrit arbitrium : qui Juventii clarissimæ et illustris memoriæ præfecti Urbi insinuatione consultus quadam rescripti parte signavit, suis quibusque temporibus a Cattianilla ac Severella clarissimis feminis oblativa munera soluta constare. Hoc me dudum promptum atque declivem ad efflagitanda illationum documenta defixit, cum videretur omnibus securitatibus esse vehementior imperatoris assertio. De cujus responsis jugi honore manaturis, vestræ clementiæ fas est esse judicium. Nos venerari potius, quam interpretari oracula divina consuevimus. Præsto sunt monumenta gestorum, partium quoque supplementa non desinunt. Æquum est ut majestatis vestræ informetur arbitrio humana cunctatio.

EPIST. LI.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Moribus sævis familiare atque cognatum est armare spiritus impunitatis exemplo, D. imperator. Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris evasit? Præsenti causæ congruit præmissa sententia, siquidem Valerianus V. C. cui lar in Epiro esse suggeritur, neque rescriptorum veneratione, neque legum severitate, vel pactionum fide, aut judiciorum reverentia permovetur. Qui primo in examen prætoriæ sedis jussus acciri, ad supplicationem V. C. Junioris vim rescripti præcelsæ potestatis elusit. Dehinc proconsularibus evocatus edictis, leges pari arte frustratus est. Nam cum et actione civili, et criminali accusatione premeretur, statutis inciviliter repugnavit, ut apparitores præfecturæ urbanæ, partim notariis, partim suggestione signarunt : quorum unus agenti in rebus, eo mortuo, ad quem sacri præcepti executio pertinebat, affectum se a Valeriano gravibus injuriis indicavit. Motus igitur indignitate talium querelarum, cum viderem rursus illudi posse judiciis, si quid severius censuissem, factu optimum credidi, ut æternitati vestræ causæ istius pontificium reservarem. Soli enim jure corrigitis admissa potissimæ dignitatis. Fides gestis rerum cohærentibus explicatur : nihilominus ad senatum regressus apparitor, qui contumaciam senatoris et serviles impetus nuntiavit, suggestionibus suis; cum forte usus tulerit, adfuturus. Quæso æternam clementiam vestram ut, omnibus solita æquitate perpensis, evagari ulterius frustratorem tot judicum non sinatis.

EPIST. LII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Difficile est ut bona causa sit, cujus actio in jus alterius desperatione transfertur. Id adeo res probavit, D. imperator. Nam Theodorus, ut asseruit, ex pectore ab Anania quadam in re sua procurator creatus, jampridem clarissimo atque emendatissimo viro Cuprasio urbanis tribunalibus præsidente, Flavianum quemdam denuntiata lite pulsavit : sed diem legitimum causæ lapsus excessit. Longo intervallo petita a me reparatio, cum partes ad necessarium contraxisset examen, post multas allegationes, quas judicia ut invalidas respuerunt, orta præscriptio est, quæ assereret novari tempora possessore mortuo debuisse. Nam constabat non modo Flavianum, qui propositam legibus quæstionem primus exceperat,

Digitized by Google

sed etiam successorem ejus finem fecisse vivendi. A Ad hoc præmissa est lectio, veluti probatur indiciis, novationem tantum petitoris hæredi esse decretam. Quod verbo quidem assertum, sed sanctionibus non probatum, contrariæ legis recitatione compressum est. Secutus igitur scita manifesta et nullis principum vacuata responsis, cessare processum negotii judicavi : cum lis alteri denuntiata, aliam personam temporibus exactis tenere non posset. Tunc oblatis provocationis etiam novationis libellis, suspensa sententia. Cujus meritum perennitas vestra lectis gestis ac refutatoriis cohærentibus æstimabit. Ego in referendo prolixus esse non debui, cum pene in ipso actionum vestibulo repulsa legibus causa constiterit.

EPIST. LIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

In causis appellationum malo jus potestatis infringere, quam interpretationum dubia sustinere; præsertim conscius haud iniquæ judicationis, cui nonnihil honoris eveniet, si æternitatis vestræ oraculo roboretur, D. imperator. Tuli igitur Constantium Suarium temere provocantem, cum ex rescripto numinis vestri statum, quem Theodosio absenti ademerat, reformassem. Mota enim vestra clementia supplicationibus et querelis, brevi examine jussit inquiri an Theodosio extra conflictum locato, ac deinde ne rebus excideret provocante, possessionem corporum Constantius esset indeptus. Allegata igitur C præceptione divina, primo cognitionem totius negotii, quamvis speciatim mihi tranquillitatis vestræ delegatione mandatam, V. C. vicarii præsentiæ reservavi : siquidem videbatur hæc causa cæteris provocationibus esse conjuncta, quæ V. C. prædecessore meo negabantur admissæ, et alterum mecum sumpserat cognitorem. Dehinc, ubi eam partem, quæ ad illius temporis judicem pertinebat, vestro retinuistis examini, appellationis inquisitione discreta, cum jam participem judicii non haberem, turbatæ possessionis querelam rescripto obsecutus audivi. Et quia Theodosium judicio non interfuisse constabat, quo sibi demptas questus est facultates, nec ulla precum mendacia Constantius detegebat : exsecutus sum circa germanum supplicatoris hæredem cœleste judicium, D reformato statu, quem claruit mox proposita appellatione defensum : licet cultus subditus quæstioni, libellos, quos Theodosius publicavit, apud se residisse memoraverit. Nihilominus obediens imperatis, statui ut fides gestorum superiorum ad Augusta scrinia mitteretur. Hinc orta est provocatio, cujus vel justitia vel contumacia sacro expendetur arbitrio. Interea constitutionis memor, sequestrari mobilia fructusque præcepi, ne medii temporis usurpatio abutatur indebitis. Omnium gestorum fida documenta, supplementis partium relationi ex more sociata sunt, ut diu fluctuanti causæ tandem stabilem terminum divino ore ponatis.

EPIST. LIV.

DD. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS V. C. PRÆF. URB.

Omnes qui ad amplissimos honorum gradus judicio clementiæ vestræ vel favore provebimur, summo studio debemus eniti ut famam sæculi suggestionum veritate tueamur, D. imperator. Quod enim genus gratiæ beneficiis principum rependendæ fortuna impar inveniet, si fidem deserat quæ sola munit imperium? Contemplanti mihi igitur rescriptum numinis vestri, quo arcæ vinariæ debita a præfecto ejus temporis, quo contracta dicuntur, erui censuistis, silere fas non fuit, quid temporum vestrorum congruat æquitati. Jam primum stupere me fateor, cœlesti mansuetudini vestræ totius orbis negotiis occupatæ, litteras divi B Constantii ita esse suggestas, ut comminatio sub conditione deprompta instar cujusdam debiti duceretur : dehinc tacitum quodam casu de ea parte rescripti, quæ tenebat officium, ut persona judicis, tanquam vilior, apparitorum suorum impunitate premeretur : tertio, quod ea summa solidorum, quam cognitio et relatio viri illustris prædecessoris mei ex majore parte solutam probavit, ærario, tanquam debita et intacta deposcitur. Atque ideo inter multa curarum summatim nonnulla tractanda sunt. Namque XI millia CCCCXLVI solidos ex eo anno qui Sergii et Nigriniani sequitur consulatum, sacris accessisse thesauris, et præfecturæ inquisitio, et discussorum litteræ, et V. C. prædecessoris mei scripta docuerunt. Inter hæc igitur tam multa valida, fidem clementiæ vestræ C debitam silentio violare non potui : cum vestrum quoque numen adverterem solita cautione, neque judicis nomen signasse rescripto, et æstimasse, quod conveniendus luce frueretur. Nam quomodo clementia vestra vim veteris comminationis in mortuum tetendisset, cum gravium etiam noxarum pœna fine vitæ solvatur? At vero iste terror divi principis litteris comprehensus, ne viventem quidem posset urgere. Gravia enim subjectis sæpe minitamini, acuendi potius studio quam nocendi. Hoc etiam divus genitor tuus, in omnium semper animis et ore victurus, pia lege constituit : qui sententiam quoque sub comminatione depromptam, effectu atque exsecutione vacuavit. Hanc vero conditionem, quam divus Constantius adjecit litteris suis, multa quæ post visa D sunt subruerunt. Nam eodem principe adhuc orbem regente, ad Tertullum Præfectum Urbis memorabilem virum migravit exactio, quæ si hominis potestas fuisset, circa personam prioris judicis potuisset hærere. Nec multo post tempore, in Clytholiam Maximum, pari honore tunc præditum, tituli istius cura convenit. Divo etiam parente numinis tui, Romana jura et fata moderante, præfectis ac discussoribus mandata provincia est, et per vices administrantium publici debiti occurrit exactio. Novissime relatus in cœlum germanus clementiæ tuæ, eum ipsum Basilium, cum haberet appositum, qui personis judicum non pepercit, primiscrinios urbani officii, quorum sollicitudo per successiones exigenda curaverat, vel sol-

Digitized by Google

vendo nomini, vel edendæ rationi fecit obnoxios. Itaque et a V. C. ac probatissimo Anicio Basso, et Aventio viro spectabili frequentata cognitio, et solutam majorem partem debiti deprehendit, et provincialium judicum reperit sponsionem : qua professi sunt, si urbanum cessaret officium, per se hujus tituli integritatem posse sarciri. Hæc igitur, si legibus conferantur, pronuntiabit æternitas vestra in professione verum esse nexum, in comminatione terrorem. Quid, quod proxima apparitio cogendis provinciarum judicibus admota, spem debitis eruendis fecisse suggeritur; non est meum famæ incerta sectari. Inveniet divina majestas tua cur huic exactioni perpes cura defuerit. Nam socerum meum clarissimæ memoriæ virum Orfitum petit ista molitio : cujus hæredes V. C. et illustris officiorum magister ascripsit litteris suis, cum tuæ mansuetudinis verecundia nullum sacro oraculo nomen expresserit. Quid ergo existimem merito illius factum, qui major honoribus quam facultatibus ante annos fere quindecim vitam peregit? ut comminatio sæpe lecta, semper omissa, et novis post sepulta decretis, quam neque lex divalis admittit, et solutio magnæ partis exclusit, resurgat in mortuum, quæ non fuit ante viventi? An meæ potius contumeliæ causa, et ordinem tot et talium statutorum, et divi Gratiani recentem præceptionem, et discussorum diligentiam, et præfectorum cognitiones, et relationis fidem novis suggestionibus arbitrer sauciari? Testor custodem numinis vestri Deum nihil esse, quod injuria dignus existimer. Quieto mihi hanc præfecturam sine ulla affectione tribuistis. Si quem forte mordet invidia, si alicujus desideriis reip. amore non cessimus, cogitet privata odia adversum leges exercenda non esse. Postremo cognoscat, si quis ille est, me meosque successionem clarissimæ atque illustrissimæ memoriæ viri Orfiti, neque ratione juris, neque bonorum aditione cœpisse. Quæso igitur ne in contumeliam judicii vestri, et juri, et innocentiæ fraus paretur. Quando enim absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam numinis vestri inauditus excepit? Quando comminatio ad hæredes usque porrecta est? Certe ut ipsam causam loquar, quæ me, ac necessitudines meas vobis propitiis, nullo jure contingit, pars major debiti soluta monstratur : in evidentibus nominibus pars resedit. Cujus studio absolvendi sunt debitores, ut implicentur innoxii? Quare insitam divinis sensibus vestris oro justitiam, ne adversum divi Gratiani diffinitionem, adversum rescripta tot principum, qui præfectis debita eruenda mandarunt, adversum relationem, quæ uberiorem summam docuit exsolutam, reliquum vero secundum rectorum litteras exsculpendum ab obnoxiis intimavit; ignaros negotii et paternæ hæreditatis alienos, pulsari incongrua conventione patiaris; neve exemplum novum pius imperator inducas, ut successio optimatium [*num. leg.* optimatum?], qui reip. præfuerunt, ad liberos secura non transeat. Multos hæc forma retinebit, et plerosque, ut arbitror justius, si qui forte provinciis vestris male abusi sunt. At vero posteritas illustris memoriæ viri Orfiti, nihil ex illo aliud, quam generis insigne quæsivit. Meæ tamen injuriæ est ista suggestio. Nam tenuitati illius frequenter exhaustæ, nemo testamento, nemo nostrum bonorum aditione successit. Unde intelligit clementia vestra, quod non metu familiaris causæ, quæ legibus tuta est, sed temporum amore sollicitor ne ad innocentiam fisci vestri infructuosa tantum recurrat invidia. Et hæc quidem cursim, ne mandatum negotium comperendinatio differret, tantum pro conjugis meæ Rusticianæ C. F. parte quæsita sunt : cujus germana multo angustior facultatibus ex Etruriæ longinquis adesse præcepta est. Vestrum vero salutare numen omnes precamur, ne quod de tot provinciis pro majore parte jam redditum, adhuc difficilis exsculpit exactio, senatoriæ domus inopinata labes speretur posse persolvere. Multis nocuerit ista conditio, qui reipub. præfuerunt. Neque enim jus fuerit, ut una familia novo opprimatur exemplo. Quæso igitur ut gesta, quæ fidem relationis asserunt, audire dignemini, legesque percenseatis : quarum plerumque duritiam pro clementia vestra decretis moderatoribus temperastis.

EPIST. LV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Felicitas quidem vestra indefessas P. R. copias pollicetur, D. imperator. Sed cautio judicum suggerenda non deserit, ut diligentiâ muniat, quod melior fortuna promittit. Frumenti quotidianus usus in facili est; olei tantum species victum plebis tenuiter invecta sollicitat. Cujus rei V. C. præf. annonæ, partium suarum diligens exsecutor, prætorianæ amplissimæ præfecturæ, ut ipse asserit, dudum fecit indicium, missis de more brevibus, quæ angustias patefacerent conditorum. Sed ingravescente defectu, sileri apud clementiam vestram patriæ cura non debuit, cujus spes, atque opes bonorum principum favore cumulantur. Quare omnes suppliciter oramus, si exspectatis preces, qui vota omnium beneficiis prævenitis; ut quam primum judices Africanos super hac specie Romanis horreis inferenda divinus sermo distimulet. Nam properato opus est, priusquam reliquum profliget diuturna præbitio. Addite igitur hoc munus cæteris, quæ præstare consuestis, ut cuncta sæculi bona pari affluant bonitate.

EPIST. LVI.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Dies noctesque sollicitor ut prompto obsequio divinæ clementiæ vestræ jussa promoveam : siquidem non licet longa comperendinatione differri justitiæ ac legibus amica decreta, D, imperator. Unde cauto opus est ne existimationem meam per alios allata præceptis tarditas devenustet. Nam cum de Macedonio sequius de rep. merito, itemque Ammiano, dudum mihi judicium perennitas vestra legaverit, Ammianum quidem protectorum attestatione cognovi,

Digitized by Google

cum Urbis vicina contingeret, languore consumptum. De Macedonio varia jactantur, quem jam pridem debuit custodum sollicitudo perducere. Quæso igitur mansuetudinem vestram, ne mihi fraudi sit mora, alieno studio aut torpore contracta : simulque deprecor ut venerabilis æternitas vestra sigillatim quærenda distinguat, si forte designatum reum cognitioni meæ prosequentium cura tradiderit.

EPIST. LVII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Soli omnium potestis æternæ Urbis expensas a defectu sumptuum vindicare, D. imperator. Majestati autem vestræ subditæ potestates, tantum mediocribus causis valent ferre medicinam, magnarum vero rerum mole superantur. Ad vos igitur salutaria numina convolamus, et opem largam P. R. imploramus ærario, cui jam diu solitorum nihil vectigalium decretæ provinciæ contulerunt. Atque ideo justus est metus ne cessantibus subsidiis necessaria deserantur, quæ hactenus personæ tenues, alieno, ut querantur, ære tolerarunt. Super hæc etiam reverendus ordo consultus, cum per se mederi afflictis rebus nequiret, opem vestræ perennitatis oravit. Edita ratio est vectigalium, quæ Hispanienses atque Alexandrinos invehere debuit commeatus. Expensionum quoque titulos competentes officii cura digessit. Quæso, ut omnibus, quæ cohærent, libenter inspectis, utilitati publicæ velox remedium porrigatis : urgentibus enim causis, negari non potest illatio solemnis impendii. Quare serte propitii, ut soletis, auxilium : et qui mentibus piis nova P. R. beneficia defertis, etiam prisca servate : atque Urbi vestræ annuere dignemini, et quod prætermissio præterita suspendit, et quod futurus usus exspectat feliciter.

EPIST. LVIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

In negotiis, tempore ac judicatione finitis, cessare æquum est longæ orationis excursum, ne et numinis vestri salutares actus oneret sermo prolixior, et sine argumento rerum loquacitas morosa displiceat, D. imperator. Cum in judicio moderatoris Apuli, inter Marcellum, qui se dejectum possessione questus est, itemque Venantium stratorem, ut ipse confirmat, ejusque germanam Batrachiam, causa violentiæ diceretur, provocatio a reis incensulta processit, quod provincialis cognitor, præmissis litteris ad vicariam potestatem, susceptum retineret examen. Tunc auditorii sacri judex, rectoris affatu super appellatione est consultus, et præjudicialem mulctam statuit provocationibus inferendam, et ipsum quæsitorem crimini dedit, cum executione vindictæ. Post hæc obreptionibus partium nonnulla gesta sunt, ut judicatio consummata traheretur. Nam et vir spectabilis decessor meus, cum mulctam didicisset exactam, quam decreto sacri auditorii appellatio præjudicialis agnoverat, statuit causam criminis ad se debere transferri. Et ego idem secutus, partes in examen accivi. Sed cum et tempus reparationis esset emensum, et pœnam provocationis aut exspectaret aut sumpsisset ærarium, violentiæ quoque causam Venantii ac Batrachiæ professio, ac quorumdam capitalis damnatio terminasset ; pronuntiavi cognitionem sacri esse judicii, et Venantium, quem V. C. et illustris officiorum magister jusserat exhiberi, censui agenti in rebus Decentio, quo prosequente venerat, esse reddendum. Sed cum Venantii stratoris illicitam usurpatamque militiam Marcellus arguerat : quod decurionum ascriptus albo, ut gesta docuerunt, adversum leges ad palatina castra transisset, non debui objecta reticere, ut in ea re, quæ modum mei egrediebatur examinis, æternitas vestra ipsis legibus quas tueter augustior judicaret.

EPIST. LIX.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Facit plerumque ratio, aut fortuna causarum ut in controversiis alter æquitate, alter jure nitatur. Tunc humano labante consilio, deliberatio cognitoris ad clementiæ vestræ recurrit oraculum, D. imperator. Quod etiam præsentis negotii qualitas deposcit. Nam Musa annos egressa legitimos, cum in partem rerum paternarum Syntrophium quereretur admissum, quem velati adulta suæ fratrem dolus Acholii curatoris asciverat, integram restitutionem suffragio juris accepit. Sed multis provocationibus, variisque tracta judiciis, intra metas justi temporis nequivit exsequi propositas actiones. Ut res monebat, amissum beneficium remedio supplicationis integravit. Sed idem mulierum casus, etiam rescripti humanitate fraudavit : siquidem mensium quatuor dilata curriculis, summo die temporis impetrati excidit cognitor, eamque successor adveniens præmisso interdicto potestate privaverat. Post hæc, cum vellet infelicem causæ lapsum reparatione sarcire, objectu legis Constantinianæ explosa est, quæ extra ordinem temporibus indultis, longiorem negavit excursum. Secuta est provocatio judicatum. Ubi ventum ad sacræ sedis examen, eadem constitutio a Faustino hærede Acholii curatoris rursus ingesta est ; pars procuratoris, cui actiones Musa mandaverat, non suo vitio causam cecidisse temporibus approbabat. Ad hoc parentum numinis vestri divorum principum protulit sanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem jurgantibus tribuunt, si per cognitorem causa labatur. Cum igitur et in Constantiana lege, qua reparatio adimitur temporibus extra ordinem datis, casus iste cessantis disceptatoris non sit exceptus, et recentiora scita divorum Principum cunctis negotiis reparatione subvenerint, si forte a judice deserantur : facilis in alteram partem esse non potui, sed quod unum remedium convenit rebus ambiguis, fortunam curiosi luctaminis augustissimis legum arbitriis reservavi, gestis omnibus de more subjectis, ut eorum lectio insinuationis meæ astruat veritatem.

EPIST. LX.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB

Urbium populorumque luctamina, quoniam sunt majora privatis, judicio augustiore censenda sunt, D. imperator. Merito Puteolanorum ac Terracinen-

Digitized by Google

sium causam, quæ post Campani moderatoris examen ad sacrum auditorium ex provocatione migravit, cum perspicerem pari lance libratam, majestatis vestræ arbitrio reservavi. Est autem de quo agitur ejusmodi. Puteolanis municipibus divus Constantinus CL M mod. in alimoniam civitatis indulsit. Quæ summa a divo Constante regente remp. media parte mutilata est. Post quem Constantius æque relatus in cœlum, supplicatione deposita, annonam Puteolani populi XXV mod. adjectione cumulavit. Atque ita factum est, ut C M mod. ejusdem populi victus acciperet. Sed divo Juliano moderante remp. cum Lupus consulari jure Campaniæ præsidens, Terracinensium contemplaretur angustias, quod nihil subsidii decreta dudum oppida conferebant; ne commoda P. R. civitas, quæ lavacris publicis ligna, et calcem reparandis mœnibus subministrat, defectu subito exhausta succumberet; VM et DCC mod. Puteolanis municipibus derogatos, Terracinensium usui deputavit, et amplissimæ prætorianæ sede statuta et diffinita suggessit. Mamertinus id temporis præfecturæ honore pollebat. Is cum disposita roborasset, nihilominus arbitrium imperiale consuluit, neque ullum responsum, quod eo tempore bello Persico rector imperii tenebatur, accepit. Et hinc per aliquot annos cucurrit ista præbitio, donec Capuana legatio apud divum atque inclytum Gratianum, germanum numinis vestri, sua tantum damna deplorans, cum frumenti numerum, quem Cerealis ex multis urbibus R. P. vendicarat, restitui omnibus impetrasset. Sed occasione rescripti cum sola XXX et VIII modium, quæ horreis æternæ Urbis accesserant, provincialium recuperasset alimonia, etiam VM et DCC mod. Puteolani municipes Terracinensibus abnuerunt. Cum igitur hæc causa in judicium provinciale venisset; V. C. non considerata summa, quæ rescripto divi principis tenebatur, judicatione generali omnia Puteolanis reddenda decrevit. Verum post appellationem cognitio auditorii sacri cum illum frumenti modum, qui Campanis fuerat restitutus, a VM et DCC mod. quos ob necessitates Urbis æternæ civitas Terracinensis accepit, decretum esse perspiceret; manente decreto divalis oraculi, ea subsidia, quæ Terracinenses judicio Lupi et Mamertini præfecti confirmatione capiebant, nec roborare potuit, cum responsi sacri nulla extaret auctoritas; nec demere civitati, ne populus utilitatibus æternæ Urbis obnoxius, justis commodis indigeret. Ergo, ut in rebus dubiis fieri solet, ad clementiæ vestræ salubre judicium convolamus; licet defensio Puteolana post promissam relationem incassum crediderit provocandum. Præsto est gestorum fides, quæ perennitatem vestram possit munire. Quæso atque obsecro ut negotio multa ætate mutanti tandem stabile remedium deferatur.

EPIST. LXI. [a]

DD. VALENTINIANO, THEODOSIO ET ARCADIO SEN. AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Ubi primum senatus amplissimus semperque vester, subacta legibus vitia cognovit, et a principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum, boni sæculi auctoritatem secutus, evomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum jussit esse legatum. Cui ideo divi principis denegata est ab improbis audientia, quia non erat justitia defutura, DD. imperatores. Gemino igitur functus officio et ut præfectus vester gesta publica prosequor, et ut legatus civium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum; quia jam credere homines desierunt aulicorum se studio præstare, si discrepent. Amari, coli, diligi, majus imperio est. Qui ferat, obfuisse reip. privata certamina? Merito senatus illos insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt. Noster autem labor pro clementia vestra ducit excubias. Cui enim magis commodat quod instituta majorum, quod patriæ jura et fata defendimus, quam temporum gloriæ? quæ tum est major, cum vobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum statum, qui relp. diu profuit. Certe numerentur principes utriusque sectæ sententiæ: proximus eorum cæremonias patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum. Quis ita familiaris est barbaris ut aram Victoriæ non requirat. Cauti imposterum sumus, et tristium rerum ostenta vitamus: reddatur tantum nomini honor, qui numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas vestra, et adhuc plura debebit. Aversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quod si hujus ominis non esset justa vitatio, saltem ornamentis curiæ decuit abstineri. Præstate, oro vos, ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito divi Constantis factum diu non stetit. Omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Æternitatem curamus famæ et numinis vestri, ne quid futura ætas inveniat corrigendum. Ubi in leges vestras et verba jurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum, neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi juratus ordo decernit. Patebit ergo sedes profana perjuriis, et hoc inclyti principes probabile judicabunt, qui

[a] Vide duas epistolas quas contra hanc Symmachi scripsit S. antistes Mediolanensis Ambrosius tomo nostræ Patrologiæ XVII, col. 901-972. EDIT.

Digitized by Google

sacramento publico tuti sunt? Sed divus Constantius idem fecisse dicitur. Cætera potius illius principis æmulemur; qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deviasset. Corrigit enim sequentem lapsus prioris, et de reprehensione antecedenti exempli nascitur emendatio. Fors fuit ut parens ille clementiæ vestræ in re adhuc nova non caveret invidiam. Num potest etiam nobis eadem defensio convenire, si imitemur quod animus improbat? Accipiat æternitas vestra alia ejusdem principis facta, quæ in usum dignius trahat. Nil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis, decrevit nobilibus sacerdotia, Romanis cæremoniis non negavit impensas: et per omnes vias æternæ Urbis lætum secutus senatum, vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis deum nomina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Cumque alias religiones ipse sequeretur, has servavit imperio. Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes urbibus cunctis mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus, ita populis natales genii dividuntur. Accedit utilitas, quæ maxime homini deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit; unde rectius, quam de memoria atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum? Jam si longa ætas auctoritatem religioni facit, servanda est tot sæculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus. Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar cæremoniis avitis: neque enim pœnitet. Vivam more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit; hæc sacra Annibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo servata sum ut longæva reprehendar? Videro quale sit quod instituendum putatur. Sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Æquum est, quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem nos mundus involvit. Quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Sed hæc otiosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina offerimus. Quanto commodo sacri ærarii vestri vestalium virginum prærogativa detracta est? Sub largissimis imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt. Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacerdotii vacasse muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate a dispendio tutæ sunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt: siquidem saluti publicæ dicata virginitas crescit merito, cum caret præmio. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum principum, non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur. Ullumne lucrum compensat invidiam? Et quia avaritia in vestros mores non cadit, hoc miseriores sunt quibus subsidia vetera decerpta sunt. Etenim sub imperatoribus, qui alieno abstinent, qui resistunt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis injuriam, quod desiderium non movet auferentis. Agros etiam virginibus et ministris deficientium voluntate legatos fiscus retentat. Oro vos justitiæ sacerdotes, ut Urbi vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, et sciant sub principibus non avaris stabile esse, quod scripserint. Delectet vos ista felicitas generis humani. Cœpit causæ hujus exemplum sollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones sub Romana jura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas? Capiunt legata liberti, servis testamentorum justa commoda non negantur. Tantum nobiles virgines et fatalium sacrorum ministri excluduntur prædiis hæreditate quæsitis. Quid juvat saluti publicæ castum corpus dicare, et imperii æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis; armis vestris atque alis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, et jus cum omnibus non habere? Itaque melior est servitus, quæ hominibus imperditur. Remp. lædimus, cui nunquam expedit, ut ingrata sit. Nemo me putet solam causam religionum tueri. Ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta humani generis incommoda. Honoraverat lex parentum vestales virgines, ac ministros deorum victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est fames publica, et spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus austris: nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certe si est hujus mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Gravis hanc sterilitatem aura constrinxit. Sylvestribus arbustis vita producitur, et rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia convolavit. Quid tale proavi pertulerunt, cum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usus hominum concussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fecunditas mutua, cum populo et virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum, et remedium magis quam largitas erat. An dubium est, semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit? Dicet aliquis, sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit a bonis principibus ista sententia, ut quod de communi quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Nam cum respub. de singulis constet, quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, sed suum cuique servatis, plusque apud vos justitia quam licentia valet. Consulite certe munificentiam vestram, an hæc publica velit existimari, quæ in alios transtulistis. Semel honori Urbis delata compendia desinunt esse tributium; et quod a prin-

Digitized by Google

cipio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum divino animo vestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam vos habere præbentium, nisi detrahentium subieri is invidiam. Fateant clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia, et hæc maxime, quæ majores vestros aliquando juverunt, vos defendant, a nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui divo parenti culminis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit hæredes. Spectat senior ille divus ex arce siderea lacrymas sacerdotum, et se culpatum putat more violato, quem libenter ipse servavit. Præstate etiam divo fratri vestro alieni consili correctionem; tegite factum quod senatui displicuisse nescivit: siquidem constat ideo exclusam legationem, ne ad eum judicium publicum perveniret. Pro existimatione est temporum superiorum ut non dubitetis abolere quod probandum est principis non fuisse.

EPIST. LXII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Certum atque dilucidum est nihil esse tam familiare legibus, quam vestra decreta, D. Imperator. Sed executorum prava interpretatio, dum supplicantibus favet, plerumque jussa corrumpit. Statuerat receptus in cœlum germanus numinis vestri, cum Martianus dudum protector Aggariæ bona tanquam vacantia postulasset, ut si ea hæreditas scriptum successorem vel legitimum non haberet, in jus fisci tanquam domino nuda concederet; et tunc insinuato per rationalem patrimonii modo, opperiretur petitor quid ei sacra deferret humanitas. Annus fere secundus est ut per defensores et rationales augustissimæ domus, cum justitia solemnis oraculi, scripti fatigantur hæredes, licet jam sextus annus a testamenti recitatione numeretur. Novissime fortuna causæ impetibilem scopulum fœdæ cognitionis incurrit. Nam cum apud virum perfectissimum rationalem Bassianum, primo delator bonorum, secundum sacra scita peteretur, novo ausu calcata præscriptio est. Dehinc, cum testamenti jure confecti fidem recitatio publicaret, calumnia inanis objecta est, quod signatores nescio quid legati ex eadem voluntate cœpissent. Adduntur etiam scripta divalia quibus astipulatio cujusdam remota est, qui suam juvisse causam testimonio diceretur: quasi vero simile esset exemplum, ut tenuis honor, quo subscriptores ob amicitiam defuncti asperserat, legitimum posset abolere judicium. Nam si his legibus viveremus, inimicis signatoribus tutius uteremur, quorum offensa nihil de testatore humanitatis exigeret. Piget dicere in quinque numero solidos potissimum subscriptoris fuisse legatum. Cæteris enim magis commemoratio honesta, quam pecuniæ quæstus accessit. Ergo aut extremæ paupertatis successio fui, si putatur exiguus honor fidem legitimi judicii sanciasse: aut si census hæreditarius existimatur uberior, aliena esta suspicionibus brevis summa legati. Quis non familiarissimum quemque signandis adhibet, cum extrema condantur? jam quid mirum est si in oculis positus mereatur aliquod monumentum religionis, qui meruit advocari? Non fero signatorem, cui pars bonorum magna defertur. Nam etsi integra conscientia, non tamen sincero pudore ditatur. At vero hæc levia pignora, aut amoris gratia, aut testatoris verecundia relinquuntur. Nihil huic religioni novis legibus derogatum est. Manet iste usus, et nobis jura servantibus semper manebit. Unus et solus post humanam memoriam rationalis emersit, qui exemplum novæ judicationis induceret. Hinc orta est provocatio. Quæ ubi auditorium sacrum decreto etiam vestræ legis intravit, rursus eludendi judicii causa propositum est inane commentum, ut ab illustri viro privatæ rei comite delegata cognitio diceretur rationalis examinis, atque ideo rursus ad ejusdem judicium debere transferri; cum omnis quæstio ex precibus Martiani dudum protectoris, et vestræ clementiæ largitate descendens, sacro potius auditorio ex provocatione competeret: accedente etiam proxima sanctione, quæ indiscretas hujusmodi appellationes sedi quæ vicem principum tuetur prisco jure commisit. Examinatis igitur omnibus, pronuntiavi bona obnoxia non esse rescripto: cum vestri numinis æterna justitia, si scriptis aut legitimis successoribus vacaret hæreditas, fiscum statuisset admitti: has autem facultates, Marcellus, Bizias et Heliodorus juxta defuncti voluntatem cœpissent. Nunc sententiam meam defensor venerabilis domus insitata provocatione suspendit. Sed cum hujus rei nullum exemplum cognitionalis exstare suggereret, nihilominus subjectam vocem libenter admisi, et relatione summatim cuncta complexus, Gestorum quoque documenta subtexui, præsumens bonis placitura principibus, quæ secundum leges pro fama temporum judicavi.

EPIST. LXIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Petronianus urbanarum dudum cohortium miles, ad cornicularium gradum inculpati laboris diuturnitate provectus, more institutoque majorum testimonium meruit castrensis industriæ, quod cæteris quoque post honestum cursum stipendiorum judicia detulerunt, D. Imperator. Dignum est igitur divina vestrorum temporum felicitate, ut peractam sine offensione militiam, si perennitatis vestræ pius vultus arriserit, prærogativa solemnis exornet.

EPIST. LXIV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Curæ mihi est ut qui animis et majestate congruitis, mutua honorificentia gaudeatis. Dignum est igitur, D. imperator, ut decretum senatus ad invictissimos fratres numinis tui, si ita placet, clementia tua insinuante perveniat. Quorum auctor et parens, ut dudum V. C. et illustri officiorum magistro me scripsisse memini, statuarum equestrium honore decoratus est, quas ei ordo venerabilis Africani et Britannici belli recordatione decrevit: ea scilicet causa, ut justis superiorum ducum titulis, præsentium circa vos devotio provocetur.

Digitized by Google

EPIST. LXV.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Cum mancipes salinarum magno ex numero ad paucos redacti, necessitatis publicæ molem ferre non possent, delata supplicatione meruerunt ut hi qui decreti atque excusati ante fuerant, redderentur, et ex aliis corporibus, seu vacantibus, justa supplementa incunctanter acciperent, D. imperator. Allegata igitur præceptione divina, cum plerosque consortio suo ante decretos muniri Macedonii suffragio reperissent, relationem super eorum muniminibus impetrarunt; vestræ enim tantum clementiæ liberum est inique elicita rescripta rescindere. Tunc urgente defectu, navicularios æque lignorum obnoxios functioni ad parem sollicitudinem vocare cœperunt, ut utriusque corporis cura conjuncta indiscretum munus agnosceret. At illi nonnullos de turmalibus suis traderé maluerunt, quam in societatem tanti oneris convenire. Itaque factum est ut, iisdem volentibus, certi homines mancipibus jungerentur. Nunc perennitatis vestræ stabilem censionem publica causa deposcit ne obreptivis supplicationibus subsidia integrati corporis subruantur. Relationi Gesta conjunxi, tam de his habita quos Macedonii interventus absolverat, quam me disceptante confecta: quibus sine veneratione cujusquam voluntas navicularium nonnullos mancipibus deputavit. Erit jam sacrosancti numinis vestri et illorum antiquare suffragia, quos ostenditur ambitus liberasse, et his obstruere aditum supplicandi, quos sui corporis adjudicavit assensus.

EPIST. LXVI.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Devotione et more commonitus, magistratuum nomina, quibus varias functiones designationum tempore amplissimus ordo mandavit, ad æternitatis vestræ perfero notionem, D. imperator: ut muneribus exhibendis, aut subeundis fascibus destinatos cognitio imperialis accipiat. Illis copulati sunt quos senatui vestro recens ortus adjecit. Prolixus in talibus rebus esse non debeo, cum decreti publici fides gestorum potius insinuationem postulet, quam largum referentis eloquium.

EPIST. LXVII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Etiamsi prisca institutio mittendis ad clementiam vestram censuum brevibus cursum vel ordinem non dedisset, D. imperator, diligentia tamen boni sæculi fidem publicæ instructionis exigeret: siquidem convenit principes et parentes humani generis edoceri quid reverendo ordini vel senatorum novorum accessus adjiciat, vel excusatio detrahat. Harum rerum æternitati vestræ fidum exhibebit indicium trimestris instructio quam solemniter sumptam de officio censuali, paginis relationis annexui: ut majestas vestra cognoscat quis in amplissimam curiam collegarum numerus influxerit, et quid censibus senatoriis, aut nova professio incrementi dederit, aut exemptio vetus amputarit.

EPIST. LXVIII.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Bellorum quidem vestrorum gloriosos exitus famæ non occulit, sed major est victoriæ fides quæ oculis approbatur, D. imperator. Dudum fando acceperat P. R. cæsorum funera Sarmatarum. At nunc confirmata est nuntiorum lætitia spectaculo triumphali. Jam minores non sumus vetustatis exemplis. Vidimus quæ acta miramur, catenatum agmen victæ gentis induci illosque jampridem truces vultus misero pallore mutatos. Stetit arenæ medio subjecta voluptati, quæ fuit ante formidini: assuetæ armis gentilibus manus gladiatoria instrumenta tenuerunt. Felicem nimis belli istius ducem qui, divinæ clementiæ vestræ fretus auspiciis, ex numero hostium alios ad securitatem provinciarum penitus exstinxit, alios ad lætitiam plebis Martiæ reservavit. Merito illi judicia vestra respondent: jure in litteris imperialibus sæpe celebratur. Neque enim tanta devotio digniorem possit invenire præconem. Sit vobis frequens usus ac facilis laurearum, et eos qui forte ausus impios in Romanum nomen extulerint, fortitudo militum capiat, arena urbis expendat. Perpetua hæc devotis civibus virtutis vestræ tanquam tributa præstetis.

EPIST. LXIX.

D. THEODOSIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Certa officia sunt omnium potestatum. Præfecturæ urbanæ proprium negotium est senatorum jura tutari, D. imperator. Quare partium mearum conventus necessitate, allegationibus clarissimorum virorum justa poscentium desse non potui. A quibus pleraque servilia palatinus Eusebius jusseus eruère, ut bonorum Catuli clarissimæ memoriæ viri quæstio judicat omnibus sacrisque responsis consummata repetatur, querimonias optimatum, qui dudum partis fruuntur, exscivit. Ventum est igitur ad leges, executore cupiente, quem contradictio repellebat: imploratæque vestri numinis sanctiones, quæ senatorum controversias transferre ab urbano foro ad peregrina vetuerunt. Sed cum asserere in non eamdem prærogativam esse servorum, quibus supplicantibus certum perennitas vestra detulit cognitorem, responsum est quod fortunas clarissimarum personarum precatio subtilis incesserit. Inter hæc, cum Donatus adsisteret, cæteris precatoribus sacro junctus oraculo, quæsivi, uti mos est, eodemne nomine alius subderetur, quæ hominem conditio haberet, et an ipse de Catuli judicio supplicaret. Tunc ille Hilariani clarissimi viri servum professus, ab illarum precum conscientia, quas dicitur obtulisse cum cæteris, alienum se constanter asserit. Atque ita visa est supplicationis fides etiam de auctore muare. Adjecta est alia plena juris atque rationis; quod post crebras cognitiones et rescripta ad relationem numerosa, pœnam legis inciderint qui demo contra vetitum supplicarunt. Exstant quippe sententiæ, quas cum provocatio tentasset inhibere, consultus relatione divus genitor clementiæ vestræ finem posuit quæstioni. Cui victoriæ fiscus accessit, emolumentum bonorum Catuli clarissimæ memoriæ viri, ut

Digitized by Google

assertum est, pro certa parte sortitus. Cum igitur senatorum allegatio rescriptis ac legibus niteretur, maluerunt causam suam vestræ per me aperire justitiæ, quam legitimo vindicare judicio, securi decretorum quæ et necessitate juris, et divi patris veneratione servabitis. Itaque servos bona fiducia tradiderunt, quos in præjudicium absentium, post consummationem negotii, æquitas temporum, quantum præsumimus, non patietur audiri.

EPIST. LXX.

DD. VALENTINIANO, THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Quid habeat conditionis inscriptio nostis præ cæteris, juris publici conditores, DD. imperatores. Provisum est enim ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, ni se idem prius pœnæ sponsione vinciret. Secundum hæc scita legum agens in rebus Africanus, accusationem professus, Compano et Higino clarissimis viris violentiæ crimen objecit. Continuo, ut severitas exigebat, reos custodia militaris dissimulata dignitate circumdedit. Sed ubi partes sub examine constiterunt, multo luctamine patronorum decursa cognitio, oratione magis, quam probationibus redundavit. Cum longa verborum serie causa traheretur, summates Aricinæ urbis, quos ut conscios accusator exciverat, adhibuimus quæstioni, gestorum ordinem sciscitamur. Omnium convenit assertio, nihil turbarum esse conflatum. Tunc ad eludendum judicium præsentia cujusdam cœpit exposci, quem non tenebat inscriptio. Eo denique res rediit, ut a partibus Africani accusationis omissio desperatione peteretur. Supererat ut, crimine non probato, in accusatorem formidata reis pœna transiret. Sed cum me Africani militia pariter atque incauta adolescentia permoveret, malui judicium de eo clementiæ vestræ reservare. Alia est enim conditio magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores; alia dominorum principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere. Relationi gesta subtexui, partium quoque supplementa sociavi. Quæso vestram augustissimam perennitatem ut, perpensis omnibus, sequenda jubeatis.

EPIST. LXXI.

D. IMP. HONORIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Quæcunque in Urbe geruntur me tacere non convenit pro debito famulatus quem majestati vestræ semper exhibeo. Cum diu episcopus Zosimus gravi incommodo laboraret, usque adeo, ut frequenter mortuus jactaretur, accidit ut secundo die post ingressum meum vita decederet. Statim (ut convenerat) populum alloquendo commonui, ut cum quieto clericorum tractatu omnia finirentur, nec se rebus disponendis misceret turbatio popularis: siquidem certum esset in eligendo episcopo Dei omnipotentis exspectandum esse judicium, domini imperatores (Honori et Theodosi, pii, felices et inclyti victores, semper Augusti). Admonui et corporatos, officiis quoque interminatus sum, ac majores deterrui regionum, ne quis quietem Urbis vestræ turbare tentaret. Quod ita custoditum est, ut sine strepitu omnia finirentur. Verum cum vir sanctus Eulalius ad Ecclesiam Lateranensem de exsequiis prioris episcopi a populo et a clericis fuisset adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine et cum pluribus sacerdotibus remoratus est, ut exspectaretur dies consuetus quo posset solemniter ordinari. Cum hic ita essent, subito aliquanti presbyteri cum Bonifacio eusdem ordinis ad Theodoræ ecclesiam, collecto populo, properarunt, ibique, habito tractatu, ipsum ordinare episcopum velle cœperunt. Quod ubi comperi, omnes qui pariter erant ad me ut venirent presbyteros depoposci: ac residens cum clarissimo viro tribuno Sereniano, eos admonui, ne quid temere fieri paterentur, aut contra sacræ legis ordinem venirent, aut contra consuetudinis rationem. Sed tanta pertinacia restiterunt, ut quidquid minatum fuerit, facere minime dubitarent. Nam etiam presbyterum Bonifacium in ecclesia Marcelli ordinandum esse duxerunt, atque cum eo ad S. Petri basilicam processerunt. Et quoniam pietatis vestræ est de hac parte ferre judicium, statim pro competenti sollicitudine vestram majestatem credidi consulendam, ut quod pietas vestra decernat, præcepto vestri numinis evidenter informet, etc. Dat. quarto calend. Januarii.

EPIST. LXXII.

IMP. HONORIUS AUGUSTUS SYMMACHO PRÆF. URB.

Gestis omnibus recensitis, laudandæ sublimitatis tuæ relatione perclaruit in ordinatione venerabilis sacerdotis quietem veterem paucorum insolentiam attentare voluisse. Nam cum post abscessum venerabilis viri Zosimi circa meritum Eulalii ordine subrogandi communi judicio conveniens multitudo consuisset, ac plena erga se omnia quæ regula Catholicæ posceret disciplinæ successoris confirmatio custodiret, rehementer miramur aliquos exstitisse qui solemnitate contempta circa ordinationem alterius festinarent. In quorum castigandum factum mansuetudinem nostram rite oportet insurgere, nisi hoc tantum gerere decernemus eos ad veniam pertinere, quod lapsum cito proprium contuentes, ad deprecandi suffragium sunt relapsi, ignosci sibi super id, quod vim perpessi conquesti sunt, postulantes. Convenire ergo votum et studium nostrum circa Eulalium sacræ legis antistitem sublimitas tua clementiæ nostræ auctoritate præsenti cognoscat; cui competens numerus ordinantium, legitimi solemnitas temporis, locique qualitas recte venerandi nominis apicem contulerunt. Cum autem Bonifacio constet omnia defuisse, superflue exspectatam sententiam nostram esse sensimus, cum factum suum ipsi qui præsumpserant admotis damnasse precibus rideantur. Absoluta itaque decernimus jussione, extraordinaria præsumptione submota, Bonifacium interdicta confestim Urbe prohiberi (erit verecundiæ ejus ut, morem gerens cœlestibus constitutis, sponte discedat), pertinacius resistentem, invitum præcipimus expelli. Plebeiæ sane seditionis auctores cum sociis suis sublimitas tua, Symmache parens carissime atque amantissime, statuat attineri; atque in eos convenue vindicari, ut res temere præsumpta non transeat

Digitized by Google

impunita. In qua re Aphrodisium V. C. tribunum et notarium dirigi a nostra mansuetudine placuit, ut, præsente eo, quæ statuimus celerius impleantur, quatenus quies populi nulla perturbatione vexetur, et pacata eum veneretur universitas, quem secundum veterem consuetudinem observata sacræ legis mysteria susceperunt. Dat. iii non. Januarii, Ravennæ.

EPIST. LXXIII.

D. HONORIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Ubi primum sacer sermo pietatis vestræ exspectationem populi celeritate prævenit, omne quod sibi diversitas voluntatum usurpaverat de episcoporum electione, submovit, ac divina provisione inter initia resecavit, quod tarditate imperitæ multitudinis, crescentibus studiis, difficilius potuisset auferri, D. imperator. Ob quam rem statim debito famulatu implere quæ fuerant imperata properavi; et quod felicitati clementiæ vestræ ascribendum est, res novi exempli, et maximæ contentionis magnique certaminis, ut sine commonitione populi cœpta fuerat, ita salva clementia vestra cum totius multitudinis quiete finita est. Nam cum eo tempore ad me sacra perlata esset auctoritas quo sancti die erat celebranda solemnitas, statim (ut oportebat), misso primiscrinio, Bonifacium ad me venire admonui, quod præceptum fuerat, aguiturum, ut a processione, quam sibi inhibitam didicerat abstineret. Qui, conventione contempta, processit, atque eum quem dixeram dedit populo verberandum. Quod ubi nuntiatum est, habito cum V. C. tribuno Sereniano tractatu, ad sanctum Paulum, quo convenerat, et sacra exemplaria pro cautela direxi, ne quid in injuriam publicam de præceptis immissa multitudo temeraret, et pariem officii pariter destinavi. Sed neutrum fieri passus, cum ad Urbem vellet pariter cum populo remeare, statim ad portas tam contubernales quam apparitores occurrerunt, qui eum (ut statutum fuerat) Urbem vestram ingredi prohiberent. Verum ipsos quoque contemnendos credidit, atque violenter ingressus, a certa Urbis parte pluribus occurrentibus est repulsus, nec permissus quod cogitabat implere. Quod ubi turba quæ comitabatur aspexit, sine aliquo tumultu dispersa est. Ipse vero extra murum deductus non longe ab Urbe remoratur: qui ne, occulte per noctem ingressus Urbem, ad ecclesiam convolaret, et rursus populi studia commoveret, communi tractatu pro competenti sollicitudine contubernales et apparitores quatuor illic sine injuria ejus observare disposui, exspectans quid pietas vestra decernat, ut quies possit quæ hactenus servata est perdurare. Circa partem vero Eulalii episcopi venerabilis viri, qui eo die pene cum omni multitudine ad sancti apostoli Petri basilicam solemnia celebrabat, ubi primum pietatis vestræ præcepta sunt publicata, fuit totius lætitia civitatis. Unde ea quæ populus Romanus publico gaudio diversis acclamationibus agens gratias majestati vestræ (testatus est) credidi publicanda, et relationi mea universa subjeci, ut agnosceret pietas vestra quanta quiete Urbis totius correcta sint quæ male fuerant admissa temeritate paucorum; et quanta gratia suscepta sint quæ clementia vestra divino indicio et perseverandæ religionis reverentia decernenda credidit, et pro quiete populi Romani in perpetuum servandi constituit. Dat. sexto idus Januarii.

EPIST. LXXIV.

PRESBYTERI EX PARTE BONIFACII, QUOD SCIRENT IMPERATOREM DECEPTUM RELATIONE, DATIS LITTERIS SEU PRECIBUS REM GESTAM CERTA FIDE NARRANT.

Petimus clementiam vestram, piissimi et clementissimi impp. Honori et Theodosi semper AA. post abscessum S. Zosimi papæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ (ut fieri mos volebat atque ipsa religionis disciplina dictabat) plures in unum convenimus sacerdotes, ut de constituendo successore communi judicio tractaremus. Sed quoniam Lateranensem ecclesiam, obstructis pene omnibus ingressibus, archidiaconus Eulalius, contemptis impie summi sacerdotis exsequiis, diaconis et paucissimis presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis observabat, altero die ad eamdem ecclesiam, ubi prius ab omnibus fuerat constitutum, habita omnium collatione, properavimus: ibique participato cum Christiana plebe concilio, quem Deus jussit elegimus. Nam venerabilem virum Bonifacium, veterem presbyterum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comprobatum, et (quod eum magis ornabat) invitum, acclamatione totius populi ac consensu meliorum civitatis asseruimus divinæ institutionis ordine consecratum. Nam subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris, astantibus novem diversarum provinciarum episcopis, benedictionem competenti tempore constat fuisse celebratam. Ac prius omnia quæ solemnitas exigebat celebrata sunt. Sed cum prædictus Eulalius (qui antea per tres consacerdotes nostros fuerat ex multorum auctoritate conventus, ne quid sibi temere præter conscientiam cleri majoris assumeret), circumventis paucissimis presbyteris, male acceptis his, ac diversæ cujusdiæ mancipatis qui ad prohibendum cum litteris venerant, exhibito etiam cum aliis Ostiensi episcopo, quem prope mortuum constat accitum (nam tractum esse nolentem senis ægritudo testatur) in locum sibi non debitum, incustodito religionis ordine, per ambitum prorumpere, cœpit factum suum per homines disciplinæ inscios ac religionis indecenter tueri, æstimans humanis perturbationibus se confundere sententiam posse divinam. Et quoniam clementiam vestram constat falsidica relatione deceptam, ut nescio quid in injuriam divini numinis sanciretis (nam divinum est quidquid tantorum firmat electio), primus pietatem vestram ut removeri priora constituta jubeatis, atque Eulalium, qui in locum surrepsit alienum, ad comitatum serenitatis vestræ cum auctoribus suis debere adduci. Nos enim profitemur S. papam Bonifacium nostris cum sacerdotibus adfuturum: relictis singulis titulis presbyteri omnes aderunt, qui voluntatem suam, hoc est, Dei judicium proloquantur. Jubeat etiam vestra clementia omnes adesse quos causa constringit, ejici etiam civitate nolentes, qui se non patientur adduci. Invenietis, cum cœperit agitari incerta discussio, quod omnibus divinis

Digitized by Google

legibus abhorreat, verum etiam displicere possit humanis : quo hoc consecuti agamus æterno imperio vestro maximas atque uberes gratias.

EPIST. LXXV.

IMP. HONORIUS SEMPER AUG. SYMMACHO PRÆF. URB.

Post relationem sublimitatis tuæ delatam mansuetudinis nostræ auribus, presbyterorum legatio causam nobis non supervacuæ deliberationis injecit. Ideo decet, ambiguitate sepositâ, fidelem rerum ordinem cominus experiri : quamque partem prætermissus gestæ rei ordo arguat, quam servatus annuat, multis coram censentibus, approbari, ut, utriusque facti simul qualitate perpensâ, et circa unam rite definita consistat, et circa aliam temere assumpta non maneat, Symmache parens carissime et amantissime. Ob quam rem illustris et præcelsa magnitudo tua, suspensis omnibus quæ superius sunt decreta, nullique interim præjudicio comparato, auctoritate præsentis oraculi, utrumque, hoc est, Bonifacium et Eulalium religiosissimos viros instantia digna convenies, ut intra diem sextum iduum Februarii Ravennatem civitatem præsentiam suam maturare non differant : omnibus atque singulis admonitis, qui auctores utriusque ordinationis existunt, ut, amota excusatione, non desint, et facto quisque erga alterum proprio, prolatis ecclesiasticæ institutionis exemplis, defensor existat ; seque purgato alium magis in legem Catholicam deliquisse, præsumpta immeriti electione convincat : judicium de statu suo quisque si adesse neglexerit, sortiturus; nimirum intelligens improvide, immo illicita se fecisse, quod coram non audeat defensare. Nos quoque ex diversis provinciis competentem numerum sacerdotum scriptis nostræ serenitatis accivimus, ut rem deductam in dubium absolvat nobis coram dceceptatio plurimorum. Cum autem omnia futuro integra sint judicio reservata, de transactis sibi blandiri neminem decet. Præsentis etiam judicii docebit exemplum, quid in ejusmodi negotiis observari debeat in futurum. Datum XVIII *cal. Februarii per Aphtonium.*

EPIST. LXXVI.

D. HONORIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB.

Cum vir clarissimus Aphtonius decurio sacri palatii vestri cum cœlesti præceptione ad Urbem venerabilem convenisset, omni genere festinavi, quatenus præceptis numinis vestri obedientiam commodarem. Nam statim conventis proceribus sacra jussio publicata, et ad religiosos viros Bonifacium et Eulalium missa conventio est, D. imperator : clericos quoque eorum præcepi pariter admoneri, ut nihil futuro, cognoscente pietate vestra, deesset examini. Unde hæc omnia, gestorum serie comprehensa, ad plenam instructionem subter annexui. Verum postquam pars utraque populi diversis seditionibus exagitaretur, singulos admonitione missa convenii, ne ad unam Ecclesiam convenirent, et, quod fieri non licebat, inter se multitudo confligeret. Sed hoc illis visum est, credo, suspectum, quo quietem suadendam credidi hominibus perturbare volentibus civitatem. Ob quam rem ambæ partes calumniosissime crediderunt contestationibus appetendum, ut errorem A suum compositis mendaciis excusarent. Quod ne in aliquo clementiam vestram lateat, eadem quæ obtulerunt actis inserta transmisi, ne quidquam suppressum esse querantur. Superest ut apud clementiam vestram nullius partis studiis famuli vestri appetatur absentia, qui semper majestati vestræ puris servitiis approbatus, ab impugnatione et favore ambarum partium, ut decebat, credidit temperandum. Dat. VIII cal. Febr.

EPIST. LXXVII.

IMP. HONORIUS AUG. SYMMACHO PRÆF. URB.

Magnarum deliberationum non debet citum esse judicium, nec temere proferenda sunt quæ servanda in perpetuum sanciuntur. Sæpe de episcopis Urbis æternæ altercatione partium sub examine sacerdotum concessa B *cognitio est. Sed ne quid festinum celeritate judicii proferatur, id clementiæ nostræ sedit arbitrio. At quoniam vicinitas sanctorum dierum episcopi præsentiam postularet, nec in urbe sacratissima fas est, pascharum præsertim dies, sine sacerdote celebrare, idcirco, Symmache parens carissime atque amantissime, illustris magnificentia tua Achilleum nos elegisse cognoscat, quem a favore partium constat esse alienum, qui mysteria sacra observationis impleret. Transactis vero festis diebus ex judicio sacerdotum quæ debeant custodiri concilio maturiore tractabimus. Monemus sane ut regionum primatibus evocatis, disciplinæ publicæ quietique prospicias : quibus decretorum nostrorum præcepta jubeas aperiri, ne quis scilicet ullum tumultum neque* C *seditionem audeat commovere : quam si quis insana persuasione conquiret, non in eos tantum qui in perturbatione fuerint deprehensi, sed in regionum quoque priores sciat vindicandum. Novimus enim quietem publicam facile custodiri, si incentorum cupiditates et fomenta cessaverint.*

EPIST. LXXVIII.

DOMINO SEMPER ILLUSTRI ET IN CUNCTIS MAGNIFICO MERITOQUE SUBLIMI CONSTANTIO SYMMACHUS PRÆF. URB.

Quæcunque subito, nihil opinante, proveniunt, nec ad culpam judicis referri possunt, et populum rationis ignarum insperata novitate perturbant. Vir namque religiosus Eulalius quinto decimo cal. Aprilis Urbem, me nesciente, meridianis horis ingressus est : quem credidi aliquod secum pertulisse præceptum. Verum eodem die circa vesperum Spoletinus episcopus, mis- D sis litteris, me credidit admonendum quod sacra ad se manantia in Urbe die sancto Paschæ jussus sit celebrare. Quod præceptum ante penitus ignoravi. Domine semper illustris et in cunctis magnifice meritoque sublimis ac præcelse patrone. Quod cum mihi prius S. Eulalii innotuisset adventus, statim parendum credidi invictissimi principis imperatis. Verum cum interim dicto die Urbem S. Achilleus esset ingressus, commotio exstitit populorum, ut ab una parte multitudo armata ferro et telis ad forum militari habitu conveniret. Et cum, convocatis proceribus, processissem, ut habito tractatu pro quiete Urbis, populum alloquendo compescerem, primo ad conventum venerunt ; deinde cum exspectaretur

Digitized by Google

S. Achillei præsentia, ut quæ jussa fuerant publicaret, multitudine resistente, venire non potuit. Et cum ad forum Vespasiani tam ego quam vir spectabilis vicarius perurgente populo fuissemus ingressi, ut quietem utriusque partis multitudini suaderemus, subito armati servi telis et saxis, aliquanti etiam ferro, populos partis Eulalii aggressi sunt, qui inermes convenerant, ut quod præceptum de episcopo Spoletino esset agnoscerent : quosque ita sauciaverunt, qui parati adversus imparatos venerant, ut me quoque et virum spectabilem vicarium crederent appetendos, dum seditioso furore nullam admittunt penitus rationem, nisi ad liberandum nos divinitas adfuisset, egressique per secretiorem partem ictum saxorum et impetum conspirantis multitudinis vitassemus, minime potuissemus evadere : quorum majorem partem in servis constat fuisse, ex quibus aliquanti agniti atque tenti sunt audiendi. Unde quid partium mearum fuit, excellentiæ vestræ suggerere properavi, ut certum finem, rebus cognitis quæ gesta sunt, magnitudo vestra decernat. Cum ita S. Eulalius fuisset ingressus, et tertia die secutus esset episcopus Spoletinus, nec aliqua ad me data virtutum vestrarum, quæ sequerer, præcepta venissent, perturbatio totius plebis, quæ in se et in periculum judicum sæviret, exorta est : et ni celeri responso ante diem venerabilem Paschæ quid fieri debeat jusseritis, minantur se populi invicem pugnaturos, dum de Lateranensi basilica alterutrum se existimant excludendos. Ne quid igitur adversi (quod sublimitatis vestræ felicitas averlat) eveniat, peto ut evidenti præcepto excludi furiosæ contentionis periculosam pertinaciam censeatis. Dat. XII cal. April.

EPIST. LXXIX.

CONSTANTINUS SYMMACHO PRÆF. URB.

Ut certa possimus quæque cognoscere, et factionum auctores fideli nuntio et inspectore non lateant, cancellarium nostrum Vitulum direximus, ut Domini invictissimi principis affatus, atque judicium ad eximietatem tuam et ad populum celeri festinatione deferret. Illudque monemus, ut quidquid sacris auctoritatibus continetur, nulla temeritate violetur, et quæ præcepta sunt effectui celeri mandentur instantia; ne Augusti clementia, quod nunc agnoscit distulisse, commoto majestatis suæ vigore, emendare non differat.

EPIST. LXXX.

IMP. HONORIUS AUG. SYMMACHO PRÆF. URB.

Dum ad sanandum primæ perturbationis errorem hoc genus consilii clementia nostra reparandæ pacis cupida reperisset, ut donec de confirmatione urbani sacerdotii sententia procederet absoluta, uterque eorum quorum causa tumultus antea concrevisset, a sacratissima Urbe conversatione sejunctus, futuri judicii exspectatione penderet, spatio quo contineretur alteruter evidenter expresso, æquo animo dissimulare non possumus ceptis clementiæ nostræ publicum pene bellum, quo calcarentur, indictum; movendi ejus caput Eulalium, qui jussa transcendit, exstitisse, secundum ordinem præceptorum paulisper abesse non passum, Symmache parens carissime. Unde sublimitas tua hoc nos statuisse cognoscat, ut et salubris superior ordo præcepti, et moderata synodi ordinatio deberet custodiri, quod aliter fieri non posse censemus, nisi Eulalius omnimode urgeatur, ut, omni celeritate ab Urbe discedens, insolenti populo præsens incitamenta non præbeat, nec innocentibus causa mortis existat; cui esse dubium non debebit, si in hac præsumptionis obstinatione duraverit, non solum de statu suo judicium jam prolatum, verum etiam de salutis discrimine proferendum. Culpa enim nullam veniam jam meretur, quæ cum prædicitur, non caretur. Nihil ex hoc excusationis habiturus, quod eo invito a plebe asserat retentari. Si qui autem ex numero clericorum communicandum Eulalio, judicio pendente, censuerit, pari se sciat sententia esse damnandum. Laicos vero qui post interdictum mansuetudinis nostræ communionem Eulalii putaverint expetendum, honestioris loci pœnam proscriptionis, servos vero capitis esse subituros, nec ab hoc periculo dominos eruendos. Primates vero regionum, nisi spiritum plebis inconditæ domuerint ac frenarint, sciant se raptos, ultimo judicio esse subdendos : Spoletinus autem episcopus (sicut dudum fuerat definitum) sanctis Paschæ diebus ordinem festæ solemnitatis implebit, cui ad celebranda mysteria Lateranensem ecclesiam soli patere decernimus, reliquis qui hoc præsumere voluerint propulsatis. Sane ut prædictus sacerdos Spoletinæ civitatis in loco ejus sanctorum mysteriorum ordinem completurus suscipi debeat, admonemus. Per omnes vero titulos et loca, quæ conventu celebri frequentantur, hæc quæ statuimus proponantur, ut universis liqueat, et noluisse nos turbidum aliquid perpetrare, et adhuc ut turbata componi debeant opperiri. Sciat sane sublimitas tua primiscrinium et reliquum officium, quod tuis actibus obsecundat, non solum gravissimæ mulctæ dispendiis affligendum, sed et supplicium capitis sortiturum, nisi enixi opera commodata statutis clementiæ nostræ præbere maturarit effectum. Dat. XVIII cal. Aprilis, Ravennæ.

EPIST. LXXXI.

DOMINO SEMPER ILLUSTRI ET PER CUNCTA MAGNIFICO, MERITOQUE SUBLIMI AC PRÆCELSO CONSTANTIO SYMMACHUS PRÆF. URB.

Ubi primum sacra Domini nostri invictissimi principis præcepta perlata sunt, statim (ut convenerat) debitum tribui famulatum. Sed Eulalius ea obstinatione qua sine præcepto sacro Urbem ingressus est, etiam egredi constrictus per omnes potestates pari pertinacia detrectavit. Nam vespertinis horis per officium Urbanum id quod præceperat invictissimus imperator, ea die qua perlatum est, ei innotuisse agnoscitur, Domine semper illustrissime, sacratissime, magnifice, meritoque sublimis ac præcelse patrone. Quo lecto, mandavit se diligentius tractaturum, nec tamen instanter admonitus exire curavit. Alia vero die rursum per omnem apparitionem etiam nocturnis horis admonitus, collecta multitudine, Lateranensem basilicam ausu temerario credidit inva-

Digitized by Google

dendam. Verum habito tractatu cum proceribus, omnibus officiis destinatis ut pellereturinjunctum est. Nam et vir spectabilis vicarius ad eamdem basilicam ire decreverat, sed primo accedere præmio terrore non potuit. Ego autem tam corporatis directis quam omni officio, ideo illuc ire non potui, ne quis mihi æmulus faceret religionis invidiam. Tamen salva excellentia vestra, irruentibus pluribus corporatis, et majoribus regionum, qui præceptis imperialibus serviunt, de eadem ecclesia fugatus Eulalius, de Urbe expulsus est, atque adjunctis apparitoribus illuc directus ubi jussus fuerat residere. Mandatum etiam ut vir religiosus, sanctus Achilleus episcopus, cum quiete quæ jussa sunt, illo ejecto, sine strepitu populi, pro sanctorum dierum reverentia celebraret. Nam ad custodiam basilicæ Lateranensis apparitores apposui, ne cui alii redderetur. Partis quoque Eulalii aliquanti capti clerici seditionis auctores, de quibus quid jubeatur exspecto. Et quoniam de his interim quæ gesta sunt universa virtutibus vestris credidi suggerenda, quidquid sequentibus diebus pro quiete Urbis, quam vestra felicitas regit, suggestum fuerit, sigillatim pro rerum fide et ordine meliorib[us] indiciis nuntiabo.

EPIST. LXXXII.

IMP. HONORIUS AUG. SYMMACHO PRÆF. URB.

Moderatione præcipua egit nostra serenitas, ne locum posset invenire præsumptio. Dei enim judicio venerabilium sacerdotum est dilata cognitio : ut quidquid religio, quidquid veritas postulabat, absque ulla perturbatione hoc disceptatio tranquilla decerneret. Sed per Eulalium usurpatione contra sententiam venerabilis synodi multa illicite commissa fuisse, relationis textus edocuit, qui præsentia sua causam furoris populo subministrans, totum perire voluit quidquid moderatio nostra conservat. Nam cum ordinatione nostra et sententia episcoporum, quorum in synodo major se multitudo collegerat, consensu etiam partium et professione id fieri definitum esset, ut sciret se specialiter esse damnatum quicunque ad incitandum populum Urbem fuisset ingressus : oblitus sui, probavit ex præsenti facto quale videatur habuisse principium. Quoniam ergo recte hunc, post tot admissa, Urbe constat esse depulsum, ad quam eum accedere non debere clementiæ nostræ et episcoporum videretur statuisse judicium, Bonifacium venerabilem virum episcopum (ad cujus moderationem auctoritatem nostram recte censuimus jungendam), Symmache parens carissime et amantissime, sublimitas tua Urbem ingredi debere nos statuisse cognoscat ; ut sub ejus gubernaculis religiosæ legis reverentia moderatione solida compleatur. Dat. III nonas Aprilis, accepta idus Aprilis.

EPIST. LXXXIII.

D. HONORIO SEMPER AUG. SYMMACHUS PRÆF. URB

Quæcunque Deo auctore fiunt, merito divino pietatis vestræ judicio firmantur. Nuper namque cum ad me famulum vestrum sacra clementiæ vestræ emanasset auctoritas, quasi ambiguitate submota, venerabilis viri Bonifacii episcopi sacerdotium majestas vestra roboravit. Tam grata universis quæ jussa sunt exstitere, ut hoc et ordo amplissimus et Romanus populus comprobaret, D. imperator. Nam cum statuta cœlestia per me essent recitata populis, et edictis ex amore propositis publicata, tantus fervor et lætitia totius exstitit civitatis, ut scilicet et religionem redditam, et præstitam quietis securitatem omnes gratulatione congrua testarentur. Interjecto itaque biduo, Urbem supra memoratus venerabilis episcopus, omni accurrente plebe, ingressus est, sicut serenitas vestra constituit : officii quoque mei obsequia minime defuerunt. Nec jam aliqua dissensio remanet populorum, et omnes divino judicio et majestatis vestræ acquieverunt voluntati. Cessantibus ergo studiis, omnes quod præcepto Dei admoniti statuistis sentire cœperunt, atque acclamationibus quæ subjectæ sunt gaudii sui causas plebs Romana testata est, ac serenitati vestræ gratias in dies singulos agere non desistit; quorum provisio sicut pacem orbis tuetur, ita quietem Urbis restituit, populoque concordiam.

ANNO DOMINI CCCXCIX.

MAXIMUS

GRAMMATICUS.

GUILIELMI CAVE NOTITIA IN MAXIMUM.

Maximus, gente Afer, civitate Madaurensis (Africæ propriæ oppidum erat inter Numidiam et Getuliam), professione grammaticus, S. Augustino familiaris, claruit exeunte hoc sæculo, circa annum 399. Homo gentilis et religionis suæ zelo flagrans, scripsit epistolam ad Augustinum, qua deorum suorum cultum vindicat, aitque *se unum esse Deum summum, sine initio, sine prole naturæ confiteri, ejusque virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocare. Ita fit*, inquit, *ut dum ejus quasi quædam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur.* Deinde in Christianos invehitur; partim quod Deum quem quasi proprium sibi vindicarent in locis abditis se videre affirmarent; partim

Digitized by Google

quod, relictis templis et neglectis majorum suorum manibus, hominum mortuorum busta stulto frequentarent. Hinc martyres quosdam Punicis vocabulis insignitos ludibrio exponit, *Mygdonem* seu *Migginem*, *Sanaem*, *Lucitam*, et præ omnibus *archimartyrem Namphanionem*. Per *Namphanionem* quis hic denotetur, haud facilis est conjectura, nec a quoquam id tentatum memini. Si in re obscura conjectare fas erit, non alium quam Christum Dominum nostrum designari putem : partim quod *archimartyr* appelletur, qui modo scilicet eminentiori præ aliis martyribus, pro religione a se instituta passus est; partim quod cum alii huic vel illi numini præferantur : *Hunc*, inquit, *proh nefas! diis immortalibus prætulerint Christiani ;* partim denique quod interprete Augustino in litteris responsoriis, *Namphanio* lingua Punica nihil aliud significet quam *boni pedis* hominem, id est, *cujus adventus afferat aliquid felicitatis; sicut solemus dicere secundo pede introiisse, cujus introitum prosperitas aliqua secuta sit.* Quod Domino nostro apprime convenit, qui optato pede in mundum venit, et obambulavit εὐεργετῶν. De quo propheticum illud imprimis dictum est : *Quam pulchri super montes sunt pedes prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem!* Nescius non sum in Martyrologio Romano Julii 4 celebrari memoriam S. Namphanionis martyris et sociorum, *quos ille roboravit ad pugnam et ad coronam provexit, quique Mauri in Africa passi sunt.* Verum hæc omnia, ex his ipsis epistolis desumpta esse qu's non videt? quin et in notis suis diserte fatetur illustrissimus Baronius. Concludit Maximus, solemni formula, *Dii te servent, per quos et eorum, atque cunctorum mortalium communem Patrem, universi mortales, quot terra sustinet, mille modis concordi discordia veneramur et colimus.* His respondens Augustinus epistola sequenti, hominem acerrime perstringit, ostenditque si ludicra agere vellet, se par pari referre posse; hominem vero graviter monet ut in hoc argumento serio versetur; paratum se fore, de his pro argumenti dignitate disceptaturum. Claudit epistolam his verbis : *Ne te hoc lateat, et in sacrilega convicia imprudentem trahat, scias a Christianis catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod sit factum et conditum a Deo, sed unum ipsum Deum qui fecit et condidit omnia.* De tempore quo scriptæ sint hæ epistolæ non constat. Referunt eas novissimi editores ad annum 390, cum sequenti idolorum cultus imperatorum lege prohibitus sit. Sed nullum inde duci potest argumentum, cum non hoc modo, sed et quovis fere anno sequenti Constitutiones imperiales hac de re latæ sint, ut in codice Theodosiano videre est, nempe ann. 392, 395, 396; anno 399 quatuor, quarum duæ ad Africam proprie spectant, iterumque anno 408, ne ulterius pergam. Habentur hæ epistolæ edit. noviss. 16, 17, in vulgaribus editionibus num. 43, 44.

MAXIMI EPISTOLA AD S. AUGUSTINUM.

Vide hanc epistolam inter Augustinianas, sub numero 16, *tomo* XXXIII *nostræ Patrol., col.* 81. EDIT.

ANNO DOMINI CCCLXII.

MAMERTINUS.

DE AUCTORE PANEGYRICI ET QUO TEMPORE AC LOCO HABITUS SIT.

Mamertinus, a Juliano Augusto consul factus, hac oratione principi gratias agit. Pronuntiata est anno Christi 362, cum, ut ex fastis apparet, consulatum gereret Nevita collega. Quis porro Mamertinus ille fuerit, ex qua patria oriundus, nullibi, quod sciam, proditum est. Ego facile putem hunc Messana oriundum fuisse; sic enim Messanenses propter Mamertinos hospitio exceptos dicti sunt Mamertini. Ejus mentio fit in variis locis apud Ammianum, lib. VI, lib. XXI, lib. XXIII. Atque etiam ipse de se non semel loquitur hoc in Panegyrico; ex quibus locis omnibus constat Mamertinum præfectum ærario fuisse, tum præfectum prætorio per Illyricum, in cujus provinciæ administratione peculatus reus absolutus est, ac tandem a Juliano consul factus. An vero Mamertinus hic idem fuerit atque ille cui panegyrici 2 et 3 Maximiano dicti attribuuntur, neque velim affirmare, ut ad hos panegyricos observavi, propter spatium septuaginta annorum inter illorum et hujus panegyrici tempora; neque ausim prorsus negare, nam tum cum hanc orationem dixit admodum senex fuisse videtur, ut constat ex paneg. num. 17 : *Sed a teneris annis ab ætate puerili ad hanc usque canitiem consulatus amore flagravi.*

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO.

Reddit rationem cur pro præfectura ærarii et præfectura cum Juliano imperatori gratias hucusque non egerit, id agere consul aggrediatur. Quod nempe in

Digitized by Google

prioribus dignitatibus imperator aut suam aut publicæ utilitatis rationem habere videri potuerit; in consulatu vero dando ejus tantum, cui datus est.

DISTRIBUTIO.

Prima hujus orationis parte imperatoris virtutes recenset, altera pro accepto consulatu gratias agit.

Pars prima. Perstringit ejus victorias, receptas ejus virtute Gallias, subactam pene omnem barbariam, num. 3. Iterum de Gallis tum a barbarorum vastitate, tum a judicum quibus subessent tyrannide et avaritia ereptis, deletos Germanos, jus restitutum, emendatos ejus virtutum exemplo mores, num. 4. Quæ omnia mirum quantum a Juliano Constantium alienarint, num. 5. Julianus in medio Illyrici sinu derepente adest, hic et ubique victor, n. 6. Istrum navibus transcurrit barbarorum terrore tanto, ut supplices veniam petant, num. 7. Ad Adriam, Tyrrhenum, Mæotidem pugnat et vincit, Nicopolim instaurat, Eleusinam et alias Macedoniæ, Illyrici et Peloponnesi civitates restituit, num. 9. Patiens laboris bellici, castrensi cibo contentus, num. 12. Sibi asper, in alios facilis, sibi parcus, in alios liberalis, num. 11. Castus, in castris perpetuus, num. 13. Sic peragrata victoriis Thracia de sublevanda Urbis annonæ penuria cogitat, num. 14.

Pars secunda. Imperatoris in se beneficium amplificat, quod consulatum acceperit non meritus, quod in summa virorum bonorum copia, quod minorem magistratum petens, quod sine largitionibus et ambiendi labore, quod in tenui re et ambiendi ignarus, voti compos fieri nunquam potuisset, num. 15. Quod uno eodemque anno ærarii publici cura, præfectura et consulatu insignitus sit, num. 22. Redit ad commemorationem virtutum imperatoris, cujus in fovendis litteris revocandisque artibus studium commendat, num. 23; in omnium animis sibi conciliandis industriam, num. 23; in eligendis amicis prudentiam, in eosdem fidem, num. 26; in summo honorum apice modestiam, in condonandis injuriis clementiam, num. 27; ac præcipue singularem in re et collegam humanitatem.

IN FINE.

Denique accepti a tanto imperatore beneficii nunquam futurum se immemorem pollicetur, num. 31.

MAMERTINI GRATIARUM ACTIO

JULIANO AUGUSTO.

1. Etsi scio te, imperator, et cunctos [a] qui consilium tuum participant posse mirari quod nunc demum gratias agere exorsus sum, quasi beneficia in me tua [1] cœperint a consulatu, fatebor tamen [b] quod ingenii (cujus me pœnitet) conscius, etiam nunc tacere voluissem, et prorumpens licet hujus muneris gaudium intra arcanæ lætitiæ conscientiam coercere. Sed sive errorem nostrum, sive consilium congesta et coacervata in unum beneficia vicerunt; atque in id redegerunt [c] necessitatis ambiguum, ut mihi aut indiserti, aut ingrati esset fama subeunda: malui eloquentiam potius quam pietatem erga te officiumque meum desiderari. Et sane in his honoribus quibus me prius honestaras, minor esse causa ad agendas gratias videbatur. Nam cum me [2] ærarium publicum curare voluisti, cum quæreres virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me, [3] qui tibi viderer ejusmodi, delegisti: idque eo tempore quo exhaustæ provinciæ partim deprædatione barbarica, partim non minus exitiabilibus quam pudendis præsidentium rapinis ultro opem imperatoris exposcerent, milites sæpe anteactis temporibus ludo habiti cum præsens stipendium flagitarent, quoquo modo videbar honorem onere pensare. At cum me [4] prætoriis præfecisti, et provincias de te egregie meritas meæ fidei

[1] Jam Mamertinus ærarii præfecturam a Juliano Augusto acceperat, jam prætorio per Illyricum præfectus fuerat, cum consulatus veluti tot honorum cumulus accessit. Quare infra, num. 21: *Cum me propter tantillum innocentiæ meritum uno in anno ter videat honoratum.*

[2] Id est, publicam pecuniam in Saturni templo repositam. Ærarii præfectos ab Augusto primum institutos addunt, Suetonius *in Augusto*, cap. 49, et Dio. lib. LV.

[3] Vere, an injuria? haud scio Mamertinum peculatus reum ab Avitiano delatum tradit Ammianus lib. XXVII.

[4] Ante Constantini tempora præfectus prætorio dicebatur, qui militibus iis præerat, quos imperator in sui custodiam allegerat. Postquam vero prætoriæ cohortes pro Maxentio turbas excitassent, post cæsum tyrannum, hæc dignitas penitus a Constantino sublata est, et orbe Romano in quatuor partes seu diœceses diviso, quatuor præfecti prætorio creati, qui singulis præessent: quorum unus prætorio Galliarum, alter prætorio Italiæ, tertius prætorio Illyrici, quartus prætorio Orientis præfectus dicebatur. Mamertinum præfectum prætorio per Illyricum fuisse ait Ammianus lib. XXII.

INTERPRETATIO

[a] *Qui tibi sunt a consiliis.*

[b] *Quod conscius* tenuitatis *ingenii mei cujus me piget.*

[c] *Necessitatis angustias.*

Digitized by Google

tutelæque mandasti, ingens judicii tui fuit munus; [a] sed in eo non mihi solum quem tanta potestate succinxeras, verum etiam negotiis tuis commodasse aliquatenus videbare.

II. Porro in decernendo consulatu remotis utilitatibus tuis rationem meæ solum dignitatis habuisti. Nam in administrationibus labor honori adjungitur: in consulatu honos sine labore suscipitur. In illis si læteris, cupidæ ambitionis esse videaris; in hoc nisi aperte et propalam læteris, ingratus sis. Huc accedit quod ipsa [1] hæc urbs, atque hoc augustissimum consilii publici templum officium hujus orationis efflagitant. Hæc tibi, nominis novi, sed antiquissimæ nobilitatis, civitas est patria: [2] hic primum editus, hic quasi quoddam salutare humano generi sidus exortus. Hi cives et populares tui silere me non sinunt, nec patiuntur ut quisquam alius [3] auspicatissimo die apud te ac de te loquendi munus usurpet, quam is qui amplissimo sit præditus magistratu. Putant aliquid adjicere ad splendorem laudum tuarum consulis nomen, et recte putant. Adjicitur enim laudum dignitati honore laudantis. Ac licet, maxime imperator, publico judicio et nomine agere tibi gratias debeam, tamen illa quæ pro summa re domi forisque gessisti, nunc ex parte maxima prætermittam, ut [4] quantocius ad ea quæ propria sunt, perveniat oratio.

III. An ego nunc [5] receptas virtute tua Gallias, [6] barbariam in omnem subactam pergam quasi nova et inaudita memorare, quæ in hac Romani imperii parte gloriosissima sint famæ laude celebrata, in tantum ut [7] fratris imperatoris mererentur invidiam? Quid enim a te aliud [8] consortis imperatoris alienavit animum, nisi gloriæ tuæ splendor? Testor immortalem Deum, testor [b] ad vicem numinis mihi sanctam conscientiam meam, me multa constanter in hac urbe fulsse dicturum de his quæ adversus optimum imperatorem inclementer et impie cogitata atque suscepta sunt, [9] si etiam nunc hominum cœtus divus Constantius frequentaret. Nunquam profecto liberi civis et boni senatoris officio defuissem, quominus redarguerem et convincerem eas illi in te odii fuisse causas, [c] quæ amoris inflammatrices et fidei obsides esse debuerunt.

IV. Florentissimas quondam antiquissimasque [10] urbes barbari possidebant, Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat. Porro aliæ quas a vastitate barbarica terrarum intervalla distulerant judicum nomine a nefariis latronibus obtinebantur; ingenua [11] indignis cruciatibus corpora; nemo ab injuria liber, nemo intactus a contumelia, nisi qui crudelitatem prædonis [d] pretio mitigasset: ut jam barbari desiderarentur, ut præoptaretur a miseris fortuna captorum. In hoc statu imperator noster Gallias nactus minimum habuit adversus hostem laboris atque discriminis, una acie Germania universa delecta est, [12] uno prælio debellatum, sed emendatio morum, judiciorumque correctio et [e] difficile luctamen, et periculi plenum negotium fuit. Nam ut quisque improbissimus erat, ita maxime Cæsaris rebus inimicus, vitandis legum pœnis de novo scelere remedia quærebat, et quia defendere admissa flagitia non poterat, in [f] ultorem juris invidiam congerebat. Et cum sancti principis mores atque instituta falsarum opinionum, vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem [g] [13] laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illa jactantes, Julianus Alamanniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis et cineribus excitavit. Illæ provinciæ obsessæ, expugnatæ, ferro ignique vastatæ beatiores sunt his oppidis quæ habet sine hoste Constantius. [14] Æstates omnes in castris, hiemes in tribunalibus degit. Ita illi anni spatia divisa sunt, ut aut

[1] Constantinopolis novo nomine appellata, quæ olim *Byzantium* dicebatur.

[2] Julianus Augustus Constantinopoli natus est anno Christi 331, octavo idus Novembres.

[3] Cal. Januarii, quibus Mamertinus una cum Nevita collega consulatum auspicabatur.

[4] Citissime.

[5] Ereptas ex barbaris, qui a Constantio Augusto contra Magnentium evocati, cum nulli usui ad eam rem esse se viderent, Gallias populabantur. Sozomen. lib. v, cap. 2. Jamque oppida ferme 45 ceperant, inquit Julianus.

[6] Francos in primis ac Germanos omnes.

[7] Constantii Augusti, quem Juliani fratrem vocat, seu quod patrueles essent, id est, eumdem haberent avum Constantium, seu quod Julianus Helenam Constantii sororem duxisset.

[8] Constantii.

[9] Si viveret adhuc Constantius. Is autem ante annum obierat tertio nonas Octob., prope Tarsum, cum adversus Persas proficisceretur.

[10] *Quadraginta quinque*, si Juliano credimus, *atque adeo burgis et castellis minoribus omissis. Reliqua vero Gallia barbarorum populationibus et excursionibus vastata erat et inculta.*

[11] Adde *suberant*, vel *lacerabantur*: quam ultimam vocem excidisse suspicatur Livineius. Aut lege cum Acidalio, *ingenui indignis oneribus correpti.*

[12] In campis Argentoratensibus dato, ubi Julianus cum paucis militibus septem totius Germaniæ potentissimos reges cum numerosissimo eorum exercitu plane profligavit. Ex barbaris cæsa sunt 6, ut vulgo aiunt, aut ut asserit Zosimus 60 millia; captus Francorum rex Chodonomarius, et cum innumera captivorum manu ad Constantium abductus est.

[13] Quasi amoris specie laudabant Julianum, sed revera ut bilem moverent Constantio, quo obtrectatorum genere nullum est malevolentius.

[14] Id de Juliano asserit Ammianus.

INTERPRETATIO.

[a] *Sed ea in re non mihi tantum, quem tanta præfectura cohonestaras, sed etiam rebus tuis serviisse aliquo modo videbaris.*

[b] *Et dei loco.*

[c] *Quæ ad amorem et fidem obstringere te debuissent.*

[d] *Data pecunia leniisset, ita ut optarent se in barbarorum servitute esse, et miseriæ suæ præponerent captivorum sortem.*

[e] *Arduum opus.*

[f] *Invidiam conflabat* huic æquitatis vindici.

[g] *Laudandi specie obtegebant*

Digitized by Google

barbaros domitet, aut civibus jura restituat, perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen.

V. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriæ refutarentur. Invenerunt accusandi genus quod nullus refelleret. Sed quid, oro vos, principem nostrum facere debuisse censetis? Romanas urbes hostibus dederet, ne animum fratris offenderet? Provincias firmissimas, utilissimasque reipublicæ sub obtutibus suis vexari ac diripi sineret, ne quid Augustus quod nollet audiret? Flagitiis administrantium non modo frena laxaret, sed etiam stimulator accenderet, ne inter principes faceret morum dissimilitudo discordiam? Nobilem [1] Etruriæ adolescentem ferunt, cum propter eximiam formæ dignitatem multarum in se feminarum amores excitaret, faciem suam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus sauciasse. Sed facile fuit juveni dignitati corporis decorem animi præponenti et candorem decolorare, et oris nitorem alte impressis cicatricibus [2] devenustare. Num aliquid hujusmodi adversus amorem civium facere debuit Julianus? Ac ne potuit quidem; nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum. Scilicet et candorem æquitatis potuit obumbrare, et a temperantia [a] purpuram sancti ruboris abolere, [3] vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos providentiæ! Deinde nisi ille adolescens severam manum propriis vultibus intulisset, [b] dies et mora, non longa ætatis successio omnem illum florem corporis peremisset. [5] At in virtutibus principis nostri quanto ætas prolixior, tanto pulchritudo præstantior.

VI. Motto cunctam barbariam adversus [6] vindicem Romanæ libertatis in arma commotam, gentesque [7] recens victas et adversus jugum nuper impositum cervice dubia contumaces, [b] in redivivum furorem nefandis stimulis excitatas. Quæ omnia obstinatam et immobilem principis maximi tandem vicere patientiam. Itaque cum [8] in ipso molimine oppressisset Alamanniam rebellantem, qui paulo ante [c] inaudita regionum, fluviorum, montium nomina exercitu victore peragraverat, per ultima ferarum gentium regna, calcata regum capita supervolans, in medio Illyrici sinu improvisus apparuit. Vidimus felices illius comites viæ stupentes, urbium populos dubitasse credere quæ videbant. Non aliter consternatas arbitror gentes quæ prolapsum cœlo excepere [9] Palladium. Virgines, pueri, feminæ, tremulæ anus, titubantes senes [10] non sine magno attoniti horrore cernebant imperatorem longam viam sub gravium armorum onere currentem, properantis anhelitum [d] sine sensu lassitudinis, crebriores sudorum rivos per fortia colla manantes, et [e] inter illum pulveris qui barbam et capillum onerarat horrorem micantia sidereis ignibus lumina. Voces gaudentium oppresserat miraculi magnitudo. Cessabant officia laudandi plus quam laudanda cernentibus.

VII. Sufficeret quidem ad expeditionem præsentium negotiorum sola properatio, sed non sufficit principi nostro reipublicæ una ratione consulere. Multa pariter aggreditur pectus [11] nullis unquam laboribus fatigatum. Ut uno eodemque tempore et componeret fidissimarum provinciarum statum, et barbariam omnem admoto propius terrore percelleret, longissimo cursu Istrum placuit navigari. [12] Proh sancta divinitas! Quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem inclyti fluminis ripam utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret, despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa barbaria? Omnes urbes quæ Danubium incolunt aditæ, omnium audita decreta, levati status, [f] instauratæque fortunæ, [12] innumerabilibus barbaris data venia, et munus pacis indultum. Qui properationem illam contemplabitur, nihil legisse præter viam imperatorem putabit; qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.

VIII. O facundia potens Græcia, omnium tuorum

[1] Is Spurina fuit, ut margini adscriptum reperio in Viennensi editione. Quam historiam fuse refert Valer. Maximus lib. IV, cap. 5.

[2] Vox a Gellio usurpata pro eo quod est *deturpare*.

[3] Lege cum Lipsio *cervicem fortitudinis*: nam ut ait ille lib. III Epistol., quæst. 24, *in cervice vis ferendi et nervorum conventus*. Mamertinus, supra, num. 5, *nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum*.

[4] Quid si legamus cum Acidalio: *Dies et mora non longa, ætatis successione*.

[5] *At enim in virtutibus*. Acidal.

[6] Julianum.

[7] Constantii et Constantino magno ejus filio domitas et a Francorum incursionibus liberatas.

[8] Id est, tum, cum prope abesse crederet, ut Gallias invaderet.

[9] Palladis simulacrum fuit, quod eo tempore quo ara et templum Minervæ struebatur, de cœlo lapsum sibi in templo legit. Quia autem erat in fatis tandiu Trojam incolumem fore, quandiu intra ejus mœnia simulacrum illud servaretur, Diomedes et Ulysses fatale illud signum sustulerunt. Nec multo post Græci Trojam post decem annorum obsidionem tutelari hoc numine spoliatam subverterunt. Æneid. II, 163.

[10] Forte inducenda hæc postrema vox *attoniti*.

[11] Julianum laboris bellici patientissimum fuisse testantur ejus vitæ scriptores, imprimisque Ammianus.

[12] Infra, num. 28: *Illic, proh sancta divinitas! gaudentibus cunctis; quo ore? qua voce? inquit; ave, consul amplissime*.

[12] Forte Quadis et Saxonibus quos Julianus Chariettonis cujusdam transfugæ opera delevit, et ea conditione ad pacem admisit, ut nunquam contra Romanos arma ferrent.

INTERPRETATIO.

[a] *Ruborem castæ verecundiæ*.

[b] *Actas in novum furorem*.

[c] *Victorem exercitum traduxerat trans regiones, fluvios, montes ne notos quidem de nomine*.

[d] Ita *ut defatigationem sentire non videretur*.

[e] *Cum barba et capillus æqualeret pulvere, et oculi cælesti flamma fulgerent*.

[f] *Auctæ opes*.

Digitized by Google

principum gesta in majus extollere sola potuisti, [a] sola factorum glorias ad verborum copiam tetendisti. Tu [1] navem unam propter aurati velleris furtum, et [2] virginis raptum in cœlum usque sublatam sideribus consecrasti. Tu puerum [3] inventorem serendi, draconum alitum curru volantem semina in terras sparsisse jactasti. Quid tu si ad scribendas celebrandasque res principis nostri animum adjeceris, de Juliani [4] lembis liburnisque factura es? quæ non modo nihil cuiquam adimunt, neque urbes hospitas populant, sed ultro omnibus populis immunitates, privilegia, pecunias largiuntur. Qua dignitate describes classem, per maximi fluminis tractum remis ventisque volitantem, tum principem nostrum alta puppe sublimem : non per cujuscemodi agros frumenta spargentem, sed Romanis oppidis bonas spes, libertatem, divitias dividentem, tum ex parte altera in barbaricum solum terrorem bellicum, trepidationes, fugas, formidines obserentem?

IX. Jam quale illud fuit, quod [5] Istrum adhuc navigans beneficia tua usque [6] ad Adriam, Tyrrhenum, Mæotidem porrigebas? Ipso enim tempore levati equorum pretiis enormibus [7] Dalmatæ, Epirotæ [b] [8] ad incitas intolerandi tributi mole depressi, providentia, imperator, tua, non modo miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam [c] revexerunt fortunam. Urbs [9] Nicopolis, quam divus Augustus in monumentum Actiacæ victoriæ tropæi instar exstruxerat, in ruinas lacrymabiles prope tota conciderat, laceræ nobilium domus, sine tectis fora, jamdudum aquarum ductibus pessundatis plena cuncta squaloris et pulveris. Certamen ludicrum, lustris omnibus solitum frequentari, intermiserat temporis mœsti deforme [10] justitium. Ipsæ illæ bonarum artium magistræ et inventrices [11] Athenæ, omnem cultum publice privatimque perdiderant. In miserandam ruinam conciderat [12] Eleusina. Sed universas urbes ope imperatoris [d] refotas enumerare perlongum est : scire satis est cunctas [13] Macedoniæ, Illyrici, [14] Peloponnesi civitates unis aut binis epistolis maximi imperatoris [e] repentinam induisse novatis mœnibus juventutem, aquas omnibus locis scatere : quæ paulo ante arida et siti anhelantia visebantur, ea nunc perlui, mundari, madere; fora, deambulacra, gymnasia lætis et gaudentibus populis frequentari, dies festos et celebrari veteres, et novos in honorem principis consecrari.

X. Si quis mortalium in aliquam cœlestem speculam nube sublatus, paulo ante vidisset mœsta omnia, semiruta oppida, desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exulum turbam; is si nunc in illud idem editum reponatur, ac despiciat cuncta lætantia, agros consitos, urbes frequentes, aquas oppidis influentes, magnifico cultu [15] non privatas ædes, sed publica tecta surgentia, dites pro terrarum ingeniis messibus segetes, vincentes agricolarum vota vindemias, arduos colles, profundasque valles, et [16] lata camporum balatu, hinnitu, mugitibus persona, profecto mirabitur tam brevi cuncta mutata, desiliet e nubibus, et viciniam cœli cupide derelinquet, ut tuis, imperator, terris fruatur. Illud vero cujus miraculi est, [f] neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium, in omnia pecuniam ab imperatore depromi, et quoddam versa vice provinciis pendi tributum, [17] illinc ad universos fluere divitias quo prius undique confluebant? Ut in maxima quæstione sit a quo ac-

[1] Cui *Argo* nomen : unde Argonautæ dicti sunt, qui in ea ad vellus aureum asportandum Colchida navigarunt. Virg. eclog. IV, 34.

Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.

Piget referre quæcunque de ea apud poetas referuntur : ut fatidicam illam fuisse cœlo consecratam, etc.

[2] Medeæ.

[3] Triptolemum. Ovid. *Trist.* lib. III, eleg. 8.

Nunc ergo Triptolemi cuperem conscendere currus :
Misit in ignotam qui rude semen humum.

Nota ex poetis omnibus fabula.

[4] Naviculæ exiguæ genus, miræ velocitatis.

[5] D. Istro, seu Danubio fluvio.

[6] Id est, ad mare Adriaticum. *Tyrrhenum*, id est, mare Tyrrhenum, quod et Tuscum, et Etruscum dicitur, *la mer de Toscane. Mæotidem.*

[7] Populi Illyrici ad oram maris Adriatici. *Epirotæ*, Græciæ populi, ad mare Ionium, quorum regio nunc Albania dicitur.

[8] Metaphora ducta a ludo calculorum, in quo unus cernus calculus, quem Regillin vocant, in sua linea immotus asservatur, neque inde movetur nisi in extremo discrimine. Cum ergo significatur aliquis adductus in summas angustias, tunc dicitur *redactus ad incitas*. Nam incitæ, lineæ sunt, unde cieri calculi non poterant. Ita *Erasmus*. Atque hoc proverbio sæpe utitur Plautus.

[9] Apud Actium : condita est ab Augusto in Actiacæ victoriæ memoriam.

[10] Quasi juris statio, seu juris dicendi in publico aliquo luctu intermissio. Livius. *Dictator justitium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quemquam privatæ quidquam rei agere.* Justitium etiam interdum sumitur pro cessatione exigendi æris 30 dies.

[11] Urbs ad fluvium Ilissum sita in ea Achaiæ parte quæ Attica dicitur, totius Græciæ caput et disciplinarum omnium parens. Hodie *Setines.*

[12] Oppidum Atticæ maritimum inter Megaram et Pyræum portum Atheniensium.

[13] Græciæ celeberrima regio inter Ægæum et Adriaticum, nunc angustioribus quam olim terminis delinita.

[14] Græciæ peninsula, quæ hodie Morea dicitur, Lacedæmone famosa.

[15] Pro *non privatas modo ædes, sed etiam*, etc. Sic infra num. 19 : *Nec viros quidem, sed mulierculas*, id est, non viros modo.

[16] Pro *latos campos*, ut apud Virgilium, *angusta virum*, etc.

[17] Id est, ab ærario principis ad populos unde affluxerat confluere.

INTERPRETATIO.

[a] *Sola rerum gestarum gloriam exaggerasti*, quantum satis est *ad orationem amplificandam.*

[b] *Ad extremas angustias reducti.*

[c] *Receperunt.*

[d] *Reformatas.*

[e] *Repente instauratis muris firmas constitisse.*

[f] *Cum tot opes undecunque colligerentur, neminem damnum sensisse.*

Digitized by Google

cipias, imperator, qui sic omnibus largiaris. Sed qui vitæ tuæ instituta rationemque cognoverit, facile fontem copiæ hujus inveniet. Maximum tibi præbet parcimonia tua, Auguste, vectigal : quidquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur.

XI. Hucusque solus hic fructus imperii putabatur, ut imperator a cæteris civibus non fortibus factis, nec splendore gloriæ, sed magnitudine sumptuum [a] separaretur. Inde nihil necessariæ [1] substructionum in ædibus moles, ingentes aulicorum catervæ legionum sumptum facile vincebant. Quin etiam prandiorum et cœnarum laboratas magnitudines Romanus populus sentiebat; cum [2] quæsitissimæ dapes non gusto, sed difficultatibus æstimarentur, miracula avium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, [3] æstivæ nives, hibernæ rosæ. Hæc cuncta animus voluptatum omnium victor abjecit. Neque enim comparandæ sunt picturatæ marmorum crustæ, et solido auro tecta laquearia, qui majorem anni partem in nuda humo cubet, et cœlo tantum tegatur; neque turbæ institutorum ad delicias ministrorum, cui tam pauca sint ministranda; neque tempus epulatum ei qui sæpius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat, gaudens castrensi cibo, ministro obvio et poculo [4] fortuito.

XII. Sed inter hæc mirari satis nequeo quod tam severe parcus in semet, in cives suos tam liberalis est ac remissus; laborum asperrima sibi sumens, ut nos quietis rebus agitemus, cum id usu venire animadvertamus, ut qui remotam a voluptatibus vitam sequantur difficiles et morosi sint, sibi parum læti, sed aliis tristiores, mœstas atque sollicitas etiam privatas domos faciant. At sanctissimus imperator impense studet ut nos pro dignitate habitemus, ut commodis affluamus, ut castam quidem, sed hilarem ducamus ætatem; cum alios principes labor truces, remissos desidia reddiderit, semperque [b] seriis imperatoribus gratia, [c] [5] communibus defuerit industria. Neque quisquam sibi molestus ita se facilem cæteris præbuit, ut non ad suum exemplum alios coerceret. Noster imperator nihil sibi veniæ, nihil cæteris molestiæ ac laboris impartiens, suo negotio omnibus otium præstat, [d] divitiarum largitor, curarum avarus, laboriosissima negotiorum præoptans ipse agere quam aliis imperare

XIII. Multi post exactos reges [e] imperium universæ reipublicæ solitarium cupierunt. Nota sunt recordantibus nomina eorum videlicet qui in propria furentes, [6] affectati regni supplicia pependerunt. Mitto veteres qui saxo præcipites dati, quorum bona publicata, [7] domus erutæ, interdicta posteris [8] nomina; non paucos hujusmodi furore vecordes et nostra ætas tulit, qui propter cæcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt. Si hos deus paulisper vitæ redditos alloquatur; heus, verbi gratia, [9] Nepotiane atque [10] Sylvane, per infestos gladios, præsentesque mortes imperium petivistis. At nunc ultro vobis potestas regnandi datur, ut ea, qua Julianus, conditione regnetis, ut pro omnium otio die noctuque vigiletis, et cum domini vocemini, libertati civium serviatis, sæpius prælium quam prandium capessatis, nihil cuiquam auferatis, et ultro omnibus largiamini, nulli gratificemini, in neminem sæviatis; toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, sit lectulus etiam sine concessis, [11] sed legitimis voluptatibus : [12] Vestalium toris purior; æstate Alamannicum pulverem, hieme pruinam Thraciæ intectis verticibus perferatis. Profecto verborum ipsorum molestiam delicatæ aures non poterunt sustinere, tantis negotiis territi, non modo imperium, sed etiam vitam perosi, ad inferiores aliquos inferos redire properabunt. Videbunt enim justum principatum laboribus, curis, vigiliis inquietum : cujus illi

[1] Ingentium ædificiorum. Tullius pro Mil. num. 53 : *Quo in fundo propter insanas illas substructiones facile mille hominum versabatur.* Et num. 85 : *Aræ quas substructionum insanis molibus oppresserat.*

[2] Similem locum habet Pacatus *num.* 13 *et* 14, ubi plura videri possunt de Romanorum luxu in conviviis.

[3] Ut in L. Veri imperatoris convivio contigisse ait Capitolinus.

[4] *Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant*, id est obvium. Juliani abstinentiam et temperantiam miribile laudant etiam qui cætera ejus vitia acerrime carpunt.

[5] Acidalius legit *comibus*. Utrumvis elige.

[6] Alludit ad id quod de Manlio Capitolino refert Livius lib. VI, cap. 20, qui affectati imperii damnatus de saxo Tarpeio in præceps dejectus est. Insuper eversa ejus domus, addita lege ut ne quis patricius deinceps in arce, aut in Capitolio habitaret. Item gentis Manliæ decreto cautum est ne quis deinde M. Manlius vocaretur.

[7] Lege *diruta*, ut Juretus suspicatur.

[8] Potius prænomina : nam ab eo tempore exstitere qui Manlii dicerentur, nemo plane qui Marcus Manlius.

[9] Is ex Tristani numismate Flavius Nepotianus Constantinus. Ex Golizio vero et Occone Flavius Popilius Nepotianus. Ex Eutropia Constantini Magni sorore, et Popilio Nepotiano viro consulari natus; qui cum cæso Magnentii exercitu Urbem simul et imperium invasisset, ipse vicissim a Maxentio deletus, cæsusque est.

[10] Sylvanus in Gallis ortus, Bonniti cujusdam natione Franci, hominis bello clarissimi filius; qui cum a rebellibus Magnentio transfugisset ad Constantium, ideoque pedestri magisterio donatus fuisset, tandem purpuram sumpsit Coloniæ Agrippinæ. Quod fecit ex necessitate potius quam ex tyrannidis cupiditate : affecta enim imperii suspectus morti a Constantio destinabatur; quam tamen non effugit, nam in eadem urbe a Constantianis oppressus est. Ammian. lib. IV, A. Victor.

[11] Alii legunt, *et legitimis.*

[12] Vestales virgines Vestæ sacris perpetuique ignis custodiæ dicatæ, a Numa Pompilio primum institutæ. Ovid. *Tristium* lib. IV, el. 2. Quæ...

Castos
Perpetua servant virginitate focos

INTERPRETATIO.

[a] *Differret.*

[b] *Qui ægre sui copiam faciunt.*

[c] *Popularibus.*

[d] *Opes* dat *larga manu, sollicitudinem* vero *parce, quod difficillimum est mavult ipse exsequi, quam aliis præcipere exsequendum.*

[e] *Totam rempublicam soli regere peroptarunt.*

Digitized by Google

faciem amœnam et amabilem contemplantes laborum aspera non videbant.

XIV. Cum igitur inter egregia negotia itinere confecto usque ad Thraciæ fines perventum foret, cursim disposito exercitus commeatu, ad Romanam urbem, annonæ vacuam, mentem reflexit. Quemlibet alium a subveniendi conatibus gravissima fames, et tristissimum reipublicæ periculum deterruisset. Sed stipendiis provinciarum, et patrimonii sui fructibus, tum undique frumentis coemptis usque ad opulentiam abundantiamque esurientem jam Urbem relersit. Dicet aliquis, quomodo tam multa tam brevi tempore? Et recte. Sed imperator noster addit ad tempus quod otio suo detrahit. Nihil somno, nihil epulis, nihil otio tribuit, [a] ipsa se naturalium necessariarumque rerum usurpatione defraudat, totus commodis publicis vacat. Itaque grandævum jam imperium videbitur his qui non ratione dierum, [1] aut mensium, sed operum multitudine, et effectarum rerum modo Juliani tempora metientur. Cum Romani populi victus, et exercitus commeatus esset in manibus, in media expediendæ annonæ trepidatione, nuntius venit plurimas naves Africano tritico graves [2] littus Achaicum prætervectas [3] Constantinopolim pervolasse. Permoti omnes, et adversus eos qui orarum maritimarum tuebantur irati, venimus ad principem, dedia judicum tantum perisse frumenti certatim pro se quisque conquerimur. At maximus imperator serenum renidens, nihil esse peccatum, non sibi perisse, quæ ad hanc urbem frumenta venissent. Nos vocem illam noti amoris in patriam putabamus, cum proditionem futuri verborum ambago celaret: jam tum enim venturæ felicitatis eventum conscius divini animus prævidebat.

XV. Cis pauculos dies in novum ac florentem statum republica restituta, sacra mens ad honorum et magistratuum ornamenta respexit. Versari cœpit [4] in sacri pectoris comitio consulatus. Quid secutus sit ipse scit, et quæcunque consilia ejus gaudet formare divinitas. De omnibus Romani imperii viris primus electus sum, cum honorem meum adoreis militaribus gloriosus [5] collega cumularet. Gratias tibi, gratias, imperator, si mereri me credidisti, et plures gratias, imperator, si tantum amasti, ut me consulem faceres etiam non merentem. Nec ignoro maximos honores ad parum dignos penuria meliorum solere deferri, sed non vereor ne quis malevolorum in consulatu meo id autumet accidisse. Si quis hoc lividus jactitat, ipso tempore refutatur, adversus quem dixisse satis est, jam tum principi nostro Roma parebat. Quid quod nihil speranti mihi de honoris augmento, neque enim ultra præfecturam se votorum meorum modestia porrigebat, præfertur nuntius consulem me creatum sine impendio, quod jam diu paucis; sine labore, quod nunquam; sine petitione, quod nemini?

XVI. Quis ignorat tum quoque cum honores populi Romani suffragiis mandabantur multos fuisse candidatorum labores? Ediscenda omnium nomina tribuum, [6] homines, atque etiam singuli salutandi, prehensandæ obviorum manus, omnibus arridendum; non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda, multaque alia propter honorem agenda, quæ alias virum honore dignum facere non deceret. Unde illud Crassi celebre dictum, cum peteret consulatum, et forte cum Scævola socero per vias Urbis incederet, nec præsente gravissimo et severissimo viro blandiri populo, palpare obvios, et artes petitorias auderet exercere. Quæso, inquit, Muci, paulisper abscedas, nec comitatu tuo honestari putes: impedis honorem meum; te spectante ineptus [7] esse non possum. At vero ego nullius favorem turpi assentatione promerui, nihil feci ineptum, nihil egi quod spectare Mucium nollem. Non modo nullum popularium deprecatus sum, sed ne te quidem ipsum, imperator, quem orare præclarum, cui preces adhibere plenissimum dignitatis est, verbo saltem adii. Sponte in familiam divinum istud a te munus infusum est.

XVII. Fatebor autem tibi, maxime imperator, et tuto apud te omnia [b] animi operta reserabo. Nunquam [8] in capita civium potestatem, nunquam provincias concupivi, sed quia juvanda etiam a me videbatur [9] pro virili portione republica, cum ad magistratum vocarer, propter opinionem desidiæ non refugi. Negotium publicum neque ambitu appetii, neque per timiditatem, aut ignaviam recusavi, sed a teneris

[1] Habita est enim hæc oratio altero postquam imperator acclamatus esset anno.

[2] Achaia, quæ et Græcia dicitur, ex una parte mari circumflua, ex altera Thessaliæ et Epiro terminata. Achaia tamen proprie dicta, regio Peloponnesi inter Corinthum et Patras.

[3] Urbs ad Bosphorum Thracium sita ac Thraciæ caput, olim Byzantium.

[4] Sic enim qui secum ipse de aliqua re deliberat, et rationum in utramque partem momenta expendit, quasi comitia habet apud se et in animo suo. Sic Plautus, *Epidic.* sc. 2, act. 1:

Jam senatum convocabo in corde consiliorum

Idem in *Mostel.*:

Dum mihi senatum consilii in corde convoco.

[5] Flavius Nevita, *qui*, ut ait Ammianus lib. XXII, ut *primum augendæ barbaricæ vilitatis auctorem, immoderate notaverat Constantinum.*

[6] Id est, ipsi adeo singuli homines salutandi. Acidalius legit *omnes, atque etiam singuli*, etc. In veteri vero codice est, *ediscenda omnium nomina: tributim omnes atque etiam singuli salutandi.*

[7] Sumptum illud e Tullii lib. I *de Orat.*, num. 112: *Equidem cum peterem magistratus*, etc.

[8] Id est, nunquam præturam, nunquam consulatum appetivi, utrique enim pro suo magistratu jus habent in civium vitam.

[9] Id est, pro viribus. Tacitus in Julii Agricolæ Vita: *Tanquam pro virili portione innocentiam principi* (nempe Domitiano) *donares.* Quod etsi apud Tullium quod quidem sciam, non legitur, non alienum tamen est illud Tull. pro Sextio: *Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates sunt.*

INTERPRETATIO.

[a] *Eorum, quæ necessaria sunt ad vitam, usum sibi decidit.*

[b] *Pectoris arcana.*

Digitized by Google

annis ab ætate puerili [1] ad hanc usque canitiem consulatus amore flagravi. [a] Secundum etiam tibi confessionis gradum debeo. Cum in aliorum principum esset potestate respublica, diu inanem cupiditatem sine spei solatiis fovi. Unde enim mihi aspirandi ad hoc nomen esset amentia, [b] opum vacuo et ignaro ambiendi? Nam primum cum Cæsar esses, marcentem jam cupiditatis meæ flammam spei bonæ flatibus excitasti. Cum vero te, Auguste, mirificum innocentiæ ac virtutum spectatorem viderem, tunc mecum, Claudi Mamertine, hucusque non frustra vixisti. Habes idoneum fidei ac industriæ judicem. Memento in magno res tuas esse discrimine. Scietur non meruisse te consulatum, si tibi non detulerit hic imperator.

XVIII. [c] Habes, Auguste, proditionem silentii mei, et rem a me non brevis ævi taciturnitate celatam. Nondum tamen cuncta prodidimus. Nullum hinc jam mecum volo referre secretum, omnia pectoris arcana vacuabo. [2] Suspendisses benevolentiam tuam, et tuæ isti in me liberalitati contra mores tuos artificii aliquid addidisses, forsitan rogassem. Parvi autem, imperator, putas esse beneficii quod rogandi mihi periculum remisisti? periculum inquam, sanctis me imperator, si præstare dubitasses, si in posterum distulisses, quid me fieret post repulsam? In levissimis quoque beneficiis petitis, nec impetratis, amicitia dissolvitur. Namque [d] is quo amicitia continetur amor, apud utrumque polluitur. Alter amari se quia non præstitit non putat, alter odio se esse quia non obtinuit arbitratur. Nec sane mihi consul gratuito factus viderer, si honorem precibus emissem. Miserum enim et laboriosum subiissem meliore ævi parte transacta tirocinium rogandi. Neque enim existimo molestius esse pecuniam quam preces fundere. Denique omnes in emendo videmus [e] repensandi fiducia magno erectoque animo aurum argentumque depromere; eos vero qui preces allegant humiles atque demissos vix cunctabunda atque titubantia verba proferre, neque orationem solum inclinare, sed totis corporibus in genua submitti. Prorsus, ut ex animi sententia loquar, maximo vendit beneficium qui preces accipit.

XIX. An vero si centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer? Minime: siquidem etiam illis priscis temporibus, multorum ambitu fuit campus infamis. Nota divisorum flagitia, notæ [4] loculorum prægtigiæ, tum operarum ad vim et seditionem manus emptæ. Nec sane potest in confusa imperitorum multitudine [f] quidquam esse perpensum. Nam cum boni rari sint, improborum vulgus immensum, in campo autem numerus et turba præpolleat, sine dubio intelligitur eum suffragiis populi magistratum capere, quem plures, id est, quem pejores probarunt. Unde factum est ut majores nostri viderent [5] Gabinios designatos et repulsos Catones. Sed hæc vetusta [6] dent recordari quemadmodum paulo ante honor petitus sit. Vix pauci exstiterunt quorum virtutibus deferretur: cum quidem ipsis illis tarda industriæ ac probitatis merces veniret. Cæteri vero perditissimum quemque ex aulicis frequentabant, uti quispiam per artes turpissimas imperatori acceptissimus videbatur, eum assiduis obsequiis emerebantur, donisque captabant. Nec viros quidem, sed mulierculas exambibant, nec feminas tantum, sed spadones quoque, quos quasi a consortio humani generis extorres ab utroque sexu aut naturæ origo, aut clades corporis separavit. Ita præclara illa veterum nomina sordidissimum quemque ex cohorte imperatoria et probrosissimum [g] adulabant. Ili cum in provincias immissi erant, qua sacra, qua profana rapiebant, iter sibi ad consulatum pecuniis munientes. Itaque nullum jam erat bonarum artium studium.

XX. Militiæ labor a nobilissimo quoque pro sordido et illiberali rejiciebatur. Juris civilis scientia, quæ [7] Manlios, [8] Scævolas, [9] Servios in amplissimum

[1] Mamertinus igitur senex fuit, cum hanc orationem habuit.

[2] Hoc est, *si suspendisses benevolentiam*, quo loquendi modo nihil apud bonos scriptores frequentius.

[3] Mos erat apud Romanos ut magistratus qui peterent, pecunia largitioneque suffragatorum studia sibi conciliarent: qui autem pecuniis tributim distribuendis præerant, *divisores* dicebantur.

[4] Haud absimile illud Ausonii paneg. ad Gratianum: *Consul ego, imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos.*

[5] An potius *Vatinios*, ut observat Lipsius ep. 24, lib. III. Cato enim in petitione consulatus posthabitus est Vatinio, non Gabinio. Idipsum refert Seneca libello, *Quod in sapientem non cadit injuria.* Idem *de divina Providentia*, et Valer. Maxim. lib. VII, cap. 5.

[6] Hac voce usus Lucretius lib. V: *Gaminia vocis adulant*; et Ausonius in gratiarum Actione ad Gratianum: *Centurias non adulavi.*

[7] T. Manlium intelligit quem Valer. Maximus lib. V, cap. 8, *Juris civilis et sacrorum pontificalium peritissimum* fuisse tradit. Acidalius pro *Manlios* legit *Manilios.* Manilius quidem cum se a re militari ad forensem vitam contulisset, tres libros de Jure civili scripsit.

[8] P. Mutius Scævola anno U. C. 617 consul cum L. Calphurnio Pisone fuit, et pontifex maximus. Hunc de Jure civili decem libros scripsisse tradit Plutarchus *in Sylla.* Hujus filius Q. Mutius Scævola, primus jus civile genera in in libros 18 digessit: plurimos habuit auditores clarissimos; ab eo multa didicisse se ait Tullius. Eumdem Crassus jurisperitorum eloquentissimum, et eloquentium jurisperitissimum apud Tullium appellabat. Fuit præterea alter Q. Mutius Scævola Augur, quem Cicero disserentem in libro de Amicitia introducit, a quo jus civile didicisse se profitetur. Erat is Lælii gener, Crassi socer.

[9] P. Servium Sulpitium puta qui an. U. C. 703 consul fuit. Is magnus Q. Mutii Scævolæ imitator

INTERPRETATIO.

[a] *Hoc quoque alterum tibi fateri debeo.*

[b] *Cum neque suppeterent opes, neque ambiendi artem tenerem.*

[c] *Habes explicationem silentii mei et rem quam audum silentio presseram.*

[d] *Is affectus, quo amicitia sustentatur.*

[e] *Compensandi.*

[f] *Aliquid esse consideratum.*

[g] *Revocent in memoriam*

Digitized by Google

gradum dignitatis evexerit, libertorum artificium dicebatur. Oratoriam dicendi facultatem, multi laboris et minimi usus negotium, nostri proceres respuebant, dum homines noluisse videri volunt, quod assequi nequiverunt. Et vere tantum laboris vigiliarumque suscipere ad adipiscendum cujus usus agendæ vitæ ornamenta non adjuvaret, dementia ducebatur. Itaque omne studium pecuniæ coacervandæ. [1] Tanto enim vir quisque melior, quanto pecuniosior habebatur. Jam serviendi miseranda patientia, assentandi mira calliditas. Ministrorum aulæ quotidie limina terebantur. Ad fores eorum qui regiis cupiditatibus serviebant [2] ternos patriciæ gentis viros cerneres ab hujusmodi dedecore non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius injuriæ deterreri. Demissi, jacentesque vix capita supra eorum quos precabantur genua tollebant. Ad postremum, honores non judicio, aut benevolentia superborum, sed misericordia merebantur.

XXI. At nunc quisquis provincias, tribunatus, præfecturas, consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas et nefas quærat, ac libertatem suam salutator vilis imminuat. Quanto fuerit paratior servituti, tanto honore indignior [3] vocabitur. Tum aliud quoddam hominum genus est in amicitia principis nostri, rude, ut urbanis istis videtur, parum come, subrusticum; blandimentis adulantium repugnat, pecuniæ vero alienæ tanquam rei noxiæ tactum reformidat, maximas opes in reipublicæ salute et gloriosa imperatoris sui laude constituit. Jam ipse [4] ingenti divinaque providentia adversus omnes assentatorum illecebras captionesque munitus est. [a] Quippe ei a fucatis adulantium venenis quod periculum est, qui aures etiam veris laudibus gravatus impertiat? Sed multo multoque nunc facilior est ratio honorum petendorum. Quisquis, inquam, capere magistratum voles, auri atque argenti negligens esto; nullas ostiatim potentium ædes obito, nullius pedes, nullius genua complectitor. Adhibeto tantum tibi gratuitas et paratu facillimas comites, jus itiam, fortitudinem, temperantiam, atque prudentiam; ultro ad te maximus imperator accedet, et ut capessas rempublicam flagitabit. Otioso tibi atque alia curanti provinciæ, præfecturæ, [5] fasces, sella curulis, atque insignia omnia magistratuum perferentur. Quid enim sibi veræ vir perfectæque virtutis non constanter de honore promittat, cum me propter tantillum innocentiæ meritum uno in anno [6] ter videat honoratum?

XXII. Ecquis deus uno in anno multiplices fructus agro uni dedit? Num quisquam [7] in eadem novali æstate una amplius quam semel messuit? Num cui uno autumno, unoque vineto vindemia triplex fluxit? Una certe unius est hiemis [8] olivitas. Sed in nostri principis beneficiis miraculo caret multiplicata fecunditas. Ut de aliis optimis viris taceam, qui a priore in proximum autumnum fructus honorum multipliciter messuerunt, mihi certe tertia unius anni ubertas est consulatus. Primum thesaurorum omnium mandata custodia, et dispensatio largiendi. Secundum locum tenet in honorum meorum fructibus præfectura. Additus his, quo vel solo cujuslibet aviditas vinceretur, proventuum tuorum tertius, consulatus. Dein cum ager assiduitate fructuum [b] in maciem decoquatur: imperatoris nostri posterior liberalitas vincit priorem, nec fit effeta gignendo, sed per vices fructuum fecundatur. Nova prorsus fuit honorum deferendorum et insperata congestio. Nondum statum suum siderum curricula mutaverant, [c] jam princeps cursum dignitatis alterius commovebat; et jam tum sol ab eorumdem astrorum regione radiabat, jam Augustus tertia magistratus mei signa transcenderat. Quæso, non vobis inanis gloriæ cupidissimus, non flagrans ambitione notabili videretur, si quis in se tanta pariter optasset, quanta in me uno tempore Augustus ingessit?

XXIII. Habitari ab justis viris terras in Oceano ferunt, quas [9] Fortunatorum insulas vocant, quod per eas non arato solo frumenta nascuntur, fortuitis vitibus juga collium vestiuntur, sponte pomis arbor gravatur, ad herbarum vicem olus vulgo est. Quantula ista sunt, si deum auctorem consideres, munera?

---

fuit, a quo ad juris civilis scientiam excitatur his verbis: *Turpe est Patricio causas oranti, jus in quo versatur ignorare.* Omnium primus dialecticam juri adhibuit, et ordine quodam tractare cœpit. Ciceroni fuit familiarissimus, qui et ipsi ad Mutinam, quo ad placandum eloquentia sua Antonium a senatu missus erat, mortuo statuam aream pedestrem in rostris posuit. De hoc sæpe apud Tullium mentio est.

[1] Juvenalis, sat. 3, 143.

> Quantum quisque sua nummorum servat in arca
> Tantum habet et fidei.

[2] Lege *cernuos*, ut observat Lipsius, Epistol., quæ t. 3, *ep.* 24.

[3] Bongarsius et Gruterus legunt *judicabitur*: itaque est in editione Viennensi.

[4] Acidalius legit *ingenti diutinaque* providentia.

[5] Duodem a lictoribus ante consulem præferebantur.

[6] De tribus Mamertini magistratibus initio hujus orationis dictum est.

[7] *Novalis* vel *novale* terra est quæ alternis annis quiescit ac seritur, quo sensu Virgil. *Georg.*, lib. I, 7:

> Alternis idem tonsas cessare novales.

Hoc loco pro terra simpliciter sumitur.

[8] Vox a Catone, Varrone et Columella usurpata pro tempore colligendarum olivarum.

[9] De his passim apud poetas. Horat., epod. 16:

> Beata petamus arva, divites
> Et insulas, reddit ubi Cererem
> Tellus inarata quotannis,
> Et imputata floret usque
> Vinea, etc.

INTERPRETATIO.

[a] *Neque enim metuendum est ne falsis assentatorum sermonibus capi se sinat is qui etiam ægre aures præbeat veris laudationibus.*

[b] *Macilentus reddatur.*

[c] *Jam imperator novam dignitatem mihi destinabat.*

Digitized by Google

Nempe nobis quoque, cum agrum non nostris manibus excolamus, hæc illaborata nascuntur. Quanto felicior nostra conditio, quanto beatitudo præstantior? Non [1] spica triticea, non viles uvarum racemi; sed opes atque divitiæ nihil laborantibus ingeruntur; provinciæ, præfecturæ, fasces sponte proveniunt. Tu tu, inquam, maxime imperator, exsulantes relegatasque virtutes ad rempublicam quodam [2] postliminio reduxisti: tu exstincta jam litterarum studia [3] flammasti: [4] tu philosophiam paulo ante suspectam, ac [5] nedum spoliatam honoribus, sed accusatam ac ream non modo judicio liberasti, sed amictam purpura, auro gemmisque redimitam [6] in regali solio collocasti. Suspicere jam in cœlum licet, et securis contemplari astra luminibus, qui paulo ante pecorum atque quadrupedum animantium ritu in humum visus trepidos figebamus. Quis enim spectare auderet ortum sideris, quis occasum? Ne agricolæ quidem, quorum opera ad motum signorum cœlestium temperanda sunt, tempestatum præsagia rimabantur. Ipsi nautæ, qui nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum nominibus abstinebant. Prorsus terra marique non ratione cœlesti, sed casu ac temere vivebatur.

XXIV. Nihil igitur mirum est, imperator, si tantus amor, et tam verus in te civium fervet. Neque enim ullum puto post homines natos tanto generis humani ardore dilectum. Cæterorum regum atque imperatorum charitates admodum raræ, nec unquam diuturnæ fuerunt. [7] In summis enim hominum habitavere pectoribus, subita et fortunata benevolentia provocatæ, non virtutum admiratione devinctæ. At vero noster affectus veri certique judicii est, imis mentis sedibus alligatus animus, et vitæ immixtus et *unitus*, resolutis etiam morte corporibus cum immortali mente victurus. Arma igitur, et juvenes cum gladiis atque pilis non custodiæ corporis sunt, sed quidam imperatoriæ majestatis solemnis ornatus. Quid enim istis opus est, cum firmissimo sis muro civici amoris obseptus? An metuenda tibi [8] curia est, cum senatui non solum veterem reddideris dignitatem, sed plurimum etiam novi honoris adjeceris? An populus est timendus [9] procuratori alimentorum suorum, vitæ vindici, libertatis auctori? Nam quid de militibus loquar? [10] Duo, aut tria ferme ex vetere memoria amicorum paria proferuntur. Nego quempiam ab uno amico plus dilectum quam tu, imperator, non modo a [11] comitibus, tribunis tuis, sed a legionibus cunctis, equitibus ac peditibus, [12] gregariis etiam militibus diligaris. Itaque, quod ad te attinet, cuncta jam a custodia tui arma removeres, sed quando hoc potes persuadere militibus? Anxia est fidelium diligentia. [a] Maximo amori maximus timor junctus est. Non nobis sufficit quod obtinuisti ut nemo te velit lædere, nisi nos curamus ut nemo possit.

XXV. Habuerunt nonnulli alii principes devotam et amantem sui cohortem, sed alio quodam modo; primum quod [13] imperiti ac rudes indoctissimum quemque in consilium deligebant, scilicet ut ipsorum prudentia vulgo suo aliquatenus eminerent. Ita cum vilissimus quisque honorum et divitiarum potitus foret; sua commoda, et vitia principum diligebant. Ab his optimus quisque abigebatur procul, cum suspecta esset probitas et invisa; et quanto quisque honestior, [b] tanto importunior turpium arbiter vitaretur. At tu, Auguste, omnibus nugis remotis, optimum et doctissimum quemque perquiris. Si quis præstat virtutibus bellicis et laude militiæ, in amicis habetur; qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultro ad familiaritatem vocatur. Quicunque in administratione reipublicæ innocentem se unquam et strenuum præbuit, in consortium munerum receptatur. Regendis provinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis. Omnes a te augentur pecunia, locupletantur divitiis, honoribus honestantur.

XXVI. Prorsus amicitias tueris privati fide, imperatoris opulentia, quæ perpetuæ et constantis benevolentiæ prima fiducia est, certissima virtutum, et princeps veritas. [14] Num quem in animo esse suspicatum audivi? Nemo simulatis blanditiis, nemo falsa pollicitatione deceptus est. Quis nescit aliorum impe-

[1] A nominativo *spicum*, quo usus est Tullius in Arato, *spicum illustre ferens*.

[2] Postliminio redeunt, quicunque eodem, seu ad idem limen revertuntur, unde exierant.

[3] Vox non semel Tacito usurpata, pro *inflammasti*.

[4] Melior fortasse fuisset Julianus, si naturæ arcanis perscrutandis minus se dedisset.

[5] Id est, *non modo spoliatam*.

[6] Sic Pacatus in Theodos. Pan. num. 16: *Tu amicitiam non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam solio recepisti*.

[7] Id est, in intima parte pectoris, ut fit oppositio cum iis quæ mox sequuntur: *At vero noster affectus imis mentis sedibus alligatus*. Expungenda videtur Acidalio vox quæ sequitur, nempe *animus*.

[8] Locus ubi de rebus publicis agebatur.

[9] Julianus enim Romam propter diuturna bella fame afflictam suppeditatis alimentis sustentarat.

[10] Nota est Thesei et Pirithoi, Damonis et Pythiæ, C. Lælii et Africani Scipionis amicitia. Plura ejus generis exempla passim vide apud auctores.

[11] De tribus comitum ordinibus a Constantino introductis: quid singulis pro ratione sui ordinis conveniret: de *comitibus provinciarum*, *de comite divinæ domus*, *largitionum*, etc. Vide Grutherium *de Officiis domus Augustæ*.

[12] Gregarius miles dicitur unus e grege, et tumultuarie undecunque collectus.

[13] Ita restituendum fuit ex Cuspiniani codice, cum in plerisque libris legatur *imperitia rudes*. Similiter pro *primum*, aliqui legunt *plerique*.

[14] Fortasse *num quis maligne de se suspicatum audivit?* Ita Livineio videtur.

INTERPRETATIO.

[a] Ejus causa, quem *multum diligis, plurimum times*.

[b] *Tanto molestior testis fugeretur eorum quæ agerentur turpiter*.

Digitized by Google

ratorum hilarem diritatem, [1] cachinnantemque sævitiam; a quibus ingenita crudelitas figmento lætitiæ tegebatur? Mira est in principe nostro mentis linguæque concordia. Non modo humilis et parvi animi, sed [2] servile vitium scit esse mendacium. Et vere, cum mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ suæ imperator qui mentitur ignorat. Quis, oro vos, plura præbuit fidei constantiæque documenta? Omnes quos privatus in familiaritatem recepit, eodem habet imperator affectu. Nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatii fores clausæ sunt. [3] Omnes bonos habet. In recipiendis amicis optimus judex est. Si aliqui sunt improbi tolerandi, familiarium vitiis immutabilis est amicus.

XXVII. At mutant secundæ res animos? Nostrum principem si nondum mutaverint, quando mutabunt? Cujus unquam divinior felicitas fuit? Paulo ante [4] in laceratis Galliæ provinciis lapsus [5] inimicorum capitalium apertis armis, et occultis insidiis petebatur; in panculis mensibus divino munere Libyæ, Europæ, Asiæque regnator est. Quæ majora exspectabimus dei præmia, quæve uberiora dona fortunæ? Videte num secundis rebus elatus aliquid de prioris vitæ mansuetudine et moderatione mutaverit. Mutavit plane, mutavit. Nam civilior factus prosperorum infregit invidiam. Cui non vel illud tempus sedatæ præbuit mentis indicium, quo horrendi belli metu republica liberata, elati sumus cuncti gestiente lætitia? Sed imperator, quanquam cœlesti ope salutem reipublicæ propagatam videret, et conditionem deluit humanam, et, offensarum gratiam faciens, induit fratrem, et cujus armis [6] vitam impugnatam sciebat; mortem ejus ornavit, ac postea ipse justa persolvit. Et memoria, et oblivione mirabilis, [7] oblitus inimici, meminit hæredis.

XXVIII. Sed quid ego longius indicia mitis et mansuetæ mentis accerso? Hic ipse, hic inquam ipse dies præbuit civilis animi satis clara documenta. Ego et [8] collega meus, ne quid maximus imperator propensius humanitatis studio faceret verebamur. Itaque matutino crepusculo palatium petimus. Adventare nos principi, forte tum danti operam [9] salutatoribus, nuntiatur. Statim e solio [10] tanquam præceptus exsiluit, vultu trepido atque satagente, qualis mens mea esse potuisset, si principi serus occurrerem. Ægre remotis populi qui nos prægrediebatur agminibus, ut quam longissime nobis obviam procederet laboravit. Illic, proh sancta divinitas! gaudentibus cunctis, quo ore? qua voce? inquit. Ave, [11] consul amplissime. Dignatus osculo oris illius divinis affatibus consecrati dexteram dedit, illam dexteram, immortale pignus virtutis, et fidei. Poetæ ferunt altissimum illum, et cuncta potestate cohibentem deum, qui ditione perpetua divina atque humana moderatur, cum despiciat in terras [12] habitu oris tempestatum incerta mutare, ejus nutu mundum tremiscere, illius hilaritate turbines abigi, nubes fugari, nitentia per orbem serena refundi.

XXIX. Hoc ita esse, paulo ante oculis licuit experiri. [a] In quantam laxatus est populus te consulibus tuis arridente lætitiam? Vidimus attonitos admirantium vultus, multiformes lætantium status, varios corporum motus. Clamores inconditos profundebat laudandi effusa libertas. Tripudiabat crebris saltibus multitudo. Nimiæ lætitiæ decoris sunt et gravitatis immemores. Illa jactatio togarum, illa exsultatio corporum nescientibus pene hominibus excitabatur. Omnem modestiam populi, omnem verecundiam tui gaudia effrena superaverant. Ave, consul amplissime. Aveo plane, imperator, et avebo. [b] Neque enim eventus esse potest optati hujus ambiguus; cum is avere jubeat, qui jam fecit ut averem. Consul amplissime. Sum plane et consul, et amplissimus consul. Quis enim me fuit amplior consul, quem [13] sublimat et illustrat consulatus, quem tribuisti: amplitudo, quam tribuis. Post primæ salutationis fausta colloquia, quid pro jure consulari agere nobis placeat sciscitatur, senatorium impleturus officium si libeat [14] tribunal petere, si concionem advocare, si rostra conscendere. Sed nos ad curiam solemnia hujus diei senatusconsulta ducebant. Itaque se comitem statim præbet, et utrumque latus consulatus prætextatis

[1] Id est, quam cachinno seu effuso risu dissimulabat. Domitianum notat, qui, quotiescunque sævire in quempiam destinabat, composito ad risus et jocos vultu, iracundiam tegebat.

[2] Sumptum illud ex Plutarcho de Institutione puerorum, δουλοπρεπὲς τὸ ψεύδεσθαι.

[3] An *amat*: nisi *habet* id significat, quod apud Græcos ἔχει, pro tenet, retinet.

[4] Acidalius legit, *in laceratas Galliæ provincias*.

[5] Nempe Constantii, ejusque factionis.

[6] Rittershusius legit, *vitam suam impugnatam*.

[7] Oblitus se inimicum fuisse, meminit se hæredem ejus esse imperii.

[8] Nevita, de quo non uno in loco Ammianus.

[9] Nam meris erat apud Romanos, ut viri principes seu qui supra cæteros potentia eminerent, prima et secunda hora matutina salutarentur. Martialis, lib. IV, ep. 8:

Prima salutantes atque altera conterit hora.

[10] Id est, prævenitus, ut Virgil. Æneid. VI, 105:

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

[11] Utrum hoc honoris titulo cohonestabantur consules, ut ad epigr. 9, lib. I Apollinaris Sidonii observat Joan. Savaro? an quod Mamertinus ad consulatum virtute sua pervenisset? *Is enim*, inquit Tullius pro Roscio Amerino, num. 85: *Mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit.*

[12] An *halitu*? Quanquam et *habitus oris* apud Lucanum dicitur.

[13] Extollit. Vox Ennii et Nonii.

[14] Nota varia consulum officia, tribunal petere, concionem advocare, rostra conscendere, in curia senatusconsulta proferre. Hoc passim videre est apud historiæ Romanæ scriptores.

INTERPRETATIO.

[a] *In quantum gaudium effusus est populus, dum tuis consulibus adblandireris.*

[b] *Neque enim potest dubius esse successus hujus voti tui.*

Digitized by Google

tectus incedit, non multum differens a magistratibus suis et genere et colore vestitus.

XXX. Superfluum forte videatur quæ vosmetipsi vidistis iterare, neque enim auribus expetuntur quæ fuerint usurpata luminibus, sed mandanda sunt litteris, inserenda monumentis, mittenda in posteros, venturis sæculis vix credenda miracula. Pene intra ipsas palatinæ domus valvas, lecticas consulares jussit inferri; et cum, honori ejus venerationique cedentes, sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gradum moderans pene ad lictoris nutum, et viatoris imperium. Credet hoc aliquis qui illa purpuratorum vidit paulo ante fastidia, qui ideo tantum honorem in suos, ne inhonoros contemnerent, conferebant? Credet aliquis tanto post veterem illam priscorum temporum libertatem reipublicæ redditam? Neque enim ego [1] Lucii Bruti, et Publii Valerii, qui primi exactis regibus potestate annua civibus præfuerunt, consulatum nostro anteponendum puto. Uterque bono publico, uterque Romanæ reipublicæ salutaris, uterque insignis principis commodorum; sed habet aliquid unusquisque præcipuum. Illi potestatem consularem per populum acceperunt, nos per Julianum recepimus. Illorum anno libertas orta est, nostro restituta.

XXXI. Sed sint, sanctissime imperator, ea quæ tu juste, moderate, civiliter facis aliis forte miraculo; mihi esse non possunt, qui te omnibus [2] humanis vitiis abolitum et liberum, aciem solo immortalitatis amore flagrare, dirigere omnes opes et cogitationes tuas ad memoriam posteritatis æternam, atque his maxime servire judicibus qui de rebus gestis tuis sine odio et gratia venturis sæculis judicabunt. Non potest quidquam abjectum et humile cogitare, qui scit de se semper loquendum. Nunc si tibi, imperator, parum ampla, nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, queso obtestorque te, meæ id naturæ potius quam magnitudini beneficiorum tuorum A putes esse tribuendum. Nemo unquam post homines natos ampliora præmia a regibus atque imperatoribus consecutus est; nulli plus oneris impositum. Non abnuam præfecturas, et consulatus multis esse delatos, sed his post immenses labores, honos quasi debitus restitutus est: mihi cum jam honorem adeptus sim, nunc demum ut merear laborandum est. Versa ratione temporum, permutata munerum vice modo enitendum est ut præmio dignus existimer, cum jam præmium ceperim. O mihi festinæ tuæ benevolentiæ gravissimum pondus! Vereor ut aperte exprimere difficultatem meorum ordinem valeam. Facilius est, imperator, bonis artibus mereri consulem fieri, quam industria et labore perficere ut videaris meruisse cum fastus sis.

XXXII. Absit, Auguste, et istud sancta divinitas omen avertat, ut tu a quoquam mortalium exspectes vicem beneficii! Verumtamen, quod solum vel accipere potest ista fortuna, vel a nobis opibus tuis tribui, immortalitatem munerum tuorum colam officiis sempiternis. Omne negotium, omne otium meum in ornandis rebus tuis celebrandisque ponetur; neque solum vivente me ac vigente grati animi benevolentia declarabitur; sed etiam [3] cum anima defecerit, monumenta tui in me beneficii permanebunt. [4] In referenda autem gratia, sanctissime imperator, hoc tibi polliceor, semperque præstabo, mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neque in sententia simpliciter ferenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro republica eque tuendis libertatem, neque in laboribus perferendis industriam, neque in augendis imperii tui commodis grati animi benevolentiam defuturam; idque omni vitæ meæ tempore summis opibus enixurum, elaboraturum, effecturum, ut honores in me tui non quia necesse fuerit ad quemcumque delati, sed quia apertuerit recte positi et ratione collocati esse videantur.

[1] De his primis Romanorum consulibus abstineo referre, quæ habent fusæ historiæ Romanæ scriptores.

[2] Haud ita esse ad Juliani vitæ finem observabo.

[3] In editione Puteana est *a me anima defecerit*. Duas voculas expunxi cum Acidalio. In aliis est *cum me anima defecerit*.

[4] Sumptum illud, ut vel omnium minime oculatis patet, ex *Ciceroniana oratione post reditum ad Quirites*, sub finem.

APPENDIX.

VITA FL. CLAUDII JULIANI.

Anno Urbis conditæ 1084, *Christi* 331, *Constantini Magni imp.* 26. D *An. U. C.* 1060, *Christi* 357, *Constantini, Constantii et Constantis Augg. imp.* 1.

Flavius Claudius Julianus, cognomento Apostata, quod a Christiana religione, quam adolescens professus erat, rerum potitus fœdissime defecisset; patre Constantio Constantini Magni fratre, matre Basilina nobilissima femina Christiana, secunda Constantii uxore, VIII idus Novemb. nascitur Constantinopoli. Mater paucis post mensibus excessit e vita. (Julianus in *Misopogone*.)

Constantius, ejusque frater Annibalianus, ac Dalmatii eorum fratris filius Dalmatius Cæsar, quos Constantinus Magnus purpurea aureaque veste et nobilissimatus titulo donaverat, in seditione militari opprimuntur, vel instigante, vel dissimulante certe Constantio Augusto: sive ut tutius imperaret, sive ut Constantino patri perrectum, uti auspicabatur, ab iis venenum vindicaret. Vix Julianus et Gallus ejus

Digitized by Google

unicus frater tum duodenis, parem sortem effugere. Hic quidem quod propter incertam ac pene affectam valetudinem haud diu victurus crederetur; ille vero quod adhuc puer : nam ut ex tempore ejus obitus apparet, quinquennium haud multum excesserat.

An. U. C. 1092, *Christi* 339, *Constantini, Constantii et Constantis Augg. imp.* 3.

Altero post anno cum nonnulli ad excitandas seditiones Juliani et Galli nomine abuterentur, uterque abductus in Cappadociam, in Macello (locus erat ad Argeum montem, non longe a Cæsarea plane regius) ad liberales artes et sacrarum litterarum cognitionem instituitur : quo in secessu totos sex annos arctissime custoditi quomodo refert (*a*) (neque enim ad eos cuiquam erat aditus), tantum profecere, ut facti clerici libros ecclesiasticos populo prælegerent. Hic vero cum ambo S. Mammæ martyri basilicam suis sumptibus excitarent; Gallus quidem ut suam pietatem ostentaret; Julianus vero ut impietatem, id est, ut ejuratam jam animo Christianam religionem dissimularet apud Constantium; factum est ut Galli opere procedente, Juliani opus terræmotu disjiceretur. Quod ubi ad Constantium allatum est, sinistrum illorum pietatis omen ratus, vehementer utrique succensuit. (Gregor. Nazianz. in orat., Sozomen., Zonar., Cedrenus, etc.)

An. U. C. 1098, *Christi* 345, *Constantii et Constantis Augg. imp.* 9.

Postquam Constantii, qui in expeditione Pontica parum feliciter erat occupatus, ira tantisper deferbuisset, Gallus Ephesum mittitur, qua in urbe permagnæ res ipsi erant a majoribus relictæ. Julianus ad publicas scholas Constantinopolim evocatur. In hac totius terrarum orbis luce Nicoclis, Lacedæmonii grammatici, et Ecebolii sophistæ opera trium circiter annorum spatio adeo profecit, ut idoneus regendo imperio palam diceretur. Qua re conturbatus Constantius, ne quid turbarum ejus occasione in urbe imperii primaria excitaretur, Julianum ocius commigrare jubet.

An. U. C. 1101, *Christi* 348, *Constantii et Constantis Augg. imp.* 12.

Constantio Aug. adversus Persas occupato, Julianus Nicomediæ Eusebio hujus civitatis episcopo Ariano affini suo instituendus traditur. Prohibitus vero ne ad Libanium sophistam Gentilitiæ superstitionis defensorem acerrimum se applicaret, primum in ejus lectitandis libris clam totus est : tum factus hac lectione audacior et superstitionis cupidior ad eum se confert palam. Veniunt illico ad eum Jamblicus et Maximus insignes magi, qui jam eo plus æquo propensum Juliani animum ita suis præstigiis deliniunt, ut ab eorum latere non discederet. Imprimis Maximo delectatus, quod spem ei injecisset imperii. Id relatum est ad Constantium : quod ubi sensit Julianus, inter metum et spem positus capite tonso, ut alienum ab imperio animum significaret, vitam monasticam simulavit, et in ecclesia Nicomediensi lector designatus est.

An. U. C. 1104, *Christi* 351, *Constantii Aug.* 15.

Gallus Juliani frater Cæsar fit idibus Martiis, et Constantius Gallus appellatur. Huic, cum tota Orientis præfectura, Constantia Constantii soror in conjugem datur. Interim cum Julianus evocandis dæmonibus et spectris, ac belluarum visceribus perscrutandis, aliisque hariolorum mysteriis in dies magis ac magis duceretur, relicta Nicomedia Asiæ reliquas partes lustravit, magicæ professionis homines, quos ibi rumor erat esse plurimos, quæsiturus. Ac primum loniam, tum bis intra menses duos Phrygiam, quamvis ex morbo ob itinerum laborem contracto plane imbecillus, ac demum Græciam circumcursat, ut ipse ait in ep. ad Themist.

An. U. C. 1106, *Christi* 353, *Constantii Aug.* 17.

Hoc anno Gallus seu propter suspicionem ambiti imperii, seu propter patratas Antiochiæ cædes, a Constantio in Italiam per Domitianum quemdam evocatus, ipsoque Domitiano, quod Gallum superbius compellasset, ab ejus militibus occiso, Gallus in Italiam venit. At Constantius Julianum quoque imperii cupiditate adhuc flagrare suspicatus; seu quod Gallus in Orientem proficiscens Juliani clam visendi gratia (ut ait Socrates) Nicomediam diverterat, seu quod Julianus in Asiam demigrans Constantinopoli transierat quo fratrem Gallum ibi videret, ut inquit Ammianus. Ut ut est, custodiri ibi illum jubet. At ille cum posse sese custodum manibus aufugere videret, locum subinde commutans evasit, ita refert Socrates.

An. U. C. 1107, *Christi* 354, *Constantii Aug.* 18.

Post Constantiam Galli uxorem in Bithynia febri exstinctam, ac Gallum in Illyrico in insula Flanona peremptum, ut ait Ammianus; Julianus parem sortem veritus, Mediolanum, ubi Constantius, inito cum Alamannis fœdere e Germania reversus, versabatur, contendit. Hic in suburbio, vel ut alii volunt Novocomi dum lateret, impetrata sibi per Eusebiam Augustam apud imperatorem dicendi licentia, plane se purgat. Quare domum redibat victor, et quidem ab Eusebia deductus honorifice, cum, itinere illo nescio quo casu impedito, rursum in Græciam mittitur, quam quidem relegationem omnes interpretabantur (Julian. ep. ad Themist. et ep. ad S. P. Q. Ath.). Ipse vero beneficii loco idipsum Eusebiæ referebat acceptum : sive, ut ipse aiebat, studiorum causa, seu potius quod averet cum regionis illius sacrificulis et impostoribus de rebus suis communicare (Nazianz. orat. 1 in Jul. Sozom.). Gregorius Nazianzenus Julianum Athenis intuitus, *Quale*, inquit, *malum Romanorum terra nutrit?* nec vanus conjector fuit.

An. U. C. 1108, *Christi* 355, *Constantii Aug.* 19, *Juliani ætat.* 24.

Cum barbari adversus Magnentium et Britannionem a Constantio evocati (ut refert Sozomenus) popularentur Gallias atque adeo plus 45 oppida Ammiano teste occupassent, Constantius haud satis tutum ratus, ex Italia secedere, Julianum Athenis, ubi philosophum agebat, revocatum Cæsarem facit VIII id. Novemb. simul ad firmandam fidem, sua ei sorore Helena paucis post diebus in conjugem data, ipsum transalpinis præfectum, in Gallias vel imperatoris imaginem laturum, ut ait Julianus ipse, vel potius adversus barbaros dimicaturum mittit. Igitur cum 360 tantum militibus, ut ipse ait ep. ad S. P. Q. Ath., quibus ita præerat, ut nihil sine ducum consilio agere posset, cal. Decemb. *egressus deductusque ab Augusto ad usque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interjacet et Ticinum itineribus rectis Taurinos pervenit*, ubi audito nuntio *Coloniam Agrippinam pertinaci barbarorum obsidione reseratam et maguis viribus deletam*, agnovit quantum accepta hac provincia sese in discrimen conjecisset. Ipseque dictitabat *nihil se amplius asseculum, quam ut occupatior interiret*, et illud Homericum, de die quo purpuram sumpserat,

Ἑλλάδι πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Cepit purpurea mors et Parca violenta. Viennam inde ad Rhodanum progressus magno omnium populorum concursu et acclamatione exceptus est. *Tunc anus quædam orbata luminibus, cum percunctando quinam esset ingressus, Julianum Cæsarem comperisset, exclamavit hunc deorum templa reparaturum* (Ammianus). Cujus præsagii fidem rei eventus non multo post confirmavit, cum factus imperator non jam de nocte et

(*a*) Julian. epist. ad S. P. Q. Ath.

Digitized by Google

clanculum, sed palam ejurata Christiana religione gentilitatem professus est.

An. U. C. 1109, *Christi* 356, *Constantii Aug.* 20, *Juliani ætat.* 25.

Constantius in urbem triumphanti similis regreditur; Julianus vero hoc anno consul, hyeme Viennæ exacta in barbaros movet: ac primum VIII *cal. Julias Augustodunum pervenit cum cataphractariis solis et balistariis Autosiodorum et Tricassas derepente occupat.* Inde per Remos ubi ab Ursicini successore Marcello atque adeo Ursicino ipso cum toto exercitu exspectabatur, ad Decempagos Rhenumque properat, *ubi Brotomagum* (*Alsatiæ* urbem hodie *Brumath*) *Tabernas, Alisonem, Nemetas sive Spiram, Vangionas hodie Vormatiam, et Moguntiam recipit.* Nullo itaque posthac repugnante occupatam, ut aiunt Ammianus et Jul. ep. ad S. P. Q. Ath., ante menses 10, a barbaris Agrippinam circa Septembris finem recuperat, territos Francos ad pacem petendam adigit. *Quibus vincendi principiis lætus Julianus, per Treviros transit hyematurus apud Senonas, oppidum tunc opportunum* (Ammianus). Hic potentissimum ut ipse ait ep. ad S. P. Q. Ath., exercitum ipse cum paucis militibus, cum nihil auxilii sibi a Marcello magistro equitum mitteretur, post menstruam obsidionem dissipat. At Marcellus Mediolanum, ubi Constantius versabatur, ut facti sui redderet rationem evocatus, abdicatur imperio et Sardicam quæ patria ejus erat ablegatur, eadem epist. ad S. P. Q. Ath.

An. U. C. 1110, *Christi* 357, *Constantii Aug.* 21, *Juliani ætat.* 26.

Dum Julianus II consul sese contra Germanos accingit, Lugdunum ab iis invaditur, unde tamen haud multo post expelluntur. Idem tres Tabernas munimentum Argentorato proximum ad Vogesi radices non ita pridem subversum instaurat; septem totius Germaniæ potentissimos reges, Chonodomarium, Vestralpum, Urium, Ursicinum, Serapionem, Suomarium et Hortarium una ingenti difficillimoque prælio profligat in campis Argentoratensibus (Ammian.). Julianus captivos bene multos ad Constantium mittit, qui eorum specie et magnitudine perculsus est. *Ex Alamannis sex*, non 60, ut male ait Zosimus, *millia corporum numerata sunt in campo prostrata, et inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.* Ex parte Juliani 247 desiderati sunt. Francorum rex Chodonomarius in pugna, ut ait Victor, vel ut Ammianus, in convivio per dolum captus, *Juliano oblatus, humique fusus, veniam rogans, diebus postea paucis ad comitatum imperatoris* Constantii, *cum ille e Quadis Sarmatisque Istri accolis commode rediret, statim submissus est Romam*, et (ut addit Julianus ep. ad Athen.) *in castris montis Cœlii peregrinis morbo veterni consumptus est.* Victor Julianus iterum ad Tabernas ac Moguntiam venit, Transrhenanos vastat, æquinoctio autumnali eos ad pacem petendam adigit, Francos a Mosa repellit, ac tandem Parisiis hyemat.

An. U. C. 1111, *Christi* 358, *Constantii Aug.* 22, *Juliani ætat.* 27.

Julianus sub mensem Julium Salios, Frisios, Hattuarios, Chamavos, et Bructeros, qui sedem sibi in Romano solo fixerant, ibique grassabantur, terret, et in deditionem accipit: iis agros assignat: castella ad Mosam eversa restituit (Ammianus).

An. U. C. 1112, *Christi* 359, *Constantii Aug.* 23, *Juliani ætat.* 28.

Julianus iterum in Alamannos proficiscitur trajecto ad Moguntiam Rheno, hostibus nequidquam transitum custodientibus; et Macrianum, Hariobaudum et Vadomarium reges ad pacis conditiones petendas compellit. Hic varia custodibus Rheni militibus alendis horrea constituta.

An. U. C. 1113, *Christi* 360, *Constantii Aug.* 24, *Juliani ætat.* 29.

Julianus tertium consulatum gerebat cum Constantius ejus gloriæ invidens per Decentium tribunum et notarium Herulos, Batavos, Celtas, aliasque auxiliares copias ad se revocavit, quibus adversus Persas uteretur. At illæ: seu Constantii odio, aut Juliani amore, aut arte: seu quod transmarinam militiam detrectarent, Julianum invitum, ut ipse ait, Augustum acclamant Parisiis. Is statim legatos Constantinopolim ad Constantium cum litteris mittit, quibus facti sui rationem redderet. Hi apud Cæsaream Cappadociæ superbe accipiuntur a Constantio. Quare Julianus Trajectum ad Mosam abit, deinde Hattuarios Galliarum extrema vastantes et securos, quod se locorum aditu difficilium præsidio munitos crederent, opprimit, et ad pacem petendam adigit. Tum Viennæ hyemat, et quinquennalia celebrat. Ibi ejus uxor Helena obit, ejusque corpus Romam mittitur. Interim Julianus diffidens futurum unquam ut Constantius placaretur, statuit aperto Marte imperium totum occupare, itaque scriptis ad diversas civitates litteris, quibus ut sibi fideles essent commoneret, in Pannoniam venit contra Constantium dimicaturus.

An. U. C. 1114, *Christi* 361; *Constantii Aug.* 25 *Juliani ætat.* 30,

Constantio Augusto in expeditione Persica prope Tarsum III nonas Oct. mortuo, Julianus Constantinopolim Alamannis iterum victis, ordinatisque Galliis recta contendit: ex imperii primariis, amicisve Constantii alios nece, alios mulctat exsilio. Episcopos exsules revocat, atque ut mutuis dissidiis sese affligerent, quam quisque vellet sectam sequi permittit. Christianam religionem palam ejurat, nec minus crudeliter quam callide insectatur; gentilium templa reserat reficitque, et ipse in Pontificem maximum profanis ritibus consecratur.

An. U. C. 1115, *Christi* 362, *Juliani imp.* 1, *ætat.* 31.

Ad Julianum variæ undique legationes adveniunt. Ipse contra Persas proficiscens Nicomediam et transgressus Antiochiæ hyemat. Hic irrisus ab Antiochensibus in primisque jactis in ejus barbam quæ plus æquo prolixior erat dicteriis iratus primum est; tum satirico et jocorum pleno libello quem *Misopogonem*, id est osorem barbæ inscripsit, eos perstrinxit; in quo perpetua ironia videtur non eorum luxum et mollitiem, sed se ipsum accusare quod eos imitari non posset. Mamertinus consul gratiarum actionem agit imperatori pro consulatu quem hoc anno gessit cum Nevita. Julianus Athanasium in exsilium mittit Arianis ita deprecantibus. Christianos liberalium artium doctores ita insectatur, ut Prohæresius, quamvis in edicto nominatim exceptus, Musonius, et Marius Victorinus scholam deseruerint. Themistium vero philosophum, Libanium sophistam, Oribasium, Pergamenum quemdam medicum, Maximum cynicum, Ecebolium sophistam, aliosque impiæ gentilitatis professores summis honoribus insignit.

An. U. C. 1116, *Christi* 363, *Juliani imp.* 2, *ætat.* 32.

Julianus IV consul adscito in collegam Salustio idolorum cultu sibi conjunctissimo post hyemem Antiochiæ transactam, pridie nonas Martias inde digressus, Euphratem trajicit VII idus Aprilis et urbibus aliquot in itinere expugnatis, Ctesiphontem pervenit: ubi cum pugna commissa esset ipse in promiscua turba sagitta transfoditur VI kal. Jul. A quo vero vulneratus fuerit in dubio est: utrum a Persa transfuga, ut est in epitome Victoris, an ab uno e suis, ut ait Ammianus, an a Christiano, ut habet Libanius, an a dæmone ipso, ut tradit Callistus Juliani satelles, qui ejus res gestas carmine heroico conscripsit, an ab angelis, ut refert Gregorius Nazianzenus, an demum a Mercurio martyre, ut Damasce-

Digitized by Google

nus asserit ex Helladio, cui socium Artemium martyrem addit Nicephorus. Certe, inquit Gregorius Nazianzenus, vulnus universo orbi salutare Julianus accepit; hacque morte iis omnibus, quos per summam crudelitatem interfecerat, litavit. Simul ac mortifero vulnere sauciatum se sensit, exceptum plena manu sanguinem in cœlum projiciens : *Vicisti*, inquit, *Galilæe* : sic Christum per ludibrium appellabat. *Ita Theodoretus.* Et, *Saturare, Nazarene.* Ita *Nicephorus.* Statim *relatus in castra hiante latius suffossi lateris vulnere et spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua quam petiit, medio noctis defecit anno ætatis 32*, cum annum unum et menses circiter septem ab exstincto Constantio imperasset. Hæc Ammianus. Cæterum hujus corpus Tarsum Ciliciæ delatum magna populorum mortuo illudentium cavillatione, ibique conditum est, si Ammiano credimus : si vero Gregorio Nazianzeno fides est, a terra ipsa, A quam Julianus sceleribus suis inquinarat exosum, in mare projectum est.

Fuit excellenti et amœno, sed levi, vafro, vana deorum superstitione et magicis artibus depravato ingenio, philosophicam quamdam gravitatem affectans, ac sophistarum grege semper stipatus. Homo loquax et scurrili dicacitate, ac populari auræ præter modum serviens. Ita superstitiosus, ut etiam Jamblico philosopho, quem Mercurium appellabat, tanquam Nicomediæ tutelari deo faceret. Cæterum omni litterarum genere excultissimus, ac linguæ in primis Græcæ peritissimus, liberalis, opum, luxus, et voluptatum contemptor, belli et pacis artibus præstans, laboris et inediæ patiens, felix, justus, præterquam in Christianos, quos omni genere crudelitatis vexabat, litterarum litteratorumque amantissimus, nisi si Christiani forent.

PUBLIUS VICTOR.

MONITUM IN URBIS ROMÆ DESCRIPTIONEM.

Notissimum est ex Suetonio in Vita Augusti cap. B 30, ex Plinio, Tacito et aliis, urbem Romam ab Augusto divisam fuisse in regiones 14 quas posterior ætas corrupto nomine appellare cœpit *rioni*. Idem testatur inscriptio, quæ Romæ sub portico palatii Conservatorum adhuc visitur hisce verbis concepta :

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL.
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIBVNIC. POTEST. XX
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII.

Ejusmodi regionum brevem descriptionem sub Va- C lentiniano et Valente imperatoribus elaboratam habemus, auctoribus, ut creditur, Sexto Rufo et Publio Victore. Istorum fetum luculentius auxerunt atque illustrarunt Onufrius Panvinius, Famianus Nardinus, et alii. Præstant vero opuscula Rufo et Victori tributa non semel edita; eadem etiam postremis hisce temporibus Grævius intulit in tomum III Antiquitatum Romanarum. At nullum ex iis ad nos pervenit integrum, atque a mendis defæcatum. Ad hæc Guido Pancirolius egregio commentario ad notitiam dignitatum utriusque imperii parte 2 præmisit alteram descriptionem urbis Romæ, cujus auctor, sive Victor, sive alius quisquam, floruisse videtur sub Honorio, aut Valentiniano III Augustis. Ibi eadem habemus, D quæ in Rufo, et Victoris descriptione leguntur, modo plura, modo pauciora, atque interdum diversa. Postremum hoc opusculum, veluti rem novam, anno 1651 recudit Philippus Labbe soc. Jesu presbyter. Gemina vero ejusdem exempla, eaque vetustissima, inter codices mss. omnium ditissimæ bibliothecæ Vaticanæ reperit ac descripsit P. Joseph Blanchinius Veronensis, Oratorii Romani presbyter, celeberrimi viri Francisci Blanchinii ex fratre nepos, qui grandem sibi famam ex sacra eruditione editis libris jam comparavit. Et quando is pro suo erga me amore idem opusculum mihi tradidit, hoc ipsum publici juris factum hic volui, alicui fortassis usui futurum Romanæ eruditionis amatoribus, adjecta etiam descriptione a Pancirolio et Labbeo edita, ut uno sub aspectu lector habeat, quæ variantes lectiones in utroque exemplo occurrant. Quamvis enim potiorem locum sibi poscat Labbeana præstantior editio, et mendis minime careat Vaticanum exemplum : fieri tamen potest, ut ex illius etiam codicis scriptura aliquid lucis hauriat, qui magnifica æternæ urbis ornamenta scrutatur. Neque reticere possum, mihi quoque in hoc ipso opere probatam fuisse eorum opinionem, qui *insulas* in Urbe positas arbitrantur domos a reliquis spatio aliquo disjunctas. At cum ante oculos meos versantur *insulæ per totam Urbem* XLVI *millia et* DCII et rursus *domus* MDCCXC uti in ejusmodi descriptione legitur : dubitare admodum cogor an eorum præferenda opinio sit, quibus videntur *insulæ* fuisse, quas nos ædes privatas populi, plerasque conductitias appellamus, parietibus tantum a vicinis divisas; sub *domorum* vero nomine venisse, quæ nunc palatia nuncupamus. Cur enim vetusti illi descriptores omisissent ædes populi conjunctas, præcipuam videlicet ingentis illius urbis partem, enumeratis tantum ædibus spatio aliquo inter se divisis? Certe *quadraginta sex millia insularum, et sexcenta duæ*, additis templis, palatiis, theatris, amphitheatris, thermis, circis, horreis, ludis, etc., nimis vastam atque immanem urbem constituebant. Plura non addo.

Digitized by Google

DESCRIPTIO
URBIS ROMÆ.

Ex editione P. Philippi Labbe soc. Jesu anno 1651.

DESCRIPTIO URBIS ROMÆ, QUÆ ALIQUANDO DESOLATA, NUNC GLORIOSIOR PIISSIMO IMPERIO RESTAURATA. INCERTO AUCTORE, QUI VIXIT SUB HONORIO, AUT VALENTINIANO III.

REGIO I.

Porta Capena. Continet ædem Honoris, et Virtutis.
Camenas, et lacum Promethei.

Balneum Torquati, et Vespasiani.
Thermas Severianas, et Commodianas.
Aream Apollinis, et Spei, et Galli.
Vicum Vitriarium.
Aream Panariam.
Mutatorium Cæsaris.
Balneum Bolani, et Mamertini.
Aream Carsuræ.
Balneum Abascanti, et Antiochiani.
Ædem Martis, et Minervæ, et Tempestatis.
Flumen Almonis.
Arcum divi Veri Parthici, et D. Trajani, et Drusi.
Vici decem.
Ædiculæ decem.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia ducentæ quinquaginta.

Horrea tredecim.
Balneæ octoginta sex.
Lacus octoginta quatuor.
Pistrina viginti.
Continet pedes duodecim millia ducentos, et novemdecim.

REGIO II.

Cælimontium. Continet templum Claudii.
Macellum magnum.
Luparios.
Antrum Cyclopis.
Cohortes vigilum.
Castra peregrina.
Caput Africæ.
Arborem sanctam.
Domum Philippi, et Vectilianam.
Ludum Matutinum, et Gallicum.
Spoliarium.
Samarium.
Armamentarium.
Micam auream.
Vici septem.
Ædiculæ septem.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia et sexcenta.

A *Ex codice Vaticano unciali millenariæ antiquitatis num. 3321 et collato cum altero num. 1984.*

INCIPIT CURIOSUM URBIS ROMÆ REGIONUM XIV CUM BREBIARIIS (BREVIARIIS) SUIS.

REGIO I.

Porta Capena. Continet ædem Honoris, et Virtutis.
Camenas.
Lacum Promethei.
Balneum Torquati.
Thermas Severianas, et Commodianas.
Aream Apollinis, et Splenis.
Vicum Vitriarium.
Aream Pannariam.
Mutatorium Cæsaris.
B Balneum Abascanti, et Mamertini.
Aream Carrucæ.

Ædem Martis.
Flumen Almonis.
Arcum divi Veri, et Trajani, et Drusi.
Vici X.
Æd. (ædes) X.
Vicomag. XLVIII.
Curiæ II.
Insulæ IIICCL.
Domus CXX.
Horrea XVI.
Balnea LXXXVI.
Lacos LXXXI.
C Pistrina XX.
Continet pedes XII. CC. XI.

REGIO II.

Cælimontium. Continet Claudium.
Macellum magnum.
Luparios (*cod. alt.* lupanarios).
Atrium Cyclopis.
Cohortes V. Vigilum.
Caput Africes.
Arborem sanctam.
Castra peregrina.
Domum Philippi, Victiliana.
Ludum Matutinum, et Dacicum.
Spoliarium.
D Saniarium.

Micam auream.
Vici VII.
Ædes VII.
Vicomag. XLVIII.
Curat. (*alt. cod.* Curatoria) II.
Insulæ IIII. DC. (*alt. cod.* III. DC)

Digitized by Google

Domus centum viginti quatuor.
Horrea quatuordecim.
Balnea octoginta duo.
Lacus sexaginta duo.
Pistrina duodecim.
Continet pedes duodecim millia et ducentos.

REGIO III.

Isis et Serapis. Continet Monetam.
Amphitheatrum, quod capit loca octoginta septem millia.
Ludum Matutinum, et Dacicum.
Domum Brytti.
Præsentissimum choragium.
Lacum Pastoris.
Scholam quæstorum, et capulatorum.
Thermas Trajanas, et Titianas.
Porticum Livii.
Castra Misenatium.
Vici duodecim.
Ædiculæ duodecim.
Magistri quadraginta novem.
Curatores duo.
Insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem.
Domus sexaginta.
Horrea quatuordecim.
Balnea octoginta.
Lacus sexaginta quinque.
Pistrina sexdecim.
Continet pedes duodecim millia trecentos quadraginta.

REGIO IV.

Templum Pacis. Continet porticum absidatam.
Aream Vulcani.
Aureum Bucinum.
Apollinem Sandaliarium.
Telluris templum.
Horrea Chartaria.
Tigillum Jororium.
Colossum altum pedes centum.
Habet in capite radia numero septem, singula pedum viginti duorum semis.
Metam sudantem.
Templum Romæ et Veneris.
Ædem Jovis Statoris.
Viam Sacram.
Basilicam Constantinianam
Templum Faustinæ.
Basilicam Pauli.
Forum Transitorium.
Suburram.
Balneum Daphnidis.
Vici octo.

Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem.
Domus octoginta octo.
Horrea decem et octo.
Balnea septuaginta quinque.

A Domus CXXVII.
Horrea XXVII.
Balnea LXXXV.
Lacos LXV.
Pistrina XV.
Continet pedes XII. CC.

REGIO III.

Isis et Serapis. Continet Monetam.
Amphitheatrum, qui capit loca LXXXVII.

Ludum Magnum.
Domum Britti.
Præsentis summum choragum
Lacum Pastorum.
Scholam quæstorum et caplatorum.
B Thermas Titianas, et Trajanas.
Porticum Libies (*seu* Liviæ).
Castra Misenantium.
Vici XII.
Æd. XII.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ IIDCCLVII.
Domos LX.
Horrea XVIII.
Balnea LXXX.
Lacos LXV.
Pistrina XVI.
Continet pedes XIICCCL.

C REGIO IV.

Templum Pacis. Continet porticum absidatam.

Aura Bucinum.
Apollinem Sandaliarum.
Templum Telluris.

Vigilum Sororum.
Colossum altum pedes CII.-S-.
Habet in capita VII, singula pedum XXII.-S-.

Metam sudantem.
Templum Romi (*alt. cod.* Romæ).
Ædem Iobis.
D Viam Sacram.
Basilicam novam, et Pauli.
Templum Faustinæ.

Forum Transitorium.
Suburam.
Balneum Dafinidis.
Vici VIII.
Ædes octo.
Vicomag. XLVIII.
Curat. (*alt. cod.* curatoria) II.
Insulæ IIDCLVII.
Domus LXXXVIII.
Horrea XVIII.
Balnea LXV.

Digitized by Google

Lacus septuaginta octo.
Pistrina duodecim.
Continet pedes tredecim millia.

REGIO V.

Esquiliæ. Continet lacum Orphei.
Macellum Liviani.
Nymphæum D. Alexandri.
Cohortes duas vigilum.
Herculem Syllanum.
Hortos Pallantianos.
Amphitheatrum castrense.
Campum Viminalem sub aggere.
Minervam Medicam.
Isidem Patriciam.
Vici quindecim.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia octingentæ quinquaginta.
Domus centum octoginta.
Horrea viginti tria.
Balnea septuaginta quinque.
Lacus septuaginta quatuor.
Pistrina quindecim.
Continet pedes quindecim millia et sexcentos.

REGIO VI.

Alta semita. Continet templum Salutis et Serapis.
Templum Floræ.
Capitolium antiquum.

Statuam Mamurii plumbeam.
Ædem Quirini.
Malum Punicum.
Hortos Salustianos
Gentem Flaviam.
Thermas Diocletianas et Constantianas.

Decem tabernas.
Gallinas albas.
Aream Candidi.
Cohortes tres vigilum.
Vici decem et septem.
Ædiculæ decem et septem.
Vicomagistri decem et octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia quadringentæ tres.
Domus centum quadraginta sex.
Horrea septemdecim.
Balnea septuaginta quinque.
Lacus septuaginta tres.
Pistrina sexdecim.
Continet pedes quindecim millia et septingentos.

REGIO VII.

Via Lata. Continet lacum Ganymedis.
Cohortes septem vigilum.
Arcum novum.
Nymphæum Jovis.
Ædiculam Caprariam.

A Lacos LXXI.
Pistrina XV.
Continet pedes XIII.

REGIO V.

Exquiliæ. Continet lacum Orfei.
Macellum Liviani.
Nympheum Alexandri.
Cohortes II vigilum.
Hortos Pallantianos.
Herculem Syllanum.
Amphitheatrum castrense.
Campum Viminalem sub aggere.
Minerbam Medicam.
Isidem Patriciam.
Vici XV.
B Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ IIDCCCL.
Domus CLXXX.
Horrea XXIII.
Balnea LXXV.
Lacos LXXIV.
Pistrina XV.
Continet pedes XVDC.

REGIO VI.

Alta semita. Continet templum Salutis et Serapis.
Floram.
Capitolium antiquum.
Thermas Constantinianas.
G Statuam Mamyri.
Templum Dei Quirini.

Hortos Sallustianos.
Gentem Flabiam.
Thermas Diocletianas.
Cohortes III vigilum.
X Tabernas.
Gallinas albas.

Vici XVII.
Ædes XVII.
Vicomag. XLVIII.

D

Balnea LXXV.
Lacos LXXIII.
Pistrina XVI.
Continet pedes XVDCC.

REGIO VII.

Via Lata continet lacum Ganymedis.
Cohortes V vigilum.
Arcum novum.
Nympheum Iobis.
Ædicula Capraria.

Digitized by Google

Campum Agrippæ.
Templum Solis, et castra.
Porticum Gypsiani, et Constantini.
Templa duo nova Spei et Fortunæ.
Equum Tiridatis regis Armeniorum.
Forum Suarium.
Hortos Largianos.
Mansuetas.
Lapidem pertusum.
Vici quindecim.
Ædiculæ quindecim
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia octingentæ quinque.
Domus centum viginti.
Horrea viginti quinque.
Balnea septuaginta quinque.
Laci septuaginta sex.
Pistrina quindecim.
Continet pedes quindecim millia septingentos.

REGIO VIII.

Forum Romanum, et magnum. Continet rostra.
Genium populi Romani aureum, et equum Constantini.
Senatulum.
Atrium Minervæ.
Forum Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani.
Templum D. Trajani, et columnam cochlidem, altam pedes centum viginti octo semis : gradus intus habet centum octingentos quinque ; fenestras quadraginta quinque.
Cohortes sex vigilum.
Basilicam Argentariam.
Templum Concordiæ.
Umbilicum Romæ.
Templum Saturni, et Vespasiani.
Capitolium.
Miliarium Aureum.

Juliæ templum, Castorum, Vestæ.

Horrea Germanica, et Agrippinæ.
Aquam cernentem quatuor scauros sub æde.

Atrium Caci.
Vicum jugarium unguentarium.
Græcostasim.
Porticum Margaritariam.
Elephantum Herbarium.
Vici triginta quatuor.
Ædiculæ viginti novem.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ tria millia octingentæ octoginta.
Domus centum triginta.
Horrea decem et octo.
Balnea octoginta tria.
Laci centum viginti.

A Campum Agrippæ.
Templum Solis, et castra.
Porticum Gypsiani, et Constantini.

Equos Tiridatis regis Armeniorum.
Forum Suarium.

Mansuetas.
Lapidem pertusum
Vici XV.
Ædes XV.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ IIII DCCCV.
Domus CXX.
B Horrea XXV.
Balnea LXXV.
Lacos LXXVI.
Pistrina XVI.
Continet pedes XIIII CCC.

REGIO VIII.

Forum Romanum magnum. Continet rostras III.
Genium populi Romani
Senatum.
Atrium Minervæ.
Forum Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani.
Templum Trajani, et columnam cochlidem, altam pedes CXXVII -S-.; gradus intus habet CLXXX, fenestras XLV.
C
Cohortes VI vigilum.
Basilicam Argentariam.
Templum Concordiæ, et Saturni, et Vespasiani, et Titi.

Capitolium.
Miliarium aureum.
Vicum Lugarium.
Græcostadium.
Basilica Julia, templum Castrorum (*alt. cod.* Castorum) et Minervæ, Vestam.
Horrea Agrippiana.
Aquam cernentem IIII scaros (*alt. cod.* sacros) sub eadem.
D Atrium Caci.

Porticum Margaritariam.
Elephantum Herbarium.
Vici XXXIV.
Ædes XXXIV.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ III. CCCCLXXX.
Domus CXXX.
Horrea XVIII.
Balnea LXXXVI.
Lacos CXX.

Digitized by Google

Pistrina viginti.
Continet pedes tredecim millia sexaginta septem.

REGIO IX.

Circus Flaminius. Continet stabula numero quatuor factionum.
Ædes Herculis
Porticum Philippi.
Minutias duas veterem, et frumentariam.
Cryptam Balbi.
Theatra quatuor, in primis Balbi, quod capit loca triginta millia octoginta quinque.

Campum Martium.
Trigarium.
Ciconias Nixas.
Pantheum.
Basilicam Matidii, et Martiani.
Templum D. Antonini, et columnam cochlidem, altam pedes centum septuaginta quinque semis; gradus intus habet ducentos tres; fenestras quinquaginta sex.
Hadrianum.
Thermas Alexandrinas, et Agrippinas.
Porticum Argonautarum, et Meleagri.
Iseum, et Serapeum.
Insulam Feliculæ.

Vici triginta quinque.
Ædiculæ triginta quinque.
Vicomagistri triginta quinque.
Curatores duo.
Insulæ duo millia septingentæ septuaginta quatuor.
Domus centum quadraginta.
Horrea viginti duo.
Balnea sexaginta tria.
Lacus sexaginta tres.
Pistrina viginti.
Continet pedes triginta duo millia quingentos.

REGIO X.

Palatium. Continet casam Romuli.
Ædem Matris deum, et Apollinis Rhamnusii.
Pentapylum.
Domum Augustanam, et Tiberianam.
Ædes Jovis Victoris.
Domum Dionis.
Curiam veterem.
Fortunam respicientem.
Septizonium D. Severi.
Victoriam Germanicianam.
Lupercal.
Vici viginti.
Ædiculæ viginti.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ duo millia sexcentæ quadraginta tres.
Domus octoginta octo.

A Pistrina XX.
Continet pedes XIIIIDLXVII.

REGIO IX.

Circus Flaminius. Continet stabula IIII, factionum VI.

Porticum Philippi.
Minucian veterem, et frumentariam.
Cryptam Balbi.
Theatra III (*alt. cod.* V) in primis Balbi, quod capit loca XIDX. Pompeii, capit loca XVII. DLXXX. Marcelli, capit XI. Odeum, capit loca X. DC. Stadium, capit loca XXX. LXXXVIII.
Campum Martium.
B Trigarium.
Ciconias Nixas.
Pantheum.
Basilicas Neptuni, Matidiæ, Marciani.
Templum Antonini, et columnam cochlidem, altam pedes CLXXV. -S-. gradus intus habet CCVI, fenestras LVI.

Thermas Alexandrinas, et Agrippinas.
Porticum Argonautarum, et Meleagri.
Iseum, et Serapeum.
Minervam Chalcidicam.
Divorum Mensulæ (*aut* Mensæ) Felicles (*alt. cod.* Mensulem).
C Vici XXXV.
Ædes XXXV.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ II. DCCLXXVII.
Domus CXL.
Horrea XXV.
Balnea LXIII.
Lacos CXX.
Pistrina XX.
Continet pedes XXXII D.

REGIO X.

Palatium. Continet casam Romuli.
Ædem Matris deum, et Apollinis Rhamnusii.
Sypentadylus (*alt. cod.* sypenta dalius).
D Domum Augustianam, et Tiberianam.
Ædem Iobis.

Curiam veterem.
Fortunam respicientem.
Septizonium divi Severi.
Victoriam Germanianam.
Lupercam.
Vici XX.
Ædes XX.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ II. DCXLII.
Domus LXXXIX.

Digitized by Google

Horrea quadraginta octo.
Balnea quatuordecim.
Laci octoginta novem.
Pistrina viginti.
Continet pedes undecim millia sexcentos.

REGIO XI.

Circus Maximus. Qui capit loca quadringenta octoginta quinque millia. Continet duodecim portas.
Templum Mercurii.
Ædes Ditis Patris.
Cererem.

Portam trigeminam.
Apollinem Cœlispicem.
Herculem Olivarium.
Velabrum.
Arcum D. Constantini.
Vici decem et octo.
Ædiculæ novemdecim.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ duo millia sexcentæ.
Domus octoginta novem.
Horrea sexdecim.
Balnea quindecim.
Laci viginti.
Pistrina quindecim.
Continet pedes undecim millia quingentos.

REGIO XII.

Piscina publica. Continet aream Radicariam.
Viam novam.
Fortunam Mammosam.
Isidem Athenodoriam.
Ædem Bonæ deæ Subsaxanæ.
Signum delphini.
Thermas Antoninianas.
Septem domos Parthorum.
Campum Lanatarium.
Domum Chilonis.
Cohortes quatuor vigilum.
Domum Cornificii.
Privatum Hadriani
Vici quatuordecim.
Ædiculæ septemdecim.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ duo millia quadringentæ octoginta septem.
Domus centum quatuordecim.
Horrea septemdecim.
Balnea sexaginta tria.
Laci octoginta et unus.
Pistrina viginti.
Continet pedes duodecim millia.

REGIO XIII.

Aventinus. Continet templum Dianæ, et Minervæ.

Nymphea tria.

A Horrea XLVIII.
Balnea XLIII.
Lacos XC.
Pistrina XX.
Continet pedes XII. DX.

REGIO XI.

Circus Maximus. Continet templum Solis, et Lunæ, et

Templum Mercurii.
Ædem Matris deum, et Iobis.
Cererem.
XII portas.
Portam trigeminam.
Apollinem Cœlispicem.
B Herculem Olivarium.
Velabrum.
Arcum Constantini.
Vici XXI.
Ædes XXI.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ II. D.
Domus LXXXVIII.
Horrea XVI.
Balnea XV.
Lacos XX.
Pistrina XVI.
Continet pedes XI. D.

REGIO XII.

C Piscina publica. Continet aream Radicariam.
Viam novam.
Fortunam Mammosam.
Isidem Apenodariam.
Ædem Bonæ deæ Subsaxanæ.
Clevum (*alt. cod.* clivum) Delfini.
Thermas Antonianas.
VII domus Parthorum.
Campum Janatarium.
Domum Cilonis.
Cohortes IIII vigilum.
Domum Cornificies.
Privata Hadriani.
Vici XVII.
D Ædes XVII.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II
Insulæ II. CCCCLXXXVII.
Domus CXIII.
Horrea XXVII.
Balnea LXIII.
Lacos LXXX.
Pistrina XXV.
Continet pedes XII.

REGIO XIII.

Aventinus. Continet armilustrium, templum Dianæ et Minervæ
Nymphea III.

Digitized by Google

Thermas Varianas, et Decianas.
Doliolum.
Mappam auream.
Platanones.
Horrea Galbæ.
Porticum Fabariam.
Scolam Cassii.
Forum Pistorium.
Vici septemdecim.
Ædiculæ septemdecim.
Vicomagistri quadraginta octo.
Curatores duo.
Insulæ duo millia quadringentæ octoginta septem.
Domus centum triginta.
Horrea viginti quinque.
Balnea sexaginta quatuor.
Lacus octoginta octo.
Pistrina viginti.
Continet pedes ducenta novem millia.

REGIO XIV.

Transtiberina. Continet Gaianum
Vaticanum.
Frygianum.
Naumachias quinque.
Hortos Domitios.
Balneum Ampelidis, et Prisci, et Dianæ Molinas.
Janiculum.
Statuam Valerianam.
Cohortes septem vigilum.
Caput Gorgonis.
Fortis Fortunæ templum.
Aream Septimiam.
Herculem cubantem.

Campum Brytianum et Codetanum.

Hortos Getæ.
Castra lecticariorum.
Vici septuaginta octo.
Vicomagistri quadraginta octo.
Ædiculæ septuaginta octo.
Curatores tres.
Insulæ quatuor millia quadringentæ quinque.
Domus centum quinquaginta.
Horrea viginti duo.
Balnea octoginta sex.
Lacus centum octoginta.
Pistrina viginti tria.
Continet pedes triginta tria millia quadringentos octoginta octo.
Bibliothecæ XXIX.
Ex his præcipue duæ Palatina, et Ulpia.

OBELISCI V.

In circo maximo unus, altus pedes octoginta octo semis.
In Vaticano unus, altus pedes septuaginta unum.
In campo Martio unus, altus pedes octoginta duos semis.

A Thermas Syras et Decianas.
Dolocenum.
Mappa aurea.
Platanonis.
Horrea Galbes, et Aniciana.
Porticum Fabariam.
Scalam Cassim.
Forum Pistorum.
Vici XVIII.
Ædes XVIII.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ II CCCCLXXXVII.

Horrea XXXV
B Balnea XLIII.
Lacos LXXXIX (*alt. cod.* LXXXI).
Pistrina XX.
Continet pedes XVIII.

REGIO XIV.

Transtyberina. Continet Gaianum, et
Frigianum.
Naumachias V et Vaticanum.
Hortos Domities.
Molinas.
Balneum Ampelidis, et Dianes.
Cohortes VII vigilum.
Statuam Valerianam.

C Caput Gorgonis.
Fortis Fortuna.
Corariam Septimianam.
Herculem sub terram medium cubantem sub quem plurimum aurum positum est.
Campum Bruttianum (*alt. cod.* Brutianum) et Codetanum.
Hortos Getes.
Castra tecticariorum.
Vici LXXVIII.
Ædes LXXVIII.
Vicomag. XLVIII.
Curat. II.
Insulæ IIII CCCCV.
Domus CL.
D Horrea XXII.
Balnea LXXXVI.
Lacos CLXXX.
Pistrina XXIIII.
Continet pedes XXXIII.

Bibliothecæ XXVIII.

OBELISCI VI.

In circo maximo duo; minor habet pedes LXXXVIII. -S-; major habet pedes CXXII. -S-.
In campo Martio unus, altus pedes LXXII. -S-.
In Vaticano unus altus pedes LXXV.

Digitized by Google

In mausoleo Augusti duæ, singuli pedes octoginta duos semis.

PONTES SEPTEM.

Ælius.
Aurelius.
Molvius.
Sublicius.
Fabricius.
Cestius et Probi.

MONTES SEPTEM.

Cælius.
Aventinus.
Tarpeius.
Palatinus.
Esquilinus.
Vaticanus.
Janiculensis.

CAMPI OCTO.

Viminalis.
Agrippæ.
Martius
Codetanus.
Octavius.
Pecuarius.
Lanatarius.
Brytianus.

FORA UNDECIM.

Romanum.
Magnum.
Cæsaris.
Augusti.
Nervæ Trajani.
Ænobarbi.
Forum Boarium.
Suarium.
Pistorum.
Gallorum.
Et Rusticorum.

BASILICÆ DECEM.

Julia.
Ulpia.
Pauli.
Neptuni.
Matidii.
Marciana.
Bascellaria.
Floscellaria.
Sicinii.
Constantiniana.

THERMÆ UNDECIM.

Trajanæ.
Titianæ.
Agrippinæ.
Syræ.
Commodianæ.
Severianæ.
Alexandrinæ.

In Mausoleo Augusti II, alti singuli pedes XLII. S-.

PONTES VIII.

Ælius.
Æmilius.
Aurelius.
Milvius.
Sublicius
Fabricius.
Cæstius et Probi.

MONTES SEPTEM.

Cælius.
Aventinus.
Tarpeius.
Palatinus.
Exquilinus.
Vaticanus
Et Janiculensis.

CAMPI VIII.

Viminalis.
Agrippæ.
Martius.
Codetanus.
Octavius.
Dequarius.
Lanatarius
Et Brutianus.

FORA XI.

Romanum.
Magnum.
Cæsaris.
Augusti.
Nervæ Trajani.
Ænobarbi.
Boarium.
Suarium.
Pistorum.
Gallorum
Et Rusticorum.

BASILICÆ X.

Julia.
Ulpia.
Pauli.
Bestilia (*alt. cod.* Vestilia).
Neptunia.
Matidies.
Marcianes.
Vascolaria.
Floscellaria.
Constantiniana.

THERMÆ XI (*alt. cod.* X).

Trajanæ
Titianæ.
Commodianæ.
Antoninianæ.
Syranæ.
Agrippianæ.
Alexandrinæ.

Digitized by Google

Antoninianæ.
Decianæ.
Diocletianæ.
Constantinianæ.

AQUÆ XIX.

Trajana.
Annia.
Alsia.
Claudia.
Martia.
Herculea.
Julia.
Augustea.

Appia.
Alsetina.
Setina.
Ciminia.
Aurelia.
Damnata.
Virgo.
Tepula.
Severiana.
Antoniana.
Alexandrina.

VIÆ XXIX.

Trajana.
Appia.
Latina.
Lavicana.
Prænestina.
Tiburtina.
Nomentana.
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Clodia.
Valeria.
Aurelia.
Campana.
Ostiensis.
Portuensis.
Janiculensis.
Laurentina.
Ardeatina.
Setina.
Quintia.
Cassia.
Gallica.
Cornelia.
Triumphalis
Patinaria.
Asinaria.
Ciminia.
Tiberina.

HORUM BREVIARIUM.

Capitolia duo.
Circi duo.
Amphitheatra duo.

A Diocletianæ.
Constantinianæ.
Severianæ.

AQUÆ XVIIII.

Trajana.
Annia.
Marcia.
Cærulea.
Claudia.
Herculea.
Julia.
Augustea.
Attica.
Appia.
B Alseatina (*alt. cod.* Setina).
Ætina.
Ciminia.
Aurelia.
Damnata.
Virgo.
Tepula.
Severiana.
Antoniana.
Alexandrina.

VIÆ XVIII.

Trajana.
Appia.
Latina.
Lavicana.
C Prænestina.
Tiburtina.
Numentana.
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Clodia.
Valeria.
Aurelia.
Campana.
Ostiensis.
Portuensis.
Janiculensis.
Laurentina.
Ardeatina.
D Setina.
Tiberina.
Quintia.
Gallica.
Casia.
Cornelia.
Triumphalis.
Patinaria.
Asinaria.
Ciminia.

HORUM BREVIARIUM.

Capitolia II.
Circi II.
Amphitheatra II.

Digitized by Google

Colossi duo.
Columnæ cochlides duæ.
Macella duo.
Theatra tria.
Ludi quatuor.
Naumachiæ quinque.
Nymphæa quindecim.
Equi magni viginti tres.
Deaurati octoginta.
Eburnei octoginta quatuor.
Arcus marmorei triginta sex.
Portæ triginta septem.
Vici quadringenti viginti quatuor.
Ædes quadringentæ viginti quatuor.
Vicomagistri sexcenti septuaginta duo.
Curatores viginti quatuor.
Insulæ per totam urbem numero quadraginta sex millia sexcentæ duæ.
Domus mille septingentæ octoginta.
Balnea octingenta quinquaginta sex.
Lacus mille trecenti quinquaginta duo.
Pistrina ducenta quinquaginta quatuor.
Lupanaria quadraginta quinque.
Latrinæ publicæ quadraginta quatuor.
Cohortes prætoriæ decem.
Urbanæ quatuor.
Vigilum septem, quarum excubitoria quatuordecim.
Vexilla communia duo.
Castra equitum salgamariorum peregrinorum

Descriptionis Romæ finis.

A Colossi II.
Columnæ cochlides II.

Theatra III.
Ludi IIII.
Naumachiæ V.
Nymphea XV.
Equi magni XXII.
Dei aurei LXXX.
Eburnei LXXIIII.
Arci marmorei XXXVII.
Portæ XXXVII
Vici CCCCXXIII.
Ædes CCCCXXIII.
Vicomagistri DCCLXXII.
B Curatores XXVIII.
Insulæ per totam urbem XLVI DCII
Domus MDCCXC.
Horrea CCXC.
Balnea DCCCLVI. (*alt. Cod.* DCCCLXV.)
Lacos, quod est putea, MCCCLII.
Pistrina CCLIIII.
Lupanariæ XLVI.
Latrinæ publicæ, quod est sicessos, CXLIIII.
Cohortes prætoriæ X.
Urbanæ IIII.
Vigilum VII. Quorum excuvitoria XIIII.
Vexilla communia duo.
Castra equitum singulariorum, peregrinorum, Ravennantium, lecticariorum, silagariorum, misenantium, tabellariorum, victimariorum.
C Mensæ oleariæ per totam urbem $\overline{II}$. CCC.

Explicit.

EXEUNTE SÆCULO QUARTO.

ULFILAS

MŒSO-GOTHORUM EPISCOPUS.

MONITUM EDITORIS.

Si quis causam sciscitetur ob quam tantas Ulfilæ edendo moras fecerimus, hoc responsum habeat, nos hujus auctoris opera, multis nominibus commendanda, non exscribere voluisse nisi ex editione optima facileque omnibus anteponenda, cujus rudimenta tum in Germania elucubrabantur cum ad finem quarti sæculi jam ordine chronologico pervenissemus.

Hæc autem editio, cui paucis tantum abhinc mensibus ultima manus admota est, tribus partibus coalescit. Prior Ulfilanæ versionis textum exhibet : præeuntibus Prolegomenis, in quibus quidquid sive ad Auctoris vitam sive ad editos manuscriptosque codices pertinet, exploratur; comitantibus vero atque indesinenter subjacentibus interpretatione latina notisque lectionum varietates necnon auctorum conjecturas exponentibus.

Digitized by Google

Secundam partem efficit Grammatice critica, quæ cum circa generales Gothici sermonis theorias, tum circa difficultates textus Ulfilani eruditissime versatur.

Tertia pars duo lexica continet : unum scilicet Gothico-Latinum, quo singula Ulfilanæ linguæ vocabula exponuntur aut etiam discutiuntur ; alterum Græco-Gothicum, ex quo quanta synonymorum copia Gothicus sermo polleat, comperire fit obvium.

At vero Grammaticem lexicaque, cum Germanice scripta essent, latinitate donari necesse fuit, et hic quidem opus et labor, nec certe facilis patebat via, sed potius innumeris hirsuta asperitatibus : inter quas principem locum obtinebant arctissimum pacti temporis intervallum, quod præterire omnino nefas erat, identidemque verborum Germanicorum indoles linguæ Latinæ penitus impervia.

Qui'quid sit, quod intra vires fuit, hoc libenter relligioseque præstitum : nec saltem interpretationi deest dos omnium desideratissima, nempe ἀκρίβεια, séu, ut aiunt, *fidelitas*, nec interpreti spes sibi lectoris gratiam, veniamque suæ opellæ defectibus conciliandi.

Epistola dedicatoria.

MAXIMILIANO

REGNI BAVARICI HEREDI

EDITORES.

Tuo nomine, princeps celsissime, hoc nostrum opus ornare non alio, quam summæ venerationis sensu ducti sumus ausi : quis enim te gravior harum litterarum patronus exstitit, aut quis alius præclariore hæc studia liberalitate accendit, auxit, ornavit ? Itaque non metuebamus, ne offendereris conatibus nostris, qui, cum tibi propositum esset ad perscrutandum celebrimum illud bibliothecæ Upsaliensis cimelium alios viros doctos mittere, antequam hujus consilii fama ad nos pervenisset, ipsi illuc profecti nova animi vere regii documenta dare tibi cupienti fortasse impedimento fuisse videremur : sed potius persuasi, principi excelso atque magnifico nostra nos studia probaturos, tibi hanc opellam nostram consecrare statuimus, quam ut æqui bonique facere velis, suppliciter rogamus. Collegimus quæ in promptu erant pro viribus nos quidem : at quæ te acclamationes, quantæ laudes totius gentis litteratæ, quales congratulationes excipient, si missi tui regia munificentia adjuti ex Gallia et Hispania, quas terras Gothi olim occupavere, copias desideratissimas ex monasteriorum latebris tanquam ex diuturna captivitate redemptas in atria tua augusta reportarint! Qua spe erecti nos, si ad te, princeps celsissime atque indulgentissime, libellus noster facilem invenerit aditum, amplissimum præmium consecutos esse existimabimus.

Tuo nomini celsissimo

addictissimi

H. C. de Gabelentz. J. Loebe.

Digitized by Google

SIGNA ET COMPENDIA,

QUIBUS

IN HUJUS OPERIS DECURSU PASSIM USI SUMUS.

I.

SIGNA.

✕	*significat*	lectionem prorsus falsam.
+	—	lectionem non falsam quidem, sed quam codd. non agnoscunt.
¶	—	vocabulorum transpositionem.
•	—	vocabulorum omissionem.
†	*significat*	vocabula parum certa, vel dubiæ auctoritas.
*	—	radices simplices et in solis compositis occurrentes.

II.

COMPENDIA.

angl.	*significat*	anglicum sermonem.
angl. sax.	—	anglo-saxonicum sermonem.
B.	—	Benzel.
B. A.	—	Bairische Annalen.
batav.	—	batavicum sermonem.
bav.	—	bavaricum sermonem.
Bü.	—	Büsching.
Cast.	—	Castillionæum.
cod. et codd.	—	lectionem codicis vel lectiones codicum a Griesb. citatorum.
conj.	—	conjugationem; conjecit, seu conjecturam.
dan.	—	danicum sermonem.
div.		divisim.
DRA.	—	Deutsche Rechtsalterthümer (a Grimmio).
editt.	—	editiones Ulfilæ, quæ nostram præcesserunt.
F.	—	Fulda.
fr.		Frisonum sermonem.
G seu Gord.	—	Gordon.
gall.	—	gallicum sermonem, vel gallice.
germ.	—	germanicum sermonem, vel germanice.
Gf.	—	Graff althochdeutsche præposition et sprachschatz.
GGA.	—	*Göttingische Gelehrte-Anzeigen.*
Gr.	—	Grimmii, Deutsche Grammatik.
gr.	—	lectionem textus græci griesbachiani.
gr. omn.	—	lectionem codicum græcorum omnium.
H.	—	henshall.
HLZ.	—	Hallische Literaturzeitung.
Hz.	*significat*	heinatzii manuscriptum.
Ih.	—	Ihre.
r. q.	—	idem quod.
J. seu Jun.	—	Junium.
jct.	—	junctim.
Kn.	—	Knittel.
lac.	—	lacunam.
lith.	—	lithuanicum sermonem.
LM.	—	Lye-Manning.
med.	—	medium.
Mi.	—	Matthæi.
Mill.	—	Millium.
Mssm.	—	massmann.
Norv.	—	norvegicum sermonem.
pr.	—	primum.
Rchth.	—	Rexhtoferium (Altfriesiches Wörterbuch).
rec.	—	recentem.
Rw.	—	reinwald.
sax.	—	saxonicum sermonem.
scot.	—	scoticum sermonem.
Sch.	—	Schulz.
Schm.	—	Schmeller.
sec.	—	secundum.
Sk.	—	Skeireins.
St.	—	Stiernhielm.
sup.	—	superiorem.
suec.	—	suecum sermonem.
tert.	—	tertium.
vers. vel verss.	—	versionem vel versiones.
vet.	—	veterem.
W. J.	—	Wiener Jahrbücher.
Z.	—	Zahn.

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Ulfilas [1], utrum genere Cappadox, Sadagolthino vico oriundus, cujus parentes, incursione a Gothis sub finem seculi tertii in Cappadociam facta, a victoribus domo in Europam abductos fuisse Philostorgius [2] narrat, an testimonio reliquorum scriptorum parentibus et ipsis Gothicis natus fuerit, dijudicare nunc omittimus, quia ad rem nostram parum valere videtur; nam Ulfilam apud Gothos circiter annum 318 natum educatumque postea reliquos gradus ecclesiasticos anno 348 prætervectum hujus gentis episcopum fuisse, præter reliquos auctores [3] etiam Philostorgius ille tradit, eorumque Gothorum, qui Minores vocati in Mœsia inferiore flumen Danubium inter et montem Hæmum incolebant [4]. His enim nescio quo doctore nec quo tempore [5] doctrina religionis Christianæ imbui sese passis Theophilo, qui Constantino Magno imperatore primus episcopus fuit [6], circiter annum 355 [7] Ulfilas sacrorum antistes successit eumque non solum peritissimum evangelii explicatorem et spectatæ virtutis hortatorem habuerunt, sed merita hæc maxima in cives suos laudantur, quod libros sacros in eorum sermonem convertit [8]. Constantinopoli autem, in quam urbem jam anno 360 profectus esset, et quam anno 388 hoc consilio revisisset, ut contemptam condemnatamque suorum fidem defenderet, morbo correptus obiit [9].

Scriptorum autem veterum, qui Litterarum sacrarum gothicam translationem Ulfilæ tribuunt, alii id factum esse in universum dicunt, non libros nominantes quos converterit, quos prætermiserit; alii omnes complexum esse scribunt [10], ut ipse Philostorgius, qui tamen libros Regum excipit, ejusque rei causam affert, quod cum iis in libris permultorum bellorum mentio fiat, Ulfilas veritus sit, ne cives sui, a belli studio potius arcendi, sacræ scripturæ auctoritate seducti eo ferociores atque bellicosiores fierent [11]. Ea Philostorgii sententia a viris doctis tanquam ridicula improbata atque explosa est; id quod etiamsi in cæteris, quæ de Ulfila narravit, parum certus auctor deprehendatur mendaciorumque plurimorum propter partium Arianarum studium argui possit, tamen quia hac in re nulla mentiendi causa erat, calumniandi magis studio, quam recto judicio factum videtur. Quid enim, quæso, Arianorum Cappadocum interesse poterat, Ulfilas libros Regum translationi suæ addiderit, an non? Nisi omnia nos fallunt, viri eruditi, qui omnem fidem in his rebus Philostorgio abjudicant, temere eum condemnant idque maxime errant, quod rem ipsam, scilicet infirmioribus stabilitam rationibus, ab his rationibus non satis diligenter sejungunt [12]. Causam omissorum librorum illorum a Philostorgio allatam non probantibus nobis ea in

[1] Nomen Ulfilæ præter *Ulphilas* (Οὐλφίας), apud scriptores vario modo scribitur: *Urfilas*, *Urfius*, *Gulfilas*, *Hulfilas*, *Gilfulas*, *Galfilas*, *Ulphias*, *Gulfias*, *Gudila*, *Gudillas*, *Unila*, quarum mutilationum plurimus Hispanici scriptores admiserunt, vid. Essbergium Ulfil. 1. Rectissime sine dubio, quia ita indole linguæ gothicæ commendatur, *Vulfila* scriberetur (vid. Grim. 1, 57 sq.), quod verbum nomen deminutivum vocis *vulfs* (lupus), proprie lupulum significat, vid. Massm. *Skeir.* p. 97.

[2] *Histor. ecclesiast.* 2, 5 cf. Aschbachii *Geschichte der Westgothen* p. 31 Not. 63.

[3] Libellum a Knustio Parisiis inventum et a Waitzio descriptum et editum (*Ueber das Leben und die Lehre des Ulfila, Hannover* 1840, 4) cf.

[4] Jornandes *de rebus Geticis* p. 135 ed. Lindenb.

[5] Apud Basilium Magnum *epist.* 338 sq. et Epiphanium *adversus Hæres.* 3, 14, Ascholius episcopus Thessalonicensis et Audius, Uranius, Sylvanus sacerdotes primi christianæ doctrinæ præcones apud Gothos fuisse feruntur; cf. Massm. l. l., p. 90.

[6] Socrates *Histor. ecclesiast.* 9, 32. Nicephorus Callistus 9, 44. Cassiodorus *Histor. eccles. tripart.* 5, 38. Essbergium l. l., 8. Aschbachium l. l., p. 29.

[7] Philostorgius cum Ulfilam primum Gothorum episcopum haberet, non mirum est, si eum Constantino Magno æqualem fuisse scripsit; cf. Benzelii præf. p. XXXI. Apud Scholzium Nov. Test. vol. I, præfat. p. CXXIX, Ulfilas sæculo quinto biblia convertisse sine dubio per typothetæ errorem dictus est.

[8] Socrates 4, 33. Sozomenus, 6, 37. Nicephorus 11, 48. Cassiodorus 8, 13. Jornandes p. 106, vid. Essbergium 12. Knittelium p. 442 sq. Castill. *Specim.* præf. p. XI.

[9] Vide libr. laud. (not. 3 supra) p. 34 seqq. In eodem libello p. 17 etiam testamentum fidei contineturque Ulfilas moribundus fecit.

[10] Inter alios Isidorus Hispalensis *Chronico ad ærām* 5576: tunc Gulfilas utrumque testamentum linguam in propriam transtulit.

[11] l. l. Οὐρφίλας μετέφρασεν εἰς τὴν (τῶν Γότθων φωνὴν τὰς γραφὰς ἁπάσας πλὴν δὴ τῶν Βασιλείων, ἅτε τῶν μὲν πολέμων ἱστορίαν ἐχουσῶν, τοῦ δὲ ἔθνους ὄντος φιλοπολέμου καὶ δεομένου μᾶλλον χαλινοῦ τῆς ἐπὶ τὰς μάχας ὁρμῆς, ἀλλ' οὐ τοῦ πρὸς ταῦτα παροξύνοντος.

[12] Knittelius p. 443 sq. inde Philostorgium refelli posse opinatus est, quod Theodatus, Gothorum rex, in epistola quadam testimonium e libris Regum protulisset, quod (sic dicit Knittelius) proceres et reges gothici non fecissent, si Ulfilas, cujus consilia et effata apud Gothos oraculorum instar haberentur, Gothos a lectione librorum Regum revocare voluisset. At vir bonus, qui Cassiodorum, non Theodatum illam epistolam scripsisse recordaretur, id etiam recordari debebat, Ulfilæ et Theodati ætates duobus seculis diversas esse, intra quod tempus libri, ab Ulfila omissi, ab aliis conversi esse poterant. Causam illam allatam improbabilem esse, maxime ex Jornande discimus, qui eosdem illos Gothos, apud quos Ulfilas episcopus fuit, gentem multam quidem, sed pauperem et imbecillem, nihil abundantem, nisi armento diversi generis, pecorum et pascuis silvaque lignorum fuisse, dicit p. 135.

Digitized by Google

re Philostorgio, ipso Ulfilæ æquali, fide dignior testis nemo videtur. Abesse a versione gothica libros Regum cum sciret ipse vel fama accepisset, ejus omissionis causam aliquam subjicere volebat, non curans vera esset, necne. Libros Regum igitur ab Ulfila non esse conversos quin credamus, nihil impedit [1]; cur non converterit, nescire nos fatentes suspicamur, Ulfilam ad opus tam amplum conficiendum aut vires aut tempus defecisse; maximam bibliorum partem si transtulit, id ipsum maximam movet admirationem, cum præter hanc curam non solum domi permulta negotia essent gerenda, sed etiam legationes ad Constantinopolitanos suorum civium nomine suscipiendæ [2].

Totum autem librorum sacrorum corpus Gothos in suum sermonem conversum habuisse, id quod olim scriptorum, harum rerum imperitorum et relata tantum referentium, fide credebatur, nunc permultis argumentis comprobatur. Præter evangelia enim, antea sola cognita, nostra ætate fragmenta epistolarum Paulinarum et de veteris testamenti libris Esdræ et Nehemiæ quædam partes inventæ sunt; unde colligimus, Gothicos theologos etiam reliquos veteris testamenti libros non intactos reliquisse. Nam quid commovere illos potuit, ut omissis aliis tam præstantibus atque gravibus, libros tam jejuni argumenti neque ad fidem aut ad cultum quidquam valentes translatos suis traderent? Quid? quod etiam eorum, quorum nulla fragmenta adhuc sunt reperta, vestigia in aliis conservatis deprehendimus: in Skeir. p. 37 versus alter et tertius Psalmi quinquagesimi tertii citantur: *saei fraþjai aiþþau sokjai guþ. allai usvandidedun. samana unbrukjai vaurþun*, i. e. *qui intelligat aut requirat Deum; omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt.* Deinde Ephes. IV, 8 in margine codicis A adscriptum est *psalmo...*, quo librarius hunc locum e libro psalmorum (68, 19) haustum esse indicare voluit. Hinc Psalmos gothice conversos fuisse sine dubio recte conjicitur [*]); certe explicationis illius auctor omnia novi testamenti loca e versione nostra citavit, neque nos quidem dubitamus, id ipsum fecisse, si quæ loca e reliquis bibliorum libris laudata affert. Ex eadem evangelii Joannei explicatione etiam libros Moysis gothicam versionem complexam fuisse cognoscimus; nam p. 41 sq. etiamsi non verba ipsa, tamen sensus versuum 2—9 capitis XIX libri Numerorum redditur: *vasuh þan jah frauja þo ahmeinoh anafilhands daupein. eiþan garaihtaba varþ bi sviknein sokeins gavagida. unte vitoþ þize unfaurveisane missadede ainaizos vitoþ raidida azgon kalbons gabrannidaizos utana bibaurgeinais. afaruh þan þo in vato vairpandans hrain jah hyssopon jah vullai raudai ufartrusnjandans. svasve gadoh þans ufarmiton munandans*, i. e. *fuit autem etiam dominus* (Jesus) *hunc spiritualem commendans baptismum; igitur recte fuit de purificatione quæstio mota; nam lex horum non-voluntariorum peccatorum unius legem statuit cinerem vaccæ combustæ extra munimentum; posthac autem hunc in aquam conjicientes puram et hyssopo et lana rubra contegentes; uti decuit hos superbire cogitantes* [**]. Multo clarius eorum librorum versio cognoscitur ex alio codice, qui Vindobonæ adservatur [3] et præter runorum signa etiam pleraque gothica verba et litteras numerorum continet, quas postremas maximam partem e Genesecos capite quinto ductas esse Wilhelmus Grimmius, vir litterarum germanicarum peritissimus, primus vidit [4]; sunt autem hæ: versu 3 *sl* = 230 (Vulg. 130); vs. 5 ↑*l* = 930; vs. 7 *wz* = 707 (Vulg. 807); vs. 8 ^*ib* = 912; vs. 13 *wm* = 740 (Vulg. 840); inde autem sequitur, illum librarium codicem, continentem gothicam veteris testamenti versionem, ante oculos habuisse, unde illas exscripsit.

Omnes igitur libri sacri in gothicam linguam translati fuisse videntur, quamquam aliquorum vel novi fœderis librorum nulla adhuc apparent vestigia, v. c. actorum Apostolorum, epistolarum catholicarum, apocalypseos Joanneæ; quæ autem desunt, lateantne in monasteriorum tenebris aut codicum oblitteratorum sepultura, an bibliothecarum cladibus omnino interierint, quis divinare potest? Sed Ulfilas num ipse illam translationem confecerit, alia quæstio est; perfecisse totam cur negemus, supra indicavimus; at cum tota antiquitate fama manaret eum biblia in gothicam linguam convertisse, facile fieri potuit ut qui initium interpretandi fecisset cujusque auspiciis et fortasse auctoritate ea, quæ ipse non perfecerat, ab aliis viris eruditis perfecta essent, ab eodem ipso profecta esse dicerentur. Si in tanta rerum obscuritate conjectura uti licet, qui maxime præter Ulfilam interpretandis bibliis operam suam poneret, Selinas quidam fuisse videtur, quem Ulfilas a commentariis et in episcopatu successorem habuit [5], ille enim et patrii et græci sermonis gnarus, opus a decessore inchoatum, aut receptum aut susceptum, in ecclesiæ suæ commodum facile perficere potuit [6].

Gothicæ deinde translationis non solum confectæ, sed etiam per secula asservatæ complura apud scriptores inveniuntur testimonia, eaque maxime, ex quo Gothorum magna pars, relictis sedibus Istricis, Theodorico duce Alpes transgressi Italiam occupatam tenuerunt. Gothi enim illic incolentes atque imperantes non mirum est, si per hujus terræ fines, certe iis regionibus, ubi regni sedes erat, gothica lingua locuti et in ecclesiis suis gothicis etiam bibliis usi sunt.

[1] Cf. Castill. *Excurs. ad Philipp.* p. 65.
[2] Vid. Essbergium 13, 14. *Zahnii Einleitung.* p. 20.
[3] Membr. Salisb. Nro. 140 olim Salisb. LXXI.
[4] Vid. W. J. XLIII p. 15 sqq.
[5] Vid. Sozomenum 7, 17. Nicephorum Callist. 12, 30.
[6] Cf. Castillion. *Specim.* præfat. p. X sq.: a Selina pronum creditu est gothica biblia dictante Ulfila fuisse conscripta et pro suo librarii munere distincta atque emendata.
[*] Cf. Massm. *Skeir.* p. 88.
[**] Gothum hæc ex epistola ad Hebræos citavisse, Massm. l. l., p. 65 sq. nobis non persuasit.

Digitized by Google

Ea tempestate illa oratiuncula, in fine codicis Brixiani posita, confecta esse videtur, in qua ut caveant interpretes litterarum sacrarum monentur, *ne legenti videatur aliud in græca lingua, aliud in latina vel gothica designata esse conscripta* [1]. Unde gothicam interpretationem non solum in Italia aliisque terris, quas Gothi tenebant, posteriore tempore exstitisse, sed etiam cum latina pari auctoritate valuisse discimus. Alterum de versione gothica testimonium legitur apud Walafridum Strabum, scriptorem seculi noni, qui gothicorum bibliorum monumenta suo tempore apud nonnullos haberi dicit [2]; cujus fides his in rebus eo major est, quod monasterio Reichenaviensi præpositus, in confinio fere habitabat earum regionum, quas Gothi utrique olim incoluerant.

Postquam deinde per sex secula a nemine gothicorum bibliorum mentio facta est, nisi si quis quæ apud scriptores antiquos legisset, reddidit, neque alicubi vestigium librorum illam versionem continentium comparuit: seculo sexto decimo in monasterii Werdenensis, in Gallia Belgica ad Ruram conditi, bibliotheca codex unus inventus est. Antonio enim Morilloni [3], qui Antonio Perrenoto, cardinali Granvellano, ab epistolis erat, bibliothecæ illius libros manuscriptos perscrutanti in manus incidit codex, quem Ulfilanam versionem continere ille statim vidit, et orationem dominicam cum aliis quibusdam particulis ab eo inde descriptam Maximilianus, Antonii frater, cum Goropio Becano communicavit, qui ea Gotodanicis suis inseruit [4]. Paulo post Gruterus aliquot versus, ab Arnoldo Mercatore ex eodem codice excerptos, in thesauro inscriptionum edidit [5]. Omnia fragmenta, in illo codice servata, multo post (anno 1665) opera Francisci Junii et deinde sæpius edita sunt. Sed viri gothicæ linguæ studiosi diu multumque questi erant, quod de hac totius scripturæ sacræ versione tam pauca, eaque evangeliorum modo fragmenta relicta essent, quæ ad enodandas et removendas interpretandi difficultates non sufficerent: cum Knittelius, ædis metropolitanæ apud Guelferbytanos archidiaconus, seculo proxime superiore in codice bibliothecæ Guelferbytanæ fragmenta epistolæ Pauli ad Romanos scriptæ invenit. In ἔρμαιον grandius incidere, quo biblia gothica, etiamsi non omnibus partibus integra, ampliora tamen plurimorum novi fœderis librorum fragmenta nacti sumus, viris doctis nostri seculi reservatum erat: in bibliotheca enim Mediolanensi ab Angelo Majo et Carolo Octavio Castillionæo codices rescripti sunt reperti, quorum priorem scriptionem diligentius intuentibus illis viris doctis, Ulfilanæ versionis evangelii Matthæi, epistolarum Paulinarum ad Romanos ejusque plura, quam quæ Knittelius jam repererat, utriusque ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, utriusque ad Thessalonicenses et pastoralium ad Timotheum, Titum et Philemonem, præterea Esdræ et Nehemiæ, librorum veteris testamenti, fragmenta continere apparebat, quæ fragmenta primum duumviri illi conjunctis curis, deinde Castillionæus solus inde ab anno hujus seculi undevicesimo edidit.

Sed jampridem quæstionem posuerunt viri eruditi, utrum ea, quæ pro Ulfilanæ seu gothicæ versionis fragmentis haberentur, vere gothica essent, an ad aliam, in usum alius barbaricæ gentis confectam, pertinerent. Inter alios Lacrozius negavit et *francicam* esse linguam nostræ versionis probare studuit [6]. Quam trita est ac prope decantata illa quæstio, tam inepta atque infirma sunt argumenta, quibus Lacrozius opinioni suæ fidem facere laboravit; quod enim primum dicit, codicem nostræ versionis non in iis regionibus, ubi Gothi incolerent, sed ubi Franci, repertum esse; deinde nonnullos harum litterarum ductus ad Francorum veterem scribendi rationem propius accedere; tum alias quasdam latinas esse, quas Gothi in Mœsia habitantes cognitas habere non possent; postremo inter litteras hujus linguæ quatuor novas et a græcarum et latinarum similitudine abhorrentes inveniri, quarum tres litteris a Chilperico, Francorum rege, renovatis congruere: quis est, quin videat ea argumenta, quæ refellantur vix digna et ea posuisse, esse refutasse? Mirum igitur, quod hæc argumentandi perversitas inter alios [7] Wetstenium, virum magnæ sagacitatis, ut probaret istam opinionem, permovere potuit [8]. Omnium optime, quam frigidis rationibus usus esset Lacrozius, demonstravit Ihre in dissertatione de lingua codicis Argentei anno 1754 edita [9] et sapientiores jampridem illas nugas improbaverunt [10].

[1] Vid. Garbellum. ap. Blanchinium Evangeliar. quadrupl. prolegg. p. 7 sq. Ea verba vitiose conscripta et vitiosius descripta Semlero ad præfationem quamdam, comparationi gothicæ versionis cum latina et textu græco faciendæ præfixam, pertinere sunt visa, vid. hujus viri venerabilis *Versuch einer Erläuterung einer alten Spur einer gothischen Uebersetzung*, *Halle* 1764, 4.

[2] *De rebus ecclesiasticis*, cap. 7.

[3] Primum Ulfilanæ versionis repertorem cum Ihre in dissertatione de lingua codicis Argentei conscripta et anno 1754 edita recte Morillonem appellavisset, paulo post in altera de codice Argenteo anni 1759 Arnoldum Mercatorem fuisse minus recte dicit, vid. Zahnii *Einleit.* p. 39 sq. Cæterum quæsitum est, utrum ille codex Argenteus, an alius fuerit; Ihre Ulfil. illustr. pag. 98 fuisse negat hanc maxime ob causam, quod Morillon compendiis scribendi usus sit, quæ in codice Argenteo, certe locis ab eo exscriptis, non inveniantur, deinde quoque illum litterarum formas exhibuisse, quas codex Argenteus omnino non agnoscat. Alii nullum alium, quam Argenteum ante oculos habuisse comprobaverunt, vid. Zahnium l. l.

[4] Vid. Goropii Origines Antuerpenses libro VII p. 739 sq. 750.

[5] P. 147 sq.

[6] Vid. Lacrozii *epistolam ad Joannem Chamberlaynium* in *Thesauro epistolarum* tom. III p. 92 sq.

[7] Vid. Zahnii *Einleit.* p. 27.

[8] Wetstenii *Prolegg. in novum testamentum* p. 304 sq. ed. Semler.

[9] Vid. *Ulfil. illustrat.* p. 259 sqq.

[10] Semlerus *ad Wetsten. Prolegg.* p. 305 (quem tamen miramur paulo post p. 308 interpretem nostrum *Francogothum* appellare) cf. Zahnii *Einleit.* p. 26 seqq. Aschbachium l. l. p. 36 sq.

Digitized by Google

Cum autem Francorum esse biblia nostra ne probabile quidem reddere illi potuerint, nunc vere Gothica esse argumentis gravissimis confirmatur. Constat enim præter bibliorum translationem de litteris gothicis duo monumenta servata esse, quorum alterum quatuor gothicis subscriptionibus constat, positis sub venditionis cujusdam testimonio latine scripto [1] quarum una sic habet: *ik merila bokareis handau meinai ufmelida jah andnemum skilliggans .j. jah faurþis þairh kavtsjon jah miþ diakuna alamoda unsaramma jah miþ gahlaibim unsaraim andnemum skilliggans .rk. vairþ þize saive*, i. e. ego Merila, scriba, manu mea subscripsi et accepimus solidos sexaginta et antea per cautionem et cum Diacono Alamodo nostro et cum collegis nostris accepimus solidos centum viginti, pretium horum lacuum. Alterum, simile testimonium, unam gothicam subscriptionem continet, quæ fere sic habet: *ik gudilub diakun þo frabauhta. boka* [2] *fram mis gavaurhta þus diakun alamoda. fidvor unkjana* (?) *hugsis kaballarja jah killiggans .rlg. andnam jah ufmelida*, i. e. *ego Gudilub diaconus hæc vendidi; libellum a me feci tibi diacono Alamodo; quatuor uncias fundi Caballari et solidos centum triginta tres accepi et subscripsi.* Horum documentorum prius Neapoli asservatur, indeque nomine *Neapolitanum documentum* vocatur: alterum Aretii olim erat [3], quapropter *Aretinum documentum* appellatur; utrumque autem Ravenna, ubi scriptum est, in sedes posteriores pervenit. Ea igitur lingua, qua utuntur testes illi, quæ alia esse potest, nisi gothica, cum Ravennæ sedes nullius gentis germanicæ, nisi gothicæ, imperante Theodorico, fuerit et in reliquis litteris, latino sermone conceptis, testes illi expresse gothicæ ecclesiæ sacerdotes appellentur? Et cum horum documentorum lingua eadem, quæ nostræ versionis sit, hæc versio, cui alii genti, nisi Gothis, tribuenda est? Accedit aliud etiam idque gravissimum argumentum: ad finem enim codicis alterius Ambrosianorum [4], quibus epistolarum Paulinarum fragmenta continentur, calendarium additum est [5], in quo dies festi et sacri, a communibus paulo diversi, notantur. Fragmentum hujus calendarii sic incipit: *.kg. þize ana gutþiudai managaize marytre jah friþareikeis* [6] i. e. XXIII (intell. *die*) *horum in gutica gente multorum martyrum et Fritharici.* Unde sole clarius elucet, gutica, i. e. gothicæ genti hoc calendarium compositum adeoque non alia nisi gothica lingua conscriptum esse, et cum hic etiam eamdem, quam in versione nostra linguam habeamus, omnes concidunt dubitationes de origine vere gothica versionis ejus, quæ gothicæ nomine circumfertur [7]. Quibus argumentis denique hoc addatur, etiam locum exstare in hac versione, ex quo interpretem Arianum fuisse intelligitur, cui sectæ præter Gothos nullam aliam germanicam gentem adhæsisse inter omnes constat.

Hæc si vere sunt disputata, non dubium adhuc erit, an hæc lingua germanica sit; qui theodiscam esse eam voluerunt, idem contendunt non nisi nomine variantes. Gothi enim ipsi si natione Germani fuerunt, id quod testimonio scriptorum veterum et inquilinorum et aliorum comprobatur, etiam eorum sermo ad germanicas linguas pertinuerit necesse est. Ceterum hic sermo ostrogothicus an visigothicus, an mœsogothicus nominandus sit, non quærimus, persuasum habentes, omnibus Gothis eumdem sermonem, quod alio loco demonstrabimus, eamdemque bibliorum versionem fuisse.

Restat ut de integritate Ulfilanæ versionis dicamus; fuerunt enim, qui nostram versionem vere Ulfilæ esse dubitantes, an aliis theologis posterioris temporis tribuenda esset, quæsiverunt. In his primus fuit Hickesius [8], quem virum doctum maxime offendit, quod nostra fragmenta cum codicibus latinis consentirent, quorum copia cum Gotho in Mœsia habitanti vix esset, haud dubie græco bibliorum exemplo uti debuisse; deinde quod nulla nunc arianismi vestigia apparerent, quæ cum Ulfilas cum Gothis suis Arianorum hæresin sequeretur [9], conspicua esse deberent, si jure ei hæc versio tribueretur. Sed neque nostram versionem e latinis libris haustam esse infra demonstrabimus, neque intelligimus, cur Arianorum opiniones in ea inesse oporteat; nam nec tempus, quo Ulfilas a catholica fide ad Arianos sese convertit, nec quo litteras sacras transtulit, notum est: fortasse priusquam ad illam hæresim delapsus est, interpretationem suam confecit, aut quod multo est probabilius, Gothi non tanta religione fidei et confessionis minutias initio sectati videntur, ut vel in biblia eas intulerint, quas in archetypo non invenerunt. Accedit quod ex iis fragmentis, quæ in codice Argenteo continentur, nullus locus reperitur, de quo Ariani cum Orthodoxis discreparent. Zahnius [10] ad rem declarandam duo potissimum loca, initium Joannei evangelii et Rom. IX, 5 inspicere optavit, quorum locorum alterum nunc habemus: *xristus saei ist ufar allaim guþ piaþiþs in aivam.* Quod si quis inde Gothos aut interpretem non Arianos fuisse colligeret,

[1] Vid. Zahnii *Einleit.* p. 76 sq. Eas initio sæculi sexti scriptas esse Grimmius *Gramm. præf.* p. XLVII (edit. prioris) suspicatur.

[2] Massm. (*Die goth. Urkund. von Neapel. u. Arezzo, Viennæ* 1838, p. 18) pro *frabauhta boka* male junctim scribit *frabauhtaboka* (sic esse debebat *frabauhtiboka*), neque propterea ejus interpretatio hujus monumenti probari potest.

[3] Massm. l. l. p. X qui inscriptionem illam cum reliquis emendatius, pro doctrina sua, singulari libello editurus est.

[4] S. 36 part. sup., quem Castillionæus in sua editione et post eum nos littera A notavimus.

[5] Vid. Castillion. *Specim.* p. 26 sq.

[6] Castill. male *madagrize* et librarii errorem *friþareikeikeis*, syllaba *kei* falso duplicata (vid. *ad Matth.* XI, 16) edidit.

[7] Cf. Aschbachium l. l., p. 38.

[8] Vid. *Institutiones gram. angl. sax. et mœsogoth.*

[9] Cf. de ea re copiose disserentes Heupelium l. l. p. 11. Essbergium 13. Knittelium p. 449. Mansonem *Gesch. der Ostgothen* p. 9. Aschbachium l. l., p. 29 sq. cf. p. 222 sq. Massm. *Skeir.* p. 69 sqq. Castill. *Excurs. ad Philipp.* 2, 16. p. 63 sqq. cf. *Specim.* præf. p. XIII sqq.

[10] *Einleit.* p. 37.

Digitized by Google

properantius ageret, nam ut interpres *guþ* re vera ad Christum retulerit, quamquam id non opus esse viri docti ad h. l. docuerunt, tenendum est, Arianos non divinitatem Christi, sed Christi cum Deo patre quasi identitatem negavisse, ut Arii sectator vel severissimus ita scribere posset, uti auctor expositionis illius sæpius citatæ [4] *ainabaura sunau guþs guþ wisandin* (soli filio Dei, Deus exsistenti). Neque eam ob causam locus, diu desideratissimus, Timoth. I, III, 16 ad quæstionem profligandam facit, ubi etiam de Christo *guþ gabairhtiþs was in leika* dicitur [5]; nec quod Castillionæus ad gothicam versionem heterodoxiæ crimine liberandam Coloss. I, 16 laudavit, satis mirari possumus. Unus tantummodo locus est, a Castillionæo jam indicatus, ex quo interpretis nostri arianismus perspicue cognoscitur; Philipp. enim II, 6 legitur: *in xristau iesu. sai in guþaskaunein visands ni wulwa rahnida wisan sik galeiko guþa.* Quo quidem loco Massmannus Skeir. p. 73, qui *samaleiks* et *galeiks* non recte distinxisset, arianismum probari negavit, sed Castillionæus in epimetro epistolæ ad Philippenses addito p. 63 sqq. præclare de eo disseruit eumque exhibere argumentum, interpretem gothicum qui similitudinem pro æqualitate posuerit, arianismi placitum in textum intulisse docuit.

Contra Knittelius Ulfilæ ipsius esse nostram versionem contendens haud felicius causam suam agit [6]; quod enim dicit, Ulfilanam esse oportere, propterea quod apud scriptores nullius nisi Ulfilæ sacri codicis versio commemoretur, non consideravit, quam parum gravitatis in argumenta e scriptorum silentiis ducta redundet; et si res ecclesiasticas Gothorum a suis scriptoribus relatas haberemus, aut de iis in aliis historiarum gothicarum libris copiose narratum esset, silentium de renovata interpretatione offenderet; nunc autem, cum ejusmodi mentio non fiat, inde intelligimus posteriores interpretes neque publice neque certo tempore opus fecisse, sed deinceps ita, ut ab aliis alia mutarentur. Revera fragmenta ad nostram ætatem servata esse illius versionis, quam Ulfilas ex scriptorum testimonio confecit, aut affirmare aut negare difficile quidem est. Versionis illius in gothica ecclesia auctoritatem fuisse magnam, huic rei et Ulfilæ auctoritas, qua apud suos viguit, et hoc etiam argumento est, quod nullius alius opera in interpretanda biblia impensa a rerum scriptoribus commemoratur. Quæ auctoritas autem si tanta fuit, quid erat causæ, ut aliquis litteras sacras denuo convertendas susciperet? At si totius versionis repetitionem negamus, precedente tempore hic illic mutationes quasdam factas esse non negamus. Quod e codice Argenteo, conditione et indole singularum ejus partium diligentius perspecta, cognosci poterat, plures recensiones exstitisse (cujus rei ignoratione factum est, ut Mareshallius in fraudem incideret, cum propter stupendam vetustatem codicis Argentei hanc versionem non aliam esse, quam Ulfilæ illam antiquissimam existimaret [7]; nunc cum epistolarum partes permultas, evangeliorum nonnullas bis in diversis codicibus comparare licet, etiam clarius intelligitur; illæ tamen recensiones certe ex una eaque, uti videtur, Ulfilana originem duxerunt, mutaverunt autem viri eruditi posterioris ætatis, aut ubi Ulfilæ versionem textui græco non satis accurate respondentem vidissent, aut ubi in suis libris alias lectiones reperissent atque quas habuerat Ulfilas. Hæc quidem videre non difficile est, illud autem non facile aliquis dicet, quæ illis locis initio ab Ulfila scripta et quæ ab aliis mutata, addita aut prætermissa sint; dolendum vero est, quod Ieynatius, qui additamenta quædam diversæ linguæ indole se cognovisse gloriatur [8], signa cognitorum non prodidit.

Præmissis his in universum de lingua et auctore nostræ versionis, pergimus ad instituendam quæstionem de ratione, qua sic confecta, unde qui ejus usus maxime in emendandis locis scripturæ sacræ esse possit, apparebit. Primum autem dicendum est de fonte ex quo Gothus interpres hauserit. Ulfilam interpretationem suam e *græcis* libris confecisse nemo olim dubitavit, idque jampridem Martyrii Nicetæ auctor [9] testatur postque eum Sixtus Senensis [10]. Quæ notitia unde his viris venerit, famane apud veteres percrebuerit an inde conjecerint, quia Ulfilas in Mœsia habitavisset et e commercio Constantinopolitanorum hominum græcæ linguæ peritiam nactus esset, eum etiam græcos libros ad opus suum perficiendum adhibuisse, nos quidem nescimus, sed testimonium maxime prioris illius scriptoris propter vetustatem non adeo contemnendum videtur. Qui vero stat a partibus eorum, qui Ulfilam græcos libros secutum esse [11] contendunt, is non solum scriptorum auctoritati fidem habere debet, qui in his rebus haud idoneam ad persuadendum vim habere solent: adsunt etiam argumenta ducta e comparatione versionis nostræ et textus græci, quibus id probatur. E multis aliis hæc pauca proferimus: non solum enim eum ordinem verborum, quo græci præiverunt, fideliter servat — præterquam ubi indoles gothicæ linguæ alium ordi-

[4] *Skeir.* p. 46, 15.

[5] Hæc, Castillionæo auctore, dicta de loco Tim. I, III, 16, falsa sunt; vide adnotationem ad hunc ipsum locum; neque præsertim cognito libro illo a Waitzio edito, ullum relinquitur dubium, quin Gothi fuerint Ariani. Vide Waitz. p. 40 sqq. 56.

[6] P. 444 sq.

[7] *Observationes apud Junium* p. 388.

[8] Cf. Zahnii *Einleit.* p. 36.

[9] Apud Simeonem Metaphrastem in actis S. Nicetæ (Acta Sanctorum Septembr. V. p. 41 edit. Antverp.) Οὔρφιλος, inquit, *τὴν ἱερὰν ἡμῶν γραφὴν καὶ θεόπνευστον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν γοτθικὴν γλῶσσαν μετεβαλών.* Cf. Hieronymi epistolam ad Sunjam et Frithilam scriptam, qua Gothos græcis sacræ scripturæ codicibus usos esse dicit.

[10] Biblioth. IV p. 390 edit. Colon. Ulfilas primus Gothus omnes divinas scripturas e *græco* in gothicam linguam a se conversas tradidit.

[11] Cum Ussero apud Junium *Glossar.* p. 16. cf. Mareshallum p. 389 sq. Benzelium præfat. p. VI, Lyeum p. XXXVI, Ihreum *Ulfil. illustr.* p. 268, Knittelium p. 445, Zahnium *Einleit.* p. 28 sqq.

Digitized by Google

nem exigit, uti in negatione juxta verbum enuntiati ponenda, cf. ad Joan. XIV, 11; Luc. VIII, 12; in collocandis quibusdam particulis aut initio aut post initium enuntiati, uti ïþ, quod aliter atque δέ, græca vocula gothicæ respondens, primo enuntiati loco ponitur; aut aliæ nescio quæ sermonis causæ alium ordinem postulant, ut pronomen substantivo præponatur, *þata andbahti* = *τὴν διακονίαν ταύτην* — sed etiam sermonem suum in permultis ad græcum conformavit, quo pertinere videtur usus dualis numeri, quo tamen Ulfilas sæpius utitur, quam in græco textu exstat et fere omnibus locis, ubi duæ personæ indicantur; deinde figura, quam attractionem vocant, frequens usus participiorum græcis exemplis accommodatus, abusus pronominis demonstrativi ad vices articuli græci implendas, multaque sunt alia, quæ lectores grammatica nostra docebit. Quæ cum ita sint, tamen fuerunt, qui omni linguæ gothicæ ejusque indolis peritia destituti, comparatis singulis gothicis verbis cum græcis, animadvertisse sibi videbantur Ulfilam sæpius a græco textu discedentem cum latinis libris consentire, cui animadversioni tantam tribuerunt vim, ut e græco fonte hausisse eum negantes, potius latinos libros secutum esse probare susciperent; præ ceteris Wetstenius id egit [1]; rationes autem, quas tanquam probantes adduxit, tanta laborabant infirmitate, ut non solum alii exsisterent, qui eas refellere conarentur [2], sed etiam ipse, re denuo considerata, ad sapientiam reversus versione nostra plerumque quidem græcum textum exprimi, sæpe tamen relictis græcis, versionem Italam sequi existimaret [3].

Et loca quidem esse, e quibus cognoscatur versioni nostræ plurima et verba et versiculos in libris latinis solummodo exstantia admixta esse, eamque lectiones habere, quæ a græcis discedentes cum latinis consentiant, non nisi cæci aut rixosi negabunt. Primum enim additamenta non pauca inveniuntur, quæ græci codices omnino spernunt, latini agnoscunt [4]: M. x, 29 *viljan* — lat. voluntate; Mc. XIV, 65 *gabaurjaba* — cum voluntate; L. I, 3 *jah ahmin veihamma* — et Spiritui sancto; IX, 2 *allans* — omnes; IX, 43 *qaþ paitrus. frauja duwe veis ui mahtedum usdreiban þamma. ïþ iesus qaþ. þata kuni ni usgaggiþ nibai in bidom jah in fastubnja* — (paucis mutatis Corb. et Colb.) *dixit ei Petrus: domine, propter quid nos non potuimus ejicere illud? quibus dixit: quoniam hujusmodi orationibus et jejuniis ejicietur*; IX, 50 *ni ainhun auk ist manne. saei ni gavaurkjai maht in namin meinamma — nemo est enim, qui non faciat virtutem in nomine meo*; XV, 31 *vast jah* — fuisti et; XIX, 22 *jah lata* — et piger; hæc omnia a græcis prætermissa cum Gotho codd. Colb. Corb. Brix. Redig. aut alii latini habent. Deinde permulta sunt loca, quibus lectiones latinæ pro græcis insident; ad quod probandum Zahnius Einleit. p. 32 minus apte laudat Luc. V, 3 et Joan. VII, 9 quorum locorum altero Gothum cum Brix. pro *ἠρώτησε jussit* (*ἐκέλευσε*) altero pro *εἰπὼν ἔμεινε dixit cum esset* legisse opinatur; penitus insinuabit in causam, qui hæc loca legerit: Mc. VII, 3 *ufta* (*sæpe*) non græco *πυγμῇ*, sed lectioni latinorum quorundam *crebro* accommodatum est; L. IX, 20 ubi gr. habent *τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ*, Gothus autem *þu ïs xristus sunus guþs*, quæ conveniunt cum Redig. et Brix. *tu es Christus, filius Dei*; V, 10 *siud nutans*, quibus non græca *ἔσῃ ζωγρῶν* redduntur, sed potius lectio Brix. *eritis captores*: II, 14 *godis viljins* quis græcum *εὐδοκία* vel *εὐδοκίας* Gothum his verbis reddidisse contendat, nec potius codicum latinorum *bonæ voluntatis*? I, 29 *ïnnagahtai* procul omni dubio latinos sequitur, qui pro græco *λόγῳ introitu* legunt; sic etiam in epistolis: Cor. II, V, 10 ubi gr. *διά* habent, Gothus *swesona* = latinorum *proprios*, qui *ἴδια* legisse videntur; XII, 17 *ïbai þairh wana* = Vulg. *nunquid per aliquem*, gr. *τινα ὧν* = *δι' αὐτοῦ*; Philipp. IV, 8 *veih* = latino *sancta*, gr. *ἁγνά*; I, 18, *þandei* = latinorum *dum*, gr. *πλήν* vel *πλὴν ὅτι*. Sic Gothum cum Cor. II, VIII, 19 pro græco *χειροτονηθεὶς gatewiþs* reddat, latinum *ordinatus* ob oculos habuisse suspicamur, cui verbo gothicum (a *tewi*, ordo, ductum) multo propius quam græco accedit; et Philipp. IV, 6 ubi græca *ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ* per *in allai bidai* convertuntur, aliquis conjicere potest, Gothum interpretem non græca verba, sed latina *in omni oratione*, male intellecta quod formulam in omni, per se positam (*in allem*), ad sequentem vocem traxerit, esse secutum [5].

Quod, si indicatis his vestigiis, tamen versionem nostram e græcis libris ductam esse contendimus, et remittimus lectores ad ea, quæ supra de indole hujus versionis in universum diximus, et hæc addimus: Gothus participium verbi substantivi *εἶναι* et *ὑπάρχειν* cum græcis ponere solet, ubi latini propter hujus participii inopiam aut relativo pronomine aut con-

[1] *Prolegg. in novum testamentum* p. 114 sqq. edit. prior.

[2] Vid. Bengelii *Apparatum novi testamenti* pag. 508 sq.

[3] L. l., pag. 358. edit. Seml.

[4] Cf. Zahni *Einleit.* pag. 32 sq.

[5] Wetstenius pag. 306 sententiam de confectione nostræ versionis e latinis libris male probat dicens, ubi latinus interpres verba græca aut parum accurate aut perperam verterit, eodem modo etiam vertisse Gothum; sed lectiones plerorumque locorum ab eo vituperatorum (M. VI, 11, 16, 27; IX, 38; Mc. I, 38) recte habent et cum græcis conspirant, saltem probe pro intellectu Gothi reddita continent. Contra aliis locis Gothus latinos libros non secutus suo Marte minus recte convertit, vide de aliis Luc. I, 5 et 8 ubi græcum *ἐφημερία* latini multo rectius per *vicem*, quam Gothus per *asar* et *kuni* reddiderunt. Nec firmioribus argumentis Semlerus ad Wetsten. p. 308 epis olam ad Romanos e latino codice expressam esse comprobat, nam quæ loca probantia adducit, aut nihil probant, aut a Knittelio falso sunt lecta vel explicata; sic XI, 34 *imma* dativum pro græco *αὐτοῦ* posuit Gothus, quia ita ejus lingua dativus pro genitivo substantivis apponi solet; et quæ versio latina habet *ei* vel *illi*, ut eam secutus esse Gothus dici possit? Sic XII, 3 *guþs* (Dei) versio latina nulla, codices græci permulti addunt; XII, 19 Knittelium falso legisse ad h. l. diximus; XIV, 9 *qivaim — dauþaim* hæc verba cum Gotho non solum latini, sed etiam græci libri transponunt.

Digitized by Google

junctione aliqua ad illud circumscribendum utuntur; particulas quasdam græcas a latinis omissas fideliter reddit, sic ἄν Luc. IX, 46; X, 13; XVII, 6; Joan. IX 41; Rom. IX, 29; περ Luc. XVIII, 14; Cor. II, VIII, 7; multis locis lectiones latinorum a græcis discrepantes nec Gothus habet, sed cum græcis concinit, sic L. I, 10 ubi nullus latinorum cum Gotho προσδεχόμενον legit; sub orationis dominicæ finem Gothus cum codd. græcis doxologiam habet, quam latinorum fere nullus agnoscit; et quid alia producamus, cum paucis exceptis omnia fere e græcis hausta esse aperte testentur?

Viri eruditi igitur cum in Ulfilæ versione aliquot locis latinorum codicum lectiones reperissent, alii eum libros utriusque sermonis consuluisse [1], alii versionem gothicam posteriore ætate ab aliis theologis ad latinos libros reformatam esse censuerunt [2]. Quarum opinionum prior parum laudanda videtur; nam etiamsi neque cum Wetstenio, num Ulfilas linguæ latinæ peritus, neque cum Hickesio et Lacrozio, num latina lingua in Mœsia vulgaris et latini sacræ scripturæ codices illuc translati fuerint [3], quærimus; tamen quia lux evangelii Gothis a græco orbe affulserat, fieri non potuit, quin doctores gothici, qui a Græcis doctrinam acceperant et in græcorum christianorum conciliis intererant, græcæ linguæ guari essent, ex quo intelligitur nullam esse causam cur primus interpres bibliorum ad libros latinos confugerit, cujus linguæ, si vere eam calluit, cognitio ei certe non paratior quam græcæ esset. Medio quidem ævo theologos tanta linguæ græcæ imperitia laboravisse scimus, ut sicubi litteræ sacræ essent adhibendæ, ad libros latinos confugeretur, id quod Lutherus noster fecit, priusquam græcis litteris studere cœpisset; sed *inde probare*, illa quoque ætate hominibus exteris latinam quam græcam faciliorem intellectu fuisse atque in explicandis locis difficilioribus latinos libros adhibitos, periculosius videtur. Et si vere habuit libros latinos, cur de tam paucis locis eos consuluit, de plurimis aliis neglexit, ubi propter difficultates interpretationis aut minus recte aut prorsus falso convertit? Multo autem probabilior est altera sententia, qua versio in Mœsia ex libris græcis confecta postea in Italia ab aliis theologis gothicis ad tenorem et normam latinorum librorum mutata et interpolata esse existimatur. Neque Griesbachius [4] audiendus est, qui gothicam versionem aliqua relatione cum latinis conjunctam esse negans potius, quæ illa ex his in se translata habere videatur, ea aut casu fortuito et a Gotho et a Latinis addita, aut cum consensus ita habeat, ut maxime interpretamenta, glossemata, additamenta e locis parallelis [5] ejusque sint generis alia, in utramque versionem ex eodem fonte deducta esse opinatur. Hæc altera opinio, ut priorem omittamus, sagaciter quidem excogitata est, sed si vir doctissimus epistolarum hunc editarum comparationem instituere potuisset et vel errores e latinis in gothicam versionem transiisse vidisset, procul dubio aliter judicasset; nam e. g. quod Eph. II, 3 ad verbum textus *viljans* (voluntates) in margine *lustuns* (voluptates) positum est, unde ea lectio venit, nisi e latino codice, in quo verba sonu similia permutata erant? Neque illa sententia, nobis probata, tam ridicula est, quam Richardo Simoni [6] videbatur, modo ne de Vulgata cogitetur, ad quam nostra versio mutata sit. Vulgatam enim, quam nunc vocant, Gothos non adhibuisse non solum inde cognoscitur, quod multo post usu recepta est, verum etiam quod Gothica versio et novi et veteris testamenti, cum nullo fere libro rarius, quam cum illa concinit [7]; contra sæpius cum antiqua illa versione, quam hoc nomine appellatam Sabatier e variis codicibus collectam cum Vulgata edidit, sæpius etiam cum Brixiano codice, quem Blanchinius edidit; sed cum nullo horum librorum ita congruit Gothus, ut unum aut alterum præ reliquis secutus esse dici possit. Res autem sic habere videtur: Gothi relictis Istri ripis biblia sua, sicut erant ab Ulfila conversa, aut etiam ab aliquo, si quid deesset, perfecta, secum in Italiam deportarant; ibi incolentes cum linguam Romanorum didicissent et latinos sacræ scripturæ codices, in quos inciderant, a sua interpretatione discrepare, passim etiam auctiores esse vidissent, ex illis exemplis libros suos ita correxerunt atque mutaverunt, ut vel singula verba gothica antiquæ versionis cum aliis sive usitatoribus, sive ad sensum reddendum magis idoneis permutarent, vel si quæ manca viderentur, ea supplerent. Quo factum est, ut non solum lectiones librorum latinorum in versione ea, quæ e græcis codicibus facta erat, deprehendantur, [8] sed etiam eæ litterarum sacrarum partes, quæ binis exemplis gothicis conservatæ sint, duarum recensionum vestigia ostendant, alteram antiquiorem ad textus græci similitudinem magis accommodatam, alteram recentiorem multis locis emendatam, mutatam, interpolatam, sed ita ut, qui eam relegerent atque retractarent, ii librorum antiquorum lectiones religiose in margine sui codicis appingerent, quas adnotationes librarii posteriores

[1] Benzelius præfat. p. XXXIII: versio facta est, inquit, non aliunde, quam authentica græca, latino tamen interprete, qui ille cumque fuit, non inconsulto; cf. Bengelium *Defensione N. T.* p. 27. Semlerum ad Wetsten. p. 309, Grimmium W. J. LXX p. 47.

[2] Wetstenius p. 306 edit. Seml. Ihre *Ulfil. illustr.* p. 268. Zahnius *Einleit.* p. 31 sqq. Castillion. *Specim.* præf. p. XX. cf. eumdem ad Ephes. II, 3 et ad Galat. IV, 18.

[3] Cf. Ihre *Ulfil. illustrat.* p. 260, 269.

[4] Epistola ad Zahnium data, vid. Zahnii *Einleit.* p. 34.

[5] Loca ex parallelis interpolata habes hæc: Matth. (III, 11) XXVII, 42 (38); Marc. II, 22; X, 4; XIV, 47; XV, 21, 37, 40; XVI, 1, 2; Luc. IV, 33; VI, 4; IX, 43, 50; Joan. XV, 2; Gal. V, 20; Coloss. III, 8; cf. Millii Prolegg. 742 seq.

[6] *Historia critica versionum N. T.* p. 222.

[7] Cf. Knittelium p. 376; Zahnium p. 32. Pro multis aliis locis nunc laudamus Timoth. I, III, 6 locum celeberrimum, ubi Goth. cum græcis θεός, a Vulgata omissum, legit, et de vetere testamento cf. numeros e libro Geneseos supra § XI citatos, qui a Vulg. multum discrepant.

[8] Vide supra pag. 465-466.

Digitized by Google

reddiderunt aut etiam aliis auxerunt. Sic in iis fragmentis, quæ codex Argenteus solus continet, diligentius inter se comparatis, cognovisse nobis videmur, alia ad recentiorem, alia ad veteriorem recensionem pertinere; et ad illud quidem genus maxime insignem evangelii *Lucæ* a reliquorum evangeliorum ratione diversitatem referimus, cujus et frequentior cum libris latinis consensus, et discrepantes singularum vocum scripturæ [1], præterea usus formarum verborumque in reliquis evangeliis aut nunquam aut rarissime obviorum [2], et verborum usitatorum diversa significatio [3], et plurimæ lectiones variæ et glossæ [4] ad marginem adscriptæ, sive a correctoribus ipsis, sive a librariis alia exempla comparantibus additæ, quarum quædam in textum sunt illatæ [5], manus emendatrices satis perspicue indicant. Huc accedit, quod in codice Vindobonensi, cujus supra mentionem fecimus, pauca quædam verba gothica adducuntur, comparata cum aliis recentioris linguæ germanicæ; in his, haud dubie ex evangelio Lucæ sumptis, tituli et alius cujusdam loci lectiones [6] a cod. Arg. diversæ insunt. *Marci* etiam evangelii duarum recensionum vestigia deprehenduntur, in quo et sermonis complures proprietates aut cum Luca communes, aut ab omnibus reliquis discedentes cognoscuntur [7], et variæ lectiones in margine sunt adscriptæ [8], et cujus textus, uti Lucæ, sæpius ex

[1] Sic hoc evangelio sæpissime *d* pro *þ* in terminatione ponitur, maxime in tertia singularis et secunda pluralis persona : I, 13 *gabairid* pro *gabairiþ*. 17 *fauraqimid*. 32, 35; V, 36, 37; VI, 45; II, 12; V, 10, 21, 30, 34; VI, 2, 24, 25, 31, 32, 34, 46; III, 14; VI, 27, 28, 35, 35, 36, 37, 38; III, 4; V, 4; VI, 23, 27, 35, 37; VI, 3; in forma neutra participii præteriti: II, 12 *galagid*. 23; IV, 10, 17; VI, 48; cf. XV, 16 *sad* et VII, 46 *haubid* pro *saþ* et *haubiþ*; in tertia singularis præteriti verborum prioris conjugationis : *bad* VIII, 31; XV, 28; *anabaud* V, 14; VIII, 29, 55; *faurbaud* V, 14; VIII, 56; *mid* in compositione verborum; sic in terminationibus masculinis sequente *s* littera : *stads* XIV, 22; *fahedst*, 14; II, 10; XV, 7; *hundafads* VII, 6, et in participiis *mikilids* IV, 15; *gahrainids* IV, 27; *gamanvids* VI, 40; deinde *b* pro *f* uti IV, 3 *hlaibs*; *n* pro *g* ante palatinas litteras, *ng*, *nk*, *nq* pro *gg*, *gk*, *gq*, vid. ad Luc. XIV, 31 (ea scribendi ratio, quæ etiam in documento Aretino invenitur, latinitatem videtur olere); *usraisjan* VIII, 24 pro *urraisjan*; litteræ geminatæ simpliciter ponuntur : *fulnan* pro *fullnan*, vid. ad II, 21; *fauragagjins* et *fauragagjan* VIII, 3; XVI, 1 pro *fauragaggjan*. Præterea vocales eum aliis vocalibus et diphthongis permutantur; *ei* cum *e* : II, 10 *faheid*. 15 *iohannein*; VIII, 32 *anasaisleip*. IX, 13 *manas seidai* pro *fahed*, *iohannen*, *anasaislep*, *manasedai*, cf. ad III, 5; cæt. *qeins* I, 5; XVII, 32, *duthei* VII, 7, *visseis* XIX, 22; *e* cum *ei* : II, 37 *blotande*. 43 *miþpane*. X, 5 *þane*, XIX, 37 *þoze* pro *blotandei*, *miþþanei*, *þanei*, *þozei*, cf. ad X, 5; *e* cum *ei* : *andbahtededun* VIII, 3. *svekunþs* VIII, 17. *aggele* IX, 26; XV, 10 pro *andbahtidedun*, *svikunþs*, *aggils*; *i* cum *e* : *galagidideina* V, 18; VI, 11. *qimi* VII, 3 pro *galagidedeinu* et *qemi*, vid. ad VIII, 56; *au* cum *u* vid. ad Marc. VII, 32; *u* cum *au* vid. ad Luc. I, 54; *o* cum *u* : III, 26 *iodins*. XVI, 8 *sunjos* pro *sudins* (vid. vs. 50) et *sunjus*, alia vide ad IV, 13 adnotata. Huc pertinet emissio *j* litteræ e formis quibusdam verbi *visan* : IX, 12 *sium*. V, 10 *siud*. IX, 41 *siau*. VIII, 25 et XIV 31 *siai*. Testimonia duplicis recensionis in evangelio Lucæ videntur etiam hæc : IX, 54 ante lectionem marginalem *at in in millimam atgaggandam* legitur *jah*, quod otiosum ad h. l. diximus; fortasse illud *jah* non pertinet ad textum, sed est glossatoris, qui indicare volebat legi etiam *at in* in m. a. Pariter XVII, 6 *aiþþau jus jabai* explicandum est; verba ea prius in margine scripta fuisse et ad *jubai* pertinuisse videntur, et glossator dicere volebat: *jabai aut* (i. e. *aiþþau*) addito pronomine *jus jabai*, ut vera sit hujus loci lectio : *jabai* (sive *jus jabai*) *habaidedeiþ galaubein sve kaurno sinapis. qiþeiþ du bainabagma*.

[2] Verborum formæ huic evangelio soli in codice Argenteo propriæ : *auhmists* III, 2; IV, 29; XIX, 47 pro *auhumists*; *iba* XVII, 9 pro *ibai*; *unhulþa* pro *unhulþo* IV, 35; VIII, 29 33; IX, 42 (legitur quidem etiam Matth. XXV, 41, sed est hic locus e codice Ambrosiano); VI, 40 *laisaris* pro *laisareis*; I, 23 *andbahtjis*, pro *andbahtjis*, vid. h. l.; IX, 39 *hropjiþ* pro *hropeiþ*, cf. Grim. I, 847; XIX, 12 *gaggida* pro *iddja*; *bai* pro *bajoþs* I, 6, 7; V, 7; VI, 39; VII, 42; *nauhþan* pro *nauhþanuh* I, 15; VIII, 49; IX, 42 (in sententia negativa etiam J. 6, 17). Verborum eorum, quæ aut nusquam in evangeliis amplius, aut perquam raro inveniuntur, tantus est numerus, ut omnia proferri vix possint, quapropter lectores Glossarium adire jubemus; unum alterumque posuisse sat erit : dicitur apud Lucam *airus* pro *aggilus*, *flodus* pro *awa*, *naus* pro *dauþs*, *manaseds* pro *managei*, *gaujans* pro *bisitands*, *gatvo* et *fauradauri* pro *plapjo* (*platjo*), *unhails* pro *siuks*, *namnjan* pro *haitan*, *skeinan* pro *liuhtjan*, *þiuþspillon* pro *vailamerjan*, *magus* pro *þiumagus* multaque simplicia pro compositis, uti *sviltan*, *aistan*, *qistjan* all. Alia omittimus, quia in textu græco etiam huic evangelio sunt propria; addimus autem hoc loco ex observationibus syntacticis præ cæteris, in hoc evangelio articuli eum usum esse, ut etiam substantivo postponatur; vid. III, 8 *us stainam þaim* XVII, 17 *taihun þai*. XX, 15. *aurtjam þaim*; ea constructio in epistolis sæpissime, in evangeliis præterea tantummodo Joan. VII, 8 invenitur.

[3] Ut, ex. g. *aftra* τὰ ὀπίσω Luc. IX, 62. *gaþrafteins* ἄφεσις id. IV, 19. *fraletan* ἀποστέλλειν id. IV, 19. *fragiþan* ἀθετεῖν id. VII, 30 h. l.

[4] Variæ lectiones : V, 28 in textu *iddja* — marg. *laistida*; VI, 27 *fijandam* — *hatjandam*; 46 *gamanvids* — *ustauhans*; VII, 32 *gaunodedum*. — *hufum*; VIII, 27 *unhulþons* — *skohsla*; IX, 34 *qemun ih þamma milhmin* — *jah at in in milhmin atgaggandam*; XVI, 13 *faihuþraikna* — *mammonim*; glossæ : III, 14 in textu *valdaiþ* — marg. *ganohidai sijaiþ*; VI, 49 *flodus* — *awa*; IX, 13 *manaseidai* — *managein*; quanquam inter varias lectiones et glossas vere distinguere difficillimum est.

[5] Hæ multo pauciores sunt, quam quas Zahnius *Einleit*. p. 34 enumeravit, et injuria Castill. huc refert loca Cor. I, XII, 15; II, X, 16; Galat. V, 4; Coloss. II, 32, de quibus locis in adnotatione diximus; sed citra omnem dubitationem L. II, 2 de verbis *at visandin kindina syriais raginondin saurim* alterutrum e glossa ortum est, nam *at visandin kindina syriais* idem est quod *raginondin saurim*; idem V, 35 de altero *jah*; XIV, 32 de *jabai nist mahteigs*; XVII, 6 de *jabai*; Cor. I, XV, 6 de *fiſhundam*; Coloss. III, 12 de *armahairtein* statuendum est; cf. etiam ad Luc. XIX, 7.

[6] Scriptum est *alvaggeljo þairh lokan*; cum in codice nostro *lukan* legatur, ex alio codice illud desumptum esse apparet; sic etiam *vaurþun afar þo*, quæ verba certe ad Luc. IX, 28 pertinent, in cod. nostro legimus addito *þan* : *vaurþun þan afar þo* (intell. *vaurda*).

[7] V. c. cum formulæ *sunus mans* apud Matthæum (IX, 6; X, 23; XI, 19) articulus addi soleat, apud Marcum omittitur II, 10; VIII, 31, 38; IX, 9, 12, 31; X, 33, 45; XIII, 26; XIV, 41, quod apud Lucam etiam plerumque factum est.

[8] I, 6 in textu *haiþivisk* — margine *vilþi*; I, 11

Digitized by Google

reliquis evangeliis interpolatus [4] apparet. Quod his indiciis docti de Luca et Marco invenimus, idem de *Matthæo* et *Joanne* statuendum esse alii libri gothici probant; in codicibus enim Ambrosianis fragmenta evangelii Matthæi leguntur, in quibus discrepantiæ a textu codicis Argentei sunt [2]; deinde in opusculo illo theologico, de evangelio Joannis scripto (*Skeireins*), loca pleraque hujus evangelii citantur, e quibus auctorem illius opusculi textum a nostro diversum habuisse apparet [6].

Considerantibus has diversitates, eas leviores modo esse neque illa retractatione versionis prioris aut indolem aut æqualitatem interlisse cognoscitur. *Epistolæ* utrum jam ad Istri ripas conversa fuerint Gothis, an demum in Italia, decernere non audemus nos quidem, quamquam nihil cogitare possumus, quod ne fieret, impedimento fuerit. Quæ autem fragmenta ad nostram ætatem pervenerunt, ea posteriori tempori tribuenda esse, inde disci potest, quod non solum cum codicibus italicis fere conspirant, sed etiam quod novas formas (vid. ad Thess. I, IV, 14), novas syntaxis rationes (vid. ad Coloss. IV, 16) multasque proprietates supra indicatas continent. Earum autem epistolarum etiam duas exstitisse recensiones discrepantia codicum indicat [7]; de antiquiore illa quantum superest verbis contextis ediimus (cod. Carol. et cod. B), altera, cujus varietatem in adnotatione subjunximus (cod. A), recentior esse videtur : nam duo illi codices, quos significavimus, nullas habent adnotationes marginales, certe non eas, quibus variæ lectiones aut glossæ indicantur [8], in altero autem recentior ætas, nisi e variis lectionibus margini appictis [9], certe e frequentissima lectionum emendatione ad græcum textum facta [10] et ex singulari scriptura sæpe obvia cognoscitur. Huc

in þoseí vaila galeikaida — þukei vilda; V, 4 *gatamjan — gabindan;* XII, 24 *mela — bokos.*

[4] Vid. Not. [5] col. 473.

[2] XXVI, 72 cod. Arg. *afaiaik* — cod. Ambr. *laugnida;* XXVI, 75 *afaikis — invidis;* XXVII, 1 *runa — garuni;* ibid. *gudjans — þai gudjans.*

[3] VI, 11 cod. Arg. *gaþ dē siponjam* — Skeir. *gaþ siponjam;* eodem versu *þei — ei;* VI, 13 *fimf. — þaim ·e·;* paulo post *hlaibam þaim barizeinam — hlaibam barizeinam;* eodem versu *þaim matjandam — at þaim matjandam;* VII, 46 *andhofun — anduhofun þan;* VII, 48 *farisaie — þize farisaie;* ut omittamus quod VIII, 47 pro *sijuþ* scriptum est *siuþ* et VI, 9 *tvans* pro *·b·.* Caterum in textu evangelii Joannis singularia fere hæc inveniuntur : *dahþe* pro *duþe* (quod etiam VI, 65; VIII, 47 legitur) aut *duþþe*, vid. glossar. voc. *þata;* usus frequentissimus particularum *þaruh* et *þauh* pro græco δέ et καί, vid. glossar. hh. vv.; *uh* enclíticum et *ize* relativum ad reddenda participia græca, vid. glossar. voc. — *uh* et grammat. ubi de participio agitur; usus particulæ *ith* in sententiis adversativis, ubi textus græcus non agnoscit, vid. ad Joan. VI, 58; usum particulæ *iþ* pro græco εἰ conditionali Joannes cum Luca communem habet.

[4] Epistolarum duplicem recensionem in cod. A et B contineri Cast. ad Tim. I, II, 6 negat, quod cod. A plerumque cum cod. B concinat. Sane sunt loci, ubi uterque codex eamdem lectionem, quamquam qui locos a Castillionæo citatos diligenter examinat, eorum numerum multo minuendum esse videbit; sed esse etiam, eosque non « *admodum paucos* », uti Cast. ait, quibus discrepent quis intelligens atque prudens negabit? Has autem lectionis diversitates nuncupavimus vestigia recensionis duplicis vel revisionis, non versionis plane novæ, uti Cast. non intellexisse videtur. Neque nobis, nos errasse, Castillionæus tam facile persuasit, quam Massmanno MGA. 1840, p. 157.

[5] Margini codicis B adscriptæ sunt litteræ numerales et solæ et voce *laiktjo* addita, quarum illis capita, his prælectiones ecclesiasticæ indicantur; de iis vide infra; quod ad Cor. I, XV, 57 *sihu* legitur, Castillionæus conjecturam suam, quasi 218 versus significarent, ne sibi quidem ipsi probavit, nec nobis litterarum illarum significatio perspecta est, nisi forte quis respiciens sensum versiculi, in quo Deus victoriam nobis per Jesum Christum dedisse dicitur, litteras illas latinas esse conjecit pro *si. h. v.* = signo hoc vinces, ut theologus gothicus indicare voluerit, cives ea tessera usos victoriam de hostibus suis nescio externis aut internis reportaturos esse.

[6] Rom. IX, 13 in textu *fijaida* — marg. *andvaih* (?); X, 7 ἄνω — .. *vjo* (in quo fragmento non adverbium, sed verbum pro ἄνω *ustuhan* latere suspicamur, fortasse *usfarjon*), Cor. I, IX, 9 *ni faurmuljais auhsau þriskaidai — ni faurvaipjais munþ auhsau þriskandin;* 19 *gageigaidedjau — gastaistaldjau;* 21 *gageiggau — gavandidedjau;* 22 *waiva — vaila;* X, 30 *andnima — brukja;* XIII, 3 *ei gabrannjaidau — ei wopau;* 5 *ni sokeiþ sein ain — ni inaljanoþ sein ain;* XV, 33 *riurjand — fravardjand;* II, I, 8 *afsvaggvidai veseima — skamaidedeima;* II, 11 *galiginondau — gafaihondau;* 15 *fraqistuandam — fralusnandam;* III, 14 *afdaubnodedun — gablindnodedun;* V, 12 *uskannjaima — anafilheima;* XII, 7 *hunþo — gairu;* XII, 15 *laþaleiko — gabaurjaba;* Gal. II, 5 *gastandei — þairhvisai;* 6 *andsitaiþ — nimiþ;* 8 *gatavida — vaurhta;* IV, 3 *uf stabim fairwaus — uf tugglam;* 13 *siuksin — unmahtí;* 21 *niu hauseiþ — niu usluggvuþ;* VI, 3 *fraþjamarzeins ist — sik silbam uplutonds ist;* Eph. I, 9 *bi viljan sein fauragaleikaida imma — ana leikainai þoei garaidida in imma;* 14 *gafreideinais — ganistais;* II, 3 *viljans — lustuns;* ibid. *vistai barna hatisis — us saiveinai urrugkai;* II, 10 *godaim — þiuþeigaim;* III, 10 *filufaihu — managnandei managei* (?), quarum adnotationum maxima pars interpretationes, aliæ emendationes secundum græcum textum (Cor. I, XIII, 3; Gal. II, 6; Eph. I, 9) aut secundum latinas versiones (Gal. IV, 21; Eph. II, 5), aut lectiones codicis B continent (Cor. II, I, 8; XII, 15).

[7] Cor. I, XVI, 2 cod. B *taujai* (faciat) — cod. A *tagjai* c. gr. omn. ποιέτω; II, I, 8 *skamnideideima uns — afsvaggvidai veseima* hæsitantes essemus, quod gr. ἐξαπορηθῆναι propius accedit; 10 *vailamerjada* evangelizatur — *merjada* prædicatur, c. gr. omn. κηρυχθείς; II, 13 *imma* εἰ — *im* iis, c. gr. omn. αὐτοῖς; III, 3 *svikunþ* manifestum — *svikunþai* manifesti, c. gr. omn. φανερούμενοι; III, 9 *us vulþau* e gloria — *in vulþau* c. gr. omn. (ἐν δόξῃ); VIII, 19 *miþ gasinþa* cum sociis — *miþgasinþa* consocius, c. gr. omn. συνέκδημος; 20 *bivandjandam* devitantibus — *bivandjandans* devitantes, c. gr. omn. στελλόμενοι; 22 *filaus mais* multo magis — *filu* multo, c. gr. omn. πολύ; XIII, 5 *ibai* num (μήτι, ἄρα) — *nibai* nisi, c. gr. plerisque εἰ μήτι; Eph. I, 22 *all* omne — *alla* πάντα; II, 2 *aivis* ævi — *fairwaus* mundi, c. gr. omn. κόσμου; II, 5 *sijum* sumus — *sijuþ* estis, c. gr. omn. ἐστέ; vice versa IV, 25; IV, 28 *ak* sed — *iþ* verum, c. gr. omn. δέ; IV, 30 *þammei* quo — *in þammei*, c. gr. omn. ἐν ᾧ. Varietates permultæ aliæ utriusque codicis ita sunt comparatæ, ut uterque græcos diversos secutus sit, cod. A autem maxime eos, quorum origo italica est certa : Cor. II, II, 12. cod. B : *in aivaggeljon* εἰς τὸ εὐαγγέλιον — cod. A. *in aivaggeljons* διὰ τὸ εὐαγγέλιον; 16 *dauþaus* θανάτου — *us dauþau* ἐκ θανάτου; III, 9 *andbahti* διακονία — *andbahtja* διακονία; V, 12 *hairtin* καρδίᾳ — *in hairtin* ἐν καρδίᾳ; VII, 3 *gasviltan* ἀποθανεῖν — *miþgasviltan* συναποθανεῖν; Eph. I, 19 *in uns* εἰς ἡμᾶς — *in izvis* εἰς ὑμᾶς; Philipp. III, 13 *ni þau* οὐκ

Digitized by Google

referimus frequentem assimilationis usum, qua *h* littera finalis in eamdem primam sequentis vocis mutatur, quæ figura cum rarius in evangeliis, certe iis, quæ in codice Argenteo continentur, nec nisi ante *þ* inveniatur [1], rarius etiam in cod. B, in cod. A ante omnes liquidas et medias litteras adhibetur [2]; deinde usum simplicium vocalium in terminationibus pro diphthongis [3] omissionem litterarum exilius sonantium in fine verborum [4]; evitationem quorumdam generum hiatus interposita *j* littera [5]. Quibus omnibus collectis (eaque copia multis facile aliis augeri potest), aperte indicatur, linguam gothicam antea rudem, agrestem, inconditam ab iis, qui librorum sacrorum interpretationi gothicæ denuo operam dederunt, ab incorrupta integritate ad peregrini sermonis consuetudinem deflexam et emollitam esse.

Reliqua sunt fragmenta *veteris testamenti*, pauca quidem, sed idonea ad certissimam conjecturam faciendam, plerosque certe libros ejus gothice fuisse conversos; libros enim levioris argumenti præ gravioribus a Gothis linguæ patriæ traditos vix credibile esse, sed procul dubio cæterorum etiam librorum versionem exstitisse, supra ostendimus. Ea autem translatio ætati esse videtur tribuenda, postquam Gothi in Italia sedes ceperunt. Nam cum non ex hebraico codice fluxerit, sed e translatione Septuaginta interpretum ea, quæ Complutensis editionis fons fuit, id quod ex collatione gothicæ cum Complutensi facile cognoscitur [6], Complutensem autem ex italicis codicibus confectam esse constet [7], gothicam etiam versionem, saltem fragmenta nostra, ex libris italicis haustam atque in Italia factam esse apparet.

Ad argumenta, quibus nostram versionem plerasque mutationes in Italia passam esse supra probavimus, hæc etiam certiora adjici possunt: post inscriptiones singulorum librorum ponitur *dustodeiþ* vel *anastodeiþ*, i. e. *incipit* [8], quod in græco nullo, verum in latinis plerisque invenitur [9]; in fine epistolarum additur *ustauh*, i. e. *explicit* [10] sive præmissa brevi significatione, ad cujus ecclesiæ christianos apostolus epistolam scripserit [11], sive indicato loco, unde illas miserit [12]. Quas subscriptiones cum ab Euthalio, episcopo Alexandrino, medio sæculo quinto demum factas esse inter omnes constet [13], illo autem tempore neque Ulfilas adhuc inter vivos esset, nec Visigothi sedes antiquas ad Istrum incolerent, nec Ostrogothi, mortuo Attila rebellantes et novas sedes quærere parantes, his rebus vacasse videantur; quo

(ἄρα) — *ni nauh* οὔπω. Rarissime lectiones codicis A græcorum auctoritas deficit, ut Cor. II, VII, 9 ubi pro *in vaihtai* legit *vaihtai*, cum in præpositionem omnes gr. agnoscant: sic IX, 2 ubi *wopam* (gloriamur) pro *wopa* (glorior) nec græci nec latini habent; XIII, 7 *ungakusanai* cum (reprobi) cum solo cod. Lincolniensi, quantum sciamus, pro *gakusanai* (δόκιμοι) legit; quod denique Coloss. III, 1 pro *þarei*, quod omnes codd. (οὗ) postulant, *þar* (ibi) præbet, librarii errore positum esse suspicamur. Reliquæ quæ intercedunt diversitates, non sensum aut textum diversum præbent, sed continent diversitates interpretandi, sic Cor. II, VII, 8 B *auk* — A *unte*; IX, 2 *gavagida* — *usnagida*; Gal. II, 6 *vulþris* — *vulþrais*; VI, 1 *alsaiwands* — *andsaiwands*; Eph. I, 14 *izei* — *saei*; III, 10 *managfalþo* — *filufaihu*; III, 19 *du* — *in*; VI, 11 *diabulaus* — *unhulpins*; VI, 18 *vakandans* — *duvakandans*; Coloss. III, 5 *sinnon* — *vinna*.

[1] Quod scribitur *jan-ni* Matth. XXV, 42 et *jassa* XXVI, 2, ea. e cod. Ambros. sunt.

[2] Præterquam quod illa mutatio ante *þ* admittitur, idem fit quoque ante liquidas: *l* Cor. II, I, 8. (aliter VII, 8.) Eph. III, 18; *m* Philipp. III, 17; *n* Cor. I, X, 20; II, I, 18, 19; III, 13; V, 12; VIII, 5; Philipp. III, 3. alii.; *r* Cor. II, VIII, 10 cf. ad IV, 6; *s* Cor. I, V, 8; II, 2; II, VIII, 15; VII, 3; Philipp. IV, 2; ante medias: *b* Cor. I, X, 21; II, VII, 15; IX, 4; *g* Cor. II, II, 7; V, 5, 18; VIII, 23; Eph. IV, 24; *d* Cor. II, II, 16; quid? quod ante *k* tenuem litteram assimilatione utitur Cor. I, VII, 16.

[3] Sic *i* pro *ei*: Cor. II, XIII, 3 *siukiþ*, Gal. VI, 3 *þugkiþ* pro *siukeiþ*, *þugkeiþ*; *e* pro *ei*: Cor. II, V, 21; VIII, 16; Gal. VI, 13; Eph. II, 16; Philipp. II, 26 *ize* et *þize* pro *izei* et *þizei*. Contra in mediis vocibus pleniores præfert sonos, scribit enim Cor. II, I, 12 *usmeitum*. Gal. III, 19 *þizeiei*. Col. IV, 7 *tykeikus* pro *usmetum*, *þizeei*, *tykekus*.

[4] Cor. II, XIII, 5 *þau*; XII, 2, 3; Eph. II, 12 *inu* pro *þauh* et *inuh*.

[5] V. c. pro *ia* scribit *ija* in *frijaþva* omnibus locis, ubi id verbum legitur pro *friaþva*; *iai* — *ijai* in *sijai* Philipp. IV, 5; Col. IV, 6; *aiï* — *aiji* in *saijiþ* Cor. II, IX, 6; Gal. VI, 7, 8; *eiha* — *eijha* in *freijhals* Cor. II, III, 17 multisque aliis locis. Contra *iu*, pro quo antea *ju* scribi solebat, maxime in cod. A restituitur, in *siuþ* et *siuþ* Cor. II, II, 17; III, 3; VI, 16; XIII, 9; Eph. II, 8, 10; IV, 1; Philipp. III, 3.

[6] Vid. Esdr. II, 31 ubi *anþaris* vulgo omissum c. Complut. (ἑτέρου) addit; 39 *þusundi* ·ιε· — χίλιοι δι-κοσιπτά, lectioni Complut. pro χίλιοι ἑπτά; Neh. V, 13 ab initio c. Complut. addit *jah* (καίγε); sic vs. 14 *þiudanis* (βασιλεῖ) post *artarksairksaus* Ἀρθασασθά et ibidem καὶ ἐγώ pro ἐγώ, nisi quod verbis transpositis *ik jah* legit; paulo post cum vulgo scriptum sit βίαν αὐτῶν οὐκ ἐφαγον καὶ τὰς βίας τὰς πρώτας ἃς πρὸ ἐμοῦ ἐβάρυναν ἐπ' αὐτούς, Goth. cum Complut. legit ἄρτον τῆς ἡγεμονίας μου οὐκ ἐφάγομεν, οἱ δὲ ἄρχοντες οἱ ἔμπροσθέν μου ἐβάρυναν ἐπὶ τὸν λαόν, convertit enim: *hlaif fauramaþleis meinis ni matidedum. iþ fauramaþljos þaiei ve um saura mis kauridedun þo managein*; vs. 15 pro δίδραχμα cum Complut. legit σίκλους (*sikle*); pro ἐκτετναγμένοι αὐτῶν ἐξουσιάζονται cum eodem libro παιδάρια αὐτῶν ἐκυρίευσαν (*skalkos ize fraujinodedun*), et sic porro. Cum textus gothici cum complutensi cōnsensum jam Speciminis editores indicaverunt, sed non omnibus locis id ab iis factum est, ubi Goth. cum illo libro consipirat.

[7] Vid. epistolam ad Leonem X summum episcopum, Complutensi præfixam.

[8] Vid. evangelia Marci et Lucæ, epistolas ad Corinthios alteram, ad Ephesios, ad Thessalonicenses alteram, ad Timotheum priorem (ad h. l.) et ad Titum; abrupte incipiunt epistolæ ad Galatas, et, quia cod. A inscriptiones et subscriptiones non habet, ad Timotheum altera; reliqua vero evangelia et epistolæ sunt ἀκέφαλα.

[9] Cf. Wetstenium l. l. pag. 305.

[10] Vid. epistolas ad Romanos, ad Corinthios utramque, ad Galatas, Ephesios, Colossenses, Thessalonicenses alteram. Cæterum quod *explicit* gothicum *ustauh* reddidimus, voce latina usi sumus, pro qua rectius *perfecit* dicendum erat; cf. Grimmium W. J. LXX pag. 34.

[11] Sic in cod. B esse solet.

[12] Sic in cod. A, qui etiam duas sæpe subscriptiones conjunctas habet.

[13] Absolvit autem Euthalius illam operam anno 458. Vid. Mill. prolegg. 940 et 944. Cæterum in librorum fine illud *explicit* ponere, jam sæculo quarto Romanos esse solitos, ex Hieronymi epistola 28, 4 cognoscimus.

Digitized by Google

alio tempore, nisi postquam occupaverunt Italiam et — si etiam de reliquis Gothis dicendum est — Galliam eorum libri illas inscriptiones et subscriptiones acceperunt? E latinis libris Gothos etiam indicem lectionum ecclesiasticarum, additamenti eodem tempore cum subscriptionibus introducti [1], in sua biblia transtulisse, earum appellatio *laiktjo* argumento est; illas enim sectiones Gothi si e Græcis libris hausissent, verbum a *siggvan* (ἀναγιγνώσκειν) ductum formassent, ut græco ἀνάγνωσις responderet, nunc autem vocem mere latinam posuerunt [2]. Præter hanc divisionem, secundum lectiones factam, alia in utroque codice secundum capitula, sed diversa apparet. Nam quæ in cod. B solo leguntur, maximam partem cum Euthalianis conspirant, quas præterea habet cod. A et B, cum nulla librorum aliorum divisione congruunt [3]. Pro his divisionibus, ut id hoc loco moneamus, evangelia in codice Argenteo secundum canones, Eusebianis non absimiles, divisa sunt [4], qui a primo interprete an ab aliis appicti sint certo dici non potest.

Postquam de fontibus egimus, unde versio gothica, quam nunc habemus, composita sit, sequitur altera quæstio de ratione, quomodo Ulfilas interpretis munus administraverit, qua quæstione profligata intelligi poterit, quid utilitatis novi testamenti crisis inde capiat.

Ulfilam religiosissime sequentem textus græci auctoritatem verbum de verbo reddidisse omnes fere consentiunt, sed eam fidem servilem plerique tamque superstitiosam cogitaverunt, ut vituperandane sit magis quam laudanda, in incerto relinquatur. Nam qui ita græcos secutum eum dicunt, ut vel formis passivis pro mediis græcis, male intellectis, utatur, quid aliud agunt, quam ut Gothum imperitiæ linguæ græcæ atque adeo suæ ipsius accusent? Sed iidem tamen Gothum modo accuratiorem græci textus imitationem oblitum esse dicunt, modo græcorum auctoritatem deseruisse, id ubi aut soni suavitas aut sermonis gothici ingenium postulaverit [5]. Si vero ita convertit de græcis, ut suæ etiam linguæ leges observaret, quis eum, cujus sola fides laudanda sit, servilem in modum interpretatum esse contendat? Neque verum est, quod alii viri docti [6] Ulfilam græcum exemplar totidem sæpe verbis interpretatum esse, obscura obscure vertisse, ambigua in ambiguitate reliquisse, syntaxin græcorum collocationemque verborum servavisse aiunt, ut in ejus libro græcum habeamus textum gothicis quidem vocabulis convestitum, borealibus tamen idiotismis plane carentem. Sed non solum per se incredibile est, hominem sapientem suo se sensu ita privasse, ut librorum sacrorum interpretationem faceret ita comparatam, ut ejus verba legentes neque intelligerent, nec ullum inde fructum perciperent, cum tamen spectasset id, ut cives doctrina christiana e bibliis hau-

[1] Vid. Mill. prolegg. 941.

[2] Appositæ sunt hæ lectiones margini codicis B et quidem Cor. I, xv, 58; II, III, 4; v, 11; VIII, 1; IX, 1; XI, 29 (quarum quinque lectionum Euthalius quatuor tantum agnoscit). Gal. v, 2, 25; Eph. v, 1, 5; Philipp. I, 21; III, 1; IV, 1; Thess. I, III, 1; Philem. 12.

[3] In epistola ad Romanos, nisi in cod. Carol. ad XII, 1 *i* et ad XIII, 1 *e*, nullæ divisiones adscriptæ apparent; in priore ad Corinthios (cod. A) ad XI, 3 ponitur *h* (8), ad XIV, 26 *ie* (15) ad XV, 58 *iz* (17); legitur præterea etiam ad XI, 25 *e* (5), qua Euthalianam divisionem indicari Castillionæus existimat, cf. Knittelium pag. 384. In altera ad Corinthios legitur in cod. B ad I, 3 *a* (1). I, 15 *b* (2). II, 12 *g* (3). IV, 1 *e* (5). IV, 7 *q* (6). V, 12 *z* (7). VII, 4 *h* (8). VIII, 1 *þ* (9). IX, 3 *i* (10). XI, 21 *ia* (11); litteram *d* (4) Castillionæus (ad II, 1, 3) omissam aut ita interiisse dicit, ut nulla ejus vestigia deprehenderit; cæterum Euthaliana sectio prima ponitur ad I, 1; octava ad VII, 2; decima ad X, 1; undecima ad XI, 1: in cod. A duæ tantum notantur sectiones ad V, 11 *d* (4) et ad VIII, 1 *q* (6), quæ cum græcis omnino non congruunt. In epistola ad Galatas in cod. B ad II, 11 *g* (3). ad IV, 21 *þ* (9). ad V, 13 *ia* (11), ad VI, 11 *ib* (12), compluribus omissis; in cod. A ad III, 27 *g* (3); ad IV, 13 *d* (4). Epistola ad Ephesios cod. A ad II, 1 *a* (1). Epistola ac Thessalonicenses priore cod. B ad II, 17 *b* (2). III, 11 *g* (3). IV, 13 *e* (5). II, III, 6 *e* (5), 16 *q* (6). Tim. I. II, 1 *d* (4). V, 3 *ia* (11). VI, 11 *iz* (17). II, II, 14 *e* (5). IV, 1 *h* (8).

[4] Hos canones primus Lye editioni Benzelianæ apposuit; qui ab Eusebianis discedunt, sunt hi: evangelio Matthæi: sect. *md* VI, 9: Eus. VI, 14; *mq* VI, 20: VI, 19; *ne* VII, 15: VII, 13; *nþ* VII, 19: VII, 21; *jþ* VIII, 22: VIII, 23; *ųd* X, 33: X, 32; *rq* XI, 16: XI, 14; *rz* XI, 18: XI, 15; *tme* XXVII, 51; XXVII, 52; evangelio Marci sect. *b* I, 4: Eus. I, 3: *g* I, 6: I, 4; *þ* I, 14: I, 15; *ka* II, 13: II, 14; *kþ* III, 13: III, 14; *mq* IV, 34: IV, 35; *mz* IV, 35: IV, 36; *nq* VI, 12: VI, 13; *nh* VI, 15: VI, 16; *j* VI, 18: VI, 21; *jþ* VI, 54: VI, 53; *ud* VII, 30: VII, 31; *uq* VII, 37: VIII, 1; *pg* VIII, 29: VIII, 30; *ųd* IX, 33: IX, 32; *ra* IX, 49: IX, 44; *rb* IX, 50: IX, 49; *rih* XI, 5: XI, 4; *rl* XII, 12: XII, 13; *rnþ* XIV, 8: XIV, 7; *rpe* XIV, 50: XIV, 49; *rųq* XIV, 68: XIV, 69; *rųþ* XV, 1: XV, 2; *s* XV, 2: XV, 3; *sa* XV, 3: XV, 4; *sþ* XV, 20: XV, 21; evangelio Lucæ *b* I, 55: II, 6; *g* I, 36: II, 8; *i* III, 15: III, 16; *ia* III, 16: III, 17; *ib* III, 17: III, 19; *lb* V, 10: V, 11; *mh* VI, 21: VI, 22; *na* VI, 26: VI, 25; *jþ* VII, 18: VII, 19; *uh* VIII, 11: VIII, 12; *rpz* XV, 3: XV, 4; *rų* XV, 11: XV, 12; *rųb* XVI, 13: XVI, 14; *rųþ* XVII, 3: XVII, 4; *sq* XVII, 24: XVII, 25; *siq* XVIII, 14: XVIII, 15; *ska* XVIII, 27: XVIII, 29; *ske* XVIII, 43: XIX, 1; *slg* XIX, 35: XIX, 32; *sld* XIX, 37: XIX, 36; *slq* XIX, 40: XIX, 41; evangelio Joannis *nq* VI, 35: VI, 37; *jg* VI, 48: VI, 49; *jd* VI, 49: VI, 50; *ua* VI, 63: VI, 64; *ub* VI, 64: VI, 65; *ug* VI, 65: VI, 66; *ųa* X, 15: X, 16, *ųb* X, 16: X, 17; *ųg* X, 39: X, 40; *rh* XII, 27: XII, 28; *rkq* XIII, 36: XIII, 37; *rlb* XIV, 25: XIV, 26; *rlz* XV, 16: XV, 17; *rlh* XV, 17: XV, 18; *rmd* XV, 23: XV, 24; *rme* XV, 24: XV, 25; *rmq* XVI, 2: XVI, 1; *rmz* XVI, 4: XVI, 5; *rmþ* XVI, 15: XVI, 16; *rne* XVII, 25: XVII, 26; *rjþ* XVIII, 19: XVIII, 18; *rųz* XVIII, 28: XVIII, 29; *ruþ* XVIII, 35: XVIII, 34; *rų* XIX, 6: XIX, 7. Præterea canones in codice adscribere librarius nonnunquam omisit, desiderantur enim Matth. VII, 15 *nq*; VII, 17 *nh*; XXVII, 51 *tmd*; XXVII, 62 *tna*; Marc. XVI, 11 *sld* et 12 *sle*; Luc. IV, 24 *ka*; VI, 6 *mb*; VII, 11 *js*; IX, 37 *ųþ*; X, 1 usque ad 10, 29 deinceps quinque sectionum numeri ab *rz* usque ad *rib*; X, 29 *rkb*; XVI, 13 *rųa*; XVII, 7 *sa*; Joan. XV, 23 *rmg*.

[5] Vid. Zahnium ad Luc. XIX, 31 et Einleit. pag. 30, 2.

[6] Uti Castillionæus *Specim.* præf. pag. XX, quem virum præstantissimum nunc, multo Ulfilæ usu atque familiaritate edoctum, aliter sentire autumamus, ut ipse eos non laudet, qui sententiam illam ad verbum suam reddiderunt, quod fecit Aschbachius l. l. pag. 35.

Digitized by Google

rienda imbuerentur atque confirmarentur; sed etiam demonstrari perfacile potest, Gothum suæ linguæ copiis ita usum esse ejusque leges ita observasse, ut translationem vere gothicam, non græcam verbis gothicis vestitam exhibuisse dici possit [1]. Nam neque articulum ponit, nisi ubi sermo gothicus eum admittit, neque morem græcum cum subjecto neutro pluralis verbum singularis numeri conjungendi imitatur; duali numero sæpius, quam in græcis fit, et loco genitivorum a substantivis pendentium sæpissime dativis utitur (cf. ad Joan. VIII, 34); prædicatum non casu cum subjecto congruo ponit, sed addita *du* præpositione reddit; duobus verbi temporibus contentus neque ad reddendum futurum, neque ad præterita distinguenda novas formas inducit; tempora non computat annorum, sed hiemum spatiis (vid. ad Matth. IX, 20, et Luc. II, 42), non noviluniis, sed pleniluniis (vid. ad Coloss. II, 16), et quis enumerare potest, quoties verba transponit, neque negationem quidem solum, de qua re supra diximus, sed etiam alia (vide e Matthæo solo VII, 24 *vaurda meina*, gr. μοῦ τοὺς λόγους. 24 *jainamma razna* — οἰκίᾳ ἐκείνῃ, sic VIII, 13; IX, 26; VIII, 3 *þata þrustfill is* — αὐτοῦ ἡ λέπρα. 8 *uf hroi mein* — μοῦ ὑπὸ στέγην. IX, 6 *þana ligr þeinana* — σοῦ τὴν κλίνην. 27 *ïesua jainþro* — ἐκεῖθεν τῷ Ἰησοῦ. XI, 10 *sa ist auk* — οὗτος γάρ ἐστι. XXVII, 45 *varth riqis* — σκότος ἐγένετο. 46 *weila niundon* — ἐννάτην ὥραν: quoties nullam auctoritatem secutus verba quædam addit, uti Matth. V, 17 *ik;* 19 *sah*, quod respondet prægresso *saei;* VIII, 26 *ïesus* (quod etiam Syr. et Vulg. versiones addunt); IX, 17 *biþeh þan;* X, 28 *þatainei*, quod præter Tertullianum advers. Gnost. pag. 829 (nostr. Patrol. tom. II, col. 139), sed alio loco positum (*qui solum corpus occidant*), nullus liber habet; XI, 23 *eis;* XXVII, 15 *warjanoh;* quoties alia omittit, uti eodem evangelio XXV, 43 ἡμῖν; XXVII, 16 λεγόμενον; quoties rerum ac notionum amplificationes admittit, de qua re vide ad Matth. IX, 8 et 23. cf. ad Cor. I, IX, 25; quoties verba græca, sæpius posita, variis gothicis reddit, uti Matth. V, 23, 24 *aibr, giba* (δῶρον) VI, 2, 5 *andnemun, haband* (ἀπέχουσι) 1, 2 *laun, mizdon* (μισθόν) 19, 20 *hlifand, stiland* (κλέπτουσι) 27, 28 *maurnan, saurgan* (μεριμνᾶν) VII, 13 *inngaggan, inngaleiþan* (εἰσέρχεσθαι) 17, 18 *gods, þiuþeigs* (ἀγαθός) 24, 26 *vair, manna* (ἀνήρ) IX, 17 *niujata, juggata* (νέον) 32, 33 *bauds, dumbs* (κωφός) XXVI, 70, 72 *laugnida, afaiaik* (ἠρνήσατο); cf. Maresh. pag. 472 sq. Massm. B. A. 1834 pag. 962; ex quibus omnibus, nec solum in Matthæo inventis, verum in reliquis etiam evangeliis et in epistolis, Ulfilam non inepte græcissare, sed sermonis gothici et morum indolem fideliter servare apparet. Neque in altera illa recensione, quam posteriore tempore factam et stylo græcis accuratius respondente elaboratam esse supra diximus, proprietates linguæ gothicæ ita interierunt, ut pro græca verbis gothicis vestita haberi possit. Quæ qui considerant, Ulfilam, quantum pro intelligentia fieri poterat, græcorum vestigia religiose persecutum, ubi autem linguæ indoles sic postularet, illorum auctoritate contempta sensum tamen probe atque recte reddidisse sentient.

Sunt quidem loca, ubi minus accurate convertisse videtur; id autem omnibus fere linguarum peregrinarum interpretibus accidit, ut aut a singulorum verborum auctoris significatu aberrarent, aut ejus sententiam non assequerentur, aut morum aliarum gentium institutorumque notitiam non satis paratam haberent. Neque Ulfilam, linguæ græcæ egregie peritum et præcipua arte opus suum facientem, ab ea culpa liberare nobis animus est, qui sacerdotes Judæorum in classes descriptos easque singulas singulis hebdomadibus munere sacro functas fuisse nesciret, nam ἐφημερία Luc. I, 5 et 8 nec per *afar* (post i. e. posteri, posteritas), nec per *kuni* (genus, gens, familia) convertendum erat, neque laudamus, quod Matth. V, 26 *minaista* (minimus) pro ἔσχατος (*aftumista*), Marc. I, 4 *aflageins* (depositio) pro ἄφεσις (*fralet*), Luc. VI, 44 *trudan* (calcare) pro τρυγᾶν, Cor. II, XI, 20 *in arbaidai briggan* pro ἐκαίρεσθαι posuit, cf. Castill. ad Coloss. II, 23; his locis verborum singulorum significationem accuratius investigare neglexit, quod etiam in reddendis particulis quibusdam ei accidit, vid. ad Cor. I, IV, 5; VII, 17; II, XI, 16. Huc ea pertinent loca, ubi interior linguæ græcæ cognitio ei defuit, sic Joan. VIII, 25 τὴν ἀρχήν male convertit, quod vitium etiam ab interpretibus compluribus latinis commissum est; aut verborum ordinem secundum leges communes recte quidem, sed cum sensus detrimento mutavit, vid. ad Joan. XIV, 11; aut verba græca explicatu facilia liberius quam ad sensum reddendum accommodatius convertit, qualia loca sunt Cor. I, XII, 15, vid. ad h. l.; Rom. XI, 24 ubi κατὰ φύσιν et παρὰ φύσιν opposita non solum non reddidit, sed prioris enuntiati sensum pervertit, nam pro *us vistai þis vilþeis alevabagmis*, e natura hujus agrestis oleæ, si græcis ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἀγριελαίου respondere debebant, *us þamma* (*bi*) *vistai* — *alevabagma* scribendum erat. Ubi propter defectum formarum, quibus tempora verbi signantur græca accuratius reddere non potuit, nulla quidem dignus est vituperatione, sed et Cor. I, XVI, 3 δοκιμάσητε præterito *gakusuþ* pro *gakiusiþ* et Joan. V, 45 ubi participium κατηγορῶν circumscriptione relativa reddidit, præsente *vrohei þ* pro *vrohida* rectius uti poterat. Quotquot autem loca his addi possunt, quibus Ulfilas aliquid humani est passus [2], tamen pro tanto opere eorum numerus tam exiguus et peccata tam levia sunt, ut ejus interpretatio pro optima habenda sit; illa autem loca maxime hanc ob causam indicavimus, ne quis Gothum ibi variam græcorum lectionem secutum arbitretur.

Cæterum sæpius factum est, ut scripturæ similitudine sive singularum litterarum, sive verborum

[1] Vid. Grimmium de hac re docte, uti solet, disputantem *Gramm.* præf. p. XLVI editionis prioris.

[2] Vid. ad Marc. XII, 13, Luc. XVI, 16; XVII, 22; Thessal. I, V, 23.

Digitized by Google

compendiis in suo codice deceptus aliter atque nunc in græcis est, converterit. Nunc non de locis Marc. VII, 3; Cor. II, V, 10; Philipp. IV, 8 dicetur, nam ibi pro πυγμῇ, διά et ἀγνά etiam interpretes latini aliique scriptores πυκνά (vel simile quid), ἴδια et ἅγια legerunt, ita ut in aliquot libris ejusmodi varietas exstitisse videatur; neque eamdem ob causam Cor. II, I, 24 huc trahendum est, nam pro χαρᾶς non Gothus solum χάριτος legit, verum etiam codd. 37, 71 et versio Armenica; cum priore autem illo codice Gothus sæpissime conspirat. Citamus potius loca Marc. IX, 18, ubi pro ῥήσσει legit ῥίπτει et Thessal. I, V, 14, ubi ἀνέχεσθε pro ἀντέχεσθε; quamquam sunt etiam, qui his locis cum Gothi lectione consentiant, et illo quidem 12 ap. Mi., hoc 74 ap. Griesb., sed cum iis libris consensus aut nullus, aut tam rarus est, ut hic casu quodam et fortuito concinere et librariis idem, quod Gotho accidisse videatur; idemque de Luc. I, 10 statuimus, ubi et a Gotho et a librariis codicis 131 et evangeliarii 44 pro προσευχόμενον falso προσδεχόμενον lectum est. Falso eum legisse multo clarius apparet Luc. VII, 25, ubi græci omnes τρυφῇ habent, ipse autem convertit, quasi τροφῇ (*fodeinai*, vid. Matth. VI, 25, 26; Luc. V, 16; Eph. V, 29; Skeir. 50, 14) scriptum reperisset; sic Joan. XVI, 6 cum *gadanbida* (obduravit) scripserit, πεπώρωκεν pro πεπλήρωκεν (*usfullida*) legisse existimandus est; et fidem habent Mareshallus et Benzelius, qui Ulfilam Marc. X, 22, χρήματα pro κτήματα, et Matth. XXVII, 52, κεκοιμημένων pro κεκοιμημένων per similem errorem legisse existimant, vid. ad hh. ll.; neque minus idoneis argumentis ad Marc. X, 24 comprobavisse nobis videmur, Gothum πεποθηκότας interpretatum esse pro πεποιθότας; sic Marc. XV, 29 præpositiones παρά et πρό in compositione eum non recte distinxisse vidimus, *nisi* potius librarius in codicem mendum intulit; neque improbabile videtur interpretem nostrum Luc. XIX, 2 ὑποστρέψαι festinatione quadam abreptum pro ὑπέστρεψεν et 18, 35 προσαιτεῖν pro προσαιτῶν legisse, deinde Cor. II, III, 7 ἐνδόξῃ cum ἐνδόξῃ et Luc. VIII, 53 εἰδότες cum ἰδόντες permutavisse. Ad Luc. III, 14 nos probasse conjecturam Mareshalli, judicantis Ulfilam pro ἀρκεῖσθε fortasse ἄρχετε aut ἄρχεσθε legisse, nunc pœnitet, propterea quod nullum verbum cum *valdan* compositum illud ἄρχειν continet, et *ganohidai sijaiþ*, quod in margine scriptum est, glossa potius quam varia lectio esse videtur. Quod vero Marc. XV, 24 et Luc. XV, 8 τίς cum τις, Cor. I, X, 17 et Philipp. I, 16 οἱ cum οἳ (cf. Luc. VIII, 14), Gal. II, 17 ἄρα cum ἆρα permutata inveniuntur; id sola interpretis negligentia factum est; fieri autem facilius poterat propter accentus et spiritus antiquitus omissos. His etiam in locis cavendum est, ne quis a Gotho varietatem græci textus redditam opinetur.

Restat, ut de iis etiam locis loquamur, ubi Ulfilas vitia contra linguæ suæ leges commisisse videtur, quo in numero ea maxime sunt, ubi oblitus verborum structuræ, quam sermonis gothici ratio postulabat, græca sola secutus negligentius convertit; sic Luc. I, 9, *klauts imma urrann du saljan atgaggands* pro *atgaggandin*, quia in græco est ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι εἰσελθών. Cor. I, VII, 10 sq. *þaim liugom haftam anabinda qenai — jah aban* pro *abin*, Gothus ita propter græcum γυναῖκα — καὶ ἄνδρα; Luc. XVI, 18 *wasuh saei afletands — jah liugando* pro *afletiþ jah liugaiþ*, nam participia græca ἀπολύων καὶ γαμῶν enuntiato relativo redditurus erat, *sed* posito pronomine relativo etiam participia pro verbis ipsis addidit; vid. etiam quæ ad Coloss. II, 14 et III, 5 adnotavimus et cf. Luc. IX, 13 *maiso fimf hlaibam jah fiskos twai*, ubi cum pro græco ἢ πέντε ἄρτοι dativum post comparativum solitum posuisset, pergendum erat *fiskam twaim*, sed consilii oblitus cum græcis, qui recte ἰχθύες δύο habent, ipse male nominativo pergit; sic etiam Matth. VIII, 15 fortasse rectius pro *heito*, quod cum græcis ponit, *heitons* posuisset, propter præcedens *heitom*. Alia loca, quæ huc trahi possint, habent, quo defendantur, uti Joan. VI, 63 *þo vaurda þoei ik rodida izwis. ahma ist jah libains ist*, ubi verbum *ist* Gotho non ad subjectum *vaurda*, sed ad prædicata *ahma* et *libains*, quibus appositur, pertinere visum est, sic etiam e latinis Cantabrigiensis et Corbeiensis converterunt. Sæpius autem in eo erravit, quod substantivis adjectivorum formas, ab illorum genere abhorrentes, apposuit, quæ loca collegimus ad Nehem. VI, 16.

Maximam autem ex comparatione interpretationis nostræ utilitatem nasci ad restituendam textus græci integritatem nemo adhuc negavit: quamquam enim non pauca enumeravimus loca, in quibus Ulfilas sive per errorem, sive de consulto a græcis discessit, et permulta etiam alia sunt, ubi eum sermonis gothici ingenium a diligentiore græcorum imitatione avocavit; tamen versionem nostram primo omnium loco ponere non dubitamus, propterea quod non solum fidissime græca reddidit, sed etiam quia nulla alia lingua græcæ propius cognata, nulla magis idonea est, quæ textus græci tamquam imaginem exprimat, quam gothica. Fuerunt quidem qui versionem syriacam anteponerent [1], sed si varietatum nubem ab hominibus linguæ syriacæ peritis adductam [2] contemplamur et versionis gothicæ præ illo exiguum numerum computamus, syriacam nulla re nisi ætate esse præstabiliorem apparebit. Oportet autem eum, qui de dignitate versionis alicujus recte statuere vult, ejus linguæ, qua est conscripta, eam peritiam habere, ut quæ sint varietates in illa, quæ linguæ proprietates probe dignoscere queat; qua peritia destituti, qui comparationem textus græci cum versione Ulfilana instituerunt, fieri non potuit quin rem successu minus prospero gererent. Ea imperitia Zahnius initio se prohibitum esse fatetur, ne omnes lectiones a græcis discrepantes notaret; postquam autem peritior fieri cœpisset, operi perficiendo parum idoneum se præbuisse videtur.

[1] Vid. Heupelium l. l. 4, a, qui Franzii auctoritate permotus, versionis gothicæ præstantiam ignoravit.

[2] Vid. Scholzium I. prolegg. p. CXXI seqq.

Digitized by Google

eum mors præripuit. Quas autem varietates Griesbachius, omissis compluribus jam a Millio datis [1], ex imperfectis Junii et Knittelii editionibus adnotaverat, eas Schulzius, qui editionem Griesbachianam iterum curavit, adhibita Zahnii mala versione aliis auxit, ita tamen, ut quo consilio id fecerit, non intelligatur, qui dum paucas novas addit, sexcentas omiserit. Ne calumniari videamur, ex Joannei evangelii aliquot capitibus, quas lectiones varias tacite præterierit, liceat indicare, prætermissis tamen locis, in quibus Gothi lectio cum nullo alio libro congruit, sive ille pro arbitrio, sive propter nativam sermonis discrepantiam aliquid mutaverit, præciderit aut addiderit, v. c. x, 21 *mag unhulþo* gr. δαιμόνων δύναται (quanquam sic in cod. 235 etiam legi Scholzius adnotat); 25 ubi αὐτοῖς omittitur; xi, 4 ubi pro Ἰησοῦς ponit *is* (quod fortasse librarii *is* pro *is* scribentis error est); 6 ubi omittit οὖν; 25 ubi omittit αὐτῇ; xi. 34 *lagidedun* (posuerunt) pro τεθείκατε; xii, 6 ubi ipsa alio loco ponit *ina*, alio græci; 9 ubi addit *iesus*; 28 ubi *namo þeinata* pro σοῦ τὸ ὄνομα collocat; xii, 43 ubi *mais* alio loco ponit. Sed sunt permulta alia, ubi aut falso adnotavit, uti x, 16 ubi Gothum αὐλὴ pro ποίμνη legisse dicit, vid. nos ad h. l.; x, 18 ubi Gothi auctoritas delenda erat, nam uti ad h. l. comprobavimus, non ἀλλ' — ἐμαυτοῦ a Gotho omissa sunt, sed ἐμοῦ — αὐτὴν librarii negligentia exciderunt; x, 36 ineptit addens Gothum omittere articulum τοῦ; — quasi eum Ulfilas unquam ad vocem θεός posuisset! xi, 4 ubi αὕτη a Gotho abesse dicit, cum aperte conversum sit voce *þo*, sed per hunc errorem innumeris locis lapsus est vir ille doctus; xi, 9 et xii, 20 ubi ἐκ Gothum omisisse dicit, eam autem præpositionem Gothus post verba partitiva (πολλοί, τινές all.) fere solet omittere; xi, 33 ubi Gothum cum D aliisque latinis codicibus conspirare dicit, imo potius cum aliquot latinis apud Sabatier, qui habent: *Judæos, qui venerant* (erant) *cum ea plorantes*; aut Gothi auctoritatem aliis adnotatis non apposuit, uti x, 39 ubi Gothum οὖν c. codd. omittere non adnotat, cum mox apud eum πάλιν post αὐτόν poni dicat; sic x, 41 et 42 neque ἐποίησε σημεῖον neque εἰς αὐτὸν ἐκεῖ cum aliis legisse adnotat; xi, 21 ὁ ἀδελφός μου post ἀπέθανε (ἐτεθνήκει) ponitur; xi, 29 δέ additur; xii, 6 τοῦτο δὲ εἶπε legitur, itemque xii, 26 ἐμοί τις διακονῇ; in iisque Gothi cum aliis libris græcis consensum non indicatum esse eo magis offendit, quod aliis locis versio gothica in auctoritatum numero posita est, uti x, 10; x, 16 (ubi dubitari etiam potest, an recte factum sit, nam etiamsi γενήσεται Gothus legisset, tamen aliter scribere non potuisset), x, 29, 30, 39; xi, 17, 30, 32, 46 (ubi ne falso adnotaverit, Gothum ὅ pro ἅ legisse, veremur, nam sic pro plurali numerum singularem neutrius ponere solet); xii, 17, 37 (superfluum h. l. erat Gothum excitare, a quo cum et *galaubjan imma* et *du imma* sine discrimine dicatur, utrum εἰς αὐτόν an αὐτῷ

[1] Quod ei laudi magis, quam vituperio tribuendum esse Zahnius existimat, Einleit. p. 33*.

A lectum fuerit, certo dici non potest). Sed hæc sufficiant. Scholzius, recentissimus novi testamenti editor, ad additamenta Schulziana nihil addidit, maximam partem ejus auctoritate adductus falsane sint, an proba nihil curans, ipse etiam suo commentario adspersit, nonnullis nescio quo consilio quave causa omissis.

Diligentis critici cum esse videretur, omnes discrepantias notare, quæ inter textum græcum et versionem gothicam intercederent, id suadente Michaeli [2] nos quidem fecimus, exceptis tamen iis, quæ non ex alia lectione, sed ex diverso utriusque linguæ ingenio ortæ sunt; sic v. g. genitivus pluralis post *alls, was, sums, ainshun* pro eodem illorum verborum casu, uti Matth. vii, 17 *all bagme* (omne arborum) — πᾶν δένδρον. v, 46 *wo mizdono* (quam mercedum) — τίνα μισθόν. Joan. xii, 20 *sumai þiudo* (quidam gentilium) — τινὲς Ἕλληνες. Marc. vi, 5 *ni ainohun makte* (non unam virtutum) — οὐδεμίαν δύναμιν; circuitio infinitivi cum præpositione et articulo et eadem genitivorum absolutorum, uti Matth. xxvii, 12 *miþþanei vrohiþs vas* (dum accusatus fuit) — ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτόν. 57 *þan seiþu varþ* (cum sero fieret) — ὀψίας γενομένης; eadem infinitivi passivi, uti Marc. x, 45 *at andbahtjam* (ad servitia) — διακονηθῆναι, cf. ad viii, 31 et xv, 9; usus præteriti temporis in narratione pro præsente græco, vid. ad Matth. viii, 20 et Luc. iii, 11 et præterea multa alia, quæ enumerare longum est, non sunt varietates; eas autem invenire auxilio interioris sermonis gothici cognitionis non adeo difficile est. Inveniuntur quidem loca, ubi hæreri possit, utram lectionem Gothus secutus sit, quia eadem forma gothica duabus græcis respondet, uti Gal. vi, 2 ubi *usfulleiþ* — ἀναπληρώσατε et ἀνα πληρώσετε, Cor. I, xv, 49 ubi per *bairaima* et φορέσομεν et φορέσωμεν reddi poterat, cf. ad L. v, 30; aut particulæ græcæ diversæ a Gotho non satis diligenter sunt distinctæ, uti δέ et γάρ, δέ et καί, καί et οὖν; in his satius erit Gothum codices eos secutum dicere, cum quibus conspirare fere solet. Quæ autem lectiones revera sunt variantes, hæ eo diligentius notandæ sunt, quia versio Gothi, quæ cum nullo librorum vetustorum adhuc superstitum ita concinit, ut ex eo solo hausta dici possit, ipsa pro codice est habenda. Nam etiamsi plurimis locis evangeliorum cum codice D epistolarum cum codicibus DEFG * consentit, tamen in evangeliis illum, in epistolis hos codices Gothum esse secutum contendi non potest, quia haud pauca sunt loca, ubi ab illorum auctoritate discedit — quæ etiam causa est, cur versio gothica, cum mixtis annumeranda sit, ad byzantinam sive constantinopolitanam recensionem solam a viris doctis non debebat referri —; sic Matth. v, 46 cod. D τελῶναι, Goth. *thiudo* (ἐθνικοί); vi, 1 D δικαιοσύνην, Goth. *armaion* (ἐλεημοσύνην); vi, 4 D habet αὐτὸς, quod Goth. omittit; vi, 13 D omittit doxologiam, quam Goth. habet, et sic per-

[2] *Einleitung in die göttlichen Schriften* p. 279.

* Quos Griesbachius signat.

Digitized by Google

multa alia; idemque fit in epistolis Rom. VIII, 34 καί post ὅς habent DEFG, Goth. cum aliis omittit; IX, 18 illi legunt οὖν μοι, Goth. cum all. *mis nu* (μοι οὖν); 23 habent καί, quod Goth. omittit; 26 αὐτοί ab illis omissum Goth. addit; IX, 32 illi habent ὡς, quod cum all. Goth. omittit; XV, 11 legunt ἐπαινέσατε, Goth. c. all. ἐπαινέτωσαν, et sic sæpius.

Hæc præfati, quibus aut minus recte disputatis, aut cursim breviterque tantum attactis, judicum æquitatem atque indulgentiam rogamus, denique de codicibus versionem gothicam continentibus et editionibus a viris doctis ante hanc nostram adornatis dicemus.

Principem locum et ætate et dignitate *codex Argenteus* tenet [1]. Eum seculo XVI in monasterio Werdenensi repertum, inde sub finem ejusdem seculi [2] primum Pragam delatum, postea anno 1648 a comite Konigsmark in spoliis Holmiam missum, cum Isaaco Vossio inde anno 1655 nescimus utrum Christinæ reginæ, an hujus viri ipsius voluntate in Belgiam profectum, a comite de la Gardie auctore magno pretio [3] redemtum et involucro argenteo ornatum bibliothecæ universitatis Upsalensis donatum esse, inter omnes constat. Hic codex litteris argenteis et aureis in membranis purpureis formæ quartæ, quam vocant, sub finem seculi quinti aut initio sexti, cum Gothi Italiam incolebant, scriptus est [4]. De trecentis viginti plagulis, quibus eum constitisse divisione quaternionali comprobatur, cum repertus est, centum octoginta octo relictæ erant, quibus tempore recenti manus impia plurimum minimumque undecim detraxit [5]; itaque in libris nostris habemus e codice Argenteo ducta: evangelii Matthæi V, 15—VI, 23; VII, 12—X, 1; X, 23—XI, 23 (in quibus est plagula illa, altera parte mutila vs: 13—23); XXVI, 70—XXVII, 19; XXVII, 12—63; Marci I, 1—VI, 30; VI, 53—XII, 38; XIII, 16—29; XIV, 4—16; XIV, 41—XV, 12; Lucæ I, 1—X, 30; XIV, 9—XVI, 24; XVII, 3—XX, 46; Joannis V, 45—XI, 47; XII, 1—49; XIII, 11—XIX, 13. De iis autem in codice nunc etiam desiderantur Marc. I, 13—37; II, 15—III, 7; V, 42—VII, 33 et nisi omnia nos fallunt, Matth. XXVII, 54 usque ad finem. Evangelia in cod. Arg. non eo ordine, quem nostræ editiones servant, sequebantur, sed sic: Matthæus, Joannes, Lucas, Marcus; id autem, quod e perverso ordine, quo nunc singulæ plagulæ distractæ sunt, cognosci non potest, cognoscitur et ex ordine, quo in arcubus sub textu pictis (vid. Tab. I) sequuntur, et ex litteris numeralibus, singulis quaternionibus adscriptis, de quibus adhuc hæ exstant: *g* (3) in fol. 14 (a Matth. IX, 27 incipiente); *ie* — *k* (XV—20) in fol. 33 (Joan. VII, 16—2) fol. 101 (Joan. VIII, 57) fol. 87 [6] (Joan. XI, 22) fol. 79 (Joan. XIII, 11) fol. 73 (Joan. 16, 14) fol. 117 (Joan. XIV, 4); *kb* (22), *kd*—*kz* (24—27), *l* et *la* (30 et 31) qui quaterniones textum Lucæ continent; *le* (33) *lq* (36) *lh* (38) *lp* (39) *m* (40), in quibus quaternionibus evangelium Marci scriptum est. Supra textum plagulæ ad sinistram legitur *þairh* (i. e. κατά) intellige *aivaggeljo*, ad dextram nomen evangelistæ *matþaiu*, *iohannen*, *lukan*, *markus*; hæ inscriptiones sunt manu recentiore et male quidem scriptæ; infra illas scriptiones sequitur textus in singulis plagulis versibus vicenis conscriptus; ima plagulæ parte arcus illi, quos supra commemoravimus, in quibus loca parallela aliorum evangeliorum indicata litteris aureis scripta sunt; in marginibus leguntur litteræ numerales, canones sive sectiones indicantes (vid. Tabul. I), præterea lectiones variæ et glossæ, diversissima ratione scriptæ, aliæ enim pereleganter (uti ad Luc. VI, 49, VII, 32; IX, 13), aliæ male pictæ (uti ad Luc. VI, 27), aliæ ut litterarum ductum et colorem inscriptionum illarum æquiparent; aliæ splendorem argenteum servarunt (uti

[1] Vide copiosius de hoc codice loquentem Ihreum in dissertatione de codice Argenteo anni 1769 (*Ulfil. illustrat.* p. 184 seqq.) et præfatione in eumdem librum p. 3 sqq.; deinde Zahnium *Einleitung* p. 37 sqq.

[2] Viri docti codicem temporibus belli tricennalis Pragam delatum esse opinantes, idoneum argumentum, quo id probarent, adducere non potuerunt; jam seculo sexto decimo loco suo motum esse, cognoscitur e Richardi Streinii, Cæsari Rudolpho II a consiliis et Matthiæ archiducis palatio præfecti, libro sic inscripto: Apologia oder Schutzred uber des durchleuchtigsten Hauses Osterreich von weiland Kaiser Friderich I demselben anno 1156 erthailten ansechlichen Privilegio; eo enim in libro auctor postquam Otfridum *wamba* verbo obsceno pro ventre usum esse dixit, addit: *dess auch aber jm gottischen Euangelj buech, dessen Sr. Kay: Maytt. original haben, zur befinden*, id est, *hanc vocem etiam apud gothicum evangelium occurrere, cujus exemplar genuinum asservatur*, etc. Streinius autem cum anno 1601 obierit, codicem Argenteum, qui sine dubio idem est, quem ille ante oculos habuit, jam seculo XVI Pragam pervenisse non dubium est. Hanc notationem autem Schmellerus, vir doctissimus, cum nobis humanissime communicavit.

[3] Zahnius *Einleit.* p. 44 sq. quanti de la Gardie codicem emerit, diversas virorum doctorum senten-

tia notat; quarum hæ duæ sunt rectæ, una, qua thaleris sexcentis (intell. suecicis imperialibus), altera, qua quadringentis (intell. suecicis imper. hanc.) emisse dicitur; utraque enim summa æquiparat thaleros ducentos nostri ævi.

[4] Litteras impressas vel inustas esse primus Ihre contendere ausus est, quem secuti sunt Schmeierus et Adelungius; argumenta autem, quæ tamquam probantia Ihre affert, satis frigida esse jam Zahnius optime docuit et nos, cum illas nugas recolere taedeat, id tantum quærimus, quomodo si illo tempore artis typographicæ — nam eam cogitavisse illos viros doctos non dubium est — principia jam innotuerunt, ea ars tam longæ oblivioni rursus tradi potuerit; deinde cur librarius duplices lineas duxerit, quarum si typos excussisset, ne una quidem opus erat.

[5] Ejus furti a nobis primum cogniti et nescio qua auctoritate in ephemeridibus publicis omnium fere gentium divulgati, Anglus quidam, qui codicem contulisset, accusatus est: sed neque nos hi accusatores sumus, neque Angli nomen nobis cognitum est, qui codicem eo consilio legerit, ut usum aliquem inde faceret; mirum autem est, quod alium codicem, qui evangelia gothica continuisset, Neapoli in Anglium delatum esse Itali palam professi sunt, vid. Castill. Specim præf. p. V.

[6] Apud Ihreum *Ulfil. illustr.* p. 87 falso 187 scriptum est.

Digitized by Google

ad Marc. I, 6, 11), aliarum color adeo nigruit, ut an unquam argenteus fuerit, cognosci vix possit; alia etiam additamenta atramento et sermone latino ætate recentiore scripta inveniuntur, quibus qui scripsit, capitum numeros, argumentum singulorum versuum aut capitum, Gothum quædam omisisse (vid. ad Joan. VII, 52), significationem verborum (hæc supra verba gothica ipsa sunt scripta), in ima paginarum parte quid in sequentibus desideretur, quot foliis prætermissis continuatio sequatur, indicare voluit. Inepta manus etiam aliquot locis textum mutavit atramento argenteo, sed miseris litteris, alias verborum formas inducendo (vid. ad Matth. IX, 24 et ad Marc. IV, 7). Plura alia de scribendi ratione, compendiis, finalibus, quæque sunt hujus generis alia in palæographia gothica, grammaticæ nostræ addenda, dicemus. Cæterum maxima plagularum pars ita servata est, ut scriptura facile legi possit; sunt tamen versus et singulæ quoque plagulæ, quarum litteræ nescitur qua causa adeo deletæ sunt, ut quasi spongia abstersæ videantur neque quidquam litterarum, nisi sub luce idonea aut etiam ea paulo detracta, cognoscatur; aliis locis litterarum pigmenta membranas ita perederunt, ut singulæ litteræ et voces interierint nec nisi ex foraminibus relictis, quid scriptum fuerit, indicari queat; aliis locis litteræ aversæ paginæ adeo penetraverunt et ductibus adversæ ita sese immiscuerunt, ut diligenter discernendæ illæ sint, si in his errare nolueris. Colorem purpureum plagulæ permultæ mutarunt et aut roseum aut violaceum aut fuscum traxerunt; litteræ argenteæ maximam livuerunt aut rubiginarunt. Neque tamen metuendum est, ne codex iste omnino intereat, cum tanta cum cura Upsalienses asserverent, ut eum ad posteritatem etiam perventurum esse non temere speremus.

Codex Carolinus [1], rescriptus, quatuor foliis continet partes versionis epistolæ ad Romanos, Isidori Hispalensis originibus superscriptas; repertus est a Knittelio anno 1756 in bibliotheca Guelferbytana; membranæ sunt formæ majoris, litteræ codici Argenteo simillimæ (vid. Tabul. II, V); in Italia circa idem tempus, quo codex Argenteus, uti Knittelius existimat, scriptus, quondam in monasterium Weissenburgense [2] delatus, inde inter numerum aliorum librorum Moguntiam venundatum missus, ibi ab Henrico Julio de Blum emptus et Pragam deportatus, denique Antonio Ulrico regnante 1690 Guelferbytum pervenit, ubi hodie servatur. Continetur autem folio 277: Rom. XI, 33 — XII, 5; fol. 256: XII, 17—XIII, 5; fol. 255: XIV, 9—20; fol. 280: XV, 3—13. Paginæ divisæ sunt in duas partes, quarum in altera sinistra textus gothicus viginti septem versibus valde imparibus exaratus, in altera dextra A versio latina posita est, neque cum vulgata, neque cum textu gothico congruens.

Codices Ambrosiani numero sunt quinque, membranacei palimpsesti, e cœnobio Bobiensi, quod in Liguria situm est, Mediolanum deportati, quos omnes Castillionæus eo tempore, quo Gothi Italiæ imperium tenuerunt, scriptos esse probavit [3]. Inter eos *codex A* (S 36 part. sup.; vid. Tabul. II, III), forma quarta, nunc continet Gregorii Magni homilias in Ezechielem, sub quibus latent fragmenta epistolæ ad Romanos: VI, 23—VIII, 10; VIII, 34—XI, 1; XI, 11—33; XII, 8—XIV, 5; XVI, 21—fin.; ad Corinthios prioris I, 12—25; IV, 2—12; V, 3—VI, 1; VII, 5—28; VIII, 9—IX, 9; IX, 19—X, 4; X, 15—XI, 6; XI, 21—31; XII, 10—22; XIII, 1—12; XIV, 20—27; XV, B 1—35; XV, 46—XVI, 11; XVI, 23—fin.; ad Corinthios alterius I, 8 — IV, 10; V, 1—IX, 7; XII 1 — fin.; ad Galatas I, 22 — II, 8; II, 17—III, 6; III, 28—IV, 23; V, 17—fin.; ad Ephesios I, 1—II, 20; III, 9—V, 3; V, 17—29; VI, 9—19; ad Philippenses II, 26—IV, 7; ad Colossenses I, 10—29; II, 10—III, 8; IV, 4—13; ad Thessalonicenses prioris V, 22—fin.; alterius ad Thessalonicenses I, 1—II, 4; III, 7—fin. epistolæ; prioris ad Timotheum I. 1—9, 18—IV, 8; V, 4—VI, 13; alterius ad Timotheum I, 1—18; II, 21—IV, 16; Tit. I, 9—II, 1; Philem. XI, 23. Inscriptiones in paginarum parte superiore positæ, *du kaurinþium*, *du aifaisium* et aliæ maximam partem mutilatione membranarum interierunt, in margine variæ lectiones et glossæ (vid. not. [4] coll. 477-478) minoribus, quam in textu C sunt, inclinatisque litteris scriptæ. Cæterum codicis scripturam non ejusdem librarii esse Castillionæus judicat, nam alteram partem peritiore, alteram rudiore manu exaratam esse; et quamquam litteræ plerumque lectu non difficiles sint, tamen plagulas aliquot ita abrasas aut elutas inveniri, ut scripturam gothicam nunquam quemquam assecuturum speret. Foliorum ordo etiam ab eo, qui rescripsit, omnino perturbatus est.

Cod B (S 45 part. sup.; vid. Tabul. II, IV) eadem qua *A* forma, Hieronymi explanationem in Isaiam continet, scriptam super versionem gothicam epistolarum ad Corinthios prioris XV, 48—fin.; ad Corinthios alterius integræ, ad Galatas I, 1—II, 17; IV, 19—fin.; ad Ephesios I, 1—IV, 6; IV, 17—V, 11: VI, D 8—fin.; ad Philippenses I, 14—II, 8; II, 22—IV, 17; ad Colossenses I, 6—29; II, 11—fin.; ad Thessalonicenses prioris II, 10—fin.; alterius ad Thessalon. I, 1—5; II, 16—fin. epistolæ: prioris ad Timotheum I, 1—III, 5; IV, 1—V, 10; V, 21—VI, 16; alterius ad Tim. I, 5—IV, 11; ad Titum I, 1, 10. Litterarum forma haud inelegans quidem est, sed festinationem quamdam præ se ferre videtur. Propter recentem scripturam superinductam verba Ulfilana sæpius

[1] Vid. Knittelium p. 316 sqq.

[2] Hunc codicem ad Bobiense in Liguria cœnobium pertinuisse, unde etiam bibliothecæ Ambrosianæ palimpsesti prodiere, datis ad Angelum Maium litteris docuit v. c. Niebuhr, et eo quoque pertinuit alius, in bibliotheca Vaticana asservatus, homiliarum gothicarum fragmenta continens (Skeireins) CAST. in Addend. ad epistolam Corinth. alteram p. 85, unde Adelungium suspicantem, codicem Carol. in Hispania, Visigothorum sede, scriptum esse, erravisse apparet.

[3] Vid. Castill. *Specim.* præf. p. IV sq. XV sqq.

Digitized by Google

agre tantum cognoscuntur: plagularum ordo pariter atque in codice A perturbatus est.

Tertio loco is codex ponitur quem nos *Ambrosianum* appellavimus; sunt autem quatuor tantum pagellæ codicis, forma minore, versionem latinam evangeliorum continentis (I 61 part. super.), sub qua scriptum est interpretationis gothicæ fragmentum evangelii Matthæi, ejusque quidem partis, quæ in codice Argenteo maximam partem nunc desideratur; lucramur autem inde XXV, 38 — XXVI, 3; XXVI, 65 — 70, pergitque, postquam hoc versu cod. Argenteus incepit, cum hoc usque ad XXVII, 1. Scripturæ genus est grande et ad codicem Argenteum propius quam cæteri Ambrosiani accedit (vid. Tabul. II, II).

Supersunt deinde tria folia codicis (G 82 part. sup.), in quo scripta est commentatio in libros Regum latina; librarius in usum suum convertit codices Plauti fabularum, Senecæ tragœdiarum et interpretationis Ulfilanæ librorum Nehemiæ et Esdræ; servata sunt in quatuor pagellis de Nehemia V, 13—18; VI, 14—VII, 3; duabus de Esdra II, 8—12. Litterarum specimen redditum est Tabul. II, I.

Quinto denique loco ponimus codicem, qui *Skeirein* continet, cujus una pars Romæ in bibliotheca Vaticana cum Frontino superscripto (cod. n° 5750 membr. forma quarta) servatur, altera Mediolani (cod. Ambros. E 147, membr. forma quarta), in qua super gothica concilium Chalcedonium scriptum est; vide de eo Massmannum docte atque copiose disputantem Skeir. p. 55 sqq. Ejus autem mentionem eam ob causam hic fecimus, quia inde duximus Joan. I, 29; III, 3—5, 23—26, 29—32; V, 21—23, 35—38 et præterea alia ibi leguntur, quæ in cod. quoque Arg. exstant; eorum varietatem in adnotatione indicavimus.

Antonium Morillonem primum versionis Ulfilanæ memoriam redintegravisse supra commemoravimus; posteum Derrerus quidam totum codicem Argenteum descripsit, quæ descriptio a comite de la Gardie simul cum codice Argenteo empta et Upsaliam deportata, anno 1702 cum Olai Rudbeckii domo et libris conflagravit. Primam autem Ulfilæ editionem e codice Argenteo et Derreri illa descriptione haustam Franciscus Junius adornavit [1]; ea autem editio mendis scatet ita, ut nunc ejus nulla fere utilitas sit; accedit, quod multa addidit, quorum vestigia in codice nulla apparent, itemque omisit, quæ vel hodie sine difficultate legi possunt. Multa autem laude dignæ sunt observationes Thomæ Mareshalli, Angli, volumini priori inde a pagina 385 additæ. Haud melior evasit editio Georgii Stiernhielmii, consiliarii militaris suecici et præsidis collegii antiquitatum Holmiensis, quæ Junianam editionem paucissimis locis emendatam, permultis etiam corruptiorem repetiit [2]. Multo majore cum cura Ericus Benzelius, archiepiscopus Upsaliensis, et eo mortuo Eduardus Lye, Anglus, Ulfilam ediderunt [3]; nam Benzelius non solum lectiones permultas Junii et Stiernhielmii emendavit, sed etiam primus de nostræ versionis discrimine et consensu cum textu græco verissime judicavit; unum modo desideratum est: non omnia loca evanida atque lectu difficilia dare valuit. Eum laborem suscepit Joannes ab Ihre, regiæ cancellariæ consiliarius et professor universitatis Upsaliensis, qui totum opus ab aliquo e Stierhielmii editione describendum curavit in eamque descriptionem emendationes ex codice Arg. ipso haustas intulit [4]; eoque in negotio ea diligentia, prudentia, peritia versatus est, quam is modo, qui codicem Argenteum suis oculis vidit, satis æstimare potest. Quæ Ihre ad novam Ulfilæ editionem curandam e codice duxerat atque aliunde collegerat, cum ipsi opus perficere per fata non liceret, A. F. Buschingius, gymnasii Berolinensis director, edidit [5]. Multis annis post quod Ihreo non contigerat, ut Ulfilam totum ederet, J. Chr. Zahnio, sacerdoti saxonico, contigit [6]; is autem textum non solum fragmentis epistolæ ad Romanos a Knittelio inventis auxit [7], sed etiam adhibita multa cura et Ihrei emendationibus, supplementis, adnotationibus fidissime usus, quantum

[1] *Quatuor D. N. Jesu Christi evangeliorum versiones perantiquæ duæ, gothica scil. et anglosaxonica, quarum illam ex celeberrimo cod. Arg. nunc primum depromsit Fr. Junius. Accessit et glossarium gothicum. Dortrechti* 1665 (*Amstelodami* 1684) 2 *voll.* 4.

[2] *D. N. Jesu Christi SS. Evangelia ab Ulfila Gothorum in Mœsia episcopo circa annum a nato Christo* CCCLX *ex græco gothice translata, nunc cum parallelis versionibus sueco-gothica, norræna l. islandica et vulgata latina edita Stockholmiæ*, 1671, 4. cf. Ebert *Allgemeines bibliograph. Lexicon* II, *p.* 991.

[3] *Sacrorum evangeliorum versio gothica ex cod. Arg. emendata atque suppleta cum interpretatione latina et adnotationibus E. Benzelii edidit, observationes suas adjecit et grammaticam gothicam præmisit E. Lye, Oxonii* 1750, 4.

[4] Id exemplar, quod postremo in Heinatii, professoris Francofurtensis, possessionem venit, indeque nomine *Heynatii manuscriptum* vocatum est, Zahnius deinde in consilium adhibuit.

[5] *Joannis ab Ihre scripta versionem Ulfilanam et linguam mœso-gothicam illustrantia ab ipso doctissimo auctore emendata nonnisque accessionibus aucta, jam collecta et una cum aliis scriptis similis argumenti edita ab A. F. Büsching, Berolini* 1773, 4. In hujus libri appendice etiam *Joannis Gordoni*, juris-consulti Edinburgensis, Specimen animadversionum criticarum in priscam evangeliorum versionem gothicam continetur, optimarum observationum plenum et dolendum, quod non plura de eo linguæ gothicæ peritissimo atque subactissimi judicii viro habemus.

[6] *Ulfilas gothische Bibelübersetzung nach Ihrens Text, mit einer grammatisch-wörtlich-n lateinischen Uebersetzung, samt einer Sprachlehre und einem Glossar ausgearbeitet von F. K. Fulda, das Glossar umgearbeitet von W. F. H. Reinwald, etc. herausgegeben von J. Chr. Zahn, Weissenfels* 1805, 4.

[7] *Ulphilæ versionem gothicam nonnullorum capitum epistolæ Pauli ad Romanos e litura cujusdam ms. rescripti, qui in augusta apud Guelpherbytanos bibliotheca adservatur, etc., eruit, commentatus est atque foras F. A. Knittel* 1762, 4. Eam editionem textum accuratissime lectum et ornatum continere si Ebertus l. l. p. 992 dicit, aut immerita laude eam sustulit, aut de re sibi parum comperta confidentius judicavit; nam Knittelius, quæ facilia lectu sunt in codice, recte legit, in iis, quæ aliquanto sunt difficiliora, saepius erravit, linguæ autem gothicæ proprietates ut plane incognitæ fuerunt.

Digitized by Google

potuit, emendatissimum atque integerrimum dedit, exceptis iis locis, ubi libre ipse codicem Argenteum diligentius inspicere neglexerat. Id cum compluribus locis factum esset, Zahnius aut in errorem perductus est, aut mendas ab libreo non animadversas corrigere non potuit. Præterea optandum fuit, Zahnius majorem sermonis gothici peritiam judiciique subtilitatem habuisset; nam adnotationes, quas textui subjunxit, præter quas Mareshallo, Gordono, libreo debet, jejunæ sunt atque ineptæ, maximam partem etiam falsæ. Post Zahnium nemo fragmenta Ulfilana integra edidit; sed quæ de Matthæi evangelio supersunt, bis sunt edita a S. Henshallo, magistro anglico, et J. A. Schmellero, linguæ germanicæ in universitate Monacensi doctore [1]. Cum autem et propter priorum editionum vitiositatem et quod in iis fragmenta nuper a Maio reperta et a Castillionæo in lucem edita [2] non continerentur, nova Ulfilæ editione opus esse [3] videretur, ii deinde, quos eam adornaturos audissemus, aut diutius cunctarentur, aut consilium abjecissent, ipsi nos ad hoc opus suscipiendum accessimus, neque solum fragmenta versionis Ulfilanæ omnia colligere, sed etiam emendatius, quam adhuc factum esset, edere constituimus. Nam legentibus nobis atque diligentius relegentibus cum alteram textus partem, a Zahnio ex libri adnotationibus emendatam, tum reliqua a Knittelio et Castillionæo e codicibus hausta, permulta inventa sunt, quæ trutina examinata probari non possent quibusque nulla nisi ex iterata codicum inspectione atque recognitione medicina quæri posse videretur. Quæ cum ita essent, Upsaliam et Guelpherbytum profecti singulari humanitate et liberalitate bibliothecarum custodum summa cum laude prædicanda impetravimus, ut codicem Argenteum et Carolinum ab initio ad finem usque per otium legeremus ac perlustraremus et vitia animadversa, utrum librariorum negligentiæ, an editorum incuriæ tribuenda essent, cognosceremus. Et in utroque codice conferendo exspectatio nostra nisi superata, certe non decepta est; quas enim lectiones olim dubias nunc suspicione liberaverimus, A quam multas corruptas emendaverimus; qui adnotationes nostras perlegerit, ipse videbit. Sed multo magis, quam illi, codices Ambrosiani, quamquam a Massmanno ex parte iterum inspecti, ut denuo excuterentur necesse erat; quod cum ipsis nobis facere non liceret, Castillionæum precibus adiimus, ut conjecturas nostras, quas dubiis et aperte falsis lectionibus substitueramus, cum codicum scriptura comparare vellet: idque negotium non solum paratissimo animo atque rarissima gratificatione et benevolentia suscepit, sed etiam tanta diligentia atque accuratione gessit, ut textus epistolarum, quantum superest, quem ejus ipsius editione multo emendatiorem edidimus, summo iure Castillionæi etiam studio debeatur.

B In adornanda autem nostra editione ita versati sumus, ut lectiones codicum (in evangeliis Argentei, in epistolis codicis B) veras, non eas, quas exhibebant editiones, summa fide redderemus, exceptis iis solis, quæ aperte falso habebant, quas quidem ex legibus sermonis emendavimus, dubias autem et quarum emendatio non esset in promptu, relinqueremus intactas; in verborum autem scriptura, cum gothicarum litterarum integritatem retinere cuperemus, hanc legem servavimus, ut non *th*, *ch*, *wh*, *qu* scriberemus, sed simpliciter þ (islandicæ propriæ litteræ formam, ab aliis viris doctis jam introductam), *x*, *w*, *q* et pro *w* simplicem formam *v*; verba denique interpunctionibus diremimus frequentioribus quidem, quam in codicibus apparent, sed quæ ad sensum C explicandum utiles esse viderentur. Textui sic constituto versionem latinam addidimus, non qualem Zahnius confecit, ut verborum gothorum solorum ratione habita vel contra consuetudinem sermonis latini peccaret, sed quæ regulas latinitatis observans verbum gothicum verbo latino redderet; in quo negotio, quantum licebat, Vulgatam secuti sumus. Denique adnotationem criticam adjecimus, qua primum editionum priorum errata enumerantur, quæ quia ad historiam textus gothici pertinebant et qua diligentia quave negligentia codices a criticis adhibiti essent, cognosci

[1] Horum virorum alter, qui libellum sic inscripsit: *The gothic gospel of St. Matthew from the codex Argenteus of the fourth century with the corresponding English or Saxon from the Durham book of the eigth century, etc. by S. Henshall, London* 1807, 8. Ad textus emendationem non solum nihil contulit, sed etiam falsis verborum distractionibus aut copulationibus eum fœde maculavit; adnotationes autem textui subjectæ tam sunt perversæ atque ineptæ, ut, quæ commemorentur, non sint dignæ. Multo melius Schmellerus Matthæi fragmenta edidit hoc in libello: *Evangelii secundum Matthæum versio francica seculi IX nec non gothica sec. IV quoad superest, Stuttgart* 1827, 8. Is enim vir doctissimus textum, e Zahnii editione haustum, quam emendatissime potuit, edidit, a que etiam primus fragmentis, e codice Ambrosiano detectis, auxit.

[2] *Ulphilæ partium ineditarum in Ambrosianis palimpsestis ab Angelo Majo repertarum specimen conjunctis curis ejusdem Maji et C. O. Castillionæi editum, Mediolani* 1819, 4. — *Ulphilæ versio gothica epistolæ D. Pauli ad Corinthios secundæ, quam, etc. edidit C. O. Castillionæus, Mediol.* 1829. — *Gothicæ versionis epistolarum D. Pauli ad Romanos, ad Corinthios primæ, ad Ephesios, quæ supersunt, etc., edidit C. O. Castillionæus, Mediol.* 1834. — *Gothicæ versionis* D *epistolarum D. Pauli ad Galatas, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses primæ, quæ supersunt, etc., edidit C. O. Castillionæus, Mediol.* 1835. — *Gothicæ versionis epistolarum D. Pauli ad Thessalonicenses secundæ, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, quæ supersunt, etc., edidit C. O. Castillionæus Mediol.* 1839.

[3] Quos in errores viros nostri ævi doctissimos editionum illarum vitia perduxerint, inter alia optime cognoscitur e disputatione Graffii de infirma germanicæ linguæ declinatione conscripta, multa doctrina repleta, in Novi Diarii societatis eruditorum Berolinensium, etc., volumine altero inde a pag. 1 edita; is enim leges constituit plerasque, e lectionibus falsis deductas, quarum eum cognitis veris lectionibus, etiamsi non pœnitebit, tamen loca, quæ nunc citavit tanquam probantia, non probare id, quod voluit, ipse intelliget.

Digitized by Google

posset, nunc non omittenda esse videbantur; deinde lectiones merito suspectas indicavimus, temere in dubitationem vocatas defendimus, rationes emendationum aut explicationum ab aliis initas sub judicium vocavimus, neque ubi Gothus aut minus recte in interpretatione versatus esset, aut contra sermonem suum peccavisset, aut græca falso legisset, id animadvertere omisimus; tum textus nostri et græci vulgati frequentem discrepantiam notavimus, græcus autem vulgatus textus nobis est, quem Griesbachii editio præbet, præterque varietates ibi positas A Millium etiam et Matthæium consuluimus; denique varietates vel in altero codice inventas, vel in marginibus adscriptas ibi adjunximus, ita ut quæ in textu aliarum editionum sint, omnia, de adnotationibus, observationibus, aliorum explicandi conatibus, quæ utilia videren ur, librorum gothicorum additamenta omnia, glossæ, variæ lectiones, gothici et græci textus diversitates indicatæ inveniantur. Ut breviores esse possemus, notis usi sumus, quas a fronte horum prolegomenorum ex consulto apposuimus.

EVANGELIA.

AIVAGGELJO ÞAIRH MATÞAIU.

III, 11 Aþþan ik in vatin izvis daupja. iþ sa afar mis gaggida svinþoza mis ist. þizei ik ni im vairþs ei
V, 8 anahneivands andbindau skaudaraip skohis is. sah. þan izvis daupeiþ in ahmin veihamma. — auda-
15 gai þai hrainjahairtans. unte þai guþ gasaiwand. — ... ak ana lukarnastaþan. jah liuteiþ allaim
16 þaim in þamma razna. sva liuhtjai liuhaþ izvar in andvairþja manne. ei gasaiwaina izvara goda
17 vaurstva jah hauhjaina attan izvarana þana in himinam. ni hugjaiþ ei ik qemjau gatairan vitoþ aiþ-
18 þau praufetuns. ni qam gatairan ak usfulljan. amen auk qiþa izvis. und þatei usleiþiþ himins jah
19 airþa. jota ains aiþþau ains striks ni usleiþiþ af vitoda. unte allata vairþiþ. iþ saei nu gatairiþ
aina anabusne þizo minnistono jah laisjai sva mans. sah minnista haitada in þiudangardjai
20 himine. iþ saei taujiþ jah laisjai sva. sah mikils haitada in þiudangardjai himine. qipa auk izvis
þatei nibai managizo vairþiþ izvaraizos garaihteins þau þize bokarje jah fareisaie. ni þau qi-

INTERPRETATIO. — *EVANGELIUM PER MATTHÆUM.*

III, 11. At ego in aqua vos baptizo, verum hic post me veniens major me est, cujus ego non sum dignus, ut me-inflectens resolvam corrigiam calcei ejus; hic vero vos baptizat in spiritu sancto. — V, 8. Beati hi mundicorde, nam hi Deum vident.—15.... sed super candelabrum, et lucet omnibus his in hac domo. 16. Sic luceat lux vestra in præsentia hominum, ut videant vestra bona opera et celebrent patrem vestrum hunc in cœlis. 17. Ne putetis, quod ego venerim abrogare legem aut profetas; non veni abrogare, sed perficere. 18. Amen enim dico vobis, usque dum perit cœlum et terra, iota unum aut una linea non perit de lege, donec omne fit. 19. Verum qui nunc abrogat unum præceptorum horum minimorum et doceat sic homines, hic minimus nominatur in regno cœlorum : verum qui facit et doceat sic, hic magnus nominatur in regno cœlorum. 20. Dico enim vobis, quod, nisi plus fit vestræ justitiæ, quam horum scribarum et Farisæorum, non quidem ve-

ANNOTATIONES.

III, 11. Hunc versum et V, 8, qui in cod. Arg. non leguntur, ex libro, qui a Massmanno editus *Skeireins aiwaggeljons þairh iohannen* inscribitur, addidimus. Hic prior versus citatus est Sk. p. 14 (42). — *in — daupja*] ¶ gr. omn., deinde Goth. ° εἰς μετάνοιαν, quod in locis parallelis (Mc. I, 8; L. III, 16; J. I, 26) gr. etiam omittunt; eadem verba M. IX, 13; Mc. II, 17 et apud Goth. et apud quosdam gr. desiderantur. — *ik*] sec. ego ° gr. omn. — *anahneivands*] me inflectens, ° gr. omn., videtur ex Mc. I, 7 additum esse (cf. ad XXVII, 42). — *andbindau* — *is*] solvam corrigiam calcei ejus, gr. omn. τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. — *þan*] vero, ° gr. omn. — *veihamma*] Ulf. c. edd. ° καὶ πυρί.

V, 8. Hic versus primum editus in *Ulfilæ partium inedituram specimine* ab Ang. Maio et C. O. Castillionæo edito pag. 24, nunc repetitur Sk. p. 26 (48). — *audagai*] legunter deinde *auk þan qaþ* (enim autem dixit), quæ ab auctore hujus operis, ut verba Scripturæ sacræ cum suis cohærerent, addita sunt.

V, 15. Principium eorum, quæ conservata sunt in cod. Arg. — *lukarnastaþan*] J. St. + *lukarnastaþin*, H. ✕ div. — *liuteiþ*] utrum sic, an *liugeiþ*, quod editt. habent, in cod. Arg. scriptum sit, hodie distingui non potest; nos cum G. (Ulfil. illustr. append. p. 50) prætulimus *liuteiþ*, quod pro *liuhteiþ* (Cor. I, IV, 5) errore librarii scriptum esse, ille recte dicere videtur, vid. vs. 16 *liuhtjai*, adde Cor. II, IV, 4 *liuhtjai*, vs. 6 *liuhtida*. Singulæ litteræ librarii negligentia sæpius omissæ sunt, *h* ipsum Mc. quoque XV, 38 *als* pro *alhs*, L. VI, 12 *þairvakands* pro *þairhvakands*, VI, 17 et VIII, 4 *hiuma* pro *hiuhma*, J. VI, 12 *drausnos* pro *drauhsnos*. — *þamma*] H. ✕ *þamna*.

V, 16. *liuhtjai*] H. ✕ *liughtjai*.

V, 17. *ik*] ego, ° gr. omn., B. ✕ *ni*. — *ei ik qemjau*] J. St. + *ei qam*.

V, 18. *jah*] H. ✕ *jau*. — *allata vairþiþ*. J. St. B. ✕ *alla gavairþiþ*. H. ✕ *alla tavairþiþ*.

V, 19. *sah*] pr. Z. — *sa*; cæterum ° gr. omn. — *þiudangardjai*] H. ✕ div. — *sva*] sec. sic, ° gr.

V, 20. *ni þau*] editt. ✕ jct. — *izvaraizos garaihteins*, ¶ gr. Cæterum Ulf. ° πλεῖον.

Digitized by Google

21 miþ in þiudangardjai himine. hausideduþ þatei qiþan ist þaim airizam. ni maurþrjais. ith saei maurþreiþ.
22 skula vairþiþ stauai. aþþau ik qiþa izvis þatei wazuh modags broþr seinamma svare skula vairþiþ stauai. iþ saei qiþiþ broþr seinamma raka. skula vairþiþ gaqumþai. aþþan saei qiþiþ dvala. skula vairþiþ in
23 gaiainnan funins. jabai nu bairais aibr þein du hunslastada jah jainar gamuneis þatei broþar þeins habaiþ
24 wa bi þuk. aflet jainar þo giba þeina in andvairþja hunslastadis jah gagg faurþis gasibjon broþr þei-
25 namma jah biþe atgaggands athair þo giba þeina. sijais vaila hugjands andastauin þeinamma sprauto. und þatei is in viga miþ imma. ibai wan atgibai þuk sa andastaua stauin jah sa staua þuk atgibai
26 andbahta. jah in karkara galagjaza. amen qiþa þus. ni usgaggis jainþro. unte usgibis þana minnistan
27, 28 kintu, hausideduþ þatei qiþan ist. ni horinos. aþþan ik qiþa izvis þatei wazuh saei saiwiþ qinon du
29 luston izos. ju gahorinoda izai in hairtin seinamma. iþ jabai augo þein þata taihsvo marzjai þuk. us-
30 stagg ita jah vairp af þus. batizo ist auk þus ei fraqistnai ains liþive þeinaize jah ni allata leik þein
31 gadriusai in gaiainnan. jah jabai taihsvo þeina bandus marzjai þuk. afmait þo jah vairp af þus. ha-
32 tizo ist auk þus ei fraqistnai ains liþive þeinaize jah ni allata leik þein gadriusai in gaiainnan. qiþa-
33 nuh þau ist þatei wazuh saei afletai qen. gibai izai afstassais bokos. iþ ik qiþa izvis þatei wazuh saei afletiþ qen seina inuh fairina kalkinassaus. taujiþ þo horinon. jah sa ize afsatida liugaiþ. horinoþ.
34, 35 aftra hausideduþ þatei qiþan ist þaim airizam. ni ufarswarais. iþ usgibais fraujin aiþans þeinans.
36 aþþan ik qiþa izvis ni svaran allis. ni hi himina. unte stols ist guþa. nih bi airþai. unte fotubaurd ist
37 fotive is. nih bi iairusaulimai. unte baurgs ist þis mikilins þiudanis. nih bi haubida þeinamma svarais. unte ni magt ain tagl weit aiþþau svart gataujan. sijaiþþan vaurd izvar. ja ja. ne ne. iþ þata

INTERPRETATIO.

nitis in regnum cœlorum. 21. Audistis, quod dictum est his maioribus : ne occidas; verum qui occidit, reus sit judicio : 22. at ego dico vobis, quod quisque iratus fratri suo temere reus sit judicio; verum qui dicit fratri suo : raka! reus sit concilio; at qui dicit : fatue! reus sit in geennam ignis. 23. Si igitur feras munus tuum ad aram et illic recorderis quod frater tuus habet aliquid contra te; 24. relinque illic hanc oblationem tuam in præsentia aræ et vade prius te-reconciliare fratri tuo, et posthac accedens offer hanc donationem tuam. 25. Sis bene volens adversario tuo propere, usque dum es in via cum eo, ne quando tradat te hic adversarius judici et hic judex te tradat commentariensi, et in carcerem ducaris. 26. Amen dico tibi non exis illinc, donec reddis hunc minimum obolum. 27. Audistis, quod dictum est : ne mœcheris; 28. at ego dico vobis, quod omnis qui adspicit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus-est cum-ea in corde suo. 29. Verum si oculus tuus hic dexter sollicitet te, erue eum et projice a te; melius est enim tibi, ut perdatur unum membrorum tuorum et non totum corpus tuum cadat in geennam; 30. et si dextra tua manus sollicitet te, abscinde hanc et projice a te; melius est enim tibi, ut perdatur unum membrorum tuorum et non totum corpus tuum cadat in geennam. 31. Dictum autem est, quod quunis qui repudiet uxorem, det ei divortii libros; 32. verum ego dico vobis, quod omnis qui repudiat uxorem suam sine crimine adulterii, facit hanc mœchari; et hic qui repudiatam ducit in-matrimonium, mœchatur. 33. Iterum audistis, quod dictum est his majoribus : ne pejeres, verum reddas domino juramenta tua; 34. at ego dico vobis, non jurare omnino, non per cœlum, nam sedes est Dei; 35. neque per terram, nam scabellum est pedum ejus; nec per Jerusolymam, nam civitas est hujus magni regis; 36. neque per caput tuum jures, nam non potes unum pilum album aut nigrum reddere. 37. Sit autem verbum vestrum : sane, sane; minime minime; verum hoc

ANNOTATIONES.

v, 22. *ekulu*] pr. Schm. ✻ *sculd*.

v, 23. *jabai*] H. semper ✻ *gabai*. — *aibr*] sic cod. Arg.; neque Ihrii conjectura *bair*, neque Zahnii *libr* digna, quæ recipiatur, quia utrumque verbum auctoritate caret; nec *giba* habet, quo se commendet, cum *þein*, non *þeina*, quod *giba* postulat, in textu scriptum sit. Vocem *aibr* dubiæ originis et significationis Grim. quoque I, 44, sq. retinuit; postea autem DM. p. 25 et Gr. I, 43 (3 edit.) *tibr* conjecit, quod etiam Ett muller III.Z. 1838 n° 224 (in censura editionis nostræ) legendum esse existimat, sed vid. ad *Glossar.* v. *Aibr*.

v, 24. *andvairþja*] H. ✻ *andvirþja*. — *gasibjon*] te reconciliare, gr. omn. διαλλάγηθι. — *atbair*] H. ✻ div.

v, 25. *atgibai þuk*] ¶ gr. omn.

v, 26. *minnistan*] minimum, gr. omn. ἔσχατον, quapropter Sch. Ulfilam in suo libro ἐλάχιστον legisse suspicatur; fortasse Gothus falso vertit, quod quidem non semel tantum ei acridit.

v, 29. *þata*] J. St. ✻ *þana*. — *usstagg*] Schm. ✻ *afstagg*; codicis Arg. lectionem esse falsam pro *usstigg*, jam Grim. II, 190 ᵃ recte notavit. In codice ruasum est *a*, qua re fortasse emendatio indicatur. — *gadriusai*] Z præf. p. XIV absurde contendit Gothum legisse πέσῃ pro βλαθῇ, scilicet Ulfilam habet pro interprete verborum græcorum tenacissimo; at cf. VI, 2 *andnemum* (acceperunt) = ἀπέχουσι, et alia.

v, 30. *þeinaize*] St. ✻ *þeinlize*. — *gadriusai*] H. + *driusai*.

v, 31. *qiþanuk þan*] J. St. Hz. uti fere ubique ✻ *quiþan uhþan*; nam *uh* est particula enclitica, non proclitica, vid. Gram.; hunc errorem permultis locis Z. quoque admittit. — *wazuh*] cod. Arg. ✻ *wa* ‖ *wazuh*; sic sæpius syllabæ in lineæ antecedentis fine scriptæ, ab initio sequentis repetitæ sunt, vid. ad L. I, 65. J. IX, 41. — *qen*] Ulf. ° αὐτοῦ c. cod. 6 (uti Scholzius notat).

v, 32. *sa ize*] F. + *sa izei*; Hz. ex corr. ✻ *saize*; Z. h. l. et VII, 15 recte div., sed Mc. IX, 1 ✻ jei.

v, 33. *ni ufarswarais*] J. St. B. H. ✻ *niu farswarais*. — *usgibais*] St. ✻ *usgibas*. — *fraujin*] in cod. Arg. exceptis iis locis, ubi non de Deo aut Jesu sermo est (M. VI, 24; XXVII, 63; L. XVI, 13; J. XV, 15) semper scribitur per notam *fin* (sic etiam *fins*, *fan* pro *fraujins*, *fraujan*), quam J. St. B. H. ✻ *fanin* sunt interpretati, rectum atque integram formam primus restituit Gordon. p. 51.

v, 54. *guþs*] edit. ✻ *goþs*, H. ✻ *jþ*. Cæterum editiones semper forma *goþ*, *goþs*, etc., utuntur: Maresch. p. 408, Gord. p. 52 f. et Ih. *guþ*, *guþs* scribi merito jusserunt, vid. Joan. X, 34, ubi sine nota *guda* legitur; sic semper etiam Castill. in editione epistolarum recte dedit.

v, 35. *þiudanis*] H. ✻ *þiudanins*.

v, 36. *gataujan*] H. ✻ *gataugan* (sic v, 47).

v, 37. *sijaiþ-þan*, J. ✻ *sij aiþþan*, B. + *sijaiþ þau*, Z. ✻ *sijaiþ þan*, H. ✻ *sijai þau*, Schm. ✻ *sijaiþþan*. Veram hujus formæ naturam nullus interpretum perspexit; Z. coalusse eam putat ex *sijai* et *uþ-*

Digitized by Google

38 managizo þaim us þamma ubilin ist. hausideduþ þatei qiþan ist. augo und augin jah tunþu und tunþau.
39 iþ ik qiþa izvis ni andstandan allis þamma unselþin. ak jabai was þuk stautai bi taihsvon þeina kinnu.
40 vandei imma jah þo anþara. jah þamma viljandin miþ þus staua jah paida þeina niman. aflet imma
41, 42 jah vastja. jah jabai was þuk ananauþjai rasta aina. gaggais miþ imma tvos. þamma bidjandin þuk
43 gibais jah þamma viljandin af þus leiwan sis ni usvandjais. hausideduþ þatei qiþan ist. frijos newund-
44 jan þeinana jah fiais fiand þeinana. aþþan ik qiþa izvis. frijoþ fijands izvarans. þiuþjaiþ þans vrikan-
45 dans izvis. vaila taujaiþ þaim hatjandam izvis jah bidjaiþ bi þans usþriutandans izvis. ei vairþaiþ
sunjus attins izvaris þis in himinam. unte sunnon seina urranneiþ ana ubilans jah godans jah rigneiþ
46 ana garaihtans jah ana invindans. jabai auk frijoþ þans frijondans izvis ainans. wo mizdono habaiþ.
47 niu jah þai þiudo þata samo taujand. jah jabai goleiþ þans frijonds izvarans þatainei. we managizo
48 taujip. niu jah motarjos þata samo taujand. sijaiþ nu jus fullatojai svasve atta izvar sa in himinam
VI, 1 fullatojis ist. atsaiwiþ armaion izvara ni taujan in andvairþja manne du saiwan im. aiþþau laun ni
2 habaiþ fram attin izvaramma þamma in himinam. þan nu taujais armaion. ni haurnjais faura þus
svasve þai liutans taujand in gaqumþim jah in garunsim. ei hauhjaindau fram mannam. amen qiþa
3 izvis. andnemun mizdon seina. iþ þuk taujandan armaion ni viti bleidumei þeina. wa taujiþ taihsvo
4 þeina. ei sijai so armahairtiþa þeina in fulhsnja jah atta þeins. saei saiwiþ in fulhsnja. usgibiþ þus in
5 bairhtein. jah. þan bidjaiþ. ni sijaiþ svasve þai liutans. unte frijond in gaqumþim jah vaihstam plapjo
6 standandans bidjan. ei gaumjaindau mannam. amen qiþa izvis þatei haband mizdon seina. iþ þu þan
bidjais. gagg in heþjon þeina jah galukands haurdai þeinai bidei du attin þeinamma þammia in

INTERPRETATIO.

plus his ex hoc malo est. 38. Audistis, quod dictum est : oculum pro oculo et dentem pro dente; 39. verum ego dico vobis, non resistere omnino huic malo, sed si quis te percutiat ad dextram tuam malam, offer ei etiam hanc alteram. 40. Et huic volenti cum te judicium et pallium tuum tollere, permitte ei etiam tunicam. 41. Et si quis te cogat miliare unum, eas cum eo duo. 42. Huic oranti te des, et huic volenti a te mutuari sibi, ne avertaris. 43. Audistis, quod dictum est : ames propinquum tuum et oderis inimicum tuum. 44. at ego dico vobis : ametis inimicos vestros, benedicatis his persequentibus vos, bene faciatis his odientibus vos et precemini pro his calumniantibus vos, 45. ut fiatis filii patris vestri hujus in cœlis, nam solem suum oriri-facit super malos et bonos et pluere-facit super justos et super injustos. 46. Si enim amatis hos amantes vos solos, quam mercedem habetis? nonne etiam hi paganorum hoc ipsum faciunt? 47. Et si salutatis hos amicos vestros tantum, quo plus facitis? nonne etiam portitores hoc ipsum faciunt? 48. Sitis igitur vos perfecti, sicut pater vester hic in cœlis perfectus est. VI, 1. Curate beneficium vestrum non facere in præsentia hominum, ut videamini eis, alioquin mercedem non habetis a patre vestro hoc in cœlis. 2. Cum igitur facias beneficium, ne cornu-canas ante te, sicut hi simulatores faciunt in conciliis et in viis, ut celebrentur ab hominibus; amen dico vobis : acceperunt mercedem suam. 3. Verum te facientem beneficium ne sciat sinistra tua quid faciat dextra tua, 4. ut sit hoc beneficium tuum in abscondito et pater tuus, qui videt in absconditum, reddit tibi in aperto. 5. Et cum oretis, ne sitis sicut hi simulatores, nam amant in conciliis et angulis platearum stantes orare, ut observentur hominibus; amen dico vobis, quod habent mercedem suam. 6. Verum tu, cum oras, vade in cubiculum tuum et claudens januam tuam ora ad patrem tuum hunc in

ANNOTATIONES.

þan vel *aþþan*, quod synalœphes genus cum *aþþan* inauditum est; aliquid veri inest in altera illa opinione; Schm. videtur aliquid desiderare, quod puncto posito indicat. Res autem ita se habet : *uh* particula enclitica cum vi quadam copulativa ab initio sententiarum verbis annectitur; quod si ea vox, cui annectitur, in vocalem longam aut diphthongum desinit, ad vitandum hiatum *u* particulæ omittitur; nostro loco igitur *sijaih* pro *sijaiuh* (uti *viljauh* [Cor. I, XI, 3], *sumaih*, *þaih*, al. pro *viljau-uh*, *sumai-uh*, *þai-uh*); sin vero brevis est vocalis terminationis, ea ipsa abjicitur et integra particula *uh* additur (J. VI, 64 *vissuh*. L. VII, 6 *iddjuh* al. pro *vissa-uh*, *iddja-uh*). Deinde illud *h* sæpius subsequenti consonanti assimilatur, cf. *jaunі* XXV, 42; *jag-gabairaidau* J. III, 4; *jas-sa* M. XXVI, 71; *nis-sijai* L. XX, 16 et potissimum *sumaiþ-þan* M. XXVI, 67; J. XI, 46, *þaiþ-þan* Rom. XII, 4. Frequentatur ea figura in epistolis, vid. Mssm. Sk. p. 60.

V, 39. *allis*] omnino, ° gr. omn., solus Ptolem. ap. Epiphan. Hæres. 33, 6 testante Millio ὅλως habet.— *unselþin*] H. ✻ *unselgin*. — *taihsvon*] H. ✻ *taishuon*.

V, 40. *staua*] St. ✻ *stava*.

V, 42. *jah*] St. ✻ *jak*.

V, 43. *fiais*] St. ✻ *filis*. — *newundjan*] H. ✻ div.

V, 44. Falluntur Griesb. et Mill. opinantes Gothum καὶ διωκόντων ὑμᾶς omisisse, nam ea verbis *jah vrikandans izvis* reddidit; potius in suo codice legit et secundum eum vertit : ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς. Ita nec opus est verbo *vrikan* novam significationem tribuere, quam ejus etymon respuit, nec cum Rw. *fraqiþandans* pro *vrikandans* conjicere, cf. ad L. III, 14.

V, 45. *ana*] tert. super, ° gr. omn.

V, 46. *ainans*] solos, ° gr. omn. — *þiudo*] paganorum, gr. τελῶναι.

V, 47. *frijonds*] amicos, gr. ἀδελφούς. — *taujiþ*] H. ✻ *taugiþ*, uti vs. 36 et sæpius. — *motarjos*] portitores, gr. ἐθνικοί.— *þata samo*] hoc ipsum, gr. οὕτω.

V, 48. *fullatojai*] H. utrumque ✻ div. — *atta*] H. ✻ *attah*. — *izvar* Z. ✻ *zvar*.

VI, 1. *armaion*] St. ✻ *armajon*; cæterum gr. δικαιοσύνην. — *andvairþja*] St. ✻ *andvairþia*, H. ✻ *andvairþya*.

VI, 2. *ei*] H. ° ✻ — *hauhjaindau fram*] H. ✻ *hauhjainda ufram*. — *andnemun*] H. ✻ div. uti sæpius.

VI, 4. *sijai*] Z. ✝ *siai*. — *þeina*] gr. ante *so*. — *fulhsnja*] pr. cod. Arg. ✻ *fulhsja*. — *fulhsuja*] sec. Ulf. ° αὐτός c. codd. et vers.

VI, 5. *bidjaiþ — sijaiþ*] oretis — sitis, gr. προσευχῇ — ἔσῃ — *jah*] sec. Ulf. ° ἐν. — *plapjo*] cum in nulla germanicarum linguarum hoc verbum inveniatur, Ulfilas ex græca mutuasse videtur πλατεῖα, eamque ob causam *platjo* scribendum esse putamus.

VI, 6. *galukands*] J. St. ✻ *galaukunds* — *haurdai*] Zahnii conjectura *paurdai* non necessaria est, vid. Cor. II, II, 12.

Digitized by Google

7 fulhsnja jah auta þeins. saei saiwiþ in fulhsnja. usgibiþ þus in bairhtein. bidjandansuþ-þan ni filuvaurd-
8 jaiþ svasve þai þiudo. þugkeiþ im auk ei in filuvaurdein seinai andhausjaindau. ni galeikoþ nu maiþ.
9 vait auk atta izvar. þizei jus þaurbuþ. faurþizei jus bidjaiþ ina. sva nu bidjaiþ jus. atta unsar þu in
10 himinam. weihnai namo þein. qimai piudinassus þeins. vairþai vilja þeins sve in himina jah ana
11, 12 airþai. hlaif unsarana þana sinteinan gif uns himma daga jah aflet uns þatei skulans sijaima svasve
13 jah weis afletam þaim skulam unsaraim. jah ni briggais uns in fraistubnjai. ak lausei uns af þam-
14 ma ubilin. unte þeina ist þiudangardi jah mahts jah vulþus in aivins. amen. unte jabai afletiþ
15 mannam missadedeins ize. afletip jah izvis atta izvar sa ufar himinam. iþ jabai ni afletip mannam
16 missadedins ize. ni þau atta izvar afletiþ missadedins izvaros. aþþan biþe faistaiþ. *ni* vairþaiþ
svasve þai liutans gaurai. fravardjand auk andvairþja seina. ei gasaiwaindau mannam fastan-
17 dans. amen qiþa izvis þatei andnemun mizdon seina. iþ þu fastands salbo haubiþ þein jah
18 ludja þeina þvah. ei ni gasaiwaizau mannam fastands ak attin þeinamma þamma in fulhsnja. jah
19 atta þeins. saei saiwiþ in fulhsnja. usgibiþ þus. *ni* huzdjaiþ izvis huzda ana airþai. þarei malo jah
20 nidva fravardeiþ jah þarei þiubos ufgraband jah hlifand. iþ huzdjaiþ izvis huzda in himina. þarei
21 nih malo nih nidva fravardeiþ jah þarei þiubos ni ufgraband nih stiland. þarei auk ist huzd izvar.
22 þaruh ist jah hairto izvar. lukarn leikis ist augo. jabai nu augo þein ainfaiþ ist. allata leik þein
23 liuhadein vairþiþ. iþ jabai augo þein unsel ist. allata leik þein riqizein vairþiþ. jabai nu liuhaþ þata
24 in þus riqiz ist þata riqiz wan filu. ni manna mag tvaim fraujam skalkinon. unte jabai fijaiþ ainana. jah
aiþþarana frijoþ. aiþþau ainamma ufhauseiþ. iþ aiþþaramma frakann, ni maguþ guþa skalkinon jah
25 mammonin. duþþe qiþa izvis. ni maurnaiþ saivalai izvarai. wa matjaiþ jah wa drigkaiþ. nih leika
26 izvaramma. we vasjaiþ. niu saivala mais ist fodeinai jah leik vastjom. insaiwiþ du fuglam him nis. þei
ni saiand nih sneiþand nih lisand in banstins. jah atta izvar sa ufar himinam fodeiþ ins. niu jus

INTERPRETATIO.

abscondito, et pater tuus, qui videt in absconditum, reddit tibi in aperto. 7. Orantes autem ne multa-
loquamini sicut hi paganorum; videtur eis enim ut in multiloquio suo exaudiantur. 8. Ne similes-sitis
igitur his, scit enim pater vester cujus vos indigetis, antequam vos oretis eum. 9. Sic igitur oretis vos:
pater noster tu in cœlis, sanctificetur nomen tuum, 10. veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ut in cœlo,
etiam super terra; 11. panem nostrum hunc quotidianum da nobis hodierno die, 12. et remitte nobis,
quod rei sumus, sicut etiam nos remittimus his debitoribus nostris, 13. et ne ducas nos in tentationem,
sed libera nos ab hoc malo: nam tuum est regnum et potentia et gloria in sæcula, amen. 14. Nam si
remittitis hominibus peccata eorum, remittit etiam vobis pater vester hic super cœlis; 15. verum si
non remitti is hominibus peccata eorum, non quidem pater vester remittit peccata vestra. 16. At quando
jejunatis, ne fiatis sicut hi simulatores tristes; permutant enim facies suas, ut videantur hominibus
jejunantes; amen dico vobis, quod acceperunt mercedem suam. 17. Verum tu jejunans unge caput tuum et
faciem tuam lava: 18. ut non videaris hominibus jejunans, sed patri tuo huic in abscondito, et pater tuus,
qui videt in absconditum, reddit tibi. 19. Ne colligatis vobis thesauros super terra, ubi tinea et ærugo perdit et
ubi fures effodiunt et furantur. 20. Verum colligite vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea, neque ærugo per-
dit et ubi fures non effodiunt neque furantur. 21. Ubi enim est thesaurus vester, ibi est etiam cor vestrum.
22. Lucerna corporis est oculus: si igitur oculus tuus clarus est, totum corpus tuum lucidum fit; 23. ve-
rum si oculus tuus malus est, totum corpus tuum tenebrosum fit; si igitur lumen hoc in te tenebræ sunt,
hæ tenebræ quam multæ! 24. Non homo potest duobus dominis servire; nam si odit unum, etiam alterum
amat; aut uni obedit, verum alterum contemnit: non potestis Deo servire et mammonæ. 25. Ideo dico vobis,
ne solliciti sitis animæ vestræ, quid edatis et quid bibatis, neque corpori vestro, quo vestiatis; nonne anima plus
est cibo et corpus vestibus? 26. Videte ad aves cœli, quod non serunt neque metunt neque colligunt in horrea, et
pater vester h c super cœlis al t eas; nonne vos (*Vide* paginam sequentem.)

ANNOTATIONES.

vi, 7. *bidjandansuþ-þan*] editt. ✻ *bidjandans uþ-þan.*

vi, 8. *jus*] pr. vos, ° gr. omn., H. ✻ *gus*, ut sæpius *g* pro *j*. — *faurþizei*] H. ✻ div.

vi, 9—13. Oratio dominica sæpius, sed male repetita in libris varii argumenti, e. g. in Anonymi libro de litteris et lingua Getarum, quem edidit Bonav. Vulcan., Græteri Bragure I, p. 110. Adelungii *Mithridate II*, p. 182. — *þu*] tu, gr. ὁ, vid. ad L. vi, 20.

vi, 11. *sinteinan*] ea vox, Adelungio l. l obscuræ significationis esse visa, comparanda est cum *seinoins* Cor. II, xi, 28 = ὁ καθ' ἡμέραν; significat igitur quotidianum. — *himma daga*] editt. ✻ j t.

vi, 13. *unte — amen*] ° gr.

vi, 15. *ni þau*] editt. ✻ jct., nam *þau* pertinet ad verbum *afletiþ*.

vi, 16. *svasve*] Z. ✣ *sve.* — *fravardjand*] J. St. ✻ *fravaurdjand.*, H. ✻ *fravardjana.* — *gasaiwaindau*] J. St. ✻ *gasaiwandau.*

vi, 17. *haubiþ þein*] ¶ gr. omn.

vi, 20. *huzdjaiþ*] St. ✻ *husdjaiþ.*

vi, 24. *unte jabai* | nam si, gr. omn. ἢ γάρ, quamobrem putandus est Ulphilas leg sse *ei γάρ*, et sensus est: *nam si odit alterum, etiam alterum diligit.* In loco parallelo L. xvi, 13 etiam a græco differt Goth., vid. ad h. l. — *fijaiþ ainana*] ¶ gr. omn. — *ufhauseiþ*] obedit, gr. omn. ἀνθέξεται; Ulf. fortasse legit ὑποτάξεται, ei enim verbo respondet *ufhausjan* L. II, 51; x, 17, 20; Rom. XIII, 1. — *iþ*] verum, gr. omn. καί, pro qua græca voce gothicum *iþ* etiam aliis locis in enuntiatis adversativis ponitur (Mc. x, 42; xv, 15; cf. xv, 31).

vi, 25. *matjaiþ*] Z. ✻ *maþjaiþ.*

vi, 26. *nih*] pr. Z. ✣ *nih.* — *sneiþand*] J. St. B. ✻ *sneiand*, Bü. II. ✻ *sneidhand.* — *maisve aþrizans*] (vide quæ de h. l. ad Gal. II; 6 monuimus) sic in cod. Arg. legitur, quamquam litteræ pene legi non possunt; II. ✻ *mais reaþrizans.* Interpretes lectionem codicis Arg. merito habentes corruptam, alii aliam conjecturam proposuerunt; Gord. p. 54 *mais vairþizans*, Z. *mais sverairþans*, probante Schm., uti videtur, et Wackernagel *Deutsch. Lesebuch* I præf. p. XXIII; Rw. *Gloss.* p. 77 vulgatam defendit, sed quid *maisve* sit, nescire se fatetur; gothicam formam esse Z. *Gloss.* p. 178 recte negat. Non dubium est, quin monstrosa illa lectio librarii negligentia orta

Digitized by Google

27 maisve aþrizans sijuþ þaim. iþ was izvara maurnands mag anaaukan ana vahstu seinana aleina
28 aina. jah bi vastjos wa saurga þ. gakunnaiþ blomans haiþjos. waiva vahsjand. nih arbaidjand nih
29 spinnand. qiþuh þan izvis þatei nih saulaunoon in allamma vulþau seinamma gavasida sik sve ains
30 þize. jah þande þata havi haiþjos himma daga visando jah gistradagis in auhn galagiþ guþ sva
31 vasjiþ. waiva mais izvis leitil galaubjandans. ni maurnaiþ nu qiþandans. wa matjam aiþþau wa
32 drigkam aiþþau we vasjaima. all auk þata þiudos sokjand. vaituh þan atta izvar sa ufar himinam
VII, 12 þatei þaurbuþ — . . . jaina izvis mans. svah jah jus taujaiþ im. þata auk ist vitoþ jah praufeteis.
13 inngaggaiþ þairh aggvu. daur. ente braid daur jah rums vigs sa brigganda in fralustai jah managai
14 sind þai inngaleiþandans þairh þata. wan aggvu þata daur jah þraihans vigs sa brigganda in libai-
15 nai jah favai sind þai bigitandans þana. atsaiwiþ sveþauh faura liugnapraufetum þaim izei qimand
16 at izvis in vastjom lambe. iþ innaþro sind vulfos vilvandans. bi akranam ize ufkunnaiþ ins. ibai
17 lisanda af þaurnum veinabasja aiþþau af vigadeinom smakkans. sva all bagme godaize akrana
18 goda gataujiþ. iþ sa ubila bagms akrana ubila gataujiþ. ni mag bagms þiuþeigs akrana ubila gatau-
19 jan nih bagms ubils akrana þiuþeiga gataujan. all bagme ni taujandane akran god usmaitada jah
20, 21 in fon atlagjada. þannu bi akranam ize ufkunnaiþ ins. ni wazuh saei qiþiþ mis. frauja frauja.
22 inngaleiþiþ in þiudangardja himine ak sa taujands viljan attins meinis þis in himinam. managai
qiþand mis in jainamma daga. frauja frauja. niu þeinamma namin þraufetidedum jah þeinamma
23 namin unhulþons usvaurpum jah þeinamma namin mahtins mikilos gatavidedum. jah þan andhaita
24 im þatei ni wanhun kunþa izvis. afleiþiþ fairra mis jus vaurkjandans unsibjana. wazuh nu saei
hauseiþ vaurda meina jah taujiþ þo. galeiko ina vaira frodamma. saei gatimrida razn sein ana
25 staina. jah atiddja dalaþ rign jah qemun awos jah vaivoun vindos jah bistugqun bi þamma

INTERPRETATIO.

magis potiores estis his? 27. Verum quis vestrum sollicitus potest addere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestibus quid solliciti estis? considerate flores campi, quomodo crescunt, neque laborant neque nent. 29. Dico autem vobis, quod neque Solomon in tota gloria sua vestivit se ut unus horum. 30. Et si hoc fenum campi hodierno die existens et cras in fornace positum Deus sic vestit, quomodo magis vos parum credentes? 31. Ne solliciti-sitis igitur dicentes, quid edimus aut quid bibimus aut quo vestiamus; 32. omne enim hoc pagani quærunt; scit autem pater vester hic super cœlis, quod indigetis — VII, 12. — (fac)iant vobis homines, sic etiam vos facialis iis, hoc enim est lex et profetæ. 13. Intrate per angustam portam, nam lata porta et spatiosa via hæc ferens in perniciem et multi sunt hi ingredientes per hanc. 14. Quam angusta hæc porta et torta via hæc ferens in vitam et pauci sunt hi invenientes hanc. 15. Attendite vero a falsis-profetis his, qui veniunt ad vos in vestibus ovium, verum intrinsecus sunt lupi rapientes. 16. In fructibus eorum cognoscatis eos; num colliguntur a spinis uvæ, aut a tribulis ficus? 17. Sic omne arborum bonarum fructus bonos facit, verum hæc mala arbor fructus malos facit. 18. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. 19. Omne arborum non facientium fructum bonum exciditur et in igne ponitur. 20. Ergo in fructibus eorum cognoscatis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi: Domine! Domine! ingreditur in regnum cœlorum, sed hic faciens voluntatem Patris mei hujus in cœlis. 22. Multi dicunt mihi in illo die: Domine! Domine! nonne tuo nomine vaticinati sumus et tuo nomine dæmonia ejecimus et tuo nomine virtutes magnas fecimus? 23. Et tum confiteor iis, quod non unquam novi vos, abite procul me, vos operantes iniquitatem. 24. Omnis igitur qui audit verba mea et facit hæc, assimilo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petra, 25. et cecidit deorsum pluvia, et venerunt aquæ, et flaverunt venti, et ruerunt contra hanc

ANNOTATIONES.

sit, et cum conjectura ad medendum opus sit, nulla facilior et verior ea inveniri potest, quam Gordonus fecit; nam quod Z. addubitat, *mais* cum comparativo conjungi posse, constat non solum Græcos et Latinos μᾶλλον et *potius* cum comparativo ponere, sed etiam Islandos (vid. *Gloss.* Edd. v. *Heldr*); atque adeo ipsos Gothos ejusmodi pleonasmos sibi concedere, vid. Cor. II, VIII, 22 *mais usdaudozan*. Nostro autem loco accedit, quod Vulgata etiam *magis pluris* habet — *þaim*] J. St. ✻ *þaima*.

VI, 27. ~~*vahstu*~~] J. St. ✻ *vahstim*. — *seinana aleina*] sic ed. Arg.; editt. ✻ *seinan alleina*.

VI, 28. *saurgaiþ*] J. St. B. H. ✻ *saurjaiþ*.

VI, 29. *vulþau*] J. St. ✻ *vulþu*.

VI, 30. *jah*] pr. J. St. ✻ *jabai*. — *gistradagis*] αὔριον; vox *gistra*, cujus radix in omnibus affinibus dialectis non *cras*, sed *heri* significat, videtur errore interpretis posita esse; si quis ex bohemica lingua *zegtra*, cras, ad tuendam lectionem comparare et Ulfilam a culpa injuriæ vindicare velit, ejus in memoriam vocamus Cor. I, XV, 32, ubi αὔριον = *du maurgina*. — *waiva mais*] quanto magis, gr. οὐ πολλῷ μᾶλλον.

VI, 31. *we*] J. St. ✻ *wa*.

VI, 32. *all auk*] H. ✻ *alla uk*.

VII, 13. *vigs*] H. ✻ *vigis*; cod. Arg. *vigas*; prius autem illud *s* linea perpendiculari ab recenti manu superinducta deletum est, quam viri docti litteram *i* esse putarunt; neque tamen negamus, illum refectorem, cujus inscitia linguæ gothicæ etiam aliis locis deprehenditur, *vigis* legendum esse existimavisse. — *inngaleiþ*.] J. St. B. ✻ *ingaleiþ*.

VII, 15. *sveþauh*] J. St. ✻ *sveþau*, sic enim nusquam, sed *þau* cum *sve* compositum semper scribitur addito *h* (i. e. *uh*); male *sveþau* olim scribebatur II, 22 et 24. — *liugnapraufetum*] St. ✻ div.—*þaim izei*] J. St. Hz. ✻ jct., vid. ad V, 32.

VII, 17. *gataujiþ*] Z. ✻ *gataujit*.

VII, 23. *unsibjana*] hanc formam corruptam esse jam G. et LM. contenderunt; pro Gordoni conjectura *unsibjata* suspicamur legendum esse *unsibja*] *sawazuh nu saei*, etc.; *sawazuh* quidem frequens usus sermonis gothici postulat, vid. X, 32; cf. Mc. IX, 37; X, 11 alia. (quamquam dicitur etiam M. VII, 26 *jah wazuh saei*— J. VI, 45 *wazuh nu sa* —). *N* pro *S* et vice versa etiam aliis locis librarii ponunt, vid. Mc. VI, 2; cf. ad L. III, 14.

VII, 24. *vaurda meina*] ¶ gr. omn. h. l. et vs. 26; ceterum Ulf. utroque loco • τούτους. c. codd.

Digitized by Google

26 razna jainamma jah ni gadraus. unte gasaliþ vas ana staina. jah waxuh saei hauseiþ vaurda meina
27 jah ni taujiþ þo. galeikoda mann dvalamma. saei gatimrida razn sein ana malmin. jah atiddja dalaþ
rign jah qemun awos jah vaivoun vindos jah bistugqun bi jainamma razna jah gadraus jah vas drus
28, 29 is mikils. jah varþ þan ustauh iesus þo vaurda. biabridedun manageins ana laiseinai is. vas auk
VIII, 1 laisjands ins sve valdufri habands jah ni svasve bokarjos. dalaþ þan atgaggandin imma af fairgunja
2 laistidedun afar imma iumjons managos. jah sai. manna þrutsfill habands durinnands invait ina
3 qiþands. frauja. jabai vileis. magt mik gahrainjan. jah ufrakjands handu attaitok imma qiþands.
4 viljau. vairþ hrains. jah suns hrain varþ þata þrutsfill is. jah qaþ imma iesus. saiw ei mann ni
qiþais ak gagg. þuk silban ataugei gudjin jah atbair giba. þoei anabauþ moses du veitvodiþai im.
5, 6 afaruh þan þata innatgaggandin imma in kafarnaum duatiddja imma hundafaþs bidjands ina. jah
7 qiþands. frauja. þiumagus meins ligiþ in garda usliþa harduba balviþs. jah qaþ du imma iesus. ik
8 qimands gahailja ina. jah andhafjands sa hundafaþs qaþ. frauja. ni im vairþs ei uf þrot mein inngag-
9 gais. ak þatainei qiþ vaurda jah gahailniþ sa þiumagus meins. jah auk ik manna im habands uf
valdufnja meinamma gadrauhtins. jah qiþa du þamma. gagg. jah gaggiþ. jah auþaramma. qim. jah
10 qimiþ. jah du skalka meinamma. tavei þata. jah taujiþ. gahausjands þan iesus sildaleikida jah qaþ du
11 þaim afarlaistjandam. amen qiþa izvis. ni in israela svalauda galaubein bigat. aþþan qiþa izvis þatei
managai fram urrunsa jah saggqa qimand jah anakumbjand miþ abrahama jah isaka jah iakoba in
12 þiudangard,ai himine. iþ þai sunjes þiudangardjos usvairpanda in riqis þata hindumisto. jainar
nostro et domino Iesu Christo; 3. venerandus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et Deus omnium consolationum, 4. qui consolatus-est nos in omni sollicitudine nostra, ut possimus nos consolari hos in omnibus sollicitudinibus per hanc consolationem qua requieti sumus ipsi a Deo. 5. Nam sicut abundantia est passionum Christi in nobis, sic etiam per Christum super multum est etiam consolatio nostra. 6. At sive tribulamur propter vestram consolationem et salutem hanc efficacem in tolerantiam harum earumdem passionum, quas etiam nos patimur et spes nostra stabilita pro vobis; sive requiescimus propter vestram consolationem et salutem, 7. scientes, quod sicut socii passionum estis, etiam consolationis fitis; 8. nam non volumus vos inscios, fratres, de sollicitudine nostra hac facta nobis in Asia, nam supramodum gravati fuimus super facultatem, adeo-ut tæderet nos etiam vivere; 9. sed ipsi in nobis ipsis responsionem mortis habuimus, ut non simus fidentes in nos ipsos, sed in Deum hunc suscitantem mortuos, 10. qui a talibus mortibus nos liberavit et liberat, in quo speravimus, quod liberat. 11. In adjuvantibus etiam vobis pro nobis precatione, ut in multa præsentia hæc in nobis donatio per multos gratecommemoretur pro nobis; 12. nam gloria nostra hoc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate et sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei versati-sumus in hoc mundo, verum supramodum apud vos. 13. Nam non alia scribimus vobis, sed quæ legitis aut etiam cognoscitis; at spero, quod usque finem cognoscitis, 14. sicut cognovistis nos de quodam, nam gloria vestra sumus, sicut etiam vos nostra in die domini Iesu Christi. 15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut alteram gratiam haberetis, 16. et per vos ire in Macidoniam et rursus a Macidonia venire ad vos et a vobis deducere me in Iudæam. 17. Hoc vero igitur cogitans, num lortasse levitate usus-sum aut quod cogito, secundum carnem putem, ut non sit apud me hoc sane, sane! et hoc minime, minime! 18. At fidelis Deus, quod hoc verbum nostrum, hoc ad vos, non-est sane et minime; 19. nam Dei filius, Iesus Christus, qui in vobis per nos præ-

ANNOTATIONES.

1, 5. *jah*] pr. etiam, ° gr.

1, 6. *jaþþe gaþrafstjanda.* — *naseinais*] gr. ante *þizos vaurstveigons* et *jah naseinais.*

1, 7. *sijuþ*] gr. omn. ante *þulaine;* cæterum Goth. ° οὕτω. — *vairþiþ*] fitis, ° gr. omn.

1, 8. *unveisans*] inscios, scil. *visan.* — *svasve*] inde usque IV, 10 *unsaramma* etiam in cod. A leguntur.— *svasve.* — *liban*] cod. A *svasve afsvaggvidai veseima jal-liban* (adeo-ut hæsitantes essemus etiam vivere) « indicatur tamen et altera lectio in margine sic... *maide...* iterumque inferius in eodem margine *skamaidedeima.* » Cast.

1, 9. *sijaima trauandans*] ¶ gr. omn.

1, 10. *svaleikaim dauþum*] talibus mortibus, gr. τηλικούτου θανάτου. — *uns galausida*] ¶ gr. omn. — *ei*] Goth. ° καὶ ἔτι.

1, 11. *in managamma andvairþja*] in multa præsentia, gr. ἐκ πολλῶν προσώπων.

1, 12. *hlutrein*] sic codd. b. l. et II, 17 *hlutriþai.* VII, 11 *hlutrans;* Cast. ✻ *hautrein, hautriþai, hautrans.* — *usmetum*] cod. A *usmeitum.*

1, 13. *alja*] sec. | ἀλλ' ἤ, cf. Mc. IX, 8 ubi etiam pro ἀλλά varia lectio ἀλλ' ἤ est. — *ei*] Goth. c. codd. ° καί.

1, 14. *svasve*] pro Goth. ° καί. — *xristaus*] ° cod. A c. gr.

1, 15. *faurþis.* — *ïzvis*] ¶ gr.

1, 16. *jah þairh*] cod. A *jaþ-þairh.* — *makidonja*] cod. A *makaidonja*, sic idem II, 13 paulo infra et VII, 5 *makaidonjai;* quam varietatem lectionis non inde natam esse existimamus, uti Castil., quod Græcis et Μακηδονία et Μακεδονία scribere mos fuisset, quarum formarum alteram cod. B. per *mokidonja* (quia Ulfilæ ætate η uti ι pronuntiatum esset), alteram cod. A per *makaidonja* reddidisset; neutiquam enim Græci illis formis promiscue utebantur, sed Μακηδονία metri rationibus expostulatum apud solos poetas invenitur; potius *makidonja* formam insolentiorem esse judicamus, nec quidquam in promptu est cum quo comparari possit, præter *aggiljus* et *aggeljus* (ἄγγελοι).

1, 17. *ni*] non, ° cod. A c. gr. omn.

1, 18. *nist.*] non est, gr. οὐκ ἐγένετο. — *jah ne*] cod. A *jan-ne.*

1, 19. *vailamerjada*] cod. A *merjada.* — *teimauþaiu*] sic recte cod. B; cod. A ✻ *teimaiþaiu.* — *nih*] cod. A *ni.* — *jah ne*] cod. A *jan-ne.*

Digitized by Google

20 varþ. waiva managa gahaita guþs in imma þata ja. duþþe jah þairh ina amen guþa du vulþau þairh
21, 22 uns. aþþan sa gaþvastjands unsis miþ izvis in xristau jah salbonds uns guþ. jah sigljands uns jah
23 gibands vadi ahman in hairtona unsara. aþþan ik veitvod guþ anahaita ana meinai saivalai ei frei-
24 djands izvara þanaseiþs ni qam in kaurinþon. ni þatei fraujinoma izvarai galaubeinai ak gavaur-
II, 1 stvans sijum anstais izvaraizos. unte galaubeinai gastoþuþ. aþþan gastauida þata silbo at mis ei aftra
2 in saurgai ni qimau at izvis. unte jabai ik gaurja izvis jah was ist saei gailjai mik nibai sa gaurida
3 us mis. jah þata silbo gamelida izvis ei qimands saurga ni habau. fram þaimei skulda faginon ga-
4 trauands in allaim izvis þatei meina faheds allaize izvara ist. aþþan us managai aglon jah aggviþai
hairtins gamelida izvis þairh managa tagra ni þeei saurgaiþ ak ei friaþva kunneiþ. þoei haba usa-
5 rassau du izvis. aþþan jabai was gaurida. ni mik gaurida ak bi sumata ei ni anakaurjau allans izvis.
6, 7 ganah þamma svaleikamma andabeit þata fram managizam. svaei þata andaneiþo izvis mais fragiban
8 jah gaþlaihan. ibai auſto managizein saurgai gasiggqai sa svaleiks. inuh þis bidja izvis tulgjan in imma
9, 10 friaþva duþþe gamelida ei ufkunnau kustu izvarana. sijaidu in allamma ufhausjandans. aþþan þammei
11 wa fragibiþ jah ik. jah þan ik jabai wa fragiba. fragiba in izvara in andvairþja xristaus. ei ni gali-
12 ginondau fram satanin: unte ni sijum unvitandans munins is. aþþan qimands in trauadai in aivag-
geljon xristaus jah at haurdai mis uslukanai in fraujin ni habaida gaweilain ahmin meinamma. in
13, 14 þammei ni bigat leitaun broþar meinana. ak tvistandands imma galaip in makidonja. aþþan guþa
aviliud þamma sinteino ustaiknjandin broþeigans uns in xristau jah daun kunþjis seinis gabairhtjan-
15 din in allaim stadim þairh uns. unte xristaus dauns sijum voþi guþa in þaim ganisandam jah in

INTERPRETATIO.

dicatur, per me et Silbanum et Timotheum, non factus-est sane et minime, sed sane in eo factum-est. 20. Quam multæ promissiones Dei in eo hoc sane, ideo etiam per eum amen Deo ad gloriam per nos. 21. At hic confirmans nos cum vobis in Christo et ungens nos Deus; 22, et signans nos et dans pignus spiritum in corda nostra. 23. At ego testem Deum invoco contra meam animam, quod parcens vobis amplius non veni in Corinthum, 24. non quod imperamus vestræ fidei, sed adjutores sumus gratiæ vestræ, nam fide stetistis. II, 1. At statui hoc ipsum apud me, ut iterum in mœrore non veniam ad vos; 2. nam si ego contristo vos, et quis est qui delectet me, nisi hic contristatus a me? 3. Et hoc ipsum scripsi vobis, ut veniens mœrorem non habeam de quibus debui gaudere, confidens in omnibus vobis, quod meum gaudium omnium vestri est. 4. At e multa afflictione et angore cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut mœreatis, sed ut amorem cognoscatis quem habeo abundanter ad vos. 5. At si quis contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos. 6. Sufficiens huic tali vituperium hoc a pluribus, 7. Adeo ut hoc contrarium vos magis donetis et consolemini, ne forte pluri mœrore absumatur hic talis. 8. Propter hoc precor vos firmare in eo amorem. 9. Ideo scripsi ut cognoscam experimentum vestrum, sitisne in omni obedientes. 10. At cui quid donatis, etiam ego; et enim ego si quid dono, dono propter vos in facie Christi, 11. ut non decipiamini a Satana, nam non sumus inscii cogitationum ejus. 12. At veniens in Troadem ad evangelium Christi et in porta mihi reclusa in domino, non habui requiem spiritui meo, in quo non inveni Titum, fratrem meum, 13. sed valedicens ei ivi in Macidoniam. 14. At Deo gratias-ago huic semper efficienti victores nos in Christo et odorem notitiæ suæ manifestanti in omnibus locis per nos; 15. nam Christi

ANNOTATIONES.

I, 20. *waiva*] Goth. * γάρ. — *duþþe — ina*] ideo — eum, gr. καὶ ἐν αὐτῷ; cæterum pro *jah þairh* cod. A *jaþ-þairh*.

I, 21. *unsis*] cod. A *uns*. — *salbonds*] cod. A ※ *salbonsd*.

I, 22. *ahman*] spiritum, gr. omn. πνεύματος pendens a *vaði*, c. Goth. patres esse latinos, qui eamdem lectionem sequantur, Mill. testatur.

I, 24. *fraujinoma*] sic recte cod. A; cod. B ※ *fraujoma*. — *anstai*] gra iæ, χαρᾶς, Goth. c. codd. 37 et 71 χάριτος, legentibus consentit.

II, 1. *þata — mis*] hoc ipsum apud me, gr. omn. ἐμαυτῷ τοῦτο, in quo non solum transpositio verborum, verum etiam Gothum interpretari, quasi τὸ αὐτό (l. τοῦτο αὐτό) ἐμοί legisset, notandum est. — *qimau*] gr. post *izvis*.

II, 2. *nibai*] cod. A *niba*.

II, 3. *jah þata*] cod. A *jaþ-þata*. — *þata silbo*] gr. post *izvis*. — *faheds*] cod. A *faheþs*.

II, 4. *ak ei*] Cast. ※ jct., cæterum *ei* gr. omn. post *friaþva*. — *friaþva*] cod. A *frijaþva*.

II, 7. *izvis mais*] ¶ gr. — *jah gaþlaihan*] cod. A *jag-gaþlaihan*.

II, 8 *inuh þis*] cod. A *inuþ-þis*.

II, 9. *duþþe*] Goth. * γὰρ καί. — *sijaidu*] sitisne, gr. omn. *εἰ ἐστέ* (et *ἐστέ* quidem post *ufhausjandans*); sic Goth. *ei* indirectæ interrogationis fere solet reddere, vid. M. XXVII, 49; Mc. X, II; XV, 36.

II, 10. *fragiba*] sec. gr. ante *jabai*; cæterum Goth. c. Tertull. * ὃ (ᾧ) et pro *fragiba* cod. A bis *fragaf* (donavi) legit.

II, 11. *galiginondau*] *galiginon* Grim. W. J. XLVI, p. 193 a *ligan* proficisci et *insidiari* significare dicit; recordantes autem quod ad Mc. IX, 20 docuimus, verba in — *inon* desinentia non ad verba, sed ad substantiva referri, an vir doctissimus recte viderit, adhuc dubitamus; accedit quod secundum græcum textum (πλεονεκτεῖν) verbum non *insidiari*, sed *decipere* aut *sibi facere* significans requiritur. Cui significationi accommodatius videbatur *galiuginondau*, quod autem cum in utroque cod. legi Cast. neget, aliud emendandi periculum fecimus, fortasse enim *gaaigi-nondau* legendum est, quod verbum quanquam nullo alio loco invenitur, tamen recte ab *aigin* (possessio) ducitur et nostrum *eignen* est, eo autem melius vix aliud græco πλεονεκτεῖν respondet, idque indicare videtur etiam glossa codicis A *gafaihondau* ductum a *faihu* (divitiæ) et idem valens quod *bifaihondau* (πλεονεκτεῖν, vid. VII, 2; XII, 17, 18; Thess. I, IV, 6). Cæterum distinctio litterarum *a* et *i* in codd. gothicis iisque rescriptis difficillima est. — *unvitandans — is*] ¶ gr. omn.

II, 12. *aivaggeljon*] cod. A *aivaggeljons* c. gr. qui διὰ τὸ εὐαγγέλιον legunt.

XII, 13. *tvistandands imma*] cod. A *tvisstandans im* (iis) c. gr. omn. (αὐτοῖς); cæterum cf. ad Gal. V, 20, ubi aliter *tvisstassei* duplici *s* in cod. B, simplici in cod. A scriptum est. — *makidonja*] vid. ad I, 16.

II, 14. *aviliud*] cod. A *aviliuþ*. — *gabairhtjandin*] cod. A. *gabairhjandin*, sic. Tit. I, 3 *atbairhida*. — *þairh uns*] cod. A c. gr. omn. ante *in*.

II, 15. *xristaus*] cod. A ° ※ *voþi* | Cast. antea pro

Digitized by Google

16 þaim fraqistnandam. sumaim auk dauns dauþaus du dauþau. sumaimup-þan dauns us libainai du
17 libainai jah du þamma was vairþs. unte ni sijum sve sumai maidjandans vaurd guþs ak us hlutriþai
III, 1 ak svasve us guþa in andvairþja guþs in xristau rodjam. duginnam aftra uns silbans anafilhan aiþþau
2 ibai þaurbum sve sumai anafilhis boko du izvis aiþþau us izvis anafilhis. aipistaule unsara jus sijuþ
3 gamelida in hairtam unsaraim kunþa jah anakunnaida fram allaim mannam. svikunþ þatei sijuþ
alpistaule xristaus andbahtida fram uns inna gamelida ni svartizla ak ahmin guþs libandins ni in
4 spildom staineinaim ak in spildom hairtane leikeinaim. aþþan trauain svaleika habam þairh xristu
5 du guþa. ni þatei vairþai sijaima þagkjan wa af uns silbam svasve af uns silbam ak so vairþida
6 unsara us guþa ist. izei jah vairþans brahta uns andbahtans niujaizos triggvos ni bokos ak ahmins.
7 unte boka usqimiþ iþ ahma gaqiujip. aþþan jabai andbahti dauþaus in gameleinim gafrisahtiþ in
stainam varþ vulþag. svaei ni mahtedeina sunjus Israelis fairveitjan du vlita mosezis in vulþaus
8, 9 vlitis is þis gataurnandins. waiva nei mais andbahti ahmins vairþai in vulþau. jabai auk andbahti
10 vargiþos vulþus. und filu mais ufarist andbahti garaihteins us vulþau. unte ni vas vulþag þata vul-
11 þago in þizai halbai in ufarassaus vulþaus. jabai auk þata gataurnando þairh vulþu. und filu mais
12 þata visando in vulþau. habandans nu svaleika ven managaizos balþeins brukjaima. jah ni svasve
moses lagida hulistr ana andavleizn duþe ei ni fairveitidedeina sunjus Israelis in andi þis gataur-
14 nandins. ak afdaubnodedun fraþja ize. unte und hina dag þata samo hulistr in anakunnainai þizos
15 fairnjons triggvos visiþ unandhuliþ. unte in xristau gatairada. akei und hina dag miþþanei siggvada
16 moses. hulistr ligiþ ana hairtin ize. aþþan miþþanei gavandeiþ du fraujin. afnimada þata hulistr.
17, 18 aþþan frauja ahma ist. aþþan þarei ahma fraujins. þaruh freihals ist. aþþan veis allai andhuli-
damma andvairþja vulþu fraujins þairhsaiwandans þo samon frisaht ingaleikonda af vulþau in vulþa

INTERPRETATIO.

odor sumus bonus Deo in his salvatis et in his perditis; 16. aliis quidem odor mortis ad mortem, aliis autem odor ex vita ad vitam, et ad hoc quis aptus? 17. Nam non sumus ut quidam corrumpentes verbum Dei, sed e sinceritate, sed sicut e Deo in facie Dei in Christo loquimur. III, 1. Incipimus iterum nos ipsos commendare? aut num egemus, ut quidam, commendationis litteris ad vos aut e vobis commendationis? 2. Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris cognita et lecta ab omnibus hominibus. 3. Manifestum, quod estis epistola Christi ministrata a nobis, intus scripta non atramento, sed spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordium carnalibus. 4. At fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, 5. non quod digni simus cogitare quid a nobis ipsis, sicut a nobis ipsis, sed hæc dignitas nostra a Deo est, 6. qui etiam dignos reddidit nos ministros novi testamenti, non litteræ, sed spiritus; nam littera perdit, verum spiritus vivum facit. 7. At si ministerium mortis in scriptis insculpta in lapidibus fuit gloriosum, adeo ut non possent filii Israelis intueri in faciem Mosis propter gloriam faciei ejus hanc cessantem, 8. quomodo nonne magis ministerium spiritus fiat in gloria. 9. Si enim ministerium damnationis gloria, in multo magis abundat ministerium justitiæ e gloria. 10. Nam non fuit gloriosum hoc glorio-um in hoc dimidio propter abundantiam gloriæ; 11. si enim hoc cessans per gloriam, in multo magis hoc exsistens in gloria. 12. Habentes igitur talem spem multa fiducia utamur, 13. et non sicut Moses posuit velamentum in faciem ut non intuerentur filii Israelis in finem hujus cessantis; 14. sed obduratæ sunt mentes eorum, nam ad hodiernum diem hoc ipsum velamentum in lectione hujus veteris testamenti manet non revelatum, nam in Christo cessat. 15. Sed ad hodiernum diem dum legitur Moses, velamentum jacet in corde eorum; 16. at dum convertit ad dominum, demitur hoc velamentum. 17. At dominus spiritus est; at ubi spiritus domini, ibi libertas est. 18. At nos omnes revelata facie gloriam domini perspicientes hac eadem imagine transfor-

ANNOTATIONES.

præpositione (*in*) habentem erravisse, jam Grim. W. J. XLVI. p. 208 vidit, cum enim εὐωδία interpretandum esset, *dauns* autem in universum *odorem* significaret, restabat εὐ, quod Goth. addito *vopi* (ducis, jucundus) adjectivo reddidit, cf. Eph. v, 3 *du daunai vopjai* (εἰς ὀσμὴν εὐωδίας); cæterum vid. ad Neh. VI, 16. — *fraqistnandam*] cod. A marg. *fralusnandam*.

II, 16. *auk*] ° cod. A. — *dauþaus*] cod. A c. codd. *us dauþau*. — *us libainai*] e vita, gr. ζωῆς. — *jah du*] cod. A *jad-du*.

II, 17. *sijum*] cod. A *sium*. — *sve*] cod. B ° ✕ — *sumai*] quidam, gr. aut πολλοί aut λοιποί. — *ak*] Goth. c. codd. ° ὡς. — *hlutriþai*] vid. ad I, 12.

III, 2. *jus sijuþ*] cod. B ✕ *jusijuþ*, sic Gal. II, 8 *vaurstveigatavida* et cod. A infra IV, 5 *unskalkans*, cf. Mc. X, 44.

III, 3. *svikunþ*] manifestum, cod. A *svikunþai* (manifesti) græco accommodatum; lectio recepta constructionem germanicarum linguarum propriam præbet, cf. ad Mc. VI, 3. — *sijuþ*] cod. A *siuþ*. — *svartizla*] quid codd. vere habeant, magna est dissensio: Cast. ipse ediderat ✕ *svartizaai*, nunc nobis indicavit emendandum esse in *svartizla*; Mssm. Bair. Ann. 1834 p. 325 in altero cod. *svartizai*, in altero *vartizla*, ad Skeir. autem p. 182 *svartizlai* (an in cod. B?) legi dicit. Ex his indiciis si conjecturam facere nobis licet, in cod. A *svartizla*, cod. B autem *svartizlai* scriptum esse videtur. Grim. cum W. J. XLVI. p. 203 *svartizai* aut *svartizvai* conjecisset, Gram. III. 526 etiam *svartizlai* proposuit. — *hairtane*] cordium, gr. omn καρδίας.

III, 5. *af uns silbam*] pr. gr. ante *þagkjan*. *svasve af uns silbam*] cod. A ° ✕, vid. ad R. IX, 15. — *ist* est, ° gr. omn.

III, 7. *vulþag*] gloriosum, gr. om. ἐν δόξῃ, pro quo Goth. nisi sermonem suo more variavit (vid. vs. seq.), ἐνδόξη legisse videtur. — *mahtedeina*] sic cod. A; cod. B (et Cast.) ✕ *mahtede*] *deina*, vid. ad Gal. IV, 5 et ad M. V, 31. — *fairveitjan*] gr. omn. ante *sunjus*.

III, 8. *nei*] pro *niu* aut *ni*, hoc uno loco invenitur, nec suspicione caret.

III, 9. *andbahti*] pr. cod. A *andbahtja* (ministerio) c. gr. (τῇ διακονίᾳ). — *us*] ex, cod. A c. codd. ὑπ.

III, 10. init. Gō h. ° καί.

III, 13. *jah ni*] cod. A *jan-ni*. — *moses*] cod. A *mosez*. — *andavleizn*] Goth. ° ἐκυτοῦ.

III, 14. *afdaubnodedun*] cod. A in marg. *gablindnodedun* (obcæcatæ sunt). — *þata*] Cast. ✕ *þapa*.

III, 15. *dag*] diem, ° gr. omn. præter cod. c. ap. Mi. — *ligiþ*] gr. omn. post *ize*.

III, 17. *freihals*] cod. A *freijhals*. — *ist*] sec. est, ° gr. omn.

III, 18 *frisaht*] Cast. ✕ *frisath*; de accusativo

IV, 1 svasve af fraujins ahmin. duppe habandans þata andbahti svasve gaarmaidai vaurþum ni va'r-
2 þaima usgrudjans ak afstoþum þaim analaugnjam aiviskjis ni gaggandans in varein nih galiug tau-
jandans vaurd guþs ak bairhtein sunjos ustaiknjandans uns silbans du allaim miþvisseim manne in
5, 4 andvairþja guþs. aþþan jabai ist gahulida aivaggeljo unsara. in þaim fralusnandam ist gahulida. in
5 þaimei guþ þis aivis gablindida fraþja þize ungalaubjandane ei ni liuhtjai im liuhadein aivaggeljons
5 vulþaus xristaus. saei ist frisahts guþs ungasaiwanins. aþþan ni uns silbans merjam ak iesu xristu
6 fraujan iþ uns skalkans izvarans in iesuis. unte guþ saei qaþ ur-riqiza liuhaþ skeinan. saei jah
7 liuhtida in hairtam unsaraim du liuhadein kunþjis vulpaus guþs in andvairþja iesuis xristaus. aþþan
8 habandans þata huzd in airþeinaim kasam ei uſarassus sijai mahtais guþs jah ni us unsis. in allamma
9 þraihanai akei ni gaaggvidai. andbitanai akei ni afslauþidai. vrikanai akei ni biliþanai. gadrausidai
10, 11 akei ni fraqistidai. sinteino dauþein fraujins iesuis ana leika unsaramma — uskunþa sijai. sinteino
veis libandans in dauþu atgibanda in iesuis ei jah libains iesuis svikunþa vairþai in riurjamma
12, 13 leika unsaramma. svaei nu dauþus in uns vaurkeiþ iþ libains in izvis. habandans nu þana saman
ahman galaubeinais bi þamma gamelidin. galaubida in þizei jah rodida jah veis galaubjam in þize
14 jah rodjam. vitandans þatei sa urraisjands fraujan jah unsis þairh iesu urraiseiþ jah fauragasatjiþ
15 miþ izvis. þatuh þan allata in izvara ei ansts managnandei þairh managizans aviliud ufarassjai du
16 vulþau guþs. inuh þis ni vairþam usgrudjans akei þauhjabai sa utana unsar manna fravardjada. aþþan
17 sa innuma ananiujada daga jah daga. unte þata andvairþo weilawairb jah weiht aglons unsaraizos

INTERPRETATIO.

mamur a gloria in gloriam, sicut a domini spiritu. IV, 1. Ideo habentes hoc ministerium, sicut misericordiæ participes facti-sumus, non flamus segnes, 2. sed abstitimus his occultis dedecoris non ambulantes in astutia, neque mendosum facientes verbum Dei, sed manifestatione veritatis commendantes nos ipsos ad omnes conscientias hominum in facie Dei. 3. At si est velatum evangelium nostrum, in his perditis est velatum, 5. in quibus Deus hujus sæculi obcæcavit mentes horum non-credentium, ut non in endat iis lucem evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei invisibilis. 5. At non nos ipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum, verum nos servos vestros propter Iesum. 6. Nam Deus, qui dixit e tenebris lucem splendere, qui etiam illuxit in cordibus nostris ad lucem scientiæ gloriæ Dei in facie Iesu Christi. 7. at habentes hunc thesaurum in terrenis vasibus, ut abundantia sit virtutis Dei et non e nobis. 8. In omni vexati, sed non angore-pressi; hærentes, sed non territi; 9. persecutionem-passi, sed non relicti; dejecti, sed non perditi, 10. semper mortem domini Iesu in corpore nostro — manifesta sit. 11. Semper nos viventes in mortem tradimur propter Iesum, ut etiam vita Iesu manifesta fiat in corruptibili corpore nostro. 12. Igitur nunc mors in nobis operatur, verum vita in vobis. 13. Habentes nunc hunc eumdem spiritum fidei secundum hoc scriptum: credidi propter quod etiam locutus-sum, et nos credimus, propter quod etiam loquimur, 14. scientes quod hic suscitans dominum etiam nos per Iesum suscitet et constituit cum vobis. 15. Hoc vero omne propter vos, ut gratia abundans per plures gratiam augeat ad gloriam Deo. 16. Propter hoc non fimus segnes, sed etiamsi hic extra noster homo corrumpitur, attamen hic interior renovatur die et die. 17. Nam hoc præsens momentaneum et leve tristitiæ nostræ ad abun-

ANNOTATIONES.

Græcorum more posito. vid. ad J. XI, 44. — *ahmin*] sic recte cod. A; cod. B ✕ *ahmins*.

IV, 1. *andbahti*] cod. A *andbahtei*. — *vairþaima*] cod. A *vairþam* (fimus) c. omnibus fere gr. lectio codicis B c. Patrr. lat. conspirat. — *usgrudjans*] sic codd.; Cast. ✕ *ustrudjans*, sic vs. 16, vid. ad L. XVIII, 1.

IV, 2. *nih*] cod. A *ni*.

IV, 3. *jabai*] Goth. c. codd. ° καί.

IV, 4. *guþ*] adest punctum ad ostendendum hoc verbum separandum esse a sequentibus (Cast.), ut illud τοῦ αἰῶνος τούτου non referatur ad θεός, sed ad ἀπίστων, quomodo contendunt etiam omnes qui contra Manichæos et Marcionitas rem habuerunt (Mill.) — iis, ° gr. *liuhadein*] sic cod. B et Cast; nisi eodem mendo, quo VIII, 8, *s* finale excidit, aut pro accusativo casu (ut non incendat lucem evangelii sc. Deus) aut pro dativo (ut non luceat luce evangelii sc. Deus) accipiendum est; neutrum adjectivi *liuhaleins* (M. VI, 22) haberi posse vix credimus. Pro *liuhadein* cod. A *liuhadeins* legit, quod cave nominativum esse censeas, nam substantiva in — *eins* innixa, a verbis nascuntur, est potius genitivus vocis *liuhadei* (vid. vs. 6), quæ sola forma statuenda est, de *liuhaþ* formata. Genitivus autem pendet a *ni* particula, si ita dici licet, cf. M. IX, 36 *ni habandona hairdeis*. Mc. XII, 19 *barne ni bilei þai*. L. II, *ni vas im rumis*.— *ungasaiwanins*] ° cod. A c. gr.

IV, 5. *iesu xristu*] ¶ gr. omn. — *uns skalkans*] vid. ad III, 2.

IV, 6. *ur-riqiza*] sic codd. pro *us riqiza*, quod genus assimilationis consonantium alias in sola verborum compositione locum habet. — *jah*] etiam, ° gr. omn., Goth. c. vers. Arm.

IV, 7. *habandans*] habentes, gr. omn. ἔχομεν. — *sijai mahtais*] ¶ gr. omn.

IV, 8. *akei*] pr., ° cod. B.

IV, 10. *fraujins*] domini, ° gr. — *unsaramma*] nostro ° gr. Post hoc verbum desunt in cod. A duæ paginæ (textum hinc usque ad V, 1 *gatimrjon* continentes); librarius autem codicis B in errorem inductus repetitione verborum *leika unsaramma* in eodem versu, omisit ea quibus Goth. græca περιφέροντες ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν interpretatus erat, vid. ad Rom. IX, 15.

IV, 11. *sinteino*] Goth. ° γάρ.

IV, 12. *nu*] nunc, ° gr. omn.

IV, 13. *jah*] pr. etiam, ° gr. omn.

IV, 14. *fraujan*] Goth. ° Ἰησοῦν.

IV, 16. *usgrudjans*] vid. ad vs. 1. — *aþþan*] h. l. = ἀλλά, Grim. igitur III 275 minus recte docet pro ἀλλά neque ïþ nec *aþþan* poni debere, uti h. l. etiam infra II, 6 et sine dubio *aþþan* 1, IX, 2 pro *aiþþau* legendum est, ut Cast. jam suspicatus est. Ponitur autem *aþþan* pro ἀλλὰ prægresso *jabai* vel *þauhjabai* (etsi) et significat *tamen, attamen*. — *innuma*] sic sine dubio in codice legitur, uti Rom. VII, 22, Eph. III, 16, vid. ad Col. I, 29; Cast. ✕ *innuna* pro quo Grim. W. J. l. l. p. 187 *innana* scribendum esse putavit.

IV, 17. *veilawairb jah*] momentaneum et, ° gr. — *weiht*] sic cod. B; Grim. W. J. l. l p. 212 sq. *leiht*

Digitized by Google

18 biufarassau aiveinis vulþaus kaurein vaurkjada unsis ni fairveitjandam þizei gasaiwanane ak þizei unga-
v, 1 saiwanane. unte þo gasaiwanona riurja sind iþ þo ungasaiwanona aiveina. vitum auk þatei jabai airþeina
unsara gards þizos hleiþros gatairada. ei gatimrjon us guþa habam gard umhanduvaurhtana aiveinana
2 in himinam. unte jah in þamma svogatjam bauainai unsarai þizai us himina ufarhamon gairnjandans.
3, 4 jabai sveþauh jah gavasidai ni naqadai bigitaindau. jah auk visandans in þizai hleiþrai svogatjam
kauridai. ana þammei ni vileima afhamon ak anahamon ei fraslindaidau þata divano fram libainai.
5, 6 aþþan saei jah gamanvida uns du þamma guþ. saei jah gaf unsis vadi ahman. gatrauandans nu sin-
7 teino jah vitandans þatei visandans in þamma leika afhaimjai sijum fram fraujin. unte þairh galau-
8 bein gaggam ni þairh siun. aþþan gatrauam jah valjam mais usleiþan us þamma leika jah ana-
9 haimjaim visan at fraujin. inuh þis usdaudjam jaþþe anahaimjai jaþþe afhaimjai vaila galeikan
10 imma. unte allai veis ataugjan skuldai sijum faura stauastola xristaus ei ganimai warjizuh þo
11 svesona leikis afar þaimei gatavida jaþþe þiuþ jaþþe unþiuþ. vitandans nu agis fraugins mannans
fullaveisjam iþ guþa svikunþai sijum. aþþan venja jah in miþvisseim izvaraim svikunþans visan
12 uns. ni ei aftra uns silbans uskannjaima izvis ak lev gibandans izvis woftuljos fram uns ei habaiþ
13 viþra þans in andvairþja wopandans jah ni hairtin. unte jaþþe usgeisnodedum guþa jaþþe fulla-
14, 15 fraþjam izvis. unte friaþva xristaus dishabaiþ uns domjandans þata þatei ains faur allans gasvalt.
þannu allai gasvultun. jah faur allans gasvalt ei þai libandans ni þanaseiþs sis silbam libaina ak
16 þamma faur sik gasviltandin jah urreisandin. svaei veis fram þamma nu ni ainnohun kunnum bi
17 leika. iþ jabai ufkunþedum bi leika xristu akei nu ni þanaseiþs ni kunnum ina. svaei jabai wo in
18 xristau niuja gaskafts. þo alþjona usliþun. sai. vaurþun niuja alla. aþþan alla us guþa þamma
19 gafriþondin unsis þairh xristu jah gibandin uns andbahti gafriþonais. unte sveþauh guþ vas in
xristau manaseþ gafriþonds sis ni rahnjands im missadedins ize jah lagjands in uns vaurd gafri-
20 þonais. faur xristu nu airinom. sve at guþa gaþlaihandin þairh uns. bidjam faur xristu gagavairþnan

INTERPRETATIO.

dantiam æternæ gloriæ onus operatur nobis, 18. non intuentibus hæc visibilia, sed hæc invisibilia; nam hæc visibilia corrumpibilia sunt, verum hæc invisibilia æterna. v, 1. Scimus enim, quod si terrena nostra domus hujus tabernaculi evertitur, quod ædem a Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. 2. Nam etiam in hoc deploramus habitationem nostram hanc e cœlo induere cupientes, 3. si tamen etiam induti non nudi inveniamur. 4. Et enim exsistentes in hoc tabernaculo deploramus onerati, in quo non volumus exuere, sed induere, ut absorbeatur hoc mortale a vita; 5. at qui etiam effecit nos ad hoc Deus, qui etiam dedit nobis pignus spiritum. 6. Confidentes nunc semper et scientes, quod exsistentes in hoc corpore peregrini sumus a domino; 7. nam per fidem imus, non per visum. 8. At confidimus et optamus potius exire ex hoc corpore et domestici esse apud dominum. 9. Propter hoc studemus sive domestici sive peregrini bene placere ei. 10. Nam omnes nos apparere debiti sumus coram tribunali Christi, ut accipiat quisque hæc propria corporis, secundum quæ fecit sive bonum sive malum. 11. Scientes igitur timorem domini hominibus suademus, verum Deo cogniti sumus. At spero etiam in conscientiis vestris cognitos esse nos, 12. non ut iterum nos ipsos commendemus vobis, sed occasionem dantes vobis gloriæ a nobis, ut habeatis adversus hos in facie gloriantes et non corde. 13. Nam sive attoniti-sumus, Deo; sive sobrii-sumus, vobis; 14. nam charitas Christi continet nos, 15. æstimantes hoc, quod unus pro omnibus mortuus-est, utique omnes mortui-sunt et pro omnibus mortuus-est, ut hi viventes non amplius sibi ipsis vivant, sed huic pro se morienti et resurgenti. 16. Igitur nos ab hoc nunc non ullum cognoscimus secundum carnem, verum si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc non amplius non cognoscimus eum; 17. igitur si qua in Christo nova creatura, hæc vetusta transierunt, ecce facta-sunt nova omnia; 18. at omnia e Deo hoc reconciliante nos per Christum et dante nobis ministerium reconciliationis. 19. Nam quidem Deus fuit in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans iis peccata eorum et ponens in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo igitur legati-sumus, ut in Deo exhortante per nos, precamur pro

ANNOTATIONES.

conjecit, quæ conjectura loco i, 17 probatur, ubi *leihts* = ἐλαφρία — *usfarassau*] Goth. c. codd. f et g ap. Mi. ° εἰς ὑπερβολήν. — *aiveinis vulþaus kaurein*] æternæ gloriæ pondus, gr. omn. αἰώνιον βάρος δόξης.

iv, 18. *fairveitjandam*] Goth. ° ἡμῶν (*unsis*) fortasse propter præcedens *unsis*, ad quod refert participium. — *sind*] sunt, ° gr. omn.

v, 1. *airþeina*] sic cod. B; Cast. ✕ *airteina*; cæterum notandum est ad *gards* verbum masculinum nunc adjectivum femininum poni, vid. ad Neh. vi, 16. — *ei*] quod, ° gr. vid. ad J. xiii, 29. — *us*] incipit cod. A.

v, 3. *jah*] ° cod. A.

v, 5. *jah*] etiam, ° gr. omn.; cod. A *jag*. — *ahman*] spiritum, gr. omn. πνεύματος.

v, 8. *anahaimjaim*] dativus, in quo Cast. offendisse videtur et quem Grim. W. J. I. l. p. 188 falsum esse judicat, recte habet, pendet enim a *valjam* sc. *unsis* (optamus nobis).

v, 9. *inuh*] cod. A *inuþ*; cæterum Goth. ° καί, vid. ad J. xviii, 26. — *jaþþe*] sec., cod. A ✕ *þe*.

v, 10. *svesona*] propria, gr. omn. διά, Goth. c. verss. ἴδια legit.

v, 11. *svikunþans*] cognitos, quasi antea *venjam* scriptum esset; post *venja* exspectandum erat *svikunþana — mik*.

v, 12. *ei*] ut, ° gr. omn., pro quo Goth. c. codd. ° γάρ. — *uskannjaima*] cod. A marg. *anafilhaima*, idem significans. — *ans*] sec. cod. A *unsis*. — *jah ni*] cod. A *jan-ni*, addens c. codd. *in*.

v, 15. *þatei*] Goth. c. codd. ° *ei*. — *sis*] cod. A ° ✕ — *libaina*] sic cod. A; cod. B ✕ *libainai*.

v, 16. *jabai*] Goth. c. codd. ° καί. — *ni þanaseiþs ni*] vid. ad J. xvi, 21. — *ina*] eum, ° cod. A c. gr. omn.

v, 18. *unsis*] Goth. ° ἑαυτῷ, fortasse scriptum erat *unsis sis*, aut *uns sis*, vid. vs. seq., cf. ad Rom. ix, 15 et Cor. II, iii, 2. — *þairh*] Goth. c. codd. ° Ἰησοῦ. — *jah*] cod. A *jag*. — *uns*] cod. A *unsis*.

v, 20. *bidjum*] cod. A c. codd. *bidjandans* (precantes). — *gagavairþnan*] reconciliari, gr. καταλλάγητε, cf. ad M. v, 24.

Digitized by Google

21 guþa. unte þana ïzei ni kunþa fravaurht. saur uns gatavida fravaurht ei veis vaurþeima garaihtei
VI, 1, 2 guþs in imma. gavaurstvans jah þan bidjandans ni svarei anst guþs niman ïzvis. mela auk qiþiþ
andanemjamma andhausida þus jah in daga naseinais gahalp þeina. sai nu mel vaila andanem. sai
3 nu dags naseinais. ni ainhun þannu in vaihtai gibandans bistuggq ei ni anavammjaidau andbahti
4 unsar. ak in allamma ustaiknjandans uns sve guþs andbahtos in stivitja managamma in aglom in
5 nauþim in aggviþom. in slahim in karkarom in unsutjam in arbaidim in vokainim in lausqiþrein
6 in sviknipai in kunþja in laggamodein in selein in ahmin veihamma in friaþvai unbindarveisai.
7, 8 in vaurda sunjos in mahtai guþs þairh vepna garaihteins taihsvona jah hleidumona. þairh vulþu
9 jah unsverein þairh vajamerein jah vailamerein sve airzjandans jah sunjeinai sve unkunþai jah
ufkunnaidai sve gasviltandans jah sai libam sve talzidai jah ni afdauþidai sve saurgandans iþ sin-
10 teino faginondans. sve unledai iþ managans gabigjandans sve ni vaiht aihandans jah allata disni-
11, 12 mandans. munþ unsar usluknoda du ïzvis. kauriuþius. hairto unsar urrumnoda. ni þreihanda jus
13 in uns iþ þreihanda in hairþram ïzvaraim. aþþan þata samo andalauni. sve frastim qiþa. urrum-
14 naiþ jah jus. ni vairþaiþ gajukans ungalaubjandam. unte wo dailo garaihtein miþ ungaraihtein
15 aiþþau wo gamainduþe liuhada miþ riqiza. wouh þan samaqisse xristau miþ bailiama aiþþau wo
16 daile galaubjandin miþ ungalaubjandin. wouh þan samaqisse alhs guþs miþ galiugam. unte jus
alhs guþs sijuþ libandins. qiþiþ auk guþ þatei baua in ïm jah ïnna gagga jah vairþa ïze guþ jah
17 eis vairþand mis managei. inuh þis usgaggiþ us midumai ïze jah afskaidiþ ïzvis. qiþiþ frauja. jah
18 unbrainjamma ni attekaiþ jah ïk andnima ïzvis. jah vairþa ïzvis du attin jah jus vairþiþ mis du
VII, 1 sunum jah dauhtrum. qiþiþ frauja allvaldands. þo habandans nu gahaitá. liubans. hrainjam unsis
2 af allamma bisauleino leikis jah ahmins ustiuhandans veihiþa in agisa guþs. gamoteima in ïzvis. u

INTERPRETATIO.

Christo reconciliari Deo. 21. Nam hunc, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in eo. VI, 1. Adjutores etiam vero precantes non temere gratiam Dei accipere vobis, 2. tempore, enim dicit: accepto audivi te et in die salutis adjuvi te; ecce nunc, tempus bene acceptum, ecce nunc dies s lutis. 3. Non illam utique in quoquam dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; 4. sed in omni præbentes nos ut Dei ministri in patientia multa, in tristitiis, in necessitatibus, in angustiis, 5. in plagis, in carceribus, in turbis, in laboribus, in vigiliis, in jejunio, 6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in probitate, in Spiritu sancto, in caritate non-ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei per arma justitiæ dextra et sinistra, 8. per gloriam et infamiam, per maledictionem et benedictionem, ut seducentes et veri, ut ignoti et cogniti, 9. ut morientes et ecce vivimus, ut docti et non mortui, 10. ut mœrentes, verum semper gaudentes, ut pauperes, verum multos locupletantes, ut non quidquam habentes et omne continentes. 11. Os nostrum apertum-est ad vos, Corinthii, cor nostrum dilatatum-est. 12. Non premimini vos in nobis, verum preminimini in visceribus vestris. 13. At hanc eamdem remunerationem, uti filiis dico, dilatamini etiam vos. 14. Ne fiatis socii non-credentibus, nam quæ participationum justitiæ cum injustitia, aut quæ societatum luci cum tenebris? 15. Quis autem consensuum Christo cum Beliamo aut quæ partium credenti cum non-credente? 16. Quis autem consensuum templi Dei cum idolis? nam vos templum Dei estis viventis. Dicit enim Deus: quod habito in iis et intro eo, et flo eorum Deus et ii flunt mihi populus. 17. Propter hoc exite e medio eorum et separate vos, dicit Dominus, et impurum ne attingatis et ego accipio vos; 18. et flo vobis ad patrem et vos filiis mihi ad filios et filias, dicit Dominus omnipotens. VII, 1. Has habentes igitur promissiones, cari, purificamus nos ab omni sordium corporis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Locum inveniamus in vobis, non ullum læsimus,

ANNOTATIONES.

V, 21. *ïzei*] cod. A *ïze*. — *gatavida fravaurht*] ¶ gr. omn.

VI, 1. *jah*] cod. A *jaþ*. — *bidjandans*] precantes, gr. παρακαλοῦμεν. — *svarei*] cod. A *svare*.

VI, 2. *mela—qiþiþ*] ¶ gr. omn. nisi fortasse hæc verba transponenda sunt, cf. ad L. IX, 36. — *andanem*] sic recte cod. A; cod. B ✕ *andnem*.

VI, 3. *þannu*] u ique, ° cod. A c. gr. omn. — *bistuggq*] sic cod. B, in quo tamen *ei* bis scriptum est; cod. A *bistugq*, vid. Castill. Add. p. 67. — *unsar*] nostrum, ° gr.

VI, 5. *lausqiþrein*] jejunio, gr. omn. νηστείαις.

VI, 6. *friaþvai*] cod. A *frijaþrai*.

VI, 8. init. cod. A addit *jah* (et).

VI, 10. *vaiht aihandans*] sic codd., uti Grim. W. J. II. p. 188 jam pridem conjecerat; Cast. ✕ *vaihtai kandans*.

VI 11. *munþ*] pro *munþs*, L. I, 64; VI, 45. — *urrumnoda*] sic cod. A; cod. B *usrumnoda* (Cast. ✕ *usrumnada* quia in cod. extrema verbi pars perspicue legi non potest) infra vs. 13 idem cod. recte *urrumnaiþ*, id. ad L. VIII, 24.

VI, 14. *jus*] vos, ° gr. omn.

VI, 14 *miþ*] pr. cum, gr. omn. καὶ. — *aiþþau*] aut gr. ἤ.

VI, 15 *wouh þan*] cod. A *wouþ-þan*, sic vs. seq. — *bailiama*] forma *bailiam* pro græco Βελίαρ aut Βελίαλ Castillionæo, quia omni etymologiæ auctoritate careat, omnino rejicienda videtur, nos defendi posse illam judicamus, nam si Goth. Βελία, quod latini auctores habent, legit, addito *m* proferre poterat *bailiam*, potissimum cum terminatio a vocali incipiens adderetur; sic *aizleimis* et *salamis* pro τοῦ Ἐσλὶ et Σαλά scripsit, cf. *nauelis* pro τοῦ Νῶε. An nominativo *bailiam*, *aizleim*, *salam* scripturus fuisset dubitamus?

VI, 16. *wouh þan*] vid. ad vs. 15. — *alhs*] pr. templi, concinnitas sermonis *alh* dativum requirit, nec est dubium, quin Goth. ita scripserit, librarius autem formula *alhs guþs* in sequentibus deceptus etiam h. l. eam posuit. — *sijuþ*] cod. A *siuþ*. — *auk*] enim, gr. καθὼς. — *inna gagga*] Cast. ✕ jct., *inna* particula cum verbis non componitur, neque quia quietem (vid. I, v, 12) non motum significat, h. l. cum *gaggan* componi potest, dicit enim apostolus se in iis circumire, versari.

VI, 17. *inuh þis*] cod. A *inuþ-þis*.

VII, 1. *habandans nu*) ¶ gr. omn. — *bisauleino*] sic recte cod. A, cod. B transpositione litterarum *s* et *l* male *bilauseino*, cf. *bisauljan* Tit. I, 15 et *bisaulnon* J. XVIII, 28.

Digitized by Google

3 ainummehun gaskoþum ni alnaohun fravardidedum ni ainnohun bifaihodedum. ni þu gavargeinai
4 qiþa. fauraqaþ auk þatei in hairtam unsaraim sijuþ þu gasviltan jah samana liban. managa mis
trauains þu izvis. managa mis wostuli faur izvis. usfulliþs im gaþlaihtais. ufarfulliþs im fahedais in
5 allaizos managons aglons unsaraizos. jah auk qimandam unsis in makidonjai ni vaiht habaida
6 gaweilainais leik unsar ak in allamma anapragganai utana vaihjons innana agisa. akei sa gaþlai-
7 hands hnaividaim gaþrafstida uns guþ in quma teitaus. aþþan ni þatainei in quma is ak jah in
gaþlaihtai þizaiei gaþrafstiþs vas ana izvis gateihands uns izvara gairnein izvarana gaunoþa izvar
8 aljan faur mik svaei mis mais faginon varþ. unte jabai gaurida izvis in þaim bokom. ni idreigo mik
9 jah jabai idreigoda. gasaiwa auk þatei so aipistaule jaina jabai dul-leitilai weilai gaurida izvis. nu
fagino. ni unte gauridai vesuþ ak unte gauridai vesuþ þu idreigai. saurgaideduþ auk bi guþ ei in
10 vaihtai ni gasleiþjaindau us unsis. unte so bi guþ saurga idreiga du ganistai gatulgidai ustiuhada
11 iþ þis fairwaus saurga dauþu gasmiþoþ. saiw auk silbo þata bi guþ saurgan izvis welauda gatavida
izvis usdaudein akei sunjon akei unverein akei agis akei gairnein akei aljan akei fraveit. in allamma
12 ustaikneideduþ izvis hlutrans visan þamma toja. aþþan jabai melida ni in þis anamahtjandins ni in
þis anamahtidins ak þu gabairhtjan usdaudein unsara. þoei faur izvis habam viþra izvis in and
13 vairþja guþs. inuh þis gaþrafstidai sium aþþan ana gaþrafsteinai unsarai filaus mais faginodedun
14 ana fahedai teitaus. unte anaweilaiþs varþ ahma is fram allaim izvis. unte jabai wa imma fram
izvis waiwop. ni gaaiviskoþs varþ ak svasve allata izvis in sunjai rodidedum sva jah wostuli unsara
15, 16 so þu teitau sunja varþ. jah brusts is ufarassau þu izvis sind gamunandins þo allaize izvara ufhausein
VIII, 1 ave miþ agisa jah reiron andnemuþ ina. fagino nu unte in allamma gatraua in izvis. aþþan kannja

INTERPRETATIO

non ullum corrupimus, non ullum decepimus. 3. Non ad condemnationem dico, prædixi enim quod in cordibus nostris estis ad moriendum et una vivendum. 4. Multa mihi confidentia ad vos, multa mihi gloriatio pro vobis, impletus sum consolatione, impletus sum gaudio propter omnem multam tristitiam nostram. 5. Et enim venientibus nobis in Macidoniam non quidquam habuit requiei corpus nostrum, sed in omni vexati, extra certamina, intus timores. 6. Sed hic consolans humiles consolatus-est nos Deus in adventu Titi, 7. at non solum in adventu ejus, sed etiam in consolatione qua admonitus fuit in vobis, nuntians nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestrum studium pro me, adeo-ut mihi magis gaudere factum-esset. 8. Nam si contristavi vos in his litteris, non pœnitet me, et si pœnituit, video enim quod hæc epistola illa si ad parcum tempus contristavit vos, 9. nunc gaudeo, non quia contristati fuistis, sed quod contristati fuistis ad pœnitentiam. Mœruistis enim secundum Deum, ut in quoquam non castigemini a nobis, 10. nam hic secundum Deum mœror pœnitentiam ad salutem firmam efficit, verum hujus mundi mœror mortem parat. 11. Vide enim ipsum hoc secundum Deum mœrere vos quantam perfecit vobis sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed studium, sed vindictam; in omni præstitistis vos puros esse hoc opere. 12. At si scripsi non propter hunc injuria-afficientem, non propter hunc injuria-affectum, sed ad ostendendum sollicitudinem nostram, quam pro vobis habemus erga vos in facie Dei. 13. Propter hoc moniti sumus, at in consolatione nostra multo magis gavisi-sumus de gaudio Titi, nam refectus fuit spiritus ejus ab omnibus vobis. 14. Nam si quid ei de vobis gloriatus sum, non pudore affectus fui, sed sicut omne vobis in veritate locuti-sumus, sic etiam gloriatio nostra hæc ad Titum veritas fuit, 15. et viscera ejus abundanter ad vos sunt reminiscentis hoc omnium vestrum obsequium, ut cum timore et tremore suscepistis eum. 16. Gaudeo igitur, nam in omni confido in vos. VIII, 1. At notifico

ANNOTATIONES.

VII, 3. *sijuþ*] sic recte cod. A; cod. B sine sensu *sijum*. — *gasviltan*] cod. A *miþgasviltan* (simul mori, *συναποθανεῖν*), utraque lectio codd. græcorum auctoritate comprobatur. — *jah samana liban*] cod. A *jasamana* (※) *libam*, Cast. ※ jct. *samanaliban* (vid. ad Mc. IX, 25).

VII, 4. *managons*] multam, ° gr. omn.

VII, 5. *makidonjai*] cod. A *makaidonjai*, vid. ad I, 16.

VII, 6. *gaþlaihands*] sic recte cod. A; cod. B ※ *gaþlaihans*, vid. ad Mc. XII, 24.

VII, 7. *izvarana*] exspectaveris *izvara* ad *gaunoþa* relatum; Grim. W. J. l. l. p. 193 ut *izvarana* recte habeat, *gaunoþa* librarii mendum esse judicat pro *gaunoþ*, nobis ad eos solœcismos pertinere videtur, de quibus ad Neh. VI, 16 diximus. — *varþ*] fieret, ° gr. omn.

VII, 8. *jabai*] Goth. c. cod. c. ap. Mi. ° καί. — *þaim*] ° cod. A. — *jah jabai*] gr. omn. *εἰ καί*, formula hoc verborum ordine invenitur etiam XII, 11, cum L. XVIII, 4 *jabai jah* legatur. — *gasaiwa auk*] cod. A *unte gasaiwa* (nam video). — *dulleitilai*] cod. A *du leitilai*; lectio recepta, quod jam Cast. adnotavit, pro *duh leitilai* (vid. ad Cor. I, VII, 16), cui inest *καί* particula (*-uh*); nam etsi ad J. XVIII, 26 *uh* encliticum pro *καί etiam* significante particula poni posse negavimus, tamen eos locos excipimus quibus *καί* cum *εἰ* conjungitur; his enim Goth. *jah* aut plane omittit, aut ante *jabai* ponit (vid. supra), unde his locis Goth. in illo *καί* gravem quemdam sensum non posuisse apparet; cæterum *leitilai* (paucum) ° gr. omn. neque Joan. V, 35; Phil. 15 additur; dicitur autem Skeir. p. 47, 5 *du leitilamma mela*.

VII, 9. *saurgaideduþ*] sic recte cod. A; cod. B ※ *saurgideduþ*. — *in*] ° cod. A.

VII, 10. *so*] ° cod. A. — *gatulgidai*] cod. A *gatulgida* ad *idreiga* relatum, cum *gatulgidai* ad *ganistai* referendum sit. — *ustiuhada*] vid. ad J. XIII, 35. — *du teitau*] ad Titum. gr, *ἐπὶ Τίτου*; Goth. c. codd. *πρὸς Τίτον*.

VII, 11. *saiw*] cod. A ※ *saiwa* (video). — *hlutrans*] sic codd.; Cast. ※ *hautrans*, vid. ad I, 12. — *visan*] Goth. c. codd. ° *ἐν*.

VII, 12. *jabai*] Goth. ° *καί*. — *melida*] Goth. ° *ἐμῶν*.

VII, 13. *inuh þis*] cod. A *inuþ-þis*. — *sium*] cod. A *sijum*. — *aþþan*] at, ° gr.; Goth. conspirat cum iis codd. qui *δέ* h. l. ponunt et infra post *περισσοτέρως* (*filaus*) omittunt. — *ana*] pr. ° cod. A. — *usarai*] nostra, gr. *ὑμῶν*.

VII, 14. *izvis*] gr. omn. post *rodidedum*.

VII, 15. *jah brusts*] cod. A *jab-brusts*. — *ina*] sic recte cod. A; cod. B ※ *ine*.

VII, 16. *nu*] igitur, ° gr.

VIII, 1. *kannja*] notifico, gr. *γνωρίζομεν*. — *aikklesjon*] sic cod. B; cod. A omnino melius cus gr. omn. *aikklesjom* (ecclesiis).

Digitized by Google

2 izvis. broþrjus. ants guþs þo gibanon in aikklesjon makidonais. þatei in managamma kustau aglons
3 managduþs fahedais ize jah þata diupo unledi ize usmanagnoda du gabein ainfalþeins ize. unte bi mahtai
4 veitvodja jah ufar maht silbaviljos vesun. miþ managai usbloteinai bidjandans uns niman
5 anst seina jah gamainein andbahtjis in þans veihans. jah ni svasve venidedum ak sik silbans
6 atgebun frumist fraujin. þaþroh þan uns þairh viljan guþs. svaei bedeima teitaun ei svasve
7 faura dustodida. svah ustiuhai in izvis jah þo anst. akei sve raihtis in allamma managniþ
galaubeinai jah vaurda jah kunþja jah in allai usdaudein jah ana þizai us izvis in uns friaþvai
8 ei jah in þizai austai managnaiþ. ni svasve fraujinonds qiþa izvis ak in þizos anþaraize us-
9 daudeins jah izvaraizos friaþvos airkniþa kiusands. unte kunnuþ anst fraujins unsaris iesuis
xristaus þatei in izvara gaunledida sik gabigs visands ei jus þamma is unledja gabeigai vair-
10 þaiþ. jah ragin in þamma gibs. unte þata izvis batizo ist. juzei ni þatainei viljan ak jah taujan
11 duguunuþ af fairnin jera. iþ nu sai jah taujan ustiuhaiþ ei svasve faura ist muns du viljan sva jah
12 du ustiuhan us þammei habaiþ. jabai auk vilja in gagreftai ist. svasve habai. vaila andanem ist. hi
13, 14 svasve ni habai. ni sva auk ei anþaraim iusila iþ izvis aglo ak us ibnassau. in þamma nu mela izvar
ufarassus du jainaize þarbom. ei jah jainaize ufarassus vairþai du izvaraim þarbom ei vairþai
15, 16 ibnassus. svasve gameliþ ist. saei filu ni managizo jah saei leitil ni favizo. aþþan aviliud guþa. izei
17 gaf þo samon usdaudein faur izvis in hairto teitaus. unte raihtis bida andnam. aþþan usdaudoza
18 visands silba viljands galaiþ du izvis. jaþ-þan miþsandidedum imma broþar. þizei hazeins in ai-
19 vaggeljons and allos aikklesjons. aþþan ni þat-ain ak jah gateviþs fram aikklesjom miþ gasinþam

INTERPRETATIO.

vobis, fratres, gratiam Dei hanc datam in ecclesia Macidoniæ. 2, quod in multo experimento tristitiæ multitudo gaudii eorum et hæc profunda paupertas eorum abundavit ad divitias simplicitatis eorum; 3. nam secundum virtutem testor et supra virtutem voluntarii fuerunt, 4. cum multa exhortatione precantes nos accipere gratiam suam et communicationem ministerii in hos sanctos. 5. Et non sicut speravimus, sed se ipsos dederunt primum Domino, deinde autem nobis per voluntatem Dei, 6. adeo-ut precaremur Titum, ut sicut antea incepit, sic perficiat in vos etiam hanc gratiam. 7. Sed uti quidem in omni abundatis, fide et verbo et cognitione et in omni sollicitudine et in hac e vobis in nos caritate, ut etiam in hac gratia abundetis. 8. Non sicut dominans dico vobis, sed propter hanc aliorum sollicitudinem etiam vestræ caritatis sinceritatem probans. 9. Nam cognoscitis gratiam domini nostri Jesu Christi, quod propter vos pauperem-fecit se dives existens, ut vos hac ejus paupertate divites fiatis. 10. Et consilium in hoc do, nam hoc vobis melius est, vos qui non solum velle, sed etiam facere incepistis a præcedente anno. 11. Verum nunc ecce etiam facere perficiatis, ut sicut adest animus ad cupiendum, sic etiam ad perficiendum, ex quo habetis. 12. Si enim voluntas in parato est, sicut habeat, bene acceptum est, non sicut non habeat. 13. Non sic enim ut allis quies, verum vobis tristitia, sed ex æqualitate; 14. in hoc nunc tempore vestra abundantia ad illorum inopias, ut etiam illorum abundantia fiat ad vestras inopias, ut fiat æqualitas, 15. sicut scriptum est: qui multum, non plus et qui paucum, non minus. 16. At gratia Deo, qui dedit hanc eamdem sollicitudinem pro vobis in cor Titi, nam quidem precem accepit; 17. at sollicitior existens ipse volens profectus-est ad vos, 18. et autem misimus cum eo fratrem, cujus laus propter evangelium per omnes ecclesias. 19. At non hoc-solum, sed etiam ordinatus ab ecclesiis inter socios-peregrinationis

ANNOTATIONES.

VIII, 2. *jah þata*] cod. A *jaþ-þata*.

VIII, 3. *silbaviljos*] quod adverbiumne esset (uti *aljaleikos* Philipp. III, 15), an adjectivum, cum Cast. dubitasset, Grim. W. J. p. 202 et Gram. III, 596 pluralem substantivi esse recte monuit, rectius autem pro *silbavilis* formam *silbavileis* posuisset, vid. Gram. I, 599 sq. — *vesun*] fuerunt, ° gr. omn.

VIII, 4. *usbloteinai*] cod. B ✻ *usblopeinai*. — *niman*] accipere, ° gr., qui habent cum *uns* post *veihans* ponunt; Ulf. e. Ambrst. — *seina*] suam, ° gr. omn. cf. ad I, VII, 16.

VIII, 5. *jah ni*] cod. A *jan-ni*. — *þaþroh þan*] cod. A *þaþroþ-þan*, cæterum gr. omn. *καί*; Goth. c. verss. lat., cf. tamen L. IV, 9, ubi *þaþroh* = *καί*.

VIII, 7. *raihtis*] hac particula *περ* encliticum redditur, sic L. I, 1 *unte raihtis* (*ἐπειδήπερ*). XVIII, 14 *þau raihtis* (*ἤπερ*). — *in*] sec. in, ° gr. omn. — *ana*] in, ° gr. omn. — *friaþvai*] cod. A *frijaþvai*.

VIII, 8. *svasve fraujinonds*] sicut dominans, gr. omn. *κατ' ἐπιταγήν*; Goth. c. Vulg. — *izvis*] vobis, ° gr. om. — *usdaudeins*] sic recte cod. A, cod. B ✻ *usdaudein*. — *friaþros*] cod. A *frijaþvos*.

VIII, 9. *gabeigai*] cod. A *gabigai*.

VIII, 10. *jah ragin*] cod. A *jar-ragin*. — *viljan* — *taujan*] ¶ cod. A c. gr. omn.; cod. B cum vers. Syr. et Arab. (ab ea, quam edidit Walton prorsus diversa, exstante in bibliotheca Ambrosiana in cod. pentaglotto epistolas Pauli continente. CAST.). Cæterum Goth. ° τό utr., sic vs. seq.

VIII, 11. *faurais*] adest, ° gr. omn. — *du*] sec. ad, gr. τό; Goth. c. cod. a ap. Mi. et verss. lat. τοῦ legit. — *habaiþ*] habetis, cod. A *habai* (habeat) c. vers. Copt.

semper propter vos, fratres, sicuti dignum est; nam supercrescit fides vestra et abundat amor unius cujusque omnium vestrum in vos invicem : 4. ita - ut nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei propter patientiam vestram et fidem in omnibus persecutionibus vestris et doloribus, quos patimini; 5. Exemplum justi judicii Dei, ad dignos faciendum vos regno Dei, propter quod etiam patimini. 6. Tamen si justum est apud Deum retribuere his tribulantibus nos angorem, 7. verum vobis tribulatis requiem cum nobis in revelatione Domini nostri Iesu Christi de cœlis cum angelis potentiæ ejus, 8. in ignis fulgure dantis vindictam non noscentibus Deum et non obedientibus evangelio domini nostri Iesu Christi; 9. qui pœnam dant, interitum æternum, a facie domini et a gloria potentiæ ejus; 10. ubi venit glorificari in his sanctis ejus et . . . . . in omnibus his credentibus, nam creditum est testimonium nostrum vobis in illo die. 11. Ad quod etiam precamur semper pro vobis, ut vos dignos reddat hac vocatione Deus noster et perficiat omne placitum bonitatis suæ et opus fidei in potentia, 12. ut glorificetur nomen domini nostri Iesu in vobis et vos in eo secundum

ANNOTATIONES.

neikaium scribere debebamus (hoc enim rectius est, quam quod codd. præbent, et sic etiam in subscriptione hujus epistolæ legitur), atque etiam *kaulaussaim* Col. subscr. in *kaulaussaium* mutandum esse videtur.

1, 4. *ïn*] pr. in, ° cod. B, addidimus e cod. A, — *stivitjis*] sic pro *stivitjons*, quod Cast. e loco penitus exeso edidit, legendum est : id autem exigit primum *izvaris*, forma neutrius, deinde quod Gothi ὑπομονήν non *stivitjon* sed *stiviti* dicunt, vid. Cor. II, I, 6 ; VI, 4. — *vrakjom*] sic codd. ; Cast. ✻ *vrakjam*.

1, 5. *ïn*] desinit cod. B ; quæ hinc edidit Cast. usque ad *jabai* versu sequente, ea omnia, cum membrana penitus abrasa esset, conjectura invenit; sic quoque, inquit ille, in hac et sequentibus pagellis duabus multis opus fuit conjecturis.

1, 6. *jabai*] gr. omn. εἴπερ ; quod cum Gothus per *sveþauh jabai* reddere soleat (vid. Rom. VIII, 9 ; cf. Cor. II, X, 8), id etiam hoc loco pro simplici *jabai* scribendum esse censuimus; nam Cast. etiamsi codice iterum consulto litteras fere nullas conspexit, tamen locum ad tot litteras capiendas sufficere dicit. Aliis quidem locis περ encliticum gothice *raihtis* est (vid. ad Cor. II, VIII, 7), ut *jabai raihtis* quoque legi possit; quoniam autem Cast. post *jabat* nihil conspici ad h. l. diserte dicit, conjectura *jabai raihtis* abstinendum est. — *ist*] est, gr. omn. — *uns*] nos, gr. omn. ὑμᾶς, præter cod. B 2 sp. Mill.

1, 7. *iþ*] verum, gr. omn. καί, Goth. c. vers. lat. Sabat. — *gaþreihandam*] Massm. M. G. A. 1840 p. 127 injuria pro falso habet, vid. Matth. VII, 14 ; Cor. II, IV, 8 ; neque versu proxime præcedente legitur, uti ille ait, *gaþraihandam*, sed recte *gaþreihandam* — *iusila*] hanc vocem penitus obliteratam restitui ope Cor. II, VIII, 13. Cast. — *unsaris*] nostri, ° gr., Goth. c. codd. ap. Mill. — *xristaus*] Christi, ° gr., Goth. c. codd. ap. Mill. et Mi. — *himinam*] cœlis, sic pro *himina* (οὐρανοῦ) in membrana exesa Castillionæo scriptum esse videtur ; mirum : nam cum in evangeliis οὐρανὸς singularis a Gothis semper fere per *himinos*, numero plurali, convertatur, in epistolis interpretes nostri non solum græcorum vestigia persequuntur, sed etiam præter eorum auctoritatem pro plurali singularem ponunt, vid. ad Eph. III, 15 et Col. I, 16.

1, 8. *funins lauhmonai*] ignis fulgure, gr. πυρὶ φλογός. Goth. c. codd. φλογὶ πυρός, verbis transpositis, legit. Cæterum pro *lauhmonai* cum Massm. l. l. p. 126 *lauhmonjai* legendum esse putamus, vid. Luc. X, 18 ; XVII, 24. — *gibandins*], sic pro *gibandis*, quod Cast. e loco plane exeso male edidit, legendum est.

1, 9. *þaiei*] Cast. duo verba inde sequentia, quæ græcis verbis δίκην τίσουσι, respondeant, cum in cod. omnino essent exstincta, conjectando per *fraveit usgiband* reddidit ; quam conjecturam Massm. l. l. p. 134 injuria laudat, nam verbum quod ἐκδίκησιν, i. e. ultionem significat, idem δίκην, i. e. pœnam, significare non potest. Rectius Cast. pro τίσουσι *usgiband* posuit, vid. Philem. 19. Quod autem aliud verbum gothicum pro *fraveit* scriptum fuerit, difficile est dictu, nam δίκη nullo alio novi testamenti loco legitur, ut inde conjectura fieri possit.

1. 10. *qimiþ*] Cast. ✻ *qemi* conjectura restituit ; id enim verborum junctura non admittit, quia Gothi, ubi conjunctivus aoristi græci, pro Latinorum futuro exacto positus, exprimendus est, indicativo, rarius conjunctivo præsentis uti solent, vid. Grim. Gr. IV, 147. Sic etiam infra II, 3 pro *qemi* iterum *qimiþ* vel *qimai* legendum est, quod etiam *vairþai* probat, quod sequitur. — *ushauhjan*] fortasse *ushauhnan* legendum est, uti Cast. etiam vers. 12 edidit. — . . . *le*. . . *ba*. . .] ex his singulis litteris Cast. fecit *mikileis atgibam guþa*, quæ significent : magnalia dare Deo ; eaque lectio Massmanno l. l. p. 134 placet. Sed interpres, si vere sic scripsisset, quam longe quæsumus ab auctore græco aberravisset ? et quomodo is, qui θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύσασι dicitur, ab interprete magnalia dare Deo in omnibus credentibus dici potest ? Probabilius esset, si legeretur *mikilein haban in allaim þaim galaubjandam*. — *izvis*] vobis, gr. omn. ἐφ' ὑμᾶς, procul dubio ante *izvis* præpositio *du* vel *in* excidit, quod propter sequens i facile fieri poterat ; cave autem *ana* suppleas, hoc propter significationem adversariam hic locum non habet. — *jainamma daga*] illo die. ¶ gr. omn.

1, 11. *seinaizos*] sæc, ° gr. omn , Goth. cum Vulg. et vers. arab. et æthiop.

1, 12. *iesuis*] Goth. c. codd. ° χριστοῦ. — *unsaris*] sec., nostri, ° gr. omn., Goth. cum Sabat.

Digitized by Google

II, 1 jus in imma bi anstai guþs unsaris jah fraujins unsaris iesuis xristaus. aþþan bidjam izvis broþruns
2 in qumis fraujins unsaris iesuis xristaus jah . . gaqumþais unsaraizos du imma. du ni sprauto
vagjan *izvis ahin nih drobnan nih þairh ahman nih þairh vaurda nih þairh aipistaulein sve þairh uns*
3 *þatei instandai dags xristaus. ni washun izvis* usluto *wamma haidau* unte *niba qimiþ afstass faurþis*
4 jah andbulids vairþai manna fravaurhtais sunus fralustais. sa andstandands jah ufarhafjands sik
15, 16 ufar all qiþana guþ aiþþau allata blotinassu svaei in guþs al sitan s . . . — — unsaros. aþþan
silba frauja unsar iesus xristus jah guþ jah atta unsar saei frijoda uns jah atgaf gaþlaihi aiveina jah
17 ven goda in anstai. gaþrafstjai hairtona izvara jah gatulgjai in allaim vaurstvam jah vaurdam go-
III, 1 daim. þata anþar ei bidjaiþ jah bi unsis broþrjus ei vaurd fraujins þragjai jah mikiljaidau svasve
2 jah at izvis. jah ei us*laus*jaindau af gastojanaim jah ubilaim mannam. ni auk ist allaim galaubeins.
3, 4 aþþan triggvs frauja saei gatulgeiþ izvis jah galausjai izvis af þamma ubilin. aþþan gatrauam in
5 fraujin ei þatei anabudum izvis jah taujiþ jah taujan habaiþ. frauja garaihtjai hairtona izvara in
6 friaþvai guþs jah in usþulainai xristaus. aþþan anabiudam izvis broþrjus in namin fraujins unsaris
iesuis xristaus ei gaskaidaiþ izvis af allamma broþre wairbandane ungatassaba jah ni bi anafilham
7 8 þoei andnemuþ at uns. silbans auk kunnuþ waiva skuld ist galcikon unsis. unte ni ungatevidai
vesum in izvis ni arvjo hlaib matidedum at wamma ak vinnandans arbaidai naht jah daga vaurk-
9 jandans ei ni kauridedeima wana izvara. ni þatei ni habaidedeima valdufni ak ei uns silbans du

INTERPRETATIO.

gratiam Dei nostri et domini nostri Iesu Christi. II, 1. At precamur vos, fratres, propter adventum domini nostri Iesu Christi et congregationem nostram ad eum, 2. ad non cito movendum vos mente nec terrendum, nec per spiritum nec per verba nec per epistolam, uti per nos; quod instet dies Christi. 3. Ne quis vos decipiat ullo modo, nam nisi venerit discessio prius et revelatus fiat homo peccati, filius perditionis. 4. Hic resistens et extollens se supra omne dictum Deum aut omne cultum, ita-ut in Dei templo sedeat — 15. — nostram. 16. At ipse dominus noster Iesus Christus et Deus et pater noster, qui amavit nos et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, 17. consoletur corda vestra et confirmet in omnibus operibus et verbis bonis. III, 1. Hoc reliquum, ut precemini etiam pro nobis, fratres, ut verbum domini currat et glorificetur, sicuti etiam apud vos, 2. et ut liberemur ab importunis et malis hominibus, non enim est omnibus fides. 3. At fidelis dominus, qui confirmat vos et liberet vos ab hoc malo. 4. At confidimus in domino, ut quod præcepimus vobis, etiam faciatis et facturi sitis. 5. Dominus dirigat corda vestra in amore Dei et in patientia Christi. 6. At præcipimus vobis, fratres, in nomine domini nostri Iesu Christi, ut separetis vos ob omni fratrum ambulantium inordinate et non secundum traditiones quæ accepistis a nobis. 7. Ipsi enim nostis quomodo debitum est imitari nos; 8. nam non inordinati fuimus in vobis, non gratis panem comedimus apud quemquam, sed patientes labore nocte et die operantes, ut non gravaremus quemquam vestrum. 9. Non quod non haberemus potestatem, sed ut nos ipsos ad exemplum daremus ad imitandum nos.

ANNOTATIONES.

II, 1. *broþruns*] fratres, Gothus accusativo cum *izvis* e *bidjam* pendente pro vocativo Græcorum (ἀδελφοί) utitur; Massm. l. l. p. 126 cum *broþruns* vocativi formam esse recte negasset, id quod Cast. h. l. dixerat, non debebat idem opinari, Gothum versionibus latinis (*rogamus vos fratres*) deceptum sic convertisse, nam e græcis libris, non e latinis versionibus hausta est versio gothica, uti ipse cum Cast. judicat l. l. p. 332. — *qumis*] sic legendum est pro *quma*, quod Cast. repudiatis legibus grammaticis edidit; ultima enim littera in codice exstincta est.— . . . *gaqumþais unsaraizos*] congregationem nostram, ¶ gr. omn.; cæterum Cast. *miþgaqumþais* edidit, sed lectio est incerta, nec nobis gothicum *miþ* — ad exprimendum græcum ἐπι — in compositis aptum esse videtur.

II, 2, 3. *izvis ahin* — *washun izvis*] hæc omnia adeo sunt deleta, ut magna ex parte essent divinanda; tamen litteræ, quæ legi possunt, lectioni meæ conveniunt. Cast. — *izvis*] sic nos scripsimus pro solœco *jus*, nam post *du* cum infinitivo subjectum sententiæ casu accusativo ponitur, vid. Thess. I; II, 12 *veitvodjandans du gaggan izvis vairþaba guþs*. cf. Marc. IV, 1 *galesun sik du imma manageins filu, svasve ina galeiþan in skip.* — *drobnan*] ubi Gothi hoc verbo utuntur, compositum est aut *indrobnan* (Joan. XIII, 21; XIV, 1, 27.) aut *gadrobnan* (Luc. I, 12; Joan. XII, 27); Cast. a nobis de hoc loco interrogatus, plane nihil amplius legere se posse respondit; fortasse igitur alterutrum illorum compositorum h. l. in cod. scriptum fuit. — *vaurda*] verba, gr. omn. λόγου numero singulari, lectionem editam Cast. effinxit ex ultima littera *a*, quæ sola legi potest. — *instandai*] hujus verbi duæ tantum ultimæ litteræ supersunt, Cast. comparato loco Tim. II, IV, 2 *instandan* conjecit, quod Massm. l. l. p. 134 injuria comprobat; nam ἐνιστάναι, quod h. l. convertendum erat, et ἐπιστῆναι quod Tim. l. l. Gothus per *instandan* reddidit, res plane dissimiles significant; fortasse rectius scribitur *atgaggai*, vid. Tim. II. III, 1. — *xristaus*] Christi, gr. κυρίου. — *wamma haidau*] cujus sic legendum est, Cast. e conjectura ✻ *wammeh*, cujus verbi primam solummodo litteram cognoscere potuit; *wazuh* quod *omnis, quisque* significat. in ejusmodi sententiis negativis locum non habet. Cæterum cave cum Castillionæo Gothum aliter atque habent græci, legisse arbitreris, nam Græcorum morem negationes duplicandi Gothi non ubique imitantur. — *niba* — *faurþis*] vix apparent hic vestigia litterarum. Cast. recte explevit, præterquam quod *qimiþ* vel *qimai* pro *qemi* ponere debebat, vid. ad I, 10.

II, 4. *ufar*] supra, gr. omn. ἐπι, Goth. c. vet. lat. — *qiþana*] hoc falsum est, sive Gothus cum vetere illa lat. versione *qui dicitur* legit (sic *qiþanana* scribendum erat), sive ad *all* retulit (sic *qiþan* vel *qiþano* esse debebat); nos *qiþanana* præferimus, cf. etiam Massm. l. l. p. 135. — *svaei in*] nullum harum litterarum vestigium deprehendo, sed locus adest. Cast. Addere etiam ille debebat *ina*, nam *svaei* post se suumque infinitivum habere solet accusativum subjecti, vid. ad vers. 2; si vet. latina et Vulg. *is* omittunt, res alia est. — *al*] sic cod. pro *alk*, uti Marc. XV, 38; vid. ad Matth. V, 15. — *s* . . . . . .] Cast. edidit *sik ustaiknjands*; cum autem de his nihil remanserit nisi prima littera *s*, lectio omnino dubia est, nec minus conjici poterat *sve guþ* . . . , nam gr. multi hic inserunt ὡς θεόν. Cæterum definit cod. A.

Digitized by Google

10 frisahtai gebeima du galeikôn unsis. jah auk þan vesum at izvis pata izvis anabudum ei jabai
11 was ni vili vaurkjan ni matjai. hausjam auk sumans wairbandans in izvis ungatassaba ni vailit
12 vaurkjandans ak fairveitjandans. þaimuh svaleikaim anabindam jah bidjam in fraujin ïesua xristau
13 ei miþ rimisa vaurkjandans seinana hlaib matjaina. aþþan jus broþrjus ni vairþaiþ usgrudjans vaila
14 taujandans. iþ jabai was ni ufhausjai vaurda unsaramma þairh þos bokos þana gatarhjaiþ, ni blan-
15 daiþ izvis miþ ïnnma ei gaskamai sik. jah ni svasve fijand ïna rahnjaiþ ak talzjaiþ sve broþar.
16 aþþan silba frauja gavairþeis gibai izvis gavairþi sinteino in allaim stadim. frauja miþ allaim
17 izvis. so goleins meinai handau pavlaus þatei ist bandvo ana allaim aipistaulem meinaim. sva
18 melja. ansts fraujins unsaris ïesuis xristaus miþ allaim izvis. amen.

du þaissalauneikaium anþara ustauh.

INTERPRETATIO.

10. Et enim cum essemus apud vos, hoc vobis præcipimus: ut si quis non velit operari, non edat. 11. Audimus enim aliquos ambulantes in vobis inordinate, non quidquam operantes, sed nugas sectantes. 12. Hisque talibus præcipimus et precamur in domino Iesu Christo ut cum silentio operantes suum panem comedant. 13. At vos, fratres, ne fiatis lassi bene facientes. 14. Verum si quis non obediat verbo nostro per has litteras, hunc notetis, ne misceatis vos cum eo, ut pudeat eum. 15. Et ne sicuti inimicum eum ex stimetis, sed doceatis uti fratrem. 16. At ipse dominus pacis det vobis pacem semper in omnibus locis. Dominus cum omnibus vobis. 17. Hæc salutatio mea manu Pavli, quod est signum in omnibus epistolis meis sic scribo. 18. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Ad Thessalonicenses altera explicit.

ANNOTATIONES.

II, 15. *unsaros*] pergit cod. B. Cast. opinatur præcessisse *þairh aipis auleins* et Gothum plurali pro δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν usum esse et h. l. aliter atque Neh. VI, 17 (ubi legitur *aipistaulans*) flexisse. Nobis secus videtur; nam cur interpres h. l. plurali usus sit, nulla est causa, et ἐπιστολή per *aipistaule* singulari numero redditum in Pauli epistolis sæpius invenitur; cum autem ad pronomen *unsaros* substantivum plurali numero requiratur, sine dubio præcessit *þairh bokos*, sic infra III, 14, διὰ τῆς ἐπιστολῆς iterum per *þairh þos bokos* redditur; cf. Cor. II, VII, 8; III, 1.

II, 17. *hairtona izvara*] ¶ gr. omn. præter cod. *k* ap. Mi.; sic infra III, 5 ubi nullus gr. consentit, — *galuigjai*] Goth. c. codd. ° ὑμᾶς. — *vaurstvam jah vaurdam*] operibus et verbis, ¶ gr.

III, 1. *ei bidjaiþ*] ut oretis, gr. omn. προσεύχεσθε; sic Gal. V, 16 pro λέγω δὲ· πνεύματι περιπατεῖτε dicit: *aþþan qiþa, ei ahmin gaggaiþ*; cf. ad Marc. XV, 36. — *jah bi unsis broþrjus*] etiam pro nobis fratres, gr. omn. ἀδελφοὶ περὶ ἡμῶν; hæc transpositio verborum etiam in Sabat. invenitur; cod. autem B ✠ *broþrous* habet.

III, 2. *af gastojanaim*] hanc lectionem Cast. cod. iterum inspecto certam esse confirmat, sed eam falsam esse multa arguunt. Primum enim, quæ est hæc forma participii de verbo *stojan* flexa? ea certe *stauiþs* vel *stojiþs* esse debebat; deinde si hanc formam concedimus, qui fieri potest, ut *judicatus* dicatur, quem Græci ἄτοπον vocant? Nobis potius jct. *afgastoþanaim* legendum esse videtur; uti enim *ungastoþans visan* Cor. I, IV, 11 est ἀστατεῖν, certum locum non habere, sic *afgastoþans* proprie est, qui suo loco motus est, ἄτοπος. Verba autem translatæ significationis Gothi sæpe ad verbum reddunt, sic, ut unum e multis citemus, Tim. I, III, 6 νεόφυτον Gothus *niujana satidana* dicit. Scilicet talia sunt Castillionæo oscitantiæ interpretis, cf. eum ad vers. 7. Quam conjecturam per se spectatam qui probant, ii fortasse ἀπὸ post ῥύεσθαι a Gotho omissum desiderabunt; sed pariter interpres præpositione *af* post verba solvendi, liberandi omissa Cor. I, VII, 27 *galausiþs is qenai* pro λέλυσαι ἀπὸ γυναικός dicit. Cæterum Cast. vocem *uslausjaindau* magna ex parte extinctam probe restituit. — *ist*] est, ° gr. omn.

III, 3. *triggvs*] Goth. ° ἐστὶν.

III, 4. *anabudum*] præcepimus, gr. omn. et verss. παραγγέλλομεν.

III, 5. *frauja*] Goth. ° δέ — *hairtona izvara*] vid. ad II, 17.

III, 6. *wairbandane ungatassaba*] ambulantium inordinate, ¶ gr. omn., Goth. c. Vulg. — *anafilham*] traditiones, gr. omn. παράδοσιν. — *andnemuþ*] accepistis, gr. παρελάβοσαν.

III, 7. *ist*] pergit cod. A.

III, 8. *ni*] sec., cod. A *nih* (neque). — *vinnandans arbaidai*] patientes (in) labore, gr. omn. ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ. Cæterum pro solo *arbaidai* scribendum fuisse *in arbaidai*, Cast. recte monet.

III, 9. *gebeima*] Goth. ° ὑμῖν.

III, 10. *izvis anabudum*] vobis præcepimus ¶ gr. omn. — *ni*] sec., in cod. A locus uni litteræ vacat, ut scriptum esse possit *nih* (nec); nullum tamen litteræ *h* vestigium. Cast.

III, 12. *þaimuh*] hisque, gr. omn. τοῖς δέ; sic — *uh* encliticum pro græco δέ Gothus posuit Matth. XXVII, 44; vid. ad Joan. XVIII, 26. — *in fraujin*] in domino, gr. διὰ τοῦ κυρίου; cæterum Goth. c. Vulg. ° ἡμῶν.

III, 14. *ni*] sec., ne, gr. καὶ μή.

III, 15. *ïna*] eum, ° gr. omn.

III, 16. *stadim*] locis, gr. τρόπῳ.

III, 17. *aipistaulem meinaim*] epistolis meis, cod. B ✠ *aipistaulemeinaim*, ut librarius non solum *m* in exitu verbi *aipistaulem* propter sequentem eamdem litteram omiserit (sic Tim. II, II, 2, 2 *þrighvaimannam* pro *þriggvaim mannam*, cf. ad Joan. XII, 42), sed etiam pro integra terminatione — *eim* mutilatam — *em* posuerit (vid. ad Luc. X, 5, ubi addenda sunt hæc: *frume* Cor. I subscr. *anavilje* Phil. 4, 5, *ne* Skeir. 38, 7). Cæterum cod. A h. l. exesus est et gr. omn. omittunt *meinaim* (meis). —

Subscriptio. Gr. alii aliter. — *anþara*] altera; cod. B (nam cod. A est obliteratus) mendose *frumei* (prior). Cum enim subscriptio hujus alterius ad Thessalonicenses epistolæ et inscriptio prioris ad Timotheum in eadem pagella sint scriptæ et librario esset scribendum: *du þaissalauneikaium anþara ustauh*; deinde: *du teimauþaiu frumei dustodeiþ*, falso ille quidem supra *frumei* pro *anþara*, infra autem *ustauh* pro *dustodeiþ* scripsit; cf. ad Tim. I inscript.

Digitized by Google

DU ÞAIMAUÞAIAU FRUMEI DUSTODEIÞ.

1, 1 Pavlus apaustaulus xristaus ïesuis bi anabusnim guþs nasjandis unsaris jah xristaus ïesuis venais
2 unsaraizos. þeimauþaiu valisin barna in galaubeinai ansts armaio gavairþi fram guþa attin jah xri-
3 stau ïesu fraujin unsaramma. svasve baþ þuk saljan in aifaíson galeiþands makidonais ei faurbiudais
4 sumaim ei anþarleiko ni laisjaina. miþ-þan atsaiwaina spille jah gabaurþivaurdo andilausaize þoei
5 soknim andstaldand mais þau timreinai guþs þizai visandein in galaubeinai. aþþan andeis ïst anabus-
6 nais friaþva us hrainjamma hairtin jah miþvissein godai jah galaubeinai unhindarveisai. af þaimei
7 sumai afairzidai usvandidedun du lausavaurdein. viljandans visan vitodalaisarjos ni iraþjandans nih
8, 9 wa rodjand nih bi wa stiurjand. aþþan vitum þatei god ïst vitoþ jabai was ïs vitodeigo brukeiþ. vi-
tands þatei garaihtamma vitoþ nist satiþ ak vitodalausaim jah untalaim jah unsibjaim jah fravaurh-
taim jah unairknaim jah usveihaim attans bliggvandam jah aiþeins bliggvandam mannans maurþr-
10 jandam horam mannans gaþivandam liugnjam ufarsvaram jah jabai wa alja þizai hailon laiseinai
11, 12 andstandand. sei ïst bi aivaggeli vulþaus þis audagins guþs þatei gatrauaiþ ïst mis. jah aviliudo
þamma insviuþjandin mik xristau ïesu fraujin unsaramma unte galaubjandan mik gahugida gasa-
13 jands in andbahtja. ïkei faura vas vajamerjands jah vraks jah ufbrikands akei gaarmaiþs vas unte
14 unvitands gatavida in ungalaubeinai. ïþ ufarassiþ ansts fraujins miþ galaubeinai jah friaþvai þizai in
15 xristau. triggv þata vaurd jah allaizos andanumstais vairþ þatei xristus ïesus qam in þamma fairwau

INTERPRETATIO. — *AD TIMOTHEUM PRIOR INCIPIT.*

1, 1. Pavlus apostolus Christi Iesu **secundum** præcepta Dei servatoris **nostri** et Christi **Iesu**, **spei nostræ** 2. **Thimotheo**, **optato filio** in **fide gratia**, **misericordia**, **pax** a **Deo** patre et Christo Iesu, **domino nostro**. 3. Sicuti rogavi te manere in Efeso proficiscens in Macedoniam, ut interdicas quibusdam, ut aliter non doceant, 4. **neque** intendant fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præbent magis quam ædificationem Dei, hanc existentem in **fide**. 5. At finis est præcepti amor ex puro corde et conscientia **bona** et **fide sincera**. 6. De quibus quidam seducti converterunt ad vaniloquium, 7. volentes esse legis-doctores, non cogitantes, nec quid loquuntur, nec de quo affirmant. 8. At scimus quod bona est lex, si quis ea legitime utitur; 9. sciens quod justo lex non est posita, sed **lege**-solutis et contumacibus et impiis et peccatoribus et scelleratis et incestis, patres percutientibus et matres percutientibus, homines necantibus, 10. fornicariis, viros subigentibus, mendacibus, perjuris et si forte alia huic sanæ doctrinæ resistunt, 11. quæ est **secundum** evangelium gloriæ hujus beati Dei, quod creditum est mihi; 12. et gratias-ago huic confortanti me Christo Iesu domino **nostro**, nam credentem me existimavit ponens in ministerio, 13. ego qui prius fui blasphemans et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam-nactus fui, nam inscius feci in incredulitate. 14. Verum abundat gratia domini cum fide et amore hoc in Christo. 15. Fidele hoc verbum

ANNOTATIONES.

Inscriptio in cod. B solummodo legitur. — *þeimauþaiau*] cod. B ✕ *þaimaauþaiau*; cæterum *þeimauþaiau* pro *teimauþaiu* scriptum est, sic etiam 1, 2 (vid. ad II, 10); recte autem *teimauþaius* infra 1, 18; II, 1, 2. — *dustodeiþ*] incipit, cod. B ✕ *ustauh*, explicit; vid. ad Subscript. Thess. II.

Initium hujus epistolæ in utroque cod. legitur.

1, 1. *xristaus ïesuis*] pr. ¶ gr. omn. præter cod. *f* hp. Mi. — *anabusnim*] præcepta, gr. omn. *ἐπιταγήν*.

1, 2. *þeimauþaiu*] sic cod. B, cod. A rectius *þeimauþaiau*, vid. ad Luc. 1, 54. — *attin*] Goth. c. codd. ° *ἡμῶν*.

1, 3. *galeiþands*] sic recte cod. A; cod. B ✕ *galeiþans*; sic sæpius librarius codicis B lapsus est: infra vs. 9 *vitans*. III, 4 *fauragaggans*, quo utroque loco cod. A recte *vitands* et *fauragaggands* habet; idem mendum continet etiam II, II, 6, ubi pro *arbaidjands* scriptum est *arbnidjans*; contra I, II, 13, pro *gadigands* legendum est *gadigans*, vid. ad Marc. XII, 24. — *makidonais*] cod. A *makedonais*, cf. ad Cor. II, I, 16. Cæterum de genitivo post verba proficiscendi posito vid. ad Luc. XV, 15.

1, 4. *andilausaize*] cod. A ✕ *andalausaize*, vid. ad V, 14. — *þau*] sic codd. Cast. ✕ *þan*. — *timreinai*] ædificationem, gr. *οἰκονομίαν*. — *visandein*] existentem, ° gr. omn.; cæterum cod. A ✕ *visandin*, uti infra III, 4 *anaviþjin* pro *anaviljein*; procul dubio sic etiam *visandin* Skeir. p. 49, 17 pro *visandein* scriptum est.

1, 5. *aþþanandeis*] cod. B ✕ *aþþandeis*, librarii enim non solum singulas litteras, duplicitar scribendas, omittunt, sed etiam syllabas, sic Matth. XXVI, 73 *standans* pro *standandans*, sic infra III, 13; IV, 7; II, 1, 8, al. cf. ad I, 17. — *ist anabusnais*] est præcepti, ¶ gr. omn. — *miþvissein*] cod. A marg. *gamundai*, recordatione.

1, 7. *ni*] cod. A *nih* (nec).

1, 8. *vitum*] scimus, cod. A *vituþ* (scitis). — *vitodeigo*] legitime, cod. a *vitoda* (lege, secundum legem), qui est dativus modi, uti Luc. I, 74 *unagein* *ἀφόβως*. Errant igitur Cast. et Massm. l. l. p. 212 *vitodabrukeiþ* junctim scribentes, uti erravit Cast. Col. III, 22 *leika fraujam* (*κατὰ σάρκα κυρίοις*) junctim scribens, cf. infra ad V, 14. Plane alia ratio est verborum *vitodalaisarjos* et *sualtavairþja*, quæ nobis Cast. objicit.

1, 9. *vitands*] cod. B ✕ *vitans*, vid. ad vs. 3. Cæterum Goth. ° τοῦτο, vid. ad II, I, 15. — *vitoþ nist*] ¶ cod. A. — *ak*] sed, gr. omn. δέ, vid. ad Cor. I, XIV, 20. — *jah*] sec. et quart., et, ° gr. omn. — *unsibjaim*] *ἀνόμοις*, cod. A marg. c. gr. omn. *afgudaim*, *ἀσεβέσι*. — *aiþeins*] desinit cod. A. — *horam*] Goth. ° *ἀρσενοκοίταις*, de ea omissione cf. Massm. l. l. p. 220.

1, 10. *gaþivandam*] Cast. ex loco omnino exeso ✕ *gaþivjandam*, quod Massm. l. l. p. 134 probare non debebat; sic *anaþivan* (*δουλαγωγεῖν*) Cor. I, IX, 27 et *gaþivan* (*δουλοῦν*) Cor. I, VII, 15 (*καταδουλοῦν*); II, II, 20; Gal. II, 4 (*περιπείρειν*); Tim. I, VI, 10 nullo autem loco *þivjan*. — *wa alja — andstandand*] siquidem ea lectio certa est neque *wo* pro *wa* in cod. legitur, cave cum Cast. *wa* pro plurali habeas, is enim *wo* esse debet; potius *wa* est casus absolutus pro adverbio positus et significat *forte*, vid. Cor. II, XII, 6, 18; Joan. XIV, 15; sic *we* Cor. II, XI, 21; et Gothus pro *εἴ τι* junctim *eïei* legisse videtur.

1, 11. *sei ïst*] quæ est, ° gr. omn.; Goth. c. vers.

1, 14. *usfarassiþ*] sic Cast. loco exeso legendum esse videtur, et *usfarasseiþ* legi posse negat, quia locus tot

Digitized by Google

16 fravaurhtans nasjan þizeei frumists im ik. akei dupe gaarmaiþs varþ ei in mis frumistamma ataugi-
đedi xristaus iesus alla usbeisnein du frisahtai þaim ize anavairþai vesun du galaubjan imma du
17 libainai aiveinon. aþþan þiudana aive undivanjamma ungasaiwanamma ainamma frodamma guþa
18 sveriþa jah vulþus in aldins aive amen. þo anabusn anafilha þus barnilo teimauþaiu bi þaim faura
19 faursnivandam ana þuk praufetjam ei driugais in þaim þata gôđo drauhtivitoþ. habands galaubein jah
goda miþvissein þizaiei sumai afskiubandans bi galaubein naqadai vaurpun. þizeei ist hymainaius
II, 1 jah alaiksandrus þanzei anafalh satanin ei gatalzjaindau ni vajamerjan. bidja nu frumist allis tau-
2 jan bidos aihtronins liteinins aviliuda fram allaim mannam. fram þiudanam jah fram allaim þaim in
3 usarassau visandam ei slavandein jah sutja los bauaima in allai gagudein jah gariudja. þatuþ-þan ist
4 god jah andanem in andvairþja nasjandis unsaris guþs. saei allans mans vili ganisan jah in uskunþja
5, 6 sunjos qiman. ains allis guþ ains jah midumonds guþs jah manne manna xristus iesus. sa gibands
7 sik silban andabaht faur allans veitvodein melam svesaim. du þammei gasatiþs im ik merjands jah
8 apaustaulus sunja qiþa in xristau ni liuga laisareis þiudo in galaubeinai jah sunjai. viljau nu vairans
9 bidjan in allaim stadim ushafjandans sviknos handuns inuh þvairhein jah tveiflein. samaleiko jah
qinons in gafeteinai hrainjai miþ gariudjon jah mahein fetjandeins sik ni in flahtom aiþþau gulþa
10 aiþþau markreitum aiþþau vastjom galubaim. ak þa·ei gadob ist qinom gaha tandeim guþ blotan

INTERPRETATIO.

et omni acceptione dignum, quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores servare, quorum primus sum ego. 16. Sed ideo misericordiam nactus fui, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad exemplum his qui futuri fuerunt ad credendum ei ad vitam æternam. 17. At regi sæculorum immortali, invisibili, uni, sapienti Deo, honor et gloria in ætates sæculorum, amen. 18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum has prius præcedentes ad te prophetias, ut milites in his hanc bonam militiam, 19. habens fidem et bonam conscientiam, quam quidem depellentes de fide nudi facti sunt; quorum est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut doceantur non blasphemare. II, 1. Rogo nunc primum omnis facere rogationes, preces, petitiones, gratiarum-actiones pro omnibus hominibus; 2. pro regibus, et pro omnibus his in eminentia existentibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 3. Hocce enim est bonum et acceptum in facie servatoris nostri Dei, 4. qui omnes homines vult servari et in cognitionem veritatis venire. 5. Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, 6. hic dans se ipsum redemptionem pro omnibus, testimonium temporibus propriis; 7. ad quod constitutus sum ego præco et apostolus, veritatem dico in Christo, non mentior, doctor gentilium in fide et veritate. 8. Volo nunc viros precari in omnibus locis, tollentes puras manus sine ira cundia et disceptatione; 9. similiter etiam mulieres in vestimento puro cum castitate et modestia ornantes se, non in torquibus aut auro aut margaritis aut vestibus pretiosis, 10. sed quod decorum est mulieribus

ANNOTATIONES.

litteris non vacet. Nos quia græci omn ὑπερπλεόναστ præterito tempore habent, *ufarassida* conjecimus; fieri etiam potest ut librarius *ufaraseiþ* pro *ufarasseiþ* scripserit; *ufarassiþ* autem prorsus falsum est. — *fraujins*] Goth. ° ἡμῶν. — *xristau*] Goth. ° ἰησοῦ.

I, 16. *xristaus iesus*] ¶ gr. omn.; cæterum *de xristaus*, non mendosa quidem, uti ait Cast., sed insolita forma pro *xristus*, vid. ad Marc. VII, 32, ubi adde: Gal. IV, 19 *xristaus*; Marc. X, 46 *barteimaiaus*; Joan. VIII, 52 et Tim. II, I, 10 *dauþau* pro *xristus*, *barteimaius*, *dauþu*. — *du galaubjan*] Cast. ✻ jct.; sic *du* cum infinitivo post *anavairþs* iterum legitur Thess. I, III, 4 *anavairþ vas uns du vinnan agliþos*.

I, 17. *undivanjamma*] sic pro *undivanamma*, uti esse debebat (vid. Cor. I, XV, 53, 54; II, V, 4), in codice denuo inspecto legi Cast. affirmat. Utrum autem Gothus ἀθανάτῳ an ἀφθάρτῳ legerit, certo dici non potest, *divans* etiam Cor. I, XV, 54 pro φθαρτός ponitur. — *frodamma*] sapienti, ° gr.; cæterum cod. B ✻ *fridamma*. — *aldins aive*] in codice lego: *ald...dins aive*; sed prior *d* evanidum et adhuc magis litteræ quæ inter utrumque *d* intercedunt. Videtur igitur librarius litteras *dins* bis scripsisse et deinde semel delevisse. Cast. Fortasse etiam scriptum fuit *allos aldins aive*, uti Eph. III, 21, sic quidem sæpius Gothus locos parallelos alterum ex altero auget.

I, 18. *faura*] prius, abundat et ° gr. omn.; cæterum hinc pergit cod. A.

II, 1. *frumist*] Cast. ✻ *fkumist*.

II, 2. *fram*] sec. pro, ° gr. omn. — *jah sutjai*] cod. A *jas-sutja*. — *sutja los*] sic in utroque cod. scriptum esse videri Cast. dicit; qui nobiscum divisim scribunt, eos nec *slavandein* pro substantivo, nulla auctoritate comprobato, nec *sutjalos* pro adverbio usitato atque insuper comparativo maxime otiose habere oportet.

II, 3 *ist*] est, ° gr. omn.

II, 4. *in*] ad, cod. B ° ✻ addidimus e cod. A.

II, 6. *andabahi*] sic cod. uterque, pro quo *andabauhi* expectabas, uti jam Massm. Skeir. Gloss. p. 125 judicavit, cui Cast. h. l. assentit; sic *faurbauhts* Eph. I, VII, 14; Col. I, 14. Si pro *andabahi* scriptum esset *andbahi*, non dubitaremus lectionem codicum probare, nam Christus etiam *ministrum* pro multis esse dedisse dici potest.

II, 7. *in xristau*] in Christo, ° gr.

II, 8. *vaivans bidjan*] viros precari, ¶ gr. omn., cf. tamen cod. *d* ap. Mi.

II, 9. *mahein*] Massm. M. G. A. p. 127 et Grimm. Gr. I, p. 40 (3. edit.) *inahein* legendum esse recte monent; idem verbum, quod h. l. σωφροσύνη significat, infra II, I, 7 pro σωφρονισμός et Rom. XII, 16 adjectivum *inahs* pro φρόνιμος interpres usurpavit. — *gulþa*] cod. B et Cast. ✻ *gulþ*; nimirum propter sequentem vocem *aiþþau* alterum *a* intercidit; cf. ad Joan. XII, 42. Cod. A hoc loco exesus. — *galubaim*] sic in utroque cod. pro usitato *galaubaim*, vid. Rom. IX, 21; Cor. I, V, 23; *filugalaubs* Joan. XII, 3; *ungalaubs* Rom. IX, 21. Sic *u* minus accurate pro *au* etiam scribitur in voce *diubulus*, et sæpius in terminationibus verborum, vid. ad Luc. I, 54.

II, 10. *blotan*] cod. B et Cast. ✻ *bloþan*; cod. A exesus; vid. ad Gal. II, 11. Sic idem librarius in eodem verbo Cor. II, VIII, 4 peccaverat, et uterque *þeimaþaius* supra I, 2 pro *teimauþaius* scripserunt; et cod. A III, 16 *insahþaba* pro *insahtaba*.

Digitized by Google

11, 12 þairh vaurstva goda. qino in hauiþa gálaisjai sik in allai ufhauseinai. iþ galaisjan qinon ni uslaubja
13, 14 ni frauginon faura vaira ak visan in þahainai. adam auk fruma gadigans varþ þaþroh aivva. jah adam
15 ni varþ uslutoþs iþ qino uslutoda in missadedai varþ. iþ ganisiþ þairh barne gabaurþ jabai gastan-
III, 1 dand in galaubeinai jah friaþvai jah veihiþai miþ gafraþjein. triggv þata vaurd jabai was aipiskaupeins
2 gairneiþ godis vaurstvis gairneiþ. skal nu aipiskaupus ungafairinonds visan ainaizos qenais aba
3 andaþahts gariuds froþs gafaurs gastigods laiseigs nih veinnas ni slahals ak sutis airknis ni sakjis ni
4, 5 faihufriks seinamma garda vaila fauragaggands barna habands ufhausjandona miþ allai anaviljein. iþ
6 jabai was seinamma garda fauragaggan ni mag waiva aikklesjon guþs gakarai. nih niujan satidana
7 ibai austo ufarhauhiþs in staua atdriusai unhulþins. skal auk is veitvodiþa goda haban fram þaim
8 uta ei ni atdriusai in idveit jah hlamma unhulpins. jah sva diakaununs gariudans nih faihufrikans
9 ni veina filu haftjandans nih aglaitgastaldans. habandans runa galaubeinais in hrainjai gahugdai.
10 11 jah þai þan gakiusaindau frumist jas-sva andbahtjaina ungafairinodai visandans. qinons samaleike
12 gariudos ni diabulos gafaurjos triggvos in allamma. diakaunjus sijaina ainaizos qenais abans barnam
13 vaila fauragaggandans jah seinaim gardim. þai auk vaila andbahtjandans grid goda fairvaurkjand jah

INTERPRETATIO.

confidentibus Deum colere per opera bona. 11. Mulier in silentio doceat se in omni obedientia; 12. verum docere mulieri non permitto, non dominari coram viro, sed esse in taciturnitate. 13. Adam enim prior formatus fuit, deinde Evva; 14. et Adam non fuit seductus, verum mulier seducta in facinore fuit. 15. Verum servatur per puerorum generationem, si manent in fide et amore et sanctitate cum modestia. III, 1. Fidele hoc verbum; si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 2. Debet nunc episcopus integer esse, unius mulieris maritus, sobrius, pudicus, prudens, modestus, hospitalis, aptus-ad-docendum, 3. nec vinolentus, non plagiarius, sed mitis, pius, non litigiosus, non avarus, 4. suam domum bene administrans, pueros habens obedientes cum omni modestia. 5. Verum si quis suam domum administrare non potest, quomodo ecclesiam Dei curet? 6. Neque recentem plantatum, ne forte elatus in judicium incidat Satanæ. 7. Debet enim is testimonium bonum habere ab his extra, ut non incidat in vituperationem et laqueum Satanæ. 8. Et sic diaconos castos, nec avaros, non vino multum adhærentes, nec turpe-lucrum-sectantes; 9. habentes mysterium fidei in pura conscientia. 10. Et hi vero probentur primum et sic ministrent irreprehensibiles existentes. 11. Mulieres similiter castas, non calumniatrices, sobrias, fideles in omni. 12. Diaconi sint unius mulieris mariti, pueros bene curantes et suas domos. 13. Hi enim bene ministrantes gradum

ANNOTATIONES.

II, 11. *hauiþa*] sic in utroque cod. scriptum esse Cast. affirmat; offendit autem ipsum Castillionæum hæc vox insolita, et conjicit *hauniþa* (immo *hauniþai*), in humilitate; sed neuter codex breviationis signum habet, et *hauniþa* nimis longe a sensu textus græci aberrare nobis videtur, quam ut probare possimus; fortasse autem legendum est *in kliuþa* in auditu, i. e. audientes. cf. Goth. *kliuma*, Island. *hliodr klyda*; Graff IV, p. 1102.

II, 12. *galaisjan qinon*] docere mulieri, ¶ gr. — *faura*] coram, ° gr. omn., Gothus igitur formula *ni frauiinon faura vaira* indicat, feminas in concionibus coram viris nec auctoritatem sibi arrogare, nec dominari debere. — *þahainai*] Cast. e cod. B (nam A h. l. plane exesus est) *þeigainai* edidit, quanquam e distincte legere non poterat; cum autem inter voces gothicas, quæ quidem sunt cognitæ, nulla sit a qua recte deflecti possit (quis enim credere potest *þeigains* a *þeihan* esse et h. l. ubi de taciturnitate sermo est, interpretem tam diligentem *profectus* ponere?), id quod etiam ad *þageinai* valet, quod Massm. l. l. p. 127 conjecit: non dubitavimus, conjecturam nostram in textu ponere; *þahains* autem est a *þahan* (σιγᾶν, σιωπᾶν, φιμοῦσθαι).

II, 13. *gadigans*] cod. B ✕ *gadigands*, cod. A exstinctus; vid. ad I, 3.

II, 15. *friaþvai*] cod. A *frijaþvai*.

III, 2. *ungafairinonds*] sic forma activa in utroque codice, cum esse deberet *ungafairinoþs*, uti recte legitur III, 10; V, 7; VI, 14; Tit. I, 7, et *unfairinodaba* Thess. I, II, 10; sed emendare noluimus, cum Tit. I, 6 *ungafairinônds* eodem sensu repetatur. — *gariuds*] pudicus, ° gr. omn.; Goth. c. Vulg., quæ tamen habet post κόσμιον.

III, 3. *airknis*] pius, ° gr. omn.; cæterum iis, qui *airkns* optant pro *airknis*, Cast. respondet, vocem editam in utroque cod. esse dubiam, videri tamen in *is* inuitl. — *sakjis*] Cast. edidit ✕ *sakjas*, codice autem denuo inspecto, exesum quidem esse locum, sed *sukjis* legi posse dicit.

III, 4. *fauragaggands*] sic recte cod. A, *fauragaggans* autem, quod cod. B præbet, idem est mendum, quod supra ad I, 3 notavimus, nec potest defendi, uti Castillionæo videtur, nam participii *gaggans* longe alia est ratio. — *ufhausjandona*] desinit cod. B — *anaviljein*] cod. A ✕ *anaviljin*, vid. ad I, 4.

III, 6. *niujan satidana*] cum *skal visan* præcessisset, Gothus *niuja satiþs*, nominativo casu, scribere debebat; sed hoc sæpius interpreti accidit, ut auctoritatem textus græci secutus a constructione recte averteretur. Sic etiam versu 8 pro *diakaununs* scribendum erat *diakaunjus*, uti V, 1, 2 dativi pro accusativis. Cæterum cod. A ✕ *satidina*, et Gothus pressius græcum νεόφυτος per *niuja satiþs* convertit, nam illud non proprie de recens plantato dicitur, sed de eo qui nuperrime cœtui Christiano socius adscriptus est. — *staua*] sic legendum est; Cast., qui hoc verbum in codice legere non poterat, male *stauai* edidit, id autem ordo verborum non patitur, vid. vs. 7 *atdriusai in idveit*.

III, 7. *atdriusai in idveit*] incidat in vituperationem, ¶ gr. omn.

III, 8. *jah*] et, ° gr. omn. — *sva diakaununs*] sic diaconos, ¶ gr. omn.; cæterum de *diakaununs* accusativo, cum nominativus esse deberet, vid. ad vs. 6. — *faihufrikans*] avaros, gr. omn. ἀλόγους. — *veina filu*] notandum est, apud Gothum alia verborum structura usum, *veina* non pendere ex *filu*, uti in textu græco est, sed ex verbo *haftjandans*; pariter infra V, 23 οἴνῳ ὀλίγῳ χρῷ per *veinis leitil brukjais*, et II, II, 16 ἐπὶ πλεῖον προκόψουσιν ἀσεβείας per *filu gaggand du afgudein* convertit *filu*; enim et *leitil* ei sunt adverbia, quapropter substantiva his locis ex verbis pendent.

III, 9. *hrainjai*] Cast. ✕ *hrainjon* (vid. II, I, 3), in codice enim nullum litterarum vestigium superest.

III, 10. *jas-sva*] et sic, gr. εἶτα. — *visandans*] cod. A bis scriptum habet, vid. ad Cor. II, X, 12.

III, 11. *gafaurjos*] cod. A marg. *an..þ.....*, procul dubio, *andaþahtos*. Cast. Recte, vid. vs. 2.

III, 13. *grid*] Goth. ° ἰαντοῦς. — *galaubeinai*] fide, gr. omn. ἐν πίστει, ut Gothus *in* omittat; probabilius autem est librarium *in* omisisse, quæ litteræ eædem

Digitized by Google

14, 15 managa balþein galaubeinai þizai in xristau iesu. þata þus melja venjands qiman at þus sprauto. aþ-
þan jabai sainjau ei vitais waiva skuld ist in garda guþs usmitan saei ist aikklesjo guþs li-
16 bandins sauls jah tulgiþa sunjos. jah unsahtaba mikils ist gagudeins runa saei gabairhtiþs
varþ in leika garaihts gadomiþs varþ in ahmin ataugids varþ þaim aggilum merids varþ in
IV, 1 þiudom galaubiþs varþ in fairwau andnumans varþ in vluþau. aþþan ahma svikunþaba
qiþiþ þatei in {spidistaim dagam afstandand sumai galaubeinai atsaiwandans ahmane airziþos
2 jah laiseino unhulþono. in liutein liugnavaurde jah gatandida habandane {svesa} miþvissein.
3 varjandane liugos gaþarban mate þanzei guþ gaskop du andniman miþ aviliudam galaubjandam jah
4 ufkunnandam sunja. unte all gaskaftais guþs goþ jah ni vaiht du usvaurpai miþ aviliudam andnuman.
5, 6 gaveihada auk þairh vaurd guþs jah bida. þata insakands broþrum goþs vairþis andbahts xristaus ie-
7 sus alands vaurdam galaubeinais jah godaizos laiseinais þoei galaistides. iþ þo usveihona sve usal-
8 þanaizo spilla bivandei iþ broþei þuk silban du gagudein. aþþan leikeina usbroþeins du favamma
ist bruks iþ gagudei du allamma ist bruks gahaita habandei libainais þizos nu jah þizos anavair-
9, 10 þons. triggv þata vaurd jah allaizos andanumtais vairþ. duþþe allis arbaidjam jah idveitjanda unte
11 venidedum du guþa lihandin saei ist nasjands allaize manne þishun galaubjandane. anabiud þata
12 jah laisei. ni manna þeinai jundai frakunni ak frisahts sijais þaim galaubjandam in vaurda in usmeta

INTERPRETATIO.

bonum acquirunt et multam fiduciam fide hac in Christo Iesu. 14. Hoc tibi scribo sperans venire ad te cito; 15. at si tardem, ut scias quomodo debitum est in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis. 16. Et impugnate magnum est pietatis mysterium, qui revelatus fuit in carne, justus judicatus fuit in spiritu, conspectus fuit his angelis, nuntiatus fuit in gentilibus, creditus fuit in mundo, acceptus fuit in gloria. IV, 1. At spiritus manifeste dicit, quod in ultimis diebus deficiunt quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, 2. in dolo mendacium et cauteriatam habentium suam conscientiam, 3. prohibentium nuptias, abstinere cibis, quos Deus produxit ad accipiendum cum gratiarum-actionibus credentibus et cognoscentibus veritatem. 4. Nam omne creaturæ Dei bonum et non res ad abjectionem, cum gratiarum-actionibus accepta: 5. sanctificatur enim per verbum Dei et precationem. 6. Hoc suppeditans fratribus bonus fis minister Christi Iesu, nutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ, quam assecutus-es. 7. Verum hæc frivola, uti anuum fabulas, evita; verum exerce te ipsum ad pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio ad paucum est utilis, verum pietas ad omne est utilis, promissiones habens vitæ hujus nunc et hujus futuræ. 9. Fidele hoc verbum et omni acceptione dignum. 10. Ad hoc enim laboramus et vituperamur, quia speravimus ad Deum viventem, qui est servator omnium hominum, maxime credentium. 11. Præcipe hoc et doce. 12. Non homo tuam adolescentiam asperne-

ANNOTATIONES.

nunt, in quibus præcedens *balþein* innititur, sic etiam judicat Massm. l. l. p. 138, vid. ad I, 5.

III, 15. *usmitan*] sic cod. A; Cast. ✻ *usmetan*.

III, 16. *unsahtaba*] cod. A ✻ *unsahþaba*, vid. ad II, 10. — *saei*] Castillionæo, qui in epicrisi ad Philipp. p. 63 hoc loco *guþ* legi affirmaverat, intenta oculorum acie et membrana acidis et sapone iterum iterumque tentata, tandem apparuere tenues ductus vocis *soei*, vid. eum ad Tim. p. 62 sq. Si autem Gothus revera ita scripsisset, in codice suo lectionem habuisset: μυστήριον ὃ ἐφανερώθη; cum autem dicat *gabairhtiþs varþ — garaihts gadomiþs varþ* cæt., fieri non potest ut *soei* ad *runa* relatum scripserit, sed sine dubio scripsit *saei*, quod aptum est et præcedenti *mikils* et sequentibus participiis. Quod autem *saei* scripsimus, minus audacter fecimus, nam denuo confitetur Cast. locum plane exesum esse.

IV, 1. pergit cod. B. — *spidistaim*] ultimis, gr. omn. ὑστέροις præter cod. Colbert., sic tamen ὕστερος per *spedists* etiam Luc. XX, 32 convertitur. Cæterum pro *spidistaim* cod. A usitatius *spedistaim* habet; Grimm. (Gr. I, p. 59, 3 edit.) lectionem editam scripturæ inendum pro *speidistaim* esse existimat. — *dagam*] diebus, gr. omn. καιροῖς. — *airziþos*] erroris, gr. πλάνοις, Goth. c. codd. πλάνης legit.

IV, 2. *jah*] et, ° gr.

IV, 3. *mate*] cod. B ✻ *amte*; cod. A plane oblitteratus, — *aviliudam*] gratiarum actionibus, gr. omn. εὐχαριστίας singulari numero, sic vers. 4 et Eph. V, 4.

IV, 6. *xristaus iesuis*] ¶ gr. — *alanda*] sic cod. B; cod. A exesus; Cast. opinatur Gothum participio activo uti, quia ἐντρεφόμενος per errorem pro medio habuerit; Massm. l. l. p. 140 librarium *alands* pro *alans* frequenti permutatione (vid. ad I, 1, 3) scripsisse; quarum opinionum neutra placet, potius forma verbi est *alan*, crescere, nutriri (Grimm. Gr. II, p. 8), cujus participium *alands* est; deinde formatur *aljan* transitivum pascere, nutrire.

IV, 7. *sve usalþanaizo spilla*] quasi vetularum fabulas; *usalþans* est participium verbi *usalþan*, senescere, *veralten*, (gall. *vieillir*), et *usalþana* est *eine eraltete* (gall. *une vieille*), uti apud Germanos veteres ab *ar*-sive *iralten* fit *ar*-sive *iraltet* vetula, veterosus, vid. Graff, I. p. 200 sq. cf. *usvahsans* (ἡλικίαν ἔχων) Ioan. IX, 21. Miramur quod Castill. qui *us alþanaizo* div. scribit, non vidit hanc verborum structuram solœcam esse; Massm. l. l. p. 131 hoc animadvertit et ne leges lædantur sermonis, *us* tanquam a librario falso loco positum ad *broþei* trahere conatur; sed quibus hac conjectura, ingeniosa quidem, placet, iis comprobandum est, simplex *alþana* γραῦς significare posse. *usalþanaizo* jct. etiam Grimm. Gr. I, p. 41 (3 edit.) legit. — *iþ*] cod. B omittit vel potius librarius *bivandei broþei* scripsit pro *bivandeiþ broþei*, sic Cor. I, XIII, 12. cf. supra ad III, 13; in cod. A admodum exeso exstare videtur.

IV, 8. *gagudei*] cod. B ✻ *gagudein*; in cod. A legi nequit. — *ist bruks*] sec., est utilis, ¶ gr. omn. præter cod. *l* ap. Mi. — *gahaita*] promissiones, gr. ἐπαγγελίαν. — *anavairþons*] desinit cod. A.

IV, 10. *allis*] Goth. c. codd. ° καί; cæterum Cast. recte annotat, *allis* hac significatione in evangeliis sæpe, in epistolis præter hunc locum non inveniri; cf. tamen ad VI, 10.

IV, 12. *manna*] sic cod. B; Cast. ✻ *mann*. — *frisahts*] sic legendum; cod. B et Cast. ✻ *frisaht*, ubi omissum est *s* propter sequentem eamdem litteram, quod sæpe observavimus. Lectionem editam etiam Massm. l. l. p. 136 sq. rectam esse animadvertit, sed an quisquam toto orbe inveniatur, qui etiam accusativum hoc loco recte positum esse cum eo opinetur, valde dubitamus.

Digitized by Google

13, 14 in friaþvai in galaubeinai in sviknipai. unte qima gaumei saggva boko gaþlaihtai laiseinai. ni sijais unkarja þizos iu þus anstais sei gibana varþ þns þairh praufetjans afar analageinai handive praiz-
15, 16 bytaireis. þo sido (þize) iduþ-þaim sijais ei þatei þeihais þu svikunþ sijai allaim. atsaiw du þus silbin jah du laiseinai usdaudo þairhvis in þaim. þatuh auk taujands jah þuk silban ganasjis jah
v, 1 hausjandans þus. seneigana ni andbeitais ak gaþlaih sve attin juggans sve broþruns seneigos sve ai-
2, 3 þeins juggos sve svistruns in allai sviknein. viduvons sverai þozei bi sunjai sijaina viduvons. iþ
4 jabai wo viduvono barna aiþþau barne barna habai galaisjaina sik faurþis svesana gard barusnjan jah andalauni usgiban fadreinam þata auk ist god jah andanem in andvairþja guþs.
5 aþþan soei bi sunjai viduvo ist jah ainakla venida du guþa jah þairhvisiþ in bidom nahtam jah
6, 7 dagam. iþ so vizondei in azetjam jah libandei dauþa ist. jah þata inabiud ei ungafairinodos si-
8 jaina. aþþan jabai was svesaim þishun ingardjam ni gaþlaihiþ galaubein invidiþ jah ist ungalaub-
9, 10 jandin vairsiza. viduvo gavaljaidau ni mins saihstigum jere sei vesi ainis abins qens in vaurstvam godaim veitvodiþa habandei jah barna fodidedi jah gastins andnemi jah veihaim fotuns þvohi jah
11 aglons vinnandam andbahtidedi jah allamma vaurstve godaize afarlaistidedi. iþ juggos viduvons
12, 13 bivandei. . . . . galaubein vana gatavidedun. aþþan samana jah unvaurstvons laisjand sik þairh-

INTERPRETATIO.

tur, sed exemplum sis his credentibus in verbo, in conversatione, in amore, in fide, in castitate. 13. Dum venio, attende lectioni librorum, consolationi, doctrinæ. 14. Ne sis negligens hujus in te gratiæ, quæ data fuit tibi per prophetias post impositionem manuum presbyteri. 15. Hæc meditare (horum), inque his sis, ut quod prolicis tu, manifestum sit omnibus. 16. Adspice ad te ipsum et ad doctrinam, sollicite permane in his; hocce enim faciens et te ipsum conservas et audientes te. v, 1. Senem non increpes, sed adhortarè uti patrem, juvenes uti fratres, 2. anus uti matres, juvencalas uti sorores in omni castitate; 3. viduas honora, quæ in veritate sunt viduæ; 4. verum si quæ viduarum liberos aut liberorum liberos habeat, doceant se prius propriam domum pie-colere et gratiam retribuere parentibus; hoc enim est bonum et acceptum in facie Dei. 5. At quæ in veritate vidua est et desolata speravit ad Deum et perseverat in precibus noctibus et diebus; 6. verum hæc degens in deliciis etiam vivens mortua est. 7. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. 8. At si quis suos, maxime domesticos, non adhortatur, fidem negat et est non-credente pejor. 9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius mariti uxor, 10. in operibus bonis testimonium habens, et filios nutrîverit et hospites exceperit et sanctis pedes laverit et afflictiones patientibus subministraverit et omne operum bonorum secuta-sit. 11. Verum adolescentes viduas devita..... 12.... fidem irritam reddiderunt. 13. At simul etiam otiosæ docent se obire domos; at non solum otiosæ, sed etiam

ANNOTATIONES.

iv, 14. *afdr analageinai*] post Impositionem, quasi legerit interpres μετὰ ἐπιθέσιν, cum autem gr. omn. μετὰ ἐπιθέσεως præbeant, convertendum erat *miþ analageinai*. — *praizbytaireis*] presbyteri, gr. omn. πρεσβυτερίου, præter cod. Leicest., qui πρεσβυτίρου habet, cum quo Goth. concinit. Si Goth. lectionem vulgatam secutus esset, scribendum ei erat *praizbytaireins*, sed nullum breviationis signum super syllabam — *eis* conspicitur, quæ etiam in initio lineæ scripta est.

iv, 15. *þize*] horum, omnino superfluum est, nam ad sequentia pertinere non potest, quia *inuþ-þaim* in initio sententiæ poni debet; neque potest ad præcedentia *þo sido*, nisi forte quis variam lectionem e margine in textu posiam esse existimat. — *inuþþaim*] inque his, sic cod. B; Cast. ✻ *inuþþan*, et insuper opinatur, *in* cum *visan* componendum esse, quod verbum, scilicet *invisan*, genitivum (*þize*) post se habere; sed *invisan* plane aliam habet significationem, vid. ad Marc. xvi, 1, neque si *inesse* significaret, genitivum e se pendentem habere posset; igitur miramur quod Massm. l. l. p. 217 tam incaute cum Cast. consentit. — *sijai*] Goth. c. codd. ° *iv*.

iv, 16. *usdaudo*] sollicite, ° gr. omn. — *in*] in, ° gr.

v, 1. *attin*] Massm. l. l. p. 138 falsum pro *áttan* esse censet; idque ei in mentem venisse videtur, quod complures accusativi sequuntur; sed dativus *attin* recte habet post *gaþlaihan*, vid: Marc. x, 16; Cor. II, vii, 6; Tim. I, v, 8; de accusativis autem sequentibus statuendum est idem, quod supra ad iii, 6 annotavimus.

v, 2. *aiþeins*] sic scribendum est pro *aiþeis*, uti in cod. B, sed in fine lineæ, legitur.

v, 4. *galaisjaina*] pergit cod. A — *sik*] cod. B ° ✻ addidimus e cod. A, nam μανθάνειν est *laisjan sik* vid. ii, 11; v, 13; ii, iii, 14; Phil. 4, 9, 11. Skeir. 45, 7. — *barusnjan*] sensus hujus verbi, cujus lectio in utroque codice indubia est, viris doctis plane non cognitus esse videtur. Castillionæus h. l. e *barseis* deflecti et regendi significationem habere dicit; sed quid commune habet notio regendi cum εὐσεβεῖν, quod textus habet, et quid rei familiaris imperium ad puerulos pertinet? Massmannus, cui Castillionæi interpretatio merito non placet, l. l. p. 130 et 179, *barusnjan* profectum esse existimat e BARU, quod ad *paro* (nemus), *paruwari* (sacerdos) et alia referendum sit, et colere, adorari significet; sed etiam hoc sensus nostri loci non admittit. Nobis potius cum *barn* ex eadem radice natum esse et significare videtur: colere filiorum more, uti liberi solent, quod græco εὐσεβεῖν, pie agere, aptissime respondet. — *god jah*] bonum et, ° cod. A c. gr.

v, 5. *bidom*] Goth. c. verss. latt. ° καὶ ταῖς προσευχαῖς.

v, 6. *jah*] et, ° gr. omn.

v, 7. *ungafairinodos*] sic recte cod. A (non *unfairinodos*, uti Cast. edidit); cod. B ✻ *ungafairidos*.

v, 8. *svesaim*] Goth. ° καὶ. — *invidiþ*] negat, gr. omn. ἤρνηται (renuntiatum habet) sic infra II, iii, 5.

v, 9. *saihstigum jere*] sexaginta annorum, ¶ gr. omn.

v, 10. *jah — jah*] sive — sive, aliis locis hoc *jaþþe — jaþþe* esse solet; cave autem cum Massm. l. l p. 141 *jah* in *jabai* mutes aut cum Cast. *ei jah — jah* (quod et — et) scriptum fuisse opineris. — *gastins*] sic codd., Cast. ✻ *gastis*, quod hic vir doctus pro *gasteis* esse arbitrabatur. — *allamma*] desinit cod. B.

v, 11. *bivandei*] quæ inde sequuntur usque ad *galaubein* versu sequente adeo sunt exstincta, ut Cast. eorum ne vestigium quidem invenire potuerit.

v, 12. *vana*] sic legendum est, Cast. ✻ *vanana* ex loco plane exeso edidit.

v, 13. *fairveitjandeins*] post primam hujus verbi syllabam desinit plagula XLI et incipit XLII codicis A,

Digitized by Google

gaggan gardins aþþan ni þatain unvaurstvons ak jah unfaurjos jah fairveitjandeins jah rodjandeins
14, 16 þoei ni skulda sind. viljau nu juggos liugan barna baitan garda valdan. . . . . viduvons andbahtjai
17, 18 im-jah ni kaurjaidau aikklesjo ei þaim bi sunjai. . . . . in vaurda jah laiseinai. qaþ auk game-
19 leins auhsau þriskandin munþ ni faurvaipjais jah vairþs sa vaurstva mizdons is. bi praizbyterein
20 vroh ni andnimais niba *in andvairþja* tvadje aiþþau þrije veitvode. ïþ þans fravaurhtans in and-
vairþja allaize gasak ei jah þai anþarai agis habaina. veitvodja in andvairþja guþs jah fraujins
unsaris Iesuis xristaus jah þize gavalidane aggile ei þata fastais inu faurdomein ni vaiht taujands
22 bi viljahalþein. handuns sprauto ni mannhun lagjais ni gamainja siais fravaurhtim framaþjaiþ
25 þuk silban sviknana fastais. ju ni drigkais þanamais vato ak veinis leitil brukjais in qiþaus
24 þeinis jah þizo ufta sauhte þeinaizo. sumaize manne fravaurhteis sviknuþos sind faurbisnivandeins
25 du staua sumaize þan jah afargaggand. samaleiko þan jah vaurstva goda sviknuþa sind jah þe
.1, 1 aljaleikos sik habandona filhan ni mahta sind. sva managai sve sijaina uf jukuzjai skalkans
seinans fraujans ahaizos sveriþos vairþans rahnjaina ei namo fraujins jah laiseins ni vajamer-
2 jaidau. aþþan þaiei galaubjandans haband fraujans ni frakunneina unte broþrjus sind ak mais
skalkinona unte galaubjandans sind jah liubai þaiei vailadedais gadailans sind. þata laisei jah
3 gaþlaiþ. jabai was aljaleikos laisjai jah ni atgaggai du hailaim vaurdam þaim fraujins unsaris
4 Iesuis xristaus jah þizai bi gagudein laiseinai. ïþ hauhþuhts ni vaiht vitands ak siukands bi soknins

INTERPRETATIO.

garrulæ et male-sedulæ et loquentes, quæ non debita sunt. 14. volo nunc adultas nubere, filios procreare, domum gubernare..... 16. ... viduas, subministret iis et non gravetur ecclesia, ut *his* in veritate..... 17. ... in verbo et doctrina. 18. Dixit enim scriptura: bovi trituranti os ne capistro obdures, et dignus hic operarius mercede ejus. 19. In presbyterium accusationem ne accipias nisi in facie duorum aut trium testium; 20. verum hos peccatores in facie omnium argue, ut etiam hi reliqui timorem habeant. 21. Testor in facie Dei et domini nostri Iesu Christi et horum electorum angelorum, ut hoc observes sine præjudicio, non rem faciens secundum propensionem. 22. Manus cito ne homini imponas, ne socius sis peccatis alienis. 23. Te ipsum purum custodias; jam ne bibas amplius aquam, sed vino modice utaris propter ventrem tuum et has sæpe infirmitates tuas. 24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, properantia ad judicium; quorumdam vero etiam subsequuntur. 25. Similiter vero etiam opera bona manifesta sunt et hæc aliter se habentia; abscondi non possibilia sunt. VI, 1. Tam multi quam sint sub jugo servi, suos dominos omni honore dignos existimet, ut nomini domini et doctrinæ non maledicatur. 2. At qui credentes habent dominos, ne contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia credentes sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hoc doce et adhortare. 3. Si quis aliter doceat et non accedat ad sana verba hæc domini nostri Iesu Christi et hanc secundum pietatem doctrinam: 4. verum superbus, non quidquam sciens, sed

ANNOTATIONES.

in qua scriptura omnis deleta est, et Castillionæus, quod nondum sibi accidisset, adeo nulla vestigia litterarum vidit, ut quæ usque ad versum 17 edidit (ibi autem incipit plagula XLIII) e singulis lineis conjectando componeret. — *jah*] ult. et, ° gr. omn.

γ 14. *garda valdan*] Cast. et Massm. l. l. p. 212 ✕ *je.*, sic etiam nobis ipsis Matth. x, 25 et Luc. XIV, 21 *garda valdands* div. scribendum erat, nam verbum compositum *gardivaldands* esse debet, uti *matibatgs*, *gatigods*, *frastisibja*, *drauhtivitoþ*, *andilaus* (non igitur *andalaus*, uti cod. A supra I, 4 habet).

v, 16. *andbahtjai*] Cast. dubitat, utrum sic, an *andstaldai* legendum sit; sed *andstaldan* personam accusativo casu post se habet, dativo autem rem, vid. Cor. II, IX, 10; Gal. III, 5; Tim. I, I, 4.

v, 17. *laiseinai*] Cast. *in laiseinai*, cum vero nullus gr. *in* habeat neque Cast. in cod. legere posset, sed hanc solam ob causam adderet, quod locus ei vacare videretur, nos quidem omisimus.

v, 18. *qaþ*] dixit, gr. omn. λέγει. — *vaurtsva*] Massmanno l. l. p. 126 displicet et *vaurstvja* legi mavult, negans *unvaurstvons*, quod supra vs. 13 legatur, exemplo uti posse. Sane illud non potest, nec potest *allavaurstvans* Col. IV, 12, sed uti nunc *vaurstva* habemus, sic permultis locis *gavaurstva* (συνεργός, ὁ συνεργῶν) legitur, neque nos quidem illa forma offensi sumus.

v, 19. *in andvairþja*] Cast. præter litteras... *rþ*... nihil cognoscere potuit; pro *in* male *bi* scripsit, de quo errore etiam Massm. l. l. p. 134 monuit. Cæterum Gothus, si vere ita scripsit, a Græcorum auctoritate nimis discedit, nec propius eis accederet, si Castillionæi conjectura *ana munþa* probabilior esset; fortasse *bi veitvodiþai* scribendum est. — *tvadje*] sic Cast. edidit pro *tvaddje*, quod duplex *d* locus capere non posse ei videretur.

v, 20. *ïþ*] verum, ° gr.

v, 21. *unsaris*] nostri, ° gr. omn. præter cod. 9 ap. Mi. — *viljahalþein*] pergit cod. B.

v, 22. *mannhun*] Cast. e cod. B ✕ *manþun*; cod. A exesus; vid. Marc. I, 44.

v, 23. *qiþaus*] cod. B marg. *siuqnis*. — *þizo ufta — þeinaizo*] sic codd. quanquam omnis pene scriptura deleta est, et sic Massm. etiam l. l. p. 133 legendum esse censet; Cast. ✕ *þize ufte — þeinaize*.

v, 24. *sumaize*] sec., cod. A *sumaizeh*; cæterum Goth. τινῶν cum cod. Colbert. ap. Mill. legit πρό τισί.

v, 25. *þan*] autem, ° gr. omn. præter cod. ap. Mill.

VI, 1. *jukuzjai*] Massm. l. l. p. 136 comperire cupit, an vere sic legatur, quia Gal. V, 1 idem casus *jukuzja* sit; sed vir doctus errat, illo loco *jukuzja* est accusativus, nostro autem *jukuzjai* dativus, quod utrumque recte ad formam *jukuzi* redit. — *fraujins*] domini, gr. θεοῦ.

VI, 3. *atgaggai*] accedat, cod. A *atgaggiþ* (accedit) — *laiseinai*] Cast. ✕ *laisenai*, ipse p. 72 emendat.

VI, 4. *ïþ*] verum, ° gr. omn., Goth. c. vers. et patribus latt. — *hauhþuhts*] superbus, ° gr. omn. τετύφωται. — *maurþra*] cædes, ° gr. omn., nec legitur in cod. A; etiamsi enim vestigium litteræ *a* apparet, et spatium aliquod esse videtur, tamen hoc integro illi verbo non sufficit, eamque litteram Cast. a librario falso scriptam ab eodemque deletam esse existimat. Cæterum non dubium est quin *maurþra* in cod. B inde sit natum, quod alii pro φθόνοι legebant φόνοι, quam utramque lectionem aut interpres recepit aut librarius de margine inseruit; cf. ad Eph. II, 3. — *haifsteis*] sic recte cod. A; cod. B ✕ *haifteis*.

Digitized by Google

5 jah vaurdajinkos us þaimei vairþand neiþa maurþra haifsteis anaqisseis anaminde:s ubilos usha!-
þeins fravardidaize manne ahin at þaimei gatarniþ ist sunja hugjandane faihugavaurki visan ga-
6, 7 gudein. aþþan ist gavaurki mikil gagudei miþ ganauhin. ni vaiht auk brahtedum in þamma fair-
8 wau. bi sunjai þatei ni usbairan wa magum. aþþan habandans usfodein jah gaskadvein þaimuh
9 ganohidai sijaima. aþþan þaiei vileina gabigai vairþan atdriusand in fraistubnja jah hlamma
unhulþins jah lustuns managans unnutjans jah skaþulans þaiei saggqjand mans in fravardein
10 jah fralust. vaurts allaize ubilaize ist faihugeiro þizozei sumai gairnjandans afairzidai vaurþun af
11 galaubeinai jah sik silbans gaþivaidedun sairam managaim. iþ þu jai manna guþs þata þliuhais
12 iþ laistjais garaihtein gagudein galaubein friaþva þulain qairrein. haifstei þo godon haifst galau-
beinais undgreiþ libain aiveinon du þizaiei laþoþs is jah andhaihaist þamma godin andahaita in
13 andvairþja managaize veitvode. anabiuda in andvairþja guþs þis gaqiujandins alla jah xristaus
14 iesuis þis veitvodjandins uf paunteau peilatau þata godo andabait. fastan þuk þo anabusn unvamma
15 ungafairinoda und qum fraujins unsaris iesuis xristaus. þanei in melam svesaim taikneiþ sa audaga
16 jah ains mahteiga jah þiudans þiudanondane jah frauja fraujinondane. saei ains aih undivanein jah
liuhaþ bauiþ unatgaht þanei saw manne ni ainshun nih sai. . .—

INTERPRETATIO.

ægrotans de quæstionibus et verbi-controversiis, ex quibus fiunt invidiæ, cædes, contentiones, convicia, suspiciones malæ, 5. contentiones deperditorum hominum mente, apud quos occultata est veritas, existimantium quæstum esse pietatem. 6. At est quæstus magnus pietas cum contento-animo; 7. non rem enim portavimus in hunc mundum, in veritate, quod non auferre quidquam possumus. 8. At habentes alimentum et vestimentum, hisce contenti simus. 9. At qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli et cupiditates multas inutiles et noxias, quæ demergunt homines in interitum et deperditionem. 10. Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam cupientes abducti fuerunt a fide et se ipsos subjecerunt doloribus multis. 11. Verum tu profecto, homo Dei, hoc fugias, verum secteris justitiam, pietatem, fidem, amorem, patientiam, mansuetudinem; 12. pugna hanc bonam pugnam fidei, apprehende vitam æternam ad quam vocatus es et confessus-es hanc bonam confessionem in præsentia multorum testium. 13. Jubeo in præsentia Dei hujus vivificantis omnia et Christi Iesu hujus testantis sub Ponteo Pilato hanc bonam confessionem, 14. observare te præceptum immaculatum, irreprehensibile usque-ad adventum domini nostri Iesu Christi, 15. quem in temporibus suis ostendit hic beatus et unus potens et rex regnantium et dominus dominantium, 16. qui unus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessabilem, quem vidit hominum non unus neque vi[dere].....

ANNOTATIONES.

vi, 5. *ahin*] Goth. ° καί. — *gatarniþ*] sic cod. B pro *gatarnida*, cf. ad Nebem. vi, 16. Non est autem, quod Cast. mendum scriptoris pro *gatairniþ* (imo *gatairniþ*) esse suspicetur; nam præclare habet *gatarnan*, si comparas *tarnjan* et *tarnen*, occulere, quibus verbis Germani superioris et medii ævi utuntur, vid. Glossarium v. *Tarnjan*. — *gagudein*] cod. B ° c. gr. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων; in cod. A ea scripta esse videntur, sed præ nova scriptura Cast. nihil nisi litteram *þ* cognoscere potuit.

vi, 6. *gavaurki*] versu proxime præcedente erat *faihugavaurki*; de hoc Gothorum more, si duo verba composita proxime sese subsequuntur, in altero particulam non repetendi sed simplex ponendi, jam ad Luc. xv, 24 diximus; addimus nunc hæc: Rom. xv, 4 *sva filu auk sve* fauragameliþ *varþ*, *du unsarai laiseinai* gameliþ *varþ* (ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη). xii, 1, 2 *vaila galeikaidana — galeikaiþ* (εὐάρεστον — εὐάρεστον). Cor. I, xv, 48; 49 *sa ufarhiminakunda — þis himinakundins* (ὁ ἐπουράνιος — τοῦ ἐπουρανίου). Thess. II, iii, 15 *svasve — sve* (ὡς — ὡς). Ioan. ix, 31 *andhauseiþ — hauseiþ* (ἀκούει — ἀκούει); xiii, 14 *usþvoh — þvahan* (ἐνίψα — νίπτειν); xvii, 25 *uſkunþa — kunþa* (ἔγνω — ἔγνων). Igitur Tim. II, iii, 4 φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι Gothus sic convertit: *frijondans viljan seinana mais þau guþ*; similiter Matth. viii, 32 *hairda sveine — hairda* (τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων — ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων). cf. Ioan. x, 31 *nemun stainans ei vaurpeina* (sc. *stainam* λιθάσωσι) *ana ina*. Raro præcedit simplex et sequitur compositum: Cor. I, iv, 7 *nami — andnami* (ἔλαβες — ἔλαβες); II, iii, 2; 3 *gamelida — inna gamelida* (gr. bis ἐγγεγραμμένη).

vi, 7. *bi sunjai*] in veritate (ἀληθές), gr. δῆλον.

vi, 8. *usfodein — gaskadvein*] alimentum — vestimentum, gr. διατροφὰς — σκεπάσματα.

vi, 9. *hlamma*] Cast. et Massm. l. l. p. 202 injuria pro dativo habent, cujus verbi nominativum Massm. p. 219 *hlams* (sic!) facit; accusativum esse structura verborum et h. l. et supra iii, 7 perspicue docet; dubium autem est, sitne forma ipsa *hlamm* neutra (tum utitur Gothus plurali), an *hlamma* feminina; de verbis linguarum cognatarum vid. Graff. IV, 557; Gr. II, 33. — *unhulþins*] diaboli, ° gr. — *unnutjans*] inutiles, gr. ἀνοήτους, Goth. c. codd. et verss. ἀνονήτους. — *saggqjand*] Cod. A *sagqjand*.

vi, 10. *vaurts*] Goth. ° γάρ; sed fieri potuit ut librarius *allis* omiserit propter sequens *allaize*, cf. ad Rom. ix, 15. — *faihugeiro*] Massm. l. l. p. 139 legendum esse censet *faihugeironi*, uti Col. iii, 5; nobis e contrario Col. iii, 5 *faihugeironi* ex nostro loco in *faihugeiron* mutandum esse videtur; nam forma feminina esse debet, uti illo loco pronomen *sei* et hoc loco *þizozei* monstrat. — *gaþivaidedun*] subjecerunt, gr. omn. περιέπειραν.

vi, 11. *jai*] profecto, ° gr. omn., vid. Rom. ix, 18, 20. — *friaþva*] cod. A *frijaþva*.

vi, 12. *libain aiveinon*] vitam æternam, ¶ gr. omn.

vi, 13. *anabiuda*] Goth. ° σοί c. codd. ap. Mill. — *andvairþja*] desinit cod. A. — *paunteau*] sic indubitate in cod. B legi Cast. affirmat, exspectabamus aut *pauntiau*, uti scriptum est Matth. xxvii, 2; Luc. iii, 1, aut *pauntjau*; lectio codicis ferri posset, si nomen græcum illi viro Ποντεῖος esset, cum autem Πόντιος appelletur, librarius sine dubio — *eau* pro — *jau* falso scripsit; sic librarii negligentia e et *j* permutata sunt etiam Cor. II, viii, 20, et Nehem. vi, 18.

vi, 14. *qum*] sic cod. B; Cast. ✳ *quma*.

vi, 15. *in*] in, ° gr. omn. — *taikneiþ*] sic cod. B, Cast. ✳ *taikniþ*. — *jah*] sec. et, ° gr. omn.

vi, 16. *jah*] et, ° gr. — *manne ni ainshun*] hominum non unus, ¶ gr. omn.

Digitized by Google

DU TEIMAUÞAIU ANÞARA.

I, 1 Pavlus apaustaulus Iesuis xristaus Þairh viljan guÞs bi gahaitam libainais Þizos in xristau Jesu.
2 teimauÞaiau liubin barna ansts armaiǫ gavairÞi fram guÞa attin jah xristau Iesu fraujin·unsaramma.
3 aviliudo guÞa meinamma Þammei skalkino fram fadreinaim in hrainjai gahugdai waiva unsveibando
4 haba bi Þuk gaminÞi in bidom meinaim naht jah daga. gairnjands puk gasaiwan gamunands tagre
5 Þeinaize ei fahedais usfullnau. gamaudein andnimands Þizos sei ist in Þus unliutons galaubeinais sei
6 bauaida faurÞis in avon Þeinai lauīdja jah aiÞein Þeinai aivneika. aÞÞan traua Þatei jah in Þus. in
Þizozei vaihtais gamaudja Þuk anaqiujan anst guÞs sei ist in Þus Þairh analagein handive meinaizo.
7, 8 unte ni gaf unsis guÞ ahman. faurhteins ak mahtais jah friaÞvos jah inaheins. ni nunu skamai Þuk
veitvodiÞos fraujins unsaris Iesuis nih meina bandjins is ak miÞarbaidei aivaggeljon bi mahtai guÞs
9 Þis nasjandins uns jah laÞondins laÞonai veihai ni bi vaurstvam unsaraim ak bi seinai leikainai jah
10 anstai sei gibana ist unsis in xristau Iesu faur mela aiveina. ip gasvikunÞida nu Þairh gabairhtein
nasjandis unsaris Iesuis xristaus gatairandins raihtis dauÞau ip galiuhtjandins libain jah unriu-
11, 12 rein Þairh aivaggeljon. in Þoei gasatiÞs im ik merjands jah apaustaulus jah laisareis Þiudo. in Þizozei
fairinos ·ah Þata vinna. akei nih skama mik unte vait wamma galaubida jah gatraua Þammei mah-

INTERPRETATIO. — *AD TIMOTHEUM ALTERA.*

1, 1. Pavlus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei secundum promissiones vitæ hujus in Christo Iesu, 2. Timotheo, dilecto filio. Gratia, misericordia, pax a Deo patre et Christo Iesu domino nostro. 3. Gratias ago Deo meo, cui servio a parentibus in pura conscientia, quomodo indesinenter habeo de te memoriam in precibus meis nocte et die. 4. Cupiens te videre, recordans lacrymarum tuarum, ut gaudio explear, 5. memoriam accipiens hujus, quæ est in te infucatæ fidei, quæ habitavit prius in avia tua Loide et matre tua Evnice; at confido, quod etiam in te. 6. Propter quam rem admoneo te, resuscitare gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; 7. nam non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et amoris et sobrietatis. 8. Ne igitur pudeat te testimonii domini nostri Iesu, neque mei vincti ejus, sed collabora evangelio secundum virtutem Dei, 9. hujus servantis nos et vocantis vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum placitum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, 10. verum manifestata nunc per apparitionem servatoris nostri Iesu Christi, destruentis quidem mortem, verum illuminantis vitam et perpetuitatem per evangelium, 11. in quo positus sum ego prædicans et apostolus et doctor gentilium; 12. propter quam causam etiam hoc patior; sed nec pudet

ANNOTATIONES.

Inscript. In cod. A nulla inscriptio legitur; in cod. B initium usque ad vs. 5 deest; igitur inscriptionem de conjectura addidimus.

I, 1. *gahaitam*] promissiones, gr. omn. *ἐπαγγελίαν.*

I, 3. *aviliudo*] Cast. ✻ *aviliuao.* — *meinamma*] meo ° gr. — *unsveibando*] Cast. opinatur, Gothum·h. l. neutro uti, quemadmodum Græci, nimirum *ἀδιάλειπτον*, usi sint; sed vir doctus non vidit, *ἀδιάλειπτον* non neutrum, sed femininum idque ad *μνείαν* referendum esse; Gothum autem neutro eam ob causam uti, quia *gaminÞi* ejus generis est. Quod si non ad *gaminÞi* referretur, dicendum erat *unsveibands aviliudo*, uti legitur Eph. I, 16, cf. Thess. I, v, 17 *unsveibandans bidjaiÞ.* Qua opportunitate usi monemus, etiam Thess. I, II, 13 pro *unsveibandanei*, quod Castillionæi auctoritate freti edidimus, scribendum esse *unsveibandans*, eamque lectionem, a nobis jam pridem conjectura inventam, Cast. in codice iterum inspecto invenit. — *Þuk*] sic cod. A; Cast. ✻ *Þus.*

I, 4. *tagre Þeinaize*] Cast. e loco plane deleticio male *Þeinaize tagre* edidit.

I, 5. *lauīdja*] sic cod. A, nos malumus *lauīdjai;* cæterum Gothus pro Λωῒδι legisse videtur Λοῒδι, quia græcum *o* gothice per *au* exprimi solet, quanquam etiam *au* pro græco ω ponitur; *adauneikam* Ἀδωνικάμ Esdr. II, 13. *dauriÞaius* Δωρι - s. Δωρόθεος Calend. Goth. *nauel* Νῶε Luc. XVII, 27. *praitauria* πραιτώριον Ioan. XVIII, 33. *trauada* Τρωάς Cor. II, II, 12; Tim. II, IV, 14. *trakauneitidus* Τραχωνίτις Luc. III, 1. — *aivneika*] ab ultimis litteris duabus hujus vocis cod. B incipit, librarius autem pro *ka* male *ra* scripsit. Cæterum pro *aivneika* optamus *aivneikai.* — *aÞÞan*] Cast. ✻ *Þan*, nam *Þan* si significat *δέ*, in initio enuntiati non ponitur, et Cast. ipse *aÞÞan* legendum esse existimat, nam ante *Þan* in utroque codice locus litteris duabus vacat.

I, 6. *analagein*] sic cod. B; cod. A *lagein*, sic I, v, 22 *χεῖρας ἐπιτιθέναι* Gothus per simplex *lagjan handuns* convertit.

I, 7. *friaÞvos*] cod. A *frijaÞvos.*

I, 8. *nunu*] cod. A ✻ *nu*, nam inter *nu* et *nunu* in sententiis prohibitivis hoc interest, quod *nunu* post negationem ipsam collocatur: Matth. X, 26 et 31 *ni nunu ogeiÞ izvis ins.* Rom. XIV, 15 *ni nunu mata Þeinamma jainamma fraqistjais.* XIV, 20 *ni nunu in matis gatair vaurstv guÞs; nu* autem inter se ipsum et negationem verbum interpositum habet: Matth. VI, 8 *ni galeikoÞ nu Þaim.* VI, 31 *ni maurnaiÞ nu qiÞandans.* Rom. XIV, 13 *ni Þanamais nu uns misso stojaima.* Eph. V, 7 *ni vairÞaiÞ nu gadailans im.* Col. II, 16 *ni manna nu izvis bidomjai in mata.* — *Iesuis*] ° gr., qui habent, Χριστόν addunt.

I, 9. *laÞondins*] cod. A *lapondins uns*, vocantis nos, cum edit. Aldin. apud Mill. —

I, 10. *dauÞau*] sic pro *dauÞu* cod. B; cod. A obliteratus est, vid. ad Tim. I, I, 16. — *aivaggeljon*] sic cod. A, ut speramus, qui h. l. exesus est; cod. B ✻ *aivaggejon.*

I, 12. *Þammei*] pro *Þatei* (ὅτι), vid. ad Phil. II, 24. ubi adde: Marc. XVI, 4 *gaumidedun* Þammei *afvaliÞs ist sa stains.* Luc. XVII, 15 *gaumjands* Þammei *hrains varÞ.* Dicitur etiam Luc. X, 20 Þamma *ni faginoÞ ei Þai ahmans izvis ufhausjand. ip faginoÞ* in Þammei cet. (ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε, ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται, χαίρετε δὲ ὅτι κτλ.) — *in jainana dag*] cod. B et Cast. ✻ *in jainamma dag;* in cod. B enim *daga* scriptum esse videtur, *a* autem in terminatione librarius cum propter sensum delevisset, præcedens pronomen emendare neglexit.

Digitized by Google

13 teigs ist þata anafilh mein fastan in jainana dag. frisaht habands hailaize vaurde þoei at mis hausides
14 in galaubeinai jah friaþvai in xristau iesu. þata godo anafilh fastai þairh ahman veihana saei bauiþ
15 in uns. vaist þatei afvandidedun sik af mis allai þaiei sind in asiai. þizei ist fygailus jah airmo-
16 gaineis. gibai armaion frauja auneiseifauraus garda unte ufta mik anaþrafstida jah naudibandjo
17, 18 meinaizo ni skamaida sik. ak qimands in rumai usdaudo sokida mik jah bigat. gibai frauja imma
bigitan armahairtein at fraujin in jainamma daga jah wan filu mais in aifaison andbahtida mis vaila
II, 1, 2 þu kant. þu nu barn mein valiso insiuþei þuk in anstai þizai in xristau iesu jah þoei hausides at
mis þairh managa veitvodja vaurda guþs þo anafilh triggvaim mannam þaiei vairþai sijaina jah an-
5, 4 þarans laisjan. þu nu arbaidei sve gods gadrauhts xristaus iesuis. ni ainshun drauhtinonds fraujin
5 dugavindiþ sik gavaurkjam þizos aldais ei galeikai þammei drauhtinoþ. jah þan jabai haifsteiþ was
6, 7 ni veipada niba vitodeigo brikiþ. arbaidjands airþos vaurstvja skal frumist akrane andniman. fraþei
8 þatei qiþa. gibiþ auk þus frauja fraþi us allaim. gamuneis xristu iesu urrisanana us dauþaim us
9 fraiva davidis bi aivaggeljon meinai. in þizaiei arbaidja und bandjos sve ubiltojis. akei vaurd
10 guþs nist gabundan. inuh þis all gaþula bi þans gavalidans ei jah þai ganist gatilona sei
11 ist. in xristau iesu miþ vulþau aiveinamma. triggv þata vaurd jabai miþgadauþnodedum jah
12, 13 miþlibam. jabai gaþulam jah miþþiudanom. jabai afaikam jah is afaikiþ uns. jabai ni galaubjam
14 jainei triggvs visiþ afaikan sik silban ni mag. þizei gamaudei veitvodjands in andvairþja fraujins.

INTERPRETATIO.

me, nam scio, cui credidi, et confido, quod potens est hoc traditum meum servare in illum diem. 13. Delineationem habens sanorum verborum, quæ apud me audivisti in fide et amore in Christo Iesu, 14. hoc bonum traditum serva per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. 15. Scis, quod averterunt se a me omnes qui sunt in Asia; horum est Fygelus et Ermogenes. 16. Det misericordiam dominus Onesifori domui, nam sæpe me consolatus - est et vinculorum meorum non puduit eum. 17. sed veniens in Romam sollicite quæsivit me et invenit; 18. det dominus ei invenire misericordiam apud dominum in illo die et quam multum magis in Efeso subministravit mihi, bene tu scis. II, 1. Tu igitur, fili mi dilecte, confirma te in gratia hac in Christo Iesu, 2. et quæ audivisti a me per multa testimonia verba Dei, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint etiam alios docere. 3. Tu igitur labora uti bonus miles Christi Iesu. 4. Non unus militans domino implicat se negotiis hujus vitæ, ut placeat, cui militat. 5. Et vero si certat quis, non coronatur, nisi legitime luctatur. 6. Laborans terræ cultor debet primum fruges percipere. 7. Intellige, quod dico; dat enim tibi dominus intelligentiam ex omnibus. 8. Recordare Christum Iesum resuscitatum e mortuis e semine Davidis secundum evangelium meum, 9. in quo laboro usque-ad vincula uti maleficus; sed verbum Dei non-est vinctum. 10. Propterque id omne patior de his electis, ut etiam hi salutem assequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna. 11. Fidele hoc verbum, si commortui-sumus, etiam cumvivimus; 12. si patimur, etiam cumregnamus; si non-agnoscimus, etiam is non-agnoscit nos; 13. si non credimus, ille fidelis manet, renuntiare sibi ipsi non potest. 14. Horum recordare testificans in facie domini; verbis

ANNOTATIONES.

I, 13. *habands*] habens, gr. ἔχε, Goth. c. cod. German. ap. Mill.— *friaþvai*] cod. A *frijaþvai;* inter *friaþvai* et *in* in cod. A vacuus locus est, in quo articulus *þizdi* (τῇ) scriptum fuisse videtur, quem cod. B omnino omittit.

I, 14. *bauiþ*] vid. ad Rom. VII, 18.

I, 15. *vaist*] cod. B et Cast. ✕ *vaits*, cod. A exstinctus; sic librarii litteras sæpe temere transponunt, cf. Marc. XIV, 13. Cæterum Goth. ° τοῦτο, nisi forte librarius *þata* propter sequens *þatei* negligenter omisit; idem factum est I, I, 9. — *þizei*] horum, sic in cod. B, codex autem A oblitteratus esse pergit; cæterum græcum ὧν per *þizeei* reddendum erat, nec dubitamus quin interpres sic scripserit, librarius autem duplex *e* negligentia semel tantum posuerit, vid. II, 17. — *fygailus*] gr. φύγελλος. — *airmogaineis*] sic Gothus pro Ἑρμογένης suppresso spiritu aspero pronuntiavit, sic infra II, 17 *ymainaius*, cum I, I, 20 recte *hymainaius* scripsisset. Notandum etiam est in eodem nomine proprio græcum *o* parvum per gothicum *o* longum exprimi, cf. ad Phil. IV, 2.

I, 16. *garda*] sic cod. B; Cast. ✕ *gardin*.

I, 17. *usdaudo*] sollicite, gr. σπουδαιότερον.

I, 18. *fraujа imma*] dominus ei, ¶ gr. omn.— *mais*] magis, hoc adverbium hoc loco positum sensum plane perturbat, cum autem paulo infra *vaila* positivus pro βέλτιον comparativo legatur, illud *mais*, a librario falso loco scriptum ante aut post *vaila* collocandum esse existimamus. Cæterum h. l. cod. A adeo exstinctus est, ut ubi hæc pagina finiatur, Castillionæo plane dubium sit; pergit autem demum II, 21.

II, 1. *vailso*] dilecte, ° gr. omn.

II, 2. *veitvodja vaurda guþs*] testimonia verba Dei gr. omn. μαρτύρων. Gothum potius μαρτυρίων legisse videri, jam Cast. recte annotavit; *vaurda guþs*, quæ omnino abundant, sine dubio librarius e margine, ubi a glossatore posita erant, huc inseruit, de qua re diximus ad Cor. I, XV, 6 et Prolegg. Cæterum Cast. ✕ ict. *veitvodjavaurda*, Massm. l. l. p. 211 et 212 modo junctim, modo divisim scribit, ut ubi dividit *veitvodja* ei adjectivum esse videtur; si autem sic statuitur, quid *guþs*, additamento otiosissimo, fiet? — *triggvaim mannam*] cod. B ✕ *triggvaimannam*, vid. ad Thess. II, III, 17.

II, 3. *xristaus iesuis*] ¶ gr.

II, 4. *fraujin*] domino, græci alii omittunt, alii τῷ θεῷ legunt; Goth. τῷ κυρίῳ in libro suo legit. — *gavaurkjam þizos aldais*] negotiis hujus vitæ. ¶ gr. omn. — *galeikai þammei drauhtinoþ*] placeat cui militat, gr. omn. τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσαι.

II, 6. *arbaidjands*] cod. B ✕ *arbaidjans*, vid. ad I, 8, 3.— *airþos vaurstvja*] terræ cultor, gr. omn. γεωργός; quod si Cast. dicit, Gothis nomen agricolæ non fuisse, quod rudes fuissent et pecudes secuti, eum Massm. l. l. p. 219 sq. optime confutat et patribus nostris rei agrariæ cognitionem fortissime vindicat; modo ne agricolam *bauman* sive *akraman* vocibus barbaricis nominasset, paratum enim erat *vaurstvja*, quod Marc. XII, 1; Luc. XX, 9; Joan. XV, 1 γεωργόν significat.

II, 7. *gibiþ*] dat, gr. δῴη, Goth. c. codd. δώσει legit. — *us allaim*] ex omnibus, gr. omn. ἐν πᾶσιν.

II, 8. *xristu iesu*] ¶ gr. omn.

II, 11. *jabai*] Goth. ° γάρ.

II, 13. *afaikan*] Goth. c. codd. ° γαρ.

II, 14. *vaurdam — hausjondam*] verbis — audientibus, Gothus sensum magis quam verba textus græci secutus est, convertit enim quasi legisset: λογομαχεῖν

Digitized by Google

15 vaurdam veihan du ni vaihtai daug niba usvalteinai þaim hausjondam. usdaudei puk silban gakusa-
16 nana usgiban guþa vaurstvjan unaviskana raihtaba raidjandan vaurd sunjos. iþ þo dvalona usveihona
17 lausavaurdja bivandei unte filu gaggand du afgudein. jah vaurd ize sve gund vuliþ. þizeei vesun ymai-
18 naius jah filetus. þaiei bi sunja usvissai usmetun qiþandans usstass ju vaurþana jah galaubein
19 sumaize usvaltidedun. aþþan tulgus grunduvaddjus guþs standiþ habands sigljo þata. kunþa
20 frauja þans þaiei sind is jah afstandai af unselein wazuh saei namnjai namo fraujins. aþþan
in mikilamma garda ni sind þatainei kasa gulþeina jah silubreina ak jah triveina jah digana
21 jah suma du sverain sumuþ-þan du unsverain. aþþan jabai was gabrainjai sik þizei vairþiþ
22 kas du sveriþai gaveihaiþ bruk fraujin du allamma vaurstve godaize gamanviþ. aþþan juggans
lustuns þliuh iþ laistei garaihtein galaubein friaþva gavairþi miþ þaim bidai anahaitandam
23 fraujan us hrainjamma hairtin. iþ þos dvalons jah untalons sokuins bivandei vitands þatei
24 gabairand sakjons. iþ skalks fraujins ni skal sakan ak qairrus visan viþra allans laiseigs usþulands
25 in qairrein talzjands þans andstandandans niu wan gibai im guþ idreiga du ufkunþja sunjos.
26 jah usskavjaindau us unhulþins vruggon fram þammei gafahanai liuhanda afar is viljin.

NTERPRETATIO.

contendere ad non quidquam prodest nisi (ad) subversionem his audientibus. 15. Stude te ipsum probatum exhibere Deo operatorem inconfusibilem, recte constituentem verbum veritatis. 16. Verum hos ineptos, profanos inanes-sermones devita, nam multum eunt ad impietatem, 17. et verbum eorum uti pus fervet; quorum fuerunt Ymenæus et Filetus, 18. qui circa veritatem secreti versati-sunt, dicentes, resurrectionem jam factam et fidem quorumdam subverterunt. 19. At firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : novit dominus hos qui sunt ejus, et : discedat ab impietate quisque, qui nominet nomen domini. 20. At in magna domo non sunt solum vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia et quædam ad honorem, quædam autem ad contumeliam. 21. At si quis mundat se his, fit vas ad honorem sanctificatum; utile domino ad omne operum bonorum paratum. 22. At juveniles cupiditates fuge, verum sequere justitiam, fidem, amorem, pacem cum his prece invocantibus dominum ex puro corde; 23. verum has ineptas et stultas quæstiones devita, sciens, quod proferunt concertationes. 24. Verum servus domini non debet concertare, sed mansuetus esse adversus omnes, docibilis, patiens, 25. in mansuetudine docens hos adversantes, num forte det iis Deus pœnitentiam ad cognitionem veritatis, 26. et resipiscant ex diaboli tendicula, a quo capti

ANNOTATIONES.

(γὰρ) εἰς οὐδὲν χρήσιμον εἰ μὴ ἐπὶ κτλ. Cæterum *hausjondam* non mendose scriptum est pro *hausjandam*, uti Cast. opinatur, nam vid. ad Luc. v, 15.

II, 15. *gakusanana*] sic cod. B; Cast. ✻ *gakiusanana*.

II, 16. *dvalona, usveihona*] ineptos, profanos, gr. omn. solummodo βεβήλους. — *lausavaurdja*] Massmanno l. l. p. 126 dubium esse videtur, quia I, I, 6 *lausavaurdei* legatur, sed utrumque recte habet; *lausavaurdja* hoc loco est a *lausavaurdi*, quam formam etiam *andavaurdi* Luc. II, 47; Joan. XIX, 9 et *gavaurdi* Cor. I, XV, 33 habent; *lausavaurdei* autem formatum est uti *aglaitivaurdei* Col. III, 8; *dvalavaurdei* Eph. V, 4; *filuvaurdei* Matth. VI, 8. — *unte — afgudein*] nam — impietatem, Cast. qui, ut fere solet, hoc loco inique, ne dicamus maligne de linguæ gothicæ virtutibus loquitur, sensum horum verborum plane non perspexit, vid. autem quæ annotavimus ad I, III, 8. Nam præpositio *ἐπί* a Gotho non omissa, sed per *du* reddita et ad *afgudein* posita est, neque si vere abesset, Cast. dicere debebat, per *unte* posse reddi, id quod Massm. l. l. p. 134 jam animadvertit; neque *und filu* h. l. dici potest, nam hoc, nisi cum *mais* junctum, ante comparativum non invenitur, vid. Luc. XVIII, 39; Cor. II, III, 9; Phil. I, 23.

II, 17. *gund vuliþ*] Cast. ✻ *gun svuliþ*, cod. B *gun.. vuliþ*, littera inter *n* et *v* omnino deleta; cum igitur *gunt, kund* apud Germanos veteres et *gund* apud Anglosaxones pus, saniem significet (Graff IV, 219), deinde *svulan* gothicum non sit, *vulan* autem jam Rom. XII, 11 inveniatur, non dubitamus lectionem nostram pro certa habere, neque multum adfuit, quin Massmann., qui l. l. p. 201 *guns vuliþ* conjecit, et Grimm, qui Gram. I, 564 (3 edit.) *gunds vuliþ* optavit, rectam lectionem invenirent. — *vesun*] fuerunt, gr. omn. ἐστί; pariter cum duobus subjectis singularibus verbum plurale ponitur Luc. II, 43 *vissedun* ἦσαν *Iosef jah aiþei*, gr. ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ. — *ymainaius*] vid. ad I, 15; Cast. edidit *ymainaius*, dicit autem in codice super *i* non duo tantum, sed tria puncta posita esse videri. Sed neque scriptores horum codicum in mediis verbis puncta scribere neque Gothi sonum *ai* in his nominum terminationibus pronuntiando distrahere solent. Fortasse illa puncta maculæ membrana fortuito factæ sunt, cf. Massm. Skeir. p. 17.

II, 18. *sunja*] cod. B et Cast. ✻ *sunjai*, quod satis ineptе dictum esset, non enim κατὰ τὴν ἀλήθειαν sed περὶ τὴν ἀλήθειαν aberraverunt. Orta autem codicis lectio e terminatione verbi sequentis *usvissai*, vid. Skeir. p. 33, 10 *miþ baitreins þrairheins*, pro *baitrein*. cf. Cor. II, III, 18 cod. B *af fraujins ahmins* pro *ahmin*; Skeir. 40, 20 *du daupeinais garehsnais* pro *garehsnai*, ubi librarius terminatione præcedente in errorem inductus est. — *galaubein — usvaltidedun*] fidem — subverterunt, ¶ gr. omn.

II, 20. *sverain—unsverain*] Massm. l. l. p. 132 recte dicit, hanc codicis lectionem falsam et aut *sverainai — unsverainai*, aut *sverein — unsverein* legendum esse; nam de accusativo post *du* præpositionem posito, ad exemplum Col. IV, 10. 13. h. l. cogitari non debet.

II, 21. *gaveihaiþ*] Goth. ° καὶ. — *du*] pergit cod. A.

II, 22. *friaþva*] cod. A *frijaþva*. — *bidai anahaitandam*] prece invocantibus, gr. solummodo ἐπικαλουμένων, sic Rom. X, 13; cf. Thess. I, IV, 1. — *fraujan*] ita recte in cod. A; in cod. B dubito an legam *frauja*, quod mendum librarii. Cast.

II, 25. *andstandandans*] resistentes, gr. ἀντιδιατιθεμένους, Goth. c. codd. ἀντικειμένους legit, vid. I, I, 10; Gal. V, 17; Thess. II, II, 4. — *niu wan*] Castillionæo videtur Luc. IV, 11 *wan ni* (imo *ei wan ni*) eadem significatione dici, qua h. l. *niu wan*; nobis non idem videtur, sed Gothus sensum, utroque loco diversum, optime perspexit, id quod ejus translatio utriusque loci diversa comprobat.

II, 26. *usskavjaindau*] sic cod. B; cod. A *usskarjaindau*. Lectionem codicis B cum Castillionæo præferimus, propterea quod Gothus etiam Cor. I, XV, 34 ἐκνήφειν per *usskavjan sik* et Thess. I, V, 8 νήφωμεν per *usskavai sijaima* convertit; lectionem codicis A, quæ Massmanno l. l. p. 138, 203 valde arridet et quam (allato veterosaxon. *scerian*) *ordinare, ornare* explicat, ferremus, si h. l. mentio ordinationis vel ornatus cujusdam (ex diaboli tendiculis) sensui apta

Digitized by Google

III, 1, 2 aþþan þata kunneis ei in sþedistaim dagam atgaggand jera sleidja. jah vairþanu mannans sik
friondans faihugairnai bihaitjans hauhhairtai vajamerjandans fadreinam ungawairbai launavargos
3 unairknai unhunslagai unmildjai fairinondans ungahabandans sik unmanariggvai unseljai
4, 5 fralevjandans untilamalskai ufbaulidai frijondans viljan seinana mais þau guþ habandans hivi
6 gagudeins iþ math izos invidandans. jah þans afvandei. unte us þaim sind þaiei sliuþand in
gardins jah frahunþana tiuhand qineina afhlaþana fravaurhtim þoei tiuhanda du lustum missalei-
7, 8 kaim. sinteino laisjandona sik ni aiv wanhun in ufkunþja sunjos qiman mahteiga. aþþan þamma
haidau ei jannis jah mambres andstoþun moseza sva jah þai andstandand sunjai mannans fravaur-
9 þanai ahin uskusanai bi galaubein. akei ni þeihand du filusnai unte unviti ize svikunþ vairþiþ
10 allaim svasve jah jainaize vas. iþ þu galaista is laiseinai meinai usmeta muna sidau galaubeinai
11 usbeisnai friaþvai þulainai. vrakjom vunnim wileika mis vaurþun in antiaukiai in eikaunion in
12 lystros wileikos vrakos usþulida jah us allaim mik galausida frauja. jah þan allai þaiei vileina
13 gagudaba liban in xristau iesu vrakos vinnand. iþ ubilai mannans jah liutai þeihand du vairsizin
14 airzjai jah airzjandans. iþ þu framvairþis visais in þaimei galaisides þuk jah gatrauaida sind þus
15 vitands at wamma ganamt. jah þatei us barniskja veihos bokos kunþes þos mahteigons þuk
16 usfratvjan du ganistai þairh galaubein þo in xristau iesu. all boko gudiskaizos ahmateinais jah

INTERPRETATIO.

ducuntur post ejus voluntatem. III, 1. At hoc cognoscas, quod in ultimis diebus accedunt anni difficiles, 2. et fiunt homines se amantes, pecuniæ-cupidi, jactatores, superbi, maledici, parentibus non-obedientes, ingrati, impii, 3. non-libantes, non-diligentes, calumniantes, non-continentes se, inmansueti, bonorum-inimici, 4. prodentes, protervi, inflati, amantes voluntatem suam magis quam Deum, 5. habentes speciem pietatis, verum virtutem ejus negantes; etiam hos devita. 6. Nam ex his sunt, qui irrepunt in domos et captivas agunt mulierculas oneratas peccatis, quæ aguntur ad cupiditates varias, 7. semper docentes se, non tempore ullo in cognitionem veritatis venire potentes. 8. At hoc modo quo Iannis et Mambres restiterunt Mo i, sic etiam hi resistunt veritati, homines deperditi mente, reprobati de fide. 9. Sed non proficiunt ad multitudinem, nam insipientia eorum manifesta fit omnibus sicuti etiam illorum fuit. 10. Verum tu sectator es doctrinæ meæ, vitæ-rationi, proposito, mori, fidei, longanimitati, amori, patientiæ, 11. persecutionibus, passionibus, qualia mihi facta-sunt in Antiocia, in Iconio, in Lystris, quales persecutiones passus-sum et ex omnibus me liberavit dominus. 12. Et autem omnes, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur. 13. Verum mali homines et simulatores proficiunt ad pejus, errantes et errare-facientes; 14. verum tu porro maneas, in quibus docuisti te et (quæ) credita sunt tibi, sciens a quo accepisti, 15. et quod a pueritia sacros libros nosti hos valentes te instruere ad salutem per fidem hanc in Christo Iesu. 16. Omne librorum divinæ spirationis et utiles ad doctrinam, ad vituperationem, ad instru-

ANNOTATIONES

esset. Passivi autem pro activo cum *sik* positi simile exemplum invenies Cor. I, xv, 33 *ni afairzjaindau* (irret euch nicht! Gall. *fasse que vous ne vous trompiez pas!*).—*fram þammei gafahanai tiuhanda*] a quo capti ducuntur, gr. omn. ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, Goth. c. Vulg.; cæterum cod. A ipro *tiuhanda* præbet *habanda* (tenentur).— *afar*] post, gr. omn. εἰς.

III, 1. *jêra*] anni, gr. omn. καιροί.

III, 2. *jah*] et, gr. γάρ.—*friondans*] cod. A *frijondans* et in marg. *seinaigairnai*, perperam pro *seinagairnai*, sic idem cod. Tit. I, 10 *lausaivaurdai* pro *lausavaurdai;* hoc mendum e terminatione sequentium ortum est; aut cum librarius ejusdem codicis Tim. I, I, 4 *andalausaize* pro *andilausaize* male scripserit, fere adducimur ut suspicemur, hunc hominem verba nonnunquam scripsisse, uti os vulgi ea indistincte pronuntiaret. Cæterum etiam div. *seina gairnai* scribendum est, nam cum pronominibus verba componi non solent.— *hauhhairtai*] cod. B ✻ *hauhairtai.—unairknai*] cod. A *unairknans.*

III, 3. *unhunslagai, unmildjai*] non-libantes, non-diligentes, ¶ gr.— *unmanarigqvai*] cod. A ✻ *unmanarigvai.* —

III, 4. *frijondans viljan seinana*] amantes voluntatem suam, gr. omn. φιλήδονοι, quod est *voluptatem* amantes; Castillionæo probabile videtur, Gothum latinas versiones sequentem in iis pro *voluptatem* legisse *voluntatem;* cf. ad Eph. II, 3. — *þau*] Cast. ✻ *þan.*

III, 5. *jah þans*] cod. A *jaþ-þans.*

III, 6. *þaiei*] sic recte cod. A; cod. B et Cast. ✻ *þoei,* quæ. — *du lustum*] ad cupiditates, gr. omn. ἐπιθυμίαις, casu instrumentali; cæterum pro *lustum* cod. A ✻ *luslustum*, cf. ad loan. IX, 41.

III, 7. *ni*] non, cod. A c. gr. omn. *jan-ni*, καὶ μή.

III, 8. *þamma — ei*] vid. ad Luc. I, 20 et ad Col. I, 9. cf. Rom. IX, 20 et ad Luc. X, 5.— *iannis*] cod. A *nnes.—mambres*] gr. Ἰαμβρῆς.

III, 9. *svikunþ*] cod. A marg. *gatarkiþ*, famosa.— *jah*] etiam. ° cod. B, in cod. A supra lineam scriptam est.

III, 10. *galaista is*] Cast. et Massm. l. l. p. 136 *galaistais*, quod ab utroque librario male pro *galaistjais* scriptum esse illi opinantur; sed quid quæsumus conjunctivus hoc loco et hac verborum structura significat, cum textus græcus perfectum habeat? Lectioni nostræ fides datur e Gal. VI, 16 *sva managai sve þizai garaideinai galaistans sind*, ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι; Marc. I, 36 *jah galaistans vaurþun imma*, καὶ κατεδίωξαν αὐτόν. Cæterum cod. A marg. ✻ *galaisides* pro *galaistides* (secutus es).— *laiseinai meinai*] doctrinæ meæ, ¶ gr. omn. — *sidau*] mori, ° gr. omn.— *friaþvai*] cod. A *frijaþvai.*

III, 11. *lystros*] cum hæc forma dativi non gothica sit, interpres græca forma usus esse videtur, quod eum sæpius fecisse inter omnes constat, sic *ïairusaulymon, gazaufylakio, þoman* al.; *o* autem posuit pro græco οι, quia hæc vocalis linguam gothicam plane deficit; Βίροια igitur in Calend. Goth. per *bairauja* redditur. — *vrakos*] cod. A *vrakjos*, cf. ad Gal. VI, 12. — *usþulida*] sic uterque cod. ✻ pro *usþulaida.*

III, 13. *du vairsizin*] cod. A marg. *du ubeiamma* (sic pro *ubilamma*, vid. ad Luc. VIII, 17), ad malum.— *airzjai jah airzjandans*] errantes et errare facientes, ¶ gr. omn.; Goth. cum Vulg.

III, 14. *framvairpis*] porro (non *constans*, uti Cast. interpretatur], ° gr. omn.—*jah*] sic cod. B; in cod. A utrum *jan* an *jau* scriptum sit, Cast. discernere non potuit.

III, 15. *usfratvjan*] sic codd. pro *usfraþian* aut *usfraþvjan*, uti Castillionæo videtur.

III, 16. *garaihteinai—garaihtein*] Cast. vult notari, *garaihteins* hoc versu et græco ἐπανόρθωσις et δικαιοσύνη respondere; sed errat ille quidem, nam *garaih*

Digitized by Google

17 þaurftos du laiseinai du gasahtai du garaihteinai du talzeinai in garaihtein. ei ustaunans
IV, 1 sijai manna guþs du allamma vaurstve godaize gamanviþs. veitvodja in andvairþja guþs jah
2 fraujins xristaus iesuis saei skal stojan qivans jah dauþans bi qum is þiudinassu is. merei vaurd
3 stand uhteigo unuhteigo gasak gaþlaih gawotei in allai usbeisnai jah laiseinai. vairþiþ mel þan
4 haila laisein ni usþuland ak du seinaim lustum dragand sis laisarjans suþjondans hausein. aþþau
5 af sunjai hausein afvandjand iþ du sþillam gavandjand sik. iþ þu andaþahts sijais in allaim
6 arbaidei vaurstv vaurkei aivaggelistins andbahti þein usfullei. aþþan ik ju hunsljada jah mel
7, 8 meinaizos disvissais atist. haifst þo godon haifstida run ustauh galaubein gafastaida. þaþro þan
galagiþs ist mis vaiþs garaihteins þanei usgibiþ mis frauja in jainamma daga sa raihta stáua.
9, 10 aþþan ni þatainei mis ak jah allaim þaiei frijond qum iss. sniumei qiman at mis sprauto. unte
demas mis bilaiþ frijonds þo nu ald jah galaiþ du þaissalauneikai krisþus du galatiai teitus
11 du dalmatiai. lukas ist miþ mis ains marku andnimands brigg miþ þus silbin unte ist mis bruks
13 du andbahtja. aþþan tykeiku insandida in aifaison. hakul þanei bilaiþ in trauadai at karpau
14 qimands athair jah bokos þishun maimbranans. alaiksandrus aizasmiþa managa mis unþiuþa
15 ustaiknida. usgildiþ imma frauja bi vaurstvam is. þammei jah þu vitai filu auk andstoþ
16 unsaraim vaurdam. in frumiston meinai sunjonai ni manna mis mipvas ak allai mis biliþun.
ni rahnjai.. .— —

INTERPRETATIO.

ctionem, ad institutionem in justitia, 17. ut perfectus sit homo Dei ad omne operum bonorum paratus.
IV, 1. Testificor in facie Dei et domini Christi Iesu, qui debet judicare vivos et mortuos in adventu ejus,
regno ejus; 2. prædica verbum, insta opportune, importune, vitupera, adhortare, increpa in omni patientia
et doctrina. 3. Fit tempus cum sanam doctrinam non patiuntur, sed ad suas cupiditates acervant sibi do-
ctores titillantes auditum; 4. at a veritate auditum avertunt, verum ad fabulas convertunt se. 5. Verum
tu sobrius sis in omnibus, labora, opus operare evangelistæ, ministerium tuum exple. 6. At ego nunc
sacrificor et tempus mei discessus adest. 7. Pugnam hanc bonam pugnavi, cursum finivi, fidem servavi;
8. inde autem imposita est mihi corona justitiæ, quam dat mihi dominus in illo die, hic justus judex; at
non solum mihi, sed etiam omnibus qui amant adventum ejus. 9. Festina venire ad me celeriter;
10. nam Demas me deseruit amans hanc nunc vitam et profectus est ad Thessalonicem, Crispus ad Galatiam,
Titus ad Dalmatiam; 11. Lucas est cum me unus; Marcum excipiens duc cum te ipso, nam est mihi utilis
ad ministerium. 12. At Tycecum misi in Efesum. 13. Penulam, quam reliqui in Troade apud Carpum,
veniens affer et libros, maxime membranas. 14. Alexander ferrarius-faber multis me malis affecit; remu-
nerat ei dominus secundum opera ejus; 15. quem etiam tu cave, multum enim restitit nostris verbis.
16. In prima mea defensione non homo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt; ne impute[tur]— —

ANNOTATIONES.

teinai sensu transitivo a *garaihteins*, *garaihtein* autem sensu intransitivo a *garaihtei* est.

III, 17. *manna guþs*] homo Dei, ¶ gr. omn.; Goth. cum Vulg.

IV, 1. *fraujins*] domini. ° gr.—*xristau iesuis*] ¶ gr. —*bi*] in gr. *xai*. — *qum*] Massmanno l. l. p. 204 dativus, elisione ortus, esse videtur, cujus miræ conjecturæ nulla est necessitas, nam *bi* etiam aliis locis sic cum accusativo ponitur.—*is*] pr., Goth. ° *xai*.

IV, 2. *stand*] cod. A *instand*. — *uhteigo*] sic rectius cod. A, cod. B. *ohteigo*, cf. ad Luc. IV, 13.— *gaþlaih gawotei*] adhortare, increpa, ¶ gr.

IV, 3. *vairþiþ*] Goth. °γάρ .—*dragand sis*] acervant sibi, ¶ gr.; cæterum cod. A *gadragand*, coacervant. —*suþjondans*] cod. A *suþjandans*, cf. ad II, 14. Cæterum Goth. h. l. sensum magis quam verba sequitur; *suþjondans* enim est accusativus ad *laisarjans* referendus et interpretandum est : quærunt magistros, qui aures suas delectent.

IV, 4. init. Goth. ° *xai*.

IV, 6. *disvissais*] discessus, cod. A marg. *gamalteinais*, dissolutionis.

IV, 8. *þaþro þan*] inde autem, cod. A *þaþroh*, inde.—*vaiþs garaihteins*] corona justitiæ, ¶ gr. omn. —*raihta*] cod. A *garaihtia*, quod multo frequentius est, cf. tamen ad Rom. IX, 33.

IV, 10. *jah*] cod. A *jag*—.—*krispus*] sic cod. B cum Syr.; cod. A *kreskus*, cum gr. — *teitus du dalmatiai*] Titus ad Dalmatiam, ° cod. B.

IV, 11. *miþ mis ains*] cum me unus, ¶ gr. — *andbahtja*] desinit cod. B.

IV, 13. *hakul*] sic in cod. A, quod Massm. l. l. p. 127 sq. conjectura invenit; Cast. ※ *hakga*.

IV, 14. *alaiksandrus*] cod. A ※ *alaiaiksandrus*, de qua falsa syllabarum repetitione vid. ad Ioan. IX, 41.— *usgildiþ*] retribuit (ἀποδώσει), gr. ἀποδώη.

IV, 16. *miþvas*] cod. A ※ *miþvasa*. — *ni*] Goth. αὐτοῖς aut omisit, aut post λογισθείη in codice suo invenit, quanquam in nullo eorum librorum, quos habemus, sic legitur.

DU TEITAU ANASTODEIÞ.

I, 1 Pavlus skalks guþs iþ apaustaulus iesuis xristaus bi galaubeinai gavalidaize guþs jah uskunþja sun-
2 jos sei bi gagudein ist. du venai libainais aiveinons þoei gahaihait unliugands guþ faur meþa aiveina.

INTERPRETATIO. — *AD TITUM INCIPIT.*

I, 1. Pavlus servus Dei, verum apostolus Iesu Christi, secundum fidem electorum Dei et cognitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, 2. ad spem vitæ æternæ, quam promisit non-mentiens Deus ante tem-

ANNOTATIONES.

Fragmenta hujus epistolæ usque ad I, 10 in cod. B, I, 9 — II, 1 in cod. A leguntur et jam edita sunt in *Specim. Ulfilæ partium ineditarum*, Mediol. 1819 p. 18 sq.

Inscript. *anastodeiþ*] de hoc verbo nihil nisi littera prima in codice superest. CAST. cf. Prolegg.

Digitized by Google

3 iþ atbairhtida mela svesamma vaurd sein in mereinai sei gatrauaida ist mis bi anabusnai nasjandis
4 unsaris guþs. teitau valisin barna bi gamainjai galaubeinai ansts jah gavairþi fram guþa attin jah
5 xristau iesu nasjand unsaramma. in þizozei vaihtais bilaiþ þus in kretai in þize ei vanata atga-
6 raihtjais jah gasatjais and baurgs praizbytairein svasve ik þus garaidida. jabai was ist ungafairinonds
7 ainaizos qenais aba barna habands galaubeina ni in usqissai usstiureins aiþþau ungawairba. skaluþ-
vaire inuh qinons jah barna. sve at mikilamma nahtamata anakumbjandans at ni visandein [1] aljai vaihtai ufar þans fimf hlaibans jah tvans fiskans. þanzei nimands jah aviliudonds gaþiuþida. jah sva
c managai ganohjands ins vailaviznai ni þatainei ganauhan þaurftais im fra‖gaf. ak filaus maizo. afar
50 þatei matjan so managai. ‖ bigitan ·vas þizei [2] hlaibe ·ib· [3] tainjons fullos þatei afliſnoda. ſamaleikoh þan jah þize fiske sva filu sve vildedun. nih þan ana þaim hlaibam ainaim seinaizos mahtais mimsna ustaiknida ak jah in þaim fiskam. sva filu auk sve garahnida ins [4] vairþan. svaei ainwarjanoh [5] sva filu sve vilda andniman is gatavida. jah ni in vaihtai vaninassu þizai filusnai vairþan
d gatavida. akei ‖ nauh us þamma filu mais siponjans fullafahida jah anþarans gamaudida gaumjan. þatei is vas sa sama saei in auþidai ·m· [6] jere attans ize fodida. þanuh biþe sadai vaurþun qaþ siponjam seinaim. galisiþ þos afliſnandeins drausnos. ei vaihtai ni fraqistnai. þanuh galesun jah gaſullidedun :ib: [7] tainjons gabruko us þaim :e· [8] hlaibam barizeinam jah ·b· [9] fiskam þatei
VIII,a afliſnoda at þaim — — . . . hun uslagida ana ina handuns. at veihai auk is mahtai unanasiuniba un-
51 selein ize nauh disskaidandein jah ni uslaubjandein faur mel sik gahaban. galiþun þan [10] þai andbahtos du þaim auhumistam gudjam jah fareisaium. þaruh qeþun du im jainai. duwe [11] ni attauhuþ ina. andhofun þan þai andbahtos qiþandans. þatei ni wanhun aiv rodida manna svaswe sa manna.
b soh þan ‖ andahafts du gasahtai maizuh þan du afdomeinai jainaize ungalaubeinai varþ. andhofun auk jainaim anahaitandam im. ‖ þizei [12] ni attauhun ina. ni andsitandans jainaize unselein þize anahaitandane im. ak mais sildaleikjandans [13] fraujins laisein svikunþaba in allaim alamannam faura-
visan rahnidedun. iþ jainai in unseleins seinaizos balþein ize ni usþulandans miþ hatiza andhofun
c viþra ins q̄þandans. ‖ þei jah þs ‖ afairzidai siuþ [14]. sai jau ainshun þize reike galaubidedi imma
52 aiþþau þize fareisaie. alja so managei þaiei ni kunnun vitoþ fraqiþanai sind. ‖ þoh þan miþ baitreins þvairhein [15] rodidedun in þammą ei [16] liugandans bigitanda. ei ni ainshun [17] reike aiþþau fareisaie galaubidedi imma at neikaudaimau [18] bi garehsnai guþs qimandin at imma in naht jah miþ balþein
d faur sunja insakandin jah qiþandin [19] im. ibai vitoþ unsar stojiþ mannan. ‖ at jainaim qiþandam þatei ni ainshun [20] þize reike jah fareisaiei [21] galaubida. ni fraþjandans þatei sa raihtis [22] fareisaius vas jah ragineis judaie ja ains reike ustaiknipe us þaim fraqiþanam vas galaubjands fraujin du gasahtai jainaize unseleins faur ina rodjands. iþ eis ni usþulandans þo gasaht andhofun qiþandans. ibai jah þu us galeilaia is. ussokei jah saiw þatei — —

II. CALENDARIUM GOTHICUM. [23]

---

kr̄ þize ana guþiudai managaize [24] marytre jah þriþareikeis [25].

kd̄

ke̅

kq̄

kz̄

kh̄

kþ̄ gaminþi marytre þize þi verekan papan jah batvin bilaif aikklesjons ſullaizos ana gutþiudai gabrannidaize [26].

I.

Nauþaimbair [27]. fruma jiuleis ·l·

a

b̄

g̅ kustanteinus þiudanis.

d̄

e̅

q̄ dauriþaius alpiskaupus [28]

z̄

h̄

þ̄

i̅

ia̅

ib̄

ig̅

id̄

[1] C. M. *visandin.*
[2] M. *þize(i).*
[3] M. *tvalif.*
[4] M. *gahabaida ize;* der C. unleserlich.
[5] C. (?) M. *ainwarjamma.*
[6] M. *fidvortiguns.*
[7] M. *tvalif.*
[8] M. *fimf.*
[9] M. *tvaim.*
[10] M. om.
[11] M. *du we.*
[12] M. *in þizei.*
[13] M. *silkaleikjandans.*
[14] M. *si(j)uþ.*
[15] C. *baitreins þvairheins.* M. *baitrein þvairheins*
[16] M. *þammei.*
[17] C. *ainhun.*
[18] M. *neikaudemau.*
[19] M. om. *jah qiþandin.*
[20] C. (?) *ainhun.*
[21] M. *fareisaie imma.*
[22] C. (?) *raihts.*
[23] Castill. *Ulphilæ partium inedit. specimen* 28 sq.
[24] Cast. *madagrize.*
[25] C. *friþareikeikeis.*
[26] C. *gabrannidai.*
[27] Cast. om.
[28] C. *aipiska*

Digitized by Google

ιε filippaus apaustaulus in jairupulai.
ιq
ιz
ιn
ιþ þize alþjane in [1] bairaujai ·m· samana
ιk
ka
kb
kg
kd
ke
kq
kz
kh
kp andriins apaustaulus.
l.

[1] C. *alþjanoine*. Cast. *alþjinoine*.

GRAMMATICA

GOTHICÆ LINGUÆ

Jo. C. Gabelentz, and (H.) J. Loebe.

E GERMANICO SERMONE IN LATINUM VERSA,

INTERPRETE F. TEMPESTINI.

PRÆFATIO.

Antequam hanc grammaticam aggrediamur, operæ pretium esse duximus ejus fundamentum et tenorem paucis verbis exponere.

Quoad operis ordinationem, propriam viam in syntaxi indagare debuimus, hac hucusque nondum explorata. Hic vero nobis ordinem didacticum persequi conantibus quandoque attentio relaxata est; quapropter non immerito speramus indicem rerum et vocabulorum ad calcem operis remissum, magnum fore adjumentum iis, quibus ordo noster nondum tritus est.

In tribus primis capitibus, quæ de scriptura et prolatione, necnon vocabulorum flexione eorumque formatione disserunt, secuti sumus equidem ordinem consuetum sub respectu formæ; sub autem respectu materiæ, lector attentus facile animadvertet, quod hic etiam, quemadmodum in syntaxi, propriis investigationibus muniti propriamque viam sectantes, a doctrina communi deflexerimus. Utrum et in quantum merito fecerimus, sincerus lector dijudicabit.

Quamvis in elucubrando hoc opere id imprimis ob oculos habuerimus, quod grammatica cujuslibet sermonis ita restringenda sit, ut linguam e lingua ipsa explicans, potissimum caveat, ne quodlibet systema præconceptum persequatur, aut formas alius sermonis vel cognati linguæ illustrandæ imponat, hoc tamen principio non adeo constricti fuimus, ut præcipue in syntaxi, græcum textum, gothicæ litteraturæ fundamentum, constanter non invocaverimus : propria enim indoles gothicæ linguæ ex hac collatione evidentius eminet.

Cum de anteriori et posteriori sermone passim mentionem facimus, hunc de quo in prolegg. ad textum, col. 473, innuimus.

Jam vero quoniam ex elucubratione hujus operis pluries occasionem habuimus, lacunas et errores qui tam in glossario [1] quam in textu ejusque interpretatione subrepserant, supplendi et corrigendi, rem non ingratam facturi nobis videmur, si has emendationes hic colligentes, lectorem numeris paginam indicantibus ad grammaticam remiserimus.

[1] In editione germanica glossarium prius quam grammatica editum est. *Interpr.*

Digitized by Google

EMENDATIONES GLOSSARII.

Aiwalundi § 73. *anabusn* § 53, 3); *balvavesei* § 92; *bistuggq* § 205, annot. 2; *brawa* § 69, annot. 5; § 191, annot. 1); *gadikis* § 69; *gaitein* § 191, *a*) *dd*); *gaits* § 77; *grefts* § 48, 3); *dobnan* § 26, annot. 2; *hakuls* § 66, annot. 1; *piuþspillon* § 167, annot. 2; *þvahl* § 56, 3); *manauli* § 145 *aa*), annot.; *nauhan* § 134, annot. 2; *ugk* § 106, annot. 1; *uhtiug* § 31, 1); *undarleija* § 150, annot.; *saurauſynikiska* § 27, annot. 1; *slahals* § 150 *b*); *sprauds* § 56, 3); *veinuls* § 150 *b*); *vippja* § 55, 3); *voþi* § 99, 3) *a*); *vopjan* § 239, 1)[1]; *fadrein* § 93, 3); *ſastubni* § 70; *freijhals* § 34, 2); *fret* § 25, 4); *frijondi* § 73; *waiteis* § 70, annot. 2).

EMENDATIONES TEXTUS ET VERSIONIS.

Mth. III, 11 § 134 4); VIII, 11 § 192, 2); XI, 12 § 178 annot. 1; XI, 16 § 239, 1[1]; *Mc.* IX, 20 § 157 *b*); X, 27 § 260, annot. 6; X, 35 § 187, II; XI, 2 § 116, annot. 3; XVI, 1 § 247, annot. 4; *Luc.* IX, 25 § 177, annot. 2; XV, 30 § 25, 4); XVI, 14 § 155; XVI, 16 § 178, annot. 1; XVIII, 38 § 212, annot. 2; XIX, 8 § 185, annot.; XX, 16 § 259, annot. 4; *Rom.* IX, 15 § 182, 2); IX, 17 § 277[1]; IX, 19 § 177, annot. 5; X, 11 § 196, annot. 6; XII, 5 § 200, 2); *Cor.* I, VII, 17 § 205, annot. 10; VII, 19 § 192, 2); IX, 21 § 268, 4); XIII, 4 § 124, annot.; XV, 15 § 177, 1); XV, 52 § 69, annot. 5; § 191, annot. 1); *Cor.* II, II, 1 § 200, annot. 4; II, 11 § 177, 1; III, 14 § 200 III, 2); V, 17 § 205, annot. 1; VI, 1 § 253, annot. 1; VI, 3 § 205, annot. 2; VIII, 4 § 145 *β*) *εε*); VIII, 18 § 28, 3; XI, 6 § 177, annot. 2; XII, 19 § 133, annot.; § 178, annot. 1; XII, 21 § 239, 1); *Eph.* III, 8 § 150, annot.; IV, 23 § 213; VI, 22 § 106 annot. 1; *Phil.* IV, 2 § 200, III, 1); *Col.* III, 15 § 186, annot. 4; IV, 8 § 269, 4[1]; *Thess.* I, IV, 2 § 110, annot. 2; *Tim.* I, I, 14 § 128 annot. 1; *Tim.* II, III, 11 § 96 dat. pl.; *Neh.* V, 18 § 77; *Skeir.* II, d § 99, 2, *a*); V, d § 145, *aa*); § 205, IV not.; VI, a § 200, II, 1); VI, 8 § 205, annot. 9; VII, c § 205, annot. 10; § 282, annot. 5.

INTRODUCTIO.

§ 1. GOTHICA LINGUA (*gutiska razda*[1]) communis est sermo orientalium Germanorum, qui generali nomine *Gothorum* designantur.

« [2] Indigenum Gothorum nomen est *Guthos* (non autem *Gutans*, ut Zeuss scribit, *Die Deutschen*, 134); quemadmodum in Calendario gothico occurrit, in quo *guþiuda* gothicam gentem indicat. Eos Græci nuncupabant, aspirata dentali, Γόθοι, vel potius geminata, Γόττθοι; Romani autem sine geminatione, *Gothi*, vocalem *o* semper in versibus corripientes (hinc apud Gruterium, *Inscript.* 161, 2, ubi eam metrum exigit longam, legitur : *Qui potuit rigidas* Gotthorum *subdere mentes* [Arnold. Mercat.], loco *Gothorum*). Sed e græco non oriuntur formæ *Gotti*, *Gotticus*, quæ in Historia imperatorum, auctore Cœlio Spartiano (*Anton. Carac.* 10 et *Anton. Geta* 6), usurpantur. Pristina et primitiva scribendi hujus nominis ratio invenitur adhuc in antiquo latino scripto, quod e plurimis caracteribus a Gotho ipso scriptum esse conjicitur, scilicet in glossa marginali codicis parisiensis acta concilii aquileiensis continentis, a Waitzio vulgata, in qua p. 13 legitur *lingua gotica*, nec non et in neapolitano Documento ad sextum sæculum circiter medium pertinente, in quo *ecclesia gotica* scribitur. Genuina scribendi ratio in veteri Germanorum superiori lingua asservata est, quippe cum in glossis octavi sæculi occurrat sub forma : *Guti* et *Gudi* (vid. Graff, *Altkochdeutschen Sprachsch.* IV, 173 sq.), et apud chronistas (gall. *chroniqueurs*) ejusdem sæculi, pars Galliæ meridionalis a Gothis occupata *Gutiæ* et *Gosiæ* nomen habeat (vid. Zeuss, *Die Deutschen*, 420). Ejusdem stirpis sunt *Gotones* et *Gothones* apud Tacitum (*Annal.* 2, 62; *Germ.* 40), *Gutones* apud Plinium (*Hist. nat.* 4, 14; 37, 2), et Γόθωνες apud Ptolemæum. Quoad Βούτωνες apud Strabonem 7, 1, in Γούτωνες commutandum, propter quantitatem vocalis *o* audacius conjiceretur. *Gutones* autem eodem modo ad *Gutos* (*Guti*) sane referuntur atque Burgundiones ad Burgundos (Burgundi). Errat vero Zeuss, qui loco laudato, 134, nomina apud græcos latinosque auctores occurrentia modo chronologico ordinans, *Gothos* e *Gutones*, etc., græcum autem Γόττθοι ex *Guthiuda* derivasse putat. Sæpe etiam Gothi *Getæ* vocantur, vel huic stirpi alluditur (vid. Zeuss, loc. laud. 405), ut etiam Jornandi factum est, qui, ipse Gothus, suæ gentis historiam inscripsit : *De geticæ gentis origine ac rebus gestis;* hinc in posterioribus temporibus *linguæ geticæ* nomen sermoni gothico impositum, ut apud Bonav. Vulcanium invenire est, coll. § 2. — Non ad Gothos continentis, sed Scandinaviæ referenda sunt nomina Γουται (incorrecte Γοῦται vulgo scriptum) apud Ptolemæum et Γαυτοι apud Procopium (*De bell. goth.* 2, 15), quæ Zeuss, loc. laud. 158 et 511 sagaciter revisit, coll. § 3. Qui vero scire desiderat, quid nomen *Gutos* significet, hoc ante omnia componere debet tam gothico *guþ* (Deus) et *gōds* (bonus), quam caucaseis vocabulis *gute*, *kodji*, *katsi* (homines), hanc ultimam derivationem sectante Castillionæo Corinth. II, præf. p. x; quoad veteres Scandinaviæ doctores, suos Gothos (*Gotnar*) interpretantur : *errabundos*, *viatores* et *viros*, vid. Edda Sœm. I, 41, 530[b], correcte ex *gautr.* (*vir sagax*) deducentes; qui tandem nomen istud cum *giota* comparare velit, in *vagina nationum* vel *fabrica gentium*, ut Jornandes (p. 83 *Lindenbr.*) Scandinaviam vocat, explicationem inveniet. Sed pro nostris continentalibus Gothis derivatio

[1] *Razda* gothicum est vocabulum *loquelam* populi, ut γλῶσσα, λαλιά, gall. *langage*, designans, vid. Gr. Gr. I, 1 (3ª edit.); *tuggo* autem loquelæ instrumentum, *linguam* (la langue) notat, Mc. VII, 33, 35; Luc. I, 64, et *maþleins verbum*, sermonem quem loquuntur (λαλιάν), Joan. VIII, 43.

[2] Quæ intra *anti-lambda* (gall. *guillemets* [« — »]) includuntur, minoris sunt momenti et ad eruditos potius quam ad tirones spectant. Qui ergo hanc grammaticam omnino rudis accesserit, ea, si velit, prætermittat, ad ea tum reversurus, cum de cæteris sufficienter tritus erit. *Interpr.*

Digitized by Google

difficile ex *giutan, gaut, gutun, gutans* (fundere) tolerabilis poteretur, quippe cum probari nequeat utrum *giutan* etiam *gignere, creare* significet, ut Zeuss loc. laud. 134 contendit. Nos igitur concludentes libenter fatebimur omnino nescire, quid nomen Gotherum designet.

« Jam Grimmius (*Gram.* XLV [1ª édit.]) consulte animadvertit, linguam de qua nunc quæstio est, mœsogothicam incorrecte vocari; si enim Ulfilas, qui primus verisimiliter gothico sermone scripsit, vel saltem cujus sunt antiquissima monumenta scripta (vid. § 6 et 11), Gothis Mœsiam habitantibus interfuit, hi tamen Gothi, licet a cæteris fratribus anterius discesserint, certè autem linguam cum istis communem habuerunt. Immo et documenta gothica quæ ad nos usque pervenerunt, quæque dominantibus Ostrogothis in Italiam prodierunt, eodem sermone omnino sunt conscripta, quo Bibliorum versiones; jam vero si Ostrogothi hac eadem lingua loquebantur, ergo et Wisigothi, quorum pars Mœsiam incolebant. Igitur sermo noster omnibus Gothis communis erat, coll. § 4. »

§ 2. Gothica lingua ad indogermanicam stirpem attinet, et e germanicis familiis linguis ea est, quæ antiquissima monumenta præbeat; ita ut, prima certe omnium scripta, in sua sinceritate ad nos usque servata pervenerit.

« In his hodiernis temporibus apud exteros (*Germaniæ*) probare tentatum est, Gothos ad germanicam stirpem non pertinere; inter alios Stephanus Hervát *Tudományos Gyüjtemény* 1834, 4 fascicul.) eos habet ut gentem sociam simul et parentem Hunnorum, Polovtzium [1], Comanorum [2], etc. Sed erravit vir doctus deceptus nomine arabico *Gusi* pro *Us* vel *Uz* [3], qui verisimiliter idem sunt ac Comani. Ad aliam stirpem etiam adscriberentur Gothi, si unum et idem ac Getæ esse crederentur, vid. § 1; sed de facto Gothi nihil habent commune cum Getis, nisi quod, ad utramque ripam inferioris Danubii vicini degentes, quandoque commixti habitaverint. Cæterum Gothos germanicæ originis esse tum ex Ethnographia tum e Linguistica constat, nec jam a nemine in dubium revocatur. »

§ 3. Gothica lingua e germanicis sermonibus ad germanicum propius, proxime autem ad veterem superiorem germanicum accedit, ita tamen, ut cum scandinavis idiomatibus plura habeat communia. Sed aliter atque vetus sup. germanicus, qui medium recentemque peperit, nullum sui hæredem habuit gothicus.

« Licet principium non retractemus, quod in præfatione ad glossarium [4] exposuimus, nec nostro in animo sit relationes gothicæ linguæ ad sanskritum et alios Asiæ cognatos sermones discutere et exhibere, attamen hic apprime venit quod Bopp (*Conjugationssystem* p. x) de his respectibus dicit : « *ich glaube Sanskrit zu lesen, wenn ich den ehrwürdigen Ulfila lese; seine Sprache hält, so zu sagen, die Mitte zwischen Sanskrit und Deutsch*, » id est, sanskritum credo legére, venerándum Ulfilam legens; ejus enim sermo medius stat inter sanskritum et germanicum. Hoc insuper absque exaggeratione verissimum est et animadversu dignissimum ad notandam affinitatem gothici cum aliis germanicæ familiæ sermonibus, quod Bopp (*Vergleichende Grammatik* I, p. 115 " et II, præf. p. VII sq.) dicit : « *das Gothische ist der wahre Ausgans- und Lichtpunkt, der wahre Grundpfeiler deutscher Grammatik, das germanische Sanskrit*, » id est, gothicum esse lucis et explanationis fomitem verumque germanicæ grammaticæ cardinem, uno verbo, germanisantem sanskritum. Miram optionem præbet Castillionæus de relatione gothicæ linguæ ad alias germanicas : cum enim quamdam Fuldæ annotationem legerit, ubi asseritur gothicum nullius germanicorum sermonum exclusive fundamentum esse, sic sensum suum illustrare non dubitat (Corinth. II, præf. p. IV, sq.) : « *Aut idem evenit de gothica lingua, quod serius de latina, quæ cum quasi mater et fons facta esset plurium affinium linguarum, licet in his multæ latinæ voces obsoleverint, tamen in unaquaque per innumeras reliquas est adhuc conspicua; aut econtrario censeri potest; quod germanica gente Gothorum ævo magnam Europæ partem occupante, in plurosque populos divisa, dialectorum copulatio Gothorum linguam mistam reddiderit.* » Sed animadvertere obviam est, nec quisquam inficiabitur, quod gothica, superior germanica, islandica, etc., singulæ tandem linguæ, ex unica stirpe communi provehiant; jam vero tantum contendimus gothicam prius quam cæteras exortam fuisse, licet de hoc ortu plura nos fugiant. Si enim verum esset, ut olim, auctore Jornande, per longum tempus creditum est, atque etiam nunc amore patriæ apud Suecos creditur (Geijer, *Geschichte schwedens*, german. interprete Leffler, I, 10 sq.), quod scilicet continentis Gothi iidem sint ac Scandinaviæ (vid. contra Zeuss, 405, 457; Grimm. præf. ad gramm. servicam Wuki Stephanowitsch p. XXIV [5], tunc arctissimæ simul et pleræque affinitatis relationes septentrionales linguas inter et gothicam sine dubio innotuissent; jam vero res non ita se habent; et maxima gothici sermonis affinitas ad superiorem germanicum refertur. Hæc porrò affinitas potissimum appareat in admotione, et præcipue in vocalisatione et similitudine specierum flexionis, quadam insuper gothici relatione ad scandinavicos sermones in vocalium expulsione (gall. *déplacement*), Gr. *Gr.* LI [1ª édit.] I, 8, 9 [3ª édit.]) existente. Si quid vel quid majus ex aliis orientalium Germanorum, Longobardorum scilicet, Herulorum, Rugiorum [6], Thuringorum, Marcomanorum et Quadorum vocati, e Tartaris ortum habuere, ad Caucasum habitantes. *Interpr.*

[1] *Polovtsis* vel *Polovtzes*, id est, in Russorum idiomate, *venatores*, iidem sunt ac populi quos vulgo vocant *Cosakos* (*les Cosaques*) e Slavis originem ducentes. *Interpr.*

[2] Comani (les Comans), etiam *Kumghi* vel *Kou-*

[3] Primitivi Pomeraniæ ulterioris incolæ. *Interpr.*

[4] Glossarium in germanicæ editione grammaticam præcedit, in nostra postmissum. *Interpr.*

Digitized by Google

dorum [1] (gall. *les Quades*) linguis superstes fuisset, in eis probabiliter invenirentur quo conjungantur gothicus sermo et vetus sup. germanicus; idemque de ceteris germanicæ familiæ linguis dicendum est. »

§ 4. Quoad *dialectos* gothicæ linguæ, nihil certi definiri potest.

« Nec in quibusdam duplicibus formis, ut *aglaitei* et *aglaiti*, nec in nonnullis variis scribendi modis, ut *gaþarhjan* pro *gatarhjan*, vestigia dialecti legitimæ quærerentur, quemadmodum contendit Castillionæus II Corinth. præf. p. VI et ad Galat. II, 11; quippe cum in priori casu si diversa est forma, diversa significatio cogitari possit, et in posteriori, merula sit librarii, qui etiam alibi *þ* in *t* frequenter commutat. Quin immo, etiamsi in his vel aliis ejusmodi casibus certa dialecti deprehenderetur discrepantia, nulla tamen utilitas nobis exinde oriri posset, nescientibus cujnam dialecto hæc vel illa pertineant.

« Ut gothicæ affines Grimmius (*Gr.* I, 2 [3ª edit.]) habet *Gepidarum*, *Vandalium*, *Herulorum* et forsitan *Bastarnarum* [2] linguas. Procopius expresse dicit (*De bello vandal.* I, 2) quod Wisigothorum, Vandalium et Gepidarum erat φωνὴ μία, γοτθικὴ λεγομένη. Sed ex mera certe conjectura, quam Zeuss (p. 441) et ipse Grimmius admittere repugnant, Procopius Vandales ejusdem stirpis atque Gothos credit, cum vandalica nomina, quæ ad nos pervenerunt, conspicuum discrimen a gothicis evidenter præseferant. Si enim, fide huic γοτθικὴ λεγομένη habita, concludi posset linguam eam esse, quam Constantinopoli gothicam vocabant, ejus identitas cum nostra gothica periculose assereretur. Equidem Gothi presbyteri Vandalium doctores erant (coll. Zeuss p. 453**); sed exinde non sequitur eosdem fuisse utriusque populi sermones, quemadmodum ex vehementibus Saviani diatribis in arianismum Gothorum et Vandalium (a Massmanni *Skeir.* p. 169 allatis), necnon et ex auctorum silentio de vandalica bibliorum versione immerito conjiceretur cum Castillionæo (ad Philipp. p. 65) Vandales gothica versione non fuisse usos. »

§ 5. Gothicæ linguæ thesaurus non paucas etiam continet alienigenas divitias; quarum admissio ex eo facile explicatur, quod Gothi a vicinis gentibus, aliis quidem pro aliis temporibus, relative ad socialem, politicum religiosumque ordinem fuerint dependentes.

« Exaggerat certo Castillionæus dicens (Corinth. II, præf. p. IV) : « *Vix unum aut alterum superest linguæ gothicæ vocabulum, cui aliud affine aut in recentioribus germanicis dialectis aut saltem in vetustiorum reliquis non inveniatur;* » non pauca econtrario dantur gothica vocabula, quibus in tota germanicarum dialectorum serie, et quantum scire possumus, affinia reperiantur, vid. præf. ad glossarium. Sunt equidem nonnulla vocabula *gothica*, quæ in reliquis germanicarum linguarum deperdita, ex *indicis* explicantur (vid. Bopp, *Conjugationssystem* p. X), quæque sanskrita præsertim germanicis idiomatibus suppeditavit; sed alia sunt longe plura, quæ Gothi ex alieno fonte hauserunt, coll. Grimm. *Gr.* I, 9 [3ª edit.]. De *slavicis* et *lithuanicis* jam in præfatione ad glossarium mentionem fecimus; quoad *finnica*, ea sunt same quæ libre (*Ulfil. illustr.* p. 266) jam *scythica* merito vocavit, quæque eo magis nunc hodie illustranda sunt, quod eorum relatio ad germanica statuta sit. Porro ex his nonnulla eadem remanent in utroque germane, ut goth. *paida*, finn. *paita* (quoniam *p* in gothicis vocabulis mutum occurrit); et alia plurima gothicis congruentia Grimmius (in opere perlaudato Hoferi ad scientiam linguæ I, 10 sqq.) exhibet, nec supponit vir ille doctus quin alterutra lingua ab alia mutuata sit. Scilicet :

goth.	finn.
maþa	*mato*
marei	*meri*
nemo	*nimi*
meki	*miekka*
mulda	*multa*
ahana	*akana*
runa	*runo* (poema)
gulþ	*kulta*
aiþei	*äiti*
dauhtar	*tytti*

quibus et sequentia addi possent :

goth.	finn.
sama	*sama*
manags	*moni*
mitaþ	*mitta*
hansa	*kansa*
audag	*autuas*
miton	*miettiä*
aggvu	*angen*
vasti	*waatet*
waþo	*wahto*
auþja	*autia*
kiusan	*kiusata*
vald-uſni	*waltu*
hlaibs	*leibä*

coll. Castill. ad Timoth. II, I, 5.

« Ab *Hunnis* nomina propria tantum, auctore Jornande (p. 90 Lindenb.), mutuati sunt Gothi; Romanorum autem multo minor in gothicam linguam extitit influxus, qui tamen ex eo facile explicatur, quod lingua latina ad totam Mœsiam extenderetur, quique majorem fuisse videretur, si gothica scripta eo tempore composita quo Gothi superiorem Italiam romanasque Galliæ et Hispaniæ provincias incoluerunt, penes nos fuissent. E latino sermone mutuatus est gothicus vel admisit : *militon* (militari), *kavtsjo* (cautio), *laiktjo* (lectio), *assarjus* (assarius), *aurali* (orale), *faskia* (fascia), *kaisar* (cæsar), *karkara* (carcer), *kapillon* (capillus), *lukarn* (lucerna), *kumbjan* (cumbere), *pund* (pondo), etc. E Græcis autem majorem influxum experti sunt Gothi ad Danubium habitantes, quippe qui semper fuederati remanserint cum metropoli imperii græci, ex quo christianismum receperant et inde e græco fonte Bibliorum

[1] Moraviam, confinia Siliciæ, Hungriam superiorem et partem Austriæ Danubium inter et Moraviam jacentem habitantes. *Interpr.*

[2] Ad Daciam habitantes. *Interpr.*

Digitized by Google

versionem hauserint. Sic e Græcis mutuati sunt, ex. gr. : *markreitus* (μαργαρίτης), *pistikeins* (πιστικός), *spyreida* (σπυρίς), *aipistaule* (ἐπιστολή), *ackklesjo* (ἐκκλησία), *paurpaura* (πορφύρα), *drakma* (δραχμή), *smyrn* (σμύρνον), *saban* (σάβανον), *apaustaulus* (ἀπόστολος) etc. Sed quam facile decipi possit, qui vocabulorum consonantiam nimium urget, patet ex Castillionæi annotatione ad Corinth. I, XIII, 1, qua vir ille doctus, de *klismoklis* disserens, hæc græcæ originis manifeste esse contendit, cum aliunde hoc inter nota Græcorum instrumenta nunquam annumeratum fuisse certum sit.

« Nullus autem alienus influxus apparet in *flexionis forma;* nam influxus vocari nequit, quod sæpius nominibus propriis, ex alieno fonte desumptis, aliena sit flexio vel alienam imitans, vocabulis indigenis nihil simile experientibus. Nec in *syntaxim* exteri ullo modo influxerunt; ita saltem ab omnibus prius admittebatur, quam de versione ulfilana e græco serviliter facta actum est, vid. prolegg. ad Ulfilam. Quos autem hellenismos agnoscimus, etiam ad indolem gothicæ linguæ accommodantur, cum et non præeunte græco alibi occurrant, ut, v. g., attractio; qua de re vid. syntaxim. »

§ 6. Quod de litteratura gothica ad nos usque pervenit, non nisi inops et indigens est; præter enim fragmenta Bibliorum versionis et quæ Skeireins nomine nota sunt, quædam tantum insulsæ superstites sunt reliquiæ

« Quod litteraturam proprie efficit, prius apud omnes populos apparuit, quam ipsa litteratura, *carmina* scilicet et *cantiones;* jam vero rem eamdem apud Gothos sese habuisse constat ex vocabulis indigenis, quibus ad illa designanda utebantur : cantio enim (ᾠδή) hic dicitur *saggvs* (Eph. v, 19; Col. III, 16), a *siggvan* (ᾄδειν); et carmen, *liuþ*, a *liuþan* (Rom. XV, 9), pro ψάλλειν etiam usurpato. Præter has designationes generales, dantur et nonnullæ appellativæ, ut pro hymno, *hazeins* (ὕμνος Eph. v, 19; Col. III, 16); in *naiteins* (coll. vet. lith. *neizjan*, Gf. II, 1128), quod Mc. II, 7; III, 28; Luc. v, 23, pro βλασφημία ponitur, stirps germanica facile agnoscetur, qua ironicum et declamatorium carmen exprimitur, tali carmine apud Gothos forsan *neiþ* vocato, ut apud vet. septentr. *nid*, coll. Gf. II, 1031. Carminibus religiosis nulla fuerunt propria vocabula, vel saltem Bibliorum interpretes e græco *psalma* (Luc. XX, 42) vel *psalmo* (Cor. I, XIV, 26; Eph. IV, 8 marg.; v, 19; Col. III, 16) mutuati sunt, licet pro ψαλμός etiam *liuþ* (vid. supra) usurpare potuissent. De gnomis vid. infra. Ænigma vocabatur *frisahts* (Cor. I, XIII, 12); similitudo, *gajuko* (vid. glossar. h. v.); fabulæ, parabolæ, narrationes, *spill* (vid. glossar. h. v.). Non solum autem fuisse cantus apud Gothos ex eo concludimus, quod propriis nominibus designentur, sed etiam ex expresso Jornandis testimonio, qui eos tum *cantiones* (p. 93 ed. Lind.), tum *carmina* (p. 83) vocat, affirmans insuper historicos et heroicos fuisse cantus, in quibus, ex. gr. Gothorum exitus e Scandinavia in continentem, Vandalium subjectio, eorum per Scythiam ad mare Nigrum transitus (p. 83), immo « *facta Ethesparmæ, Hanalæ, Fridigerni, Vidiculæ et aliorum, quorum in hac gente magna opinio est, quales vix heroas fuisse miranda jactat antiquitas* (p. 86), » celebrabantur. Quoad vero rhythmum horum carminum, nihil omnino novimus; fuerunt probabiliter iterativa, quemadmodum cæterorum Germanorum cantus; certum est autem ea heroico Græcorum metro non fuisse induta, uti infeliciter Massmannus de versu in epist. ad Tit. I, 12 laudata conjecit. Cæterum nec erant nec fuerunt scripturæ mandata, sed, ut mos erat apud alias germanicas gentes, a certis cantatoribus orali modo tradebantur. Jam vero nos fugit gothicum horum cantatorum nomen; nam *liuþarjos*, ut Hebræorum cantantes levitæ (ᾄδοντες) apud Esr. II, 41 et Neh. VII, 1 gothice vertuntur, dici nequeunt, quippe cum Hebræi more nostro, Germani autem more potius recitativo, conjunctis citharæ modulationibus (Jornand. p. 86) canerent. Atqui eo modo canere gothice est *siggvan*, et compositum *ussiggvan*, id est, recitare (ἀναγινώσκειν), unde *saggvjans* bis cantatoribus nomen accommodatius. Quoad rationem quare Gothorum carmina scripta non fuerint, facile percipi potest. In pristinis enim temporibus hic non erat usus, et posito quod Gothi ante ulfilanam ætatem scripturam habuerint (vid. § 11), hæc carminibus obvia et congruens fuisse creditu difficile est. Cum autem ea scriptura illis fuit, quæ conveniret, deerunt Mœcenæ, nec litteris libenter indulgere potuerunt, nisi cum politica quiete gaudentes, patrios mores simul et amorem propriæ litteraturæ recepissent. Adde etiam quod apud Gothos scriptura diu solis presbyteris fuerit reservata, presbyterique ad defendendam et propagandam religionem ea primo usi sint, et consequenter carminibus indulgere non potuerint, etiamsi mens illis fuisset.

« Non pauci etiam, quodam loco Jornandis innixi, crediderunt pristinis Gothis scriptas leges fuisse. Hic locus, etiam sub alio respectu conspicuus, sic se habet, p. 93 Lind. : « *Diceneus omni pene philosophia eos* (Gothos) *instruxit : nam ethicam eos erudivit, ut barbaricos mores ab eis compesceret; physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conscriptas bellagines nuncupant; logicam instruens eos rationis supra cæteras gentes fecit expertos; practicen ostendens in bonis actibus conversari jussit; theoricen demonstrans signorum duodecim et per ea planetarum cursus omnemque astronomiam contemplari docuit*, etc. *Elegit prudentiores viros, quos theologiam instruens numina quædam et sacella venerari suasit.* » Quamvis certum sit gothicam gentem non eo modo philosophice institutam esse, quo hic Jornandis locus indecente et indigesta eruditione plenus nos persuasos habere voluerit, hinc tamen Gothos non incultam gentem, sed de humanis et divinis, de terrestribus et cœlestibus rebus varie eruditam fuisse consequitur. Jam vero sive vicinas sive remotas

Digitized by Google

gentes comparantibus nobis constat, quibus eædem fuerunt institutiones, quædam collectio fuit sententiarum; sic Indis Puranas, Græcis Gnomi Hesiodique dies et opera, Scandinavis dives et poeticum sententiarum corpus (vid. Dietrich, *Altnord. Lesebuch* præf. XXXIII), nec non et Germanis. Simile ergo sententiarum corpus apud Gothos invenire deberemus, et huic verisimiliter alludit supra laudatus Jornandis locus. Mentionem enim facit de quodam sententiarum corpore, scripturæ mandato, nomineque *Bellaginium* indigitato. Sed quid hæ *Bellaginæ* vel correctius *Bilaginæ* (vel *Bilageineis*)? Pene omnes has habuerunt ut veras leges et, innuente Jornande, codicem legum gothicarum : inde nonnulli quædam monumenta scripta ante Ulfilam fuisse censuerunt; alii de authenticitate hujus codicis dubitaverunt (coll. Manso, *Gesch. der Ostgothen*, 91 i), et equidem merito, cum nonnisi regnante Euricho, in sæculo scilicet quinto, Wisigothi codicem legum habuerint (Aschbach, *Gesch. der Westgothen*, 157). Sed contextus, si examinetur, hanc interpretationem minime justificat. Hic enim lacuna evidenter adest; nam quæcunque leges vel statuta supponi possint, nullus unquam philosophus, physicam docens, leges civiles tulit, et sunt hic ad physicam adscriptæ, sed de investigatione tantum naturæ et essentia rerum disseruit; deest igitur in textu scientia vere philosophica, *Politia* scilicet, seu vitæ civilis institutrix; unde facile patet, quod erroris fundamentum in *naturaliter* jaceat, sic forsan sententia primitive concepta : *physicam tradens* naturam rerum ut discerent, politiam docens *naturaliter*, etc. Non est insuper necessum, ut per has *leges* positivæ intelligantur; sed econtrario legitime supponi potest, ea esse tantum naturalia æquitatis principia quibus vita civilis instituitur. Nec non et formulas incantationis et conjurationis, quales nobis e Græcis, Scandinavis et Germanis tradidit antiquitas, in voce *cantiones* locum Jornandis modo laudatum sequentes suspicari possemus, nisi etiam contextus ad minus usitatam significationem *cantus* vocem *cantio* restringere suaderet.

« De Bibliorum versione, quæ ad quartum circiter sæculum ab Ulfila incœpta, ab alio, nisi forsan ab eo ipso continuata fuit, jam supra in prolegg. ad ulfilanum textum quæstio fuit. Quoad vero *Skeireins*, hoc aliud gothicæ litteraturæ majus fragmentum a Massmanno editum, ad quodnam tempus referendum, utrum versio sit vel originale scriptum, denique a quonam Gothorum doctore confectum sit, hoc adhuc in dubio remanet, coll. Löbe, *Textberichtigung der Skeireins*, *Altenburg* 1839.

« Plures insuper alias versiones theologicosque tractatus plures conscripsit Ulfilas, ut e documentis primo recenter consultis et a Waitzio (*Ueber das Leben und die Lehre des Ulfila*, *Hannov.* 1840) editis indubitanter constat; ibi enim dicitur (pag. 14) quod : « *et ipse* (*Ulfilas*) *tribus linguis* (græca, latina et gotica) plures tractatus et multas interpretationes *volentibus ad utilitatem et ad ædificationem*, *sibi ad æternam memoriam et mercedem* post se dereliquit. » Ad anteriorem epocham pertinet *historicum opus ab Ablavio*, et *geographica scripta*, vel potius quoddam *itinerarium* totius Germaniæ *ab Athanarito*, *Hildebaldo*, *Markomiro*, ad sextum sæculum conscriptum, quodque *geographus Ravennas* sæpissime refert (vid. Grimmium *Gr.* XLVI [1ª edit.]).

« Ad litteraturæ dominium referenda sunt nec Calendarium gothicum, nec gothicæ subscriptiones nonnullorum documentorum in Italia latine conscriptorum (vid. *goth. glossar.* præf.), licet nobis magni sint alias momenti; multo minus ea spuria quæ Massmannus multis quidem suderibus comparata, e fonte nimium fallaci hausit, et in opere periodico Hauptii *Alterthum* I, 294 sqq. nomine *gothicorum minorum* inscripta in lucem edidit, coll. § 7. »

§ 7. Gothica lingua non nisi brevi tempore floruit; in Mœsia nobis extinguitur, sese extinguentibus indigenis Gothis a torrente novorum populorum in Danubianas regiones irruentium; in occidentalibus autem terris, ubi Gothos Ostro- et Wisigothi supplantaverunt, hæc probabiliter prius quam populus ipse, influente latino sermone, extingui debuit.

« Gothica lingua in litterariam provecta, vel saltem primo scriptura stabilita est in Mœsia, ubi scripturam Ulfilas adinvenit (vid. § 11) versionemque Bibliorum incœpit. Hic floruit gothicus sermo, etiam mortuo Ulfila (383), ut ex Tertulliani [1] epistola circa an. 403 scripta patet. Hæc porro epistola (Hieronymi operum tom. I, epist. CVI; Patrol. tom. XXII, edit. Migne; epp. II, p. 626 ed. Paris.) responsum continet Sunniæ et Fretelæ, Gothis presbyteris, de nonnullis Veteris Testamenti locis divum doctorem interrogantibus, quaque non ad institutionem oralem tantum, sed ad quoddam opus scriptum certo usi sunt. Quin immo ad nonum usque sæculum apud Gothos Danubii inferioris, ut Walafrido Straboni a missionariis narratum est, in gothico sermone divina officia recitabantur. « *Gothi*, inquit (De rebus eccles. 7), *qui et Getæ*, *eo tempore*, *quo ad fidem Christi perducti sunt*, *in Græcorum provinciis commorantes*, *nostrum*, *id est theodiscum sermonem habuerunt*, *et*, *ut historiæ testantur*, *postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt*, *quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus*, *quod quasdam Scytharum gentes*, *maxime Tomitanos*, *eadem locutione divina hactenus recitari officia.* » Cum autem Olaus Rudbeck (Atlant. III, 210) narrat, quod sua etiam ætate (in sæculo 17°) in plurimis Walachiæ locis vestigia gothici sermonis supererant, hoc ad fabulas adscribendum est, quibus abundat hujus auctoris opus; immo etiamsi verum esset, ut ille affirmat, quod ipse viderit hominem

[1] Quomodo in editionem germanicam, aliunde tam exquisitam, subrepserit ille gravis error, prorsus nescimus. Non enim doctos editores fugit nullam unquam vel minimam laudatam fuisse epistolam Tertulliani, qui aliunde anno circiter 216 obiit. Hic igitur *calami* tantum lapsus adest : HIERONYMUM ponere volens, mendose TERTULLIANUM scripsit. *Interpr.*

Digitized by Google

quemdam ab his regionibus ad regem Suecorum legatum, qui Ulfilam gothice legerat, hinc tamen gothicam linguam tunc temporis in Walachia extitisse immerito concluderetur. Castillionæus equidem (II Corinth. p. 83) hæc gothicæ linguæ vestigia in ista regione per Saxones Transylvaniæ colonos explicare potuit; quis autem credat Saxonem Ulfilam eo modo legere potuisse, ignotis scriptura linguaque gothicis?

« Quoscunque Gothi subjecerunt populos, eis nonquam suum idioma imposuerunt, jura patriosque mores simul atque linguam servari permittentes. Ea fuit in Italia Ostrogothorum agendi ratio. Hic in medio relinquemus, utrum Manso punctum tetigerit, dicens (*Geschichte des ostrogoth. Reichs*, 135) Gothos intellexisse, quod a legibus et sermone Romanorum nonnisi discere et accipere possent (nam vir ille doctus mirifice de lingua gothica putat, cum vulgo contendens eam nondum satis perfectam fuisse, ut necessarias vitæ civilis cogitationes exprimere valeret); sed de facto gothica lingua nullo modo apud Italos introduci potuit: peculiares enim sunt casus peculiaribus explicandi rationibus, cum Romani quidam gothice locuti sunt (coll. Cassiod. 8, 21); econtra nova hæc regio urbana moribus, productionibus opulenta, voluptatibus unica, Gothorum adeo animos seduxit, eorumque nationalitatem infirmavit, ut jam Theodoricus ad gymnasia romana frequentanda suos innixe incitaret. Quod autem in Italia Gothi gothice locuti sint, hoc probatur tum ex inscriptionibus neapolitani et aretini documenti, tum e sejunctis tribunalibus Gothorum et Italorum (de quo suum sensum aperuit Glöden, *Das römische Recht in ostgothischen Reiche*, Jena 1843); et verisimillimum est reliquias omnes gothici sermonis, quales nunc habemus, ex Italia fuisse deductis; coll. Castill. *spec.* IV et ad II Cor. p. 83; W. Grimm. *Jahrb. der Lit.* XLIII, 29.

« Nec ulterius Wisigothi in victoria abutendo progressi sunt, postquam in Franciam et Hispaniam irruissent; quemadmodum enim in sacris, ita et in profanis tolerantes se præbuerunt. Gothi ipsi suos mores, leges sermonemque per ducentos annos servarunt, donec regnante Recaredo (601) Romani fierent. Hic enim Gothos et Romanos sibi subjectos unum populum unamque gentem effici desiderans, in hoc consilio exsequendo, influente clero, totus incubuit. Itaque tulit legem ad utrosque pertinentem; cum autem subjectorum Romanorum longe major esset numerus, lex ista latine redigi debuit, ita ut latinus reipublicæ sermo factus sit; christianæ fidei devotus erat; hinc divina officia latine celebrari jussit, ita ut hujus Ecclesiæ sermo deinceps latinus fuerit; aulicis suis nomina latina dedit, ita ut aulica lingua jam latina evaserit (coll. Aschbach, *Gesch. der Westgothen*, p. 230 seq.); confectis his mutationibus, poteratne gothica scriptorum lingua superesse? Equidem lingua in ultimis temporibus dominationis gothicæ paulatim ab ore populi decidere visa est, et exceptis paucissimis germanicis vocabulis, quæ in hispanica inducta sunt (coll. goth. glossar. præf.), nonnulla tantum e rusticana Hispaniæ dialecto, quæ forsan non sine ratione *germanica* (a vet. germ. *gau*, rus, *gauer*, ruricola) nuncupatur, ex germanicis illustrantur, ut: *ledro*, sinister, goth. *hleidumeã*, a stirpe *hleid*, *led*; *mundo*, facies, goth. *munþs*, os; etiam fortasse *godo*, dexter, goth. *god*, bonus (ut aliunde expressio dexterum latus significans etiam pro bono valet); *navio*, corpus, cadaver, goth. *naus*, navis; *anclas*, manus, goth. *agga*, articulus, corpus, coll. angl. *ancle*, infer. germ. *enkel*. Neque in his investigationibus longius progredi licet, cum alia nonnulla, specie germanica, romanæ tamen sunt originis, ut: *aoas*, aures, equidem goth. *ausa*, sed hispan. *asa*, auris; *meter*, comedere, equidem goth. *matjan*, sed hispan. *meter*, introducere; *bufar*, clamare, vocare, equidem goth. *vopjan*, sed hispan. *bufar*, mugire; ipsum *navio* hispan. *navio* (navis) esse posset, coll. *Vocabulario de Germania an den Romances de Germania*, editum a Joan. Hidalgo, Madrid 1779. Ex gothicis scriptis, quæ ad nos pervenerunt, ullum in Hispania confectum fuisse cum quadam certitudine statuere non possumus; qui enim codicem carolinum et fragmenta Veteris Testamenti hic composita fuisse assereret, eo fundamento nixus, quod prior *originibus* Isidori hispalensis superscriptus sit, et posteriora textui complutensis Bibliæ conveniant, intolerabilem tueretur sententiam. Neque tamen audiendus est Lembke (*Gesch. Spaniens* I, 245) dicens: nullum superesse vestigium, ex quo deduci possit, in Hispania gothice scriptum fuisse; qua de re coll. Massmannum in Hauptii *Zeitschrift* I, 578. Cæterum si *gothici libri* commemorantur, non equidem quod gothico sermone fuerint compositi, sed quod ad *officium gothicum*, id est, ad liturgiam generalem, a concilio Toletano in ecclesia gothica Hispaniæ et Septimaniæ introductum ut libri rituales pertinerent (Aschbach, 350).

« Constantinopoli, in qua civitate ad finem versus quarti sæculi et initium quinti schola, curante Chrysostomo, aperta fuerat, ut Gothi gothice docerentur (vid. Massmann. *Skeir*. 91), de gothico sermone sæpius quæstio est; hic etiam sæculo decimo memoratur adhuc quoddam *Gothikon* apud Constantin. Porphyrogen. *de Cæremon. aulæ byzant.* I, 83. Hoc porro Gothikon non proprie cantus erat, sed species ludi vel spectaculi (et expresse dicebatur παίζειν τὸ γοτθικόν), *nono die duodecim noctium*, in imperiali palatio inter epulas a Venetis et Prasinis introductum. Duo erant castra: ex utraque parte duo Gothi, qui, veste pilosa induti faciemque larva cooperti, sinistra manu clypeum, dextra autem virgam gerebant. Cantus, qui spectaculum comitabatur, alternis vicibus referebatur partim græce a choristis, partim barbare a Gothorum persona indutis. Jam vero hi posteriores ludum aperientes, mediis strepitibus clypeorum virgis percussorum pleno ore clamabant: *tul*, *tul*! tum

Digitized by Google

orbico more ludum componentes, iterumque ad utramque partem secedentes, comitantibus panduris [1], recitabant : « Γαύζας· βόνας· βπανδίας· ἄγια· γανδίντες· ἐλκηδόνιδες· ἐπκέρτυς· ἅγια· βονα· ὥρα· τούτου· βάντες· βόνα ἀμόρε· ἐπεισκύαντες· ἰδεσαλβάτους· νανά· δίους· δίους· σεβακιβα· νανά· δαιμονογυγγύελε· γυβίλους· γυβέλαρες· νανά· γυβίλους· γυβέλαρες· νανά· τοῦ γεγδεμα· δὲ τοὐλίελε· νικάτω τουλδο· νανά. » Deinde vocabula græca sequebantur, quibus hæc barbara iterum succedebant : « ἴδερ· ἐδεριεμ· τοῦ ἰγγερουα· γεργερεθρῳ· νανά· σικαδιασε περέτουρες. Quæ verba ad cum finem tantum huc attulimus, ut unicuique pateat quod cantus ille (nam sine dubio verba sunt cantus) non gothicus sit, quodque ipsius auctor, sive sponte sua, sive alterius consilio, *gothicitatem*, ut ita dicam, horum verborum hebetasse videatur, cum asserat Gothos dicere τὰ Γοτθικὰ ἅτινά εἰσι ταῦτα. Hic vero nomen Gothorum conspicuum est. Undenam igitur huc venire potuerunt Gothi, qui aliis gentibus germanicis in imperio constantinopolitano imperatorumque aula jam ex ætate justiniana cesserant? Nonne hi Gothi dicti, vel potius Jutæ [2] erant illi inferioris Germaniæ incolæ, qui sub imperatoribus ut *Barangæ* stipendia merebantur aulæque vacabant? Saltem refert Georgius Kodinos *de Offic. aul. Constant.*, p. 90, quod hi Barangæ primo anni incipientis die Cæsarem κατὰ τὸν πάτριον γλῶσσαν αὐτῶν, ἤγουν ἐγκλιστί, congratulari solebant. Quoad ludum vel spectaculum Gothorum dictum, plane congruit cum sueco *Julbock* et inferioris Germaniæ incolarum *Schoduvellopen* (sup. germ. *Schaudenfellaufen*, gall. *la course au diable*), quod a Ducangio *Cervula* (vid. h. v.) explicatum et a nonnullis mediæ ætatis auctoribus etiam Jottici nuncupatum, a Reiskio autem ad Const. Porphyr. p. 112 Lips., male *ludi gothici* dicitur. Quod unicum germanicam stirpem sapit vocabulum in isto *Gotthikon*, est ἀμπαατῶ, quo choristæ bysantini Gothos adhortabantur, ut saltationem inciperent. Gothice deduceretur a *andbahtjan*, sed sub hac forma ἀμπαατῶ, nordgermanico *ambaht*, etc., magis congruit, vid. goth. glossar. Neque prætermitti potest, quod γούνας (*gunna*, pelliceæ vestes), quibus induebantur Gothi, ad inferiorem Germaniam (Saxoniam) pertineant, in anglico *gown*, toga, asservatæ; vid. Reiz l. l. p. 113. Nihil etiam gothici in hoc *Gotthikon* invenire potuit Massmannus (in Hauptii *Zeitschrift* I, 366 sqq.); et *jul* a *tul* longius æquo peteretur.

« Diutissime superfuit gothica lingua, si tamen viatoribus fides adhibenda sit, in Taurica Chersoneso (gall. *Crimée*), ubi Gothi tetraxiti habitabant. Referente Procopio (*De bell. goth.* IV, 4, 5), hoc primus omnium agnovit brabantinus Minorit Wilhelm Ruysbroek (*Rubruquis*), qui anno 1253 hanc regionem peragravit, cujusque unica relatio : « *inter quos erant multi Goti, quorum ydioma est teutonicum,* » ab interpretibus maxime deformata fuit, vid. Massmannum l. l. 351; aliquid vero certius invenitur apud Josaphat Barbaro, qui anno 1436 a Venetis Asow in urbem legatus est : *Gothi*, inquit, *parlano in todesco, et so questo, perche havendo un famiglio todesco con mi, parlavano insieme, et intendevansi assai ragionevolmente, cosi come si intenderia un Forlano con un Fiorentino*, id est, lingua teutonica utebantur Gothi; idque compertum habui, quod cum apud me teutonica familia esset, cum illis loquens, intelligenter audiebatur et vice versa, eodem prope modo ac si Forlanus et Florentinus inter se colloquerentur (apud Ramusium II, 97); Busbeck, qui annis 1557-64 ut Imperii legatus Constantinopoli degens duos viros cognoverat, a Crimensibus Constantinopolim missos, in Legationis turcicæ epist. IV, p. 2577 (edit. Francf. 1595) recensionem exhibet vocabulorum quæ, sine dubio germanica, pro magna parte omnino sunt gothica; ex. gr. : *Plut*, germ. Blut, sanguis; *stul*, germ. Stuhl, sella; *hus*, germ. Haus, domus; *wingart*, germ. Weinberg, vinetum; *reghen*, germ. Regen, pluvia; *bruder*, germ. Bruder, frater; *schwester*, germ. Schwester, soror; *alt*, germ. alt, vetus, senex; *salt*, germ. Salz, sal; *fisci*, germ. Fisch, piscis; *handa*, germ. Hand, manus; *brunna*, germ. Brunnen, puteus; *schwalt*, mors, vid. apud Massmann. l. l. p. 357 sq. Sed nomen Gothorum circumeundo deperditum esse videtur, neque hodie ulla hujus sermonis vestigia jam inveniuntur, vid. Pallas, *Voyages dans les gouvernements méridionaux de l'empire de Russie*, II, 396 sq.; coll. Zeuss, *Die Deutschen* p. 432 sq.; Castill. *Spec.* XXIII sq. »

§ 8. Quamvis gothica lingua nobis mature extincta fuerit ejusque litteraturæ nonnisi paucissima fragmenta ad nos usque pervenerint, quæ tamen supersunt abunde sufficiunt, ut ejus linguæ notitiam perfectissimam comparemus; ex his enim sermonis thesauro, formatione, conspicua qua in alia idiomata vertitur facilitate cognitis, hinc grammaticale artificium construere possumus. Cæterum neminem fugit gothicam grammaticam, grammaticæ Germanorum præcipue congruere.

« Gothos non esse rudem barbaramque gentem, uti de his et aliis Germanis olim fama erat nunc que est hodie, jam Grimmius (*Gr.* XLVI [1ª edit.]) comprobavit; neque in perficienda lingua segnes fuisse jam confessi sunt mediolani speciminis editores, qui p. XII asserunt « *ætate Ulfilæ Gothorum sermonem jam tantum fuisse, ut cum cultioribus linguis certare posset.* » Hujus tamen confessionis adeo postea obliti sunt, ut Majus in præfatione ad tomum octavum *novæ collectionis scriptorum veterum* iterum « *barbariem linguæ* » gothicæ commemoret, et Castillionæus in annotationibus ad paulinas epistolas a se editas haud semel imbecillitatis et imperfectionis ut « *linguam rudem* » insimulet, immo semel asserat (ad Timoth. II, II, 16) in gothica lingua esse « *usum licet per se absurdum, tamen gothicis scriptoribus utpote in lingua adhuc rudi haud infrequentem.* » Adeo perdifficile est, ut qui alienæ gentis est de nostro sermone [3]

[1] Species instrumenti. *Interpr.*
[2] Veteres Daniæ incolæ. *Interpr.*
[3] Germanico. *Interpr.*

Digitized by Google

recte æstimare possit. Neque enim gothicæ linguæ vitio verti potest, quod nonnullis verbi formis careat, quibus alii sermones gaudent, cum eas constructionibus tam mire suppleat, multo minus, quod propria vocabula rebus et ideis non excuserit, populo prorsus ignotis; coll. goth. gloss. præf. Si igitur sermo iis indigeat vel pauper sit vocabulis, quibus marina designentur, non tam mirum est, quam fuisset, si gens iter per mare fecisset marique fuisset assueta; sed novum est indicium quod ab antiquis dicta de Gothis e Scandinavia emigrantibus eorumque navigationibus mera figmenta sint et fabulæ (vid. supra § 1). Quo enim pacto Gothi, quemadmodum septentrionales gentes sua *skipbrot*, *skipbrud*, *skeppsbrote*, ita *skipabruka* non formassent, si rem prius cognovissent? Præterea mirumne ulli videri posset, quod Gothi nullum vocabulum pro *nepote* habeant, hunc per *barne barna* exprimentes? Nullo enim alio modo significatur apud veteres linguas: vet. norv. *barnabörn*, dan. *bærnebærn*, suec. *barnbarn*, vet. sup. germ. *chindeschind*, *chindo chind*; etiam apud rec. sup. germ. *kindeskinder*, et cognatos sermones; quin immo apud Homerum *nepoti* nullum datur proprium vocabulum, sed æquivalenter exprimitur: παίδων παῖδες. Jam vero ex eo quod gothica lingua verborum ad civilem vitam pertinentium inopia laboret, Manso (*Ostgothen*, 135) Gothos in Italia pedem non firmum posuisse infert; sed hoc tantum deduci potest, quod Gothi, gens candidis moribus assueta facilique imperio subjecta, non eam linguam haberent, quæ Romanorum licentiam et vitia, decora et indecora prope infinita omnigenorum munerum exprimere potuisset. De cætero, quod certe negari nequit, si adhuc Longobardorum sermo ad efformanda nomina pene innumeralia munerum aptus est, cur hanc aptitudinem et Gothicus non habuisset?

« In eo gothica lingua potissimum præstat, quod synonymis ditissima sit; vocabula res et ideas omnino novas exprimentia efformare possit; possideat completas flectionis formas, et consequenter ea transponendi vocabula facultate gaudeat, qua, prosaicis auctoribus audaciam saxonicorum et borealium poetarum habentibus (Gr. *Gr.* IV, 552, coll. II, 920), poetæ gothici, sub isto saltem respectu, parum sint desiderandi; orthographiam habeat adeo determinatam, ut scribentis arbitrio nihil relinquat definiendum; denique alienæ litteraturæ scripta, immo abstractas sententias in se facillime converti sinat (Gr. *Gr.* XLVI 1ª edit.]; nostra prolegg. ad Ulfilam). Unde quod Ihre, Gloss. Suigoth I, 29 dicit: « *linguam gothicam adeo cultam et concinnam esse, ut elegantia nulli, ne græcæ quidem et latinæ quidquam concedat,* » verum est, quoad principium, quoad vero consecutionem, lingua diutius vivente, verum fieri potuisset.

« Utrum gothica lingua sit reipsa cognitu ita facilis, ut Majus et Castillionæus semel asseruerunt (*Spec.* VI: « *neque ulphilana lingua perdifficilis est, neque ejus primorem notitiam quivis etiam sine magistro non brevi obtinebit*), e majori minorive cognitione, quam comparare velis, consequitur; hoc tamen bene compertum habeas, quod plusquam cognitione inchoata opus est, ut quis sana mente de gothico sermone judicare possit.

§ 9. Quæ *grammaticales annotationes* de lingua gothica sive a veteribus sive a recentioribus conscriptæ sunt, eas retulit Massmannus (in Hauptii *Zeitschrift fur deutschen Alterthum* I, 298 sqq.); quæ vero *grammaticæ* e peculiari textus ulfilani studio ab ætate Junii vulgatæ sunt, eas Zahn (*Einleitung zum Ulfilas* p. 61 sq.) commemoravit, suo modo dijudicans. Grammatica quæ prima hujus nominis non indigna fuit, auctorem habuit Fuldan; primum vero sanæ doctrinæ corpus in germanica grammatica Grimmii reperies.

« De indigenis Gothorum grammaticis non novimus; et aliunde sermo brevioris fuit vitæ, quam ut corruptionis periculum adire potuerit, indigenarum grammaticarum causam communiorem. Gothicus alphabetus nonnullæque regulæ ad determinandam quorumdam sonorum prolationem primo inveniuntur apud *viennense manuscriptum* (Membran. Salisb. Nr. 140, olim Salisb. 71 fol. 20), quod Wilh. Grimmius (43° tomo *Jarhbucher für Literatur*, p. 5 sqq.) primo edidit, de quo vid. Massmannum l. l. 236 sqq.

« Tum a *Bonaventura Vulcanio* vulgatus est libellus, auctore anonymo, hoc nomine inscriptus: *De litteris et lingua Getarum sive Gothorum;* cui adjunctus est *Commentariolus de lingua gotthica*, Leyden 1597, vid. Massmannum l. l. 311 sqq., qui nonnulla e textu excerpta et annotationes in nonnullas litteras nonnullorumque vocalium rectam prolationem continet: idem etiam invenire est in Gruterii *inscriptionibus*.

« G. Hickes, *institutiones grammaticæ anglosaxonicæ et mœsogothicæ*, Oxford, 1689, 4 vol., quorum prius *Linguarum veterum septentrionalium Thesaurum* ejusdem auctoris continet, opus iterum editum, Oxford 1705, 2 vol. fol.

« Lambert ten Kate, *Gemeenschap tussen de Gottische Spracke en de Nederduitsche*, Amsterdam 1710, 4.

« Edw. Lye, *grammatica gothica*, cujus in præfatione *Sacrorum evangeliorum versio gothica* inducta est ab editore Benzelio, Oxford 1750, 4 vol. p. 59-62; hujus grammaticæ sommarium est Ow. Manning *Grammatica* (*Anglosaxonica et*) *Mœsogothica*, cujus 1ᵘᵐ vol. *Dictionarium saxonico- et gothico-latinum*, auctore Lye, continet, ab eodem Manning edit., London 1772, 2 vol. fol.

« Fr. Karl Fulda, *Ulfilanische Sprachlehre*, in 2° vol. *Ulfilas* a Zahnio editus p. 1-62.

« J. Grimm, *Deutsche Grammatik*, Gottingen 1819, 2ª edit., 4 vol.; item 1822-37; 3ª edit., 1 vol. 1840;

« De prolationis et formarum doctrina notandus est F. Bopp, *Vergleichende Grammatik*, Berlin 1833-42, 4 part.

« De Monographia laudandi sunt:

« Joh. von Ihre, *De verbis Mœsogothorum*, in Büschingii collectione *Scriptorum versionem ulfila-*

Digitized by Google

nam et linguam mæsogothicam illustrantium, Berlin 1773, 4° vol. p. 149-71.

« Ejusdem, *De nominibus substantivis et adjectivis Mæsogothorum*, 1769, ibid. p. 221-56.

« Alb. Wellmann, *Das Gothische adjectivum*, Stettin, 1835.

« Ad. Ziemann, *Gothisch hochdeutsche Wortlehre*, Quedlinburg, 1834.

CAPUT PRIMUM.

DE SCRIPTURA ET PROLATIONE.

A

DE SCRIPTURA.

§ 10. Gothica lingua viginti et quinque litteras (*bokos*) habet, quæ sequuntur :

𐌰	a	𐌹	i	𐍂	r
𐌱	b	𐌺	k	𐍃	s
𐌲	g	𐌻	l	𐍄	t
𐌳	d	𐌼	m	𐍅	v
𐌴	e	𐌽	n	𐍆	f
𐌿	q	𐌾	j	𐍇	x
𐍆	z	𐌿	u	𐍈	w
𐌷	h	𐍀	p	𐍉	o
𐌸	dh (þ)				

« § 11. Annotatio 1.—Adinventio gothicæ scripturæ Ulfilæ adscribitur : Philostorgius (*Hist. eccl.* 2, 5) eum vocat « εὑρετὴν γραμμάτων οἰκείων, » et Socrates (*Hist. eccl.* 4, 32) asserit quod « γράμματα ἐφεῦρε γοτθικά, » quod plures alii deinde repetierunt (vid. Waitz, *Leben des Ulfilas* p. 51). Crediderunt equidem, asserente Jornande, quia Bilsgineis scriptæ fuerant (vid. § 6), scripturæ artem etiam ante Ulfilam apud Gothos notam et usurpatam fuisse, et eruditis italis vix credibile videtur, quod linguæ iis pollenti dotibus, quas in suis operibus prodit Ulfilas, scriptura defuerit; si autem hæc ratiocinatio legitima esset, cum deinde Castillionæus (ad Philipp. 1, 18), ex eo quod gothica lingua futuro indigeat et interpretis oscitantiæ de passivo convertendo nimium relinquat, eam rudem barbaramque improbavisset, exinde legitime concludi posset, etiam ætate Ulfilæ nullam adhuc apud Gothos fuisse scripturam. Sed principium, quod organica sermonis perfectio e scriptura pendeat, nullo fundamento nititur (coll. W. Grimm. *Deutsche Runnen*, p. 45). Econtrario ostendit W. Grimmius cum multa argumentorum vi, jam in Bibliorum versione ideas *scribendi*, *legendi*, *litteræ*, *libri*, *plutei*, etc., indigenis nominibus designari, vid. ad § 18. Waitz equidem (l. l. 53) artem scripturæ apud Gothos jam ante Ulfilam retroferi; contendit autem, non eas litteras, quas induxit Ulfilas, sed runicas tunc in usum fuisse; conclusio sine scrupulo admittenda, ut quæ speciosam contradictionem monumentorum ante Ulfilam scriptorum, et scripturæ ab Ulfila adinventæ, de quibus factis, historice loquendo, nihil est cur dubitemus, apprime explicet.

« Jam vero ex tabula patet, gothicas litteras, nulla fere excepta, græcis latinisque plane congruere, ita ut nihil aliud fecerit Ulfilas, nisi has gothicæ linguæ accommodaverit. Hic vero quæretur, plerisque gothici alphabeti litteris græcis et latinis convenientibus, quemnam horum alphabetorum suum Ulfilas fecerit? Cuinam etiam alii alphabeto tribuendæ sint eæ litteræ, quæ sive forma sive significatione neutri græco latinove congruunt? Hic alphabetus ex omnium consensu runicus est, jam ante ulfilanam ætatem apud Gothos notus. Quoad primam quæstionem, Ihre (*Diss. de cod. argenteo et litteratura Mæsogothorum*) et W. Grimm. (l.l. 28 sqq.), ne gothicum alphabetum e pluribus aliis arbitrarie exceptum esse faterentur, asserunt eum primitus fuisse jam ante Ulfilam ex eodem fonte atque græcum et latinum haustum. Quam contra sententiam non tantum militat, quod, ut certa fama est, Ulfilas gothicam scripturam adinvenerit, sed etiam quod characteres ipsi ita latinis et græcis conveniant, ut ad propriam et absolutam eorum formam cogitare non liceat; et insuper quis est iste pristinus alphabetus, gothici simul, græci et latini parens? Eum equidem Ihre vocat pelasgicum, alphabetum nobis omnino ignotum; W. Grimmius nullum equidem affert, sed adeo inexpugnabilis est congruentia gothicarum litterarum cum græcis et latinis, ut fateri coactus fuerit græco-latinum alphabetum e contactu populorum in gothicum rursus influxisse, quo confesso quæstio regreditur, non solvitur. Verum punctum tetigere Waitz (l. l. 54 sqq.) et Baumlein (*Untersuchungen über*, etc., *die Entstehung des gothischen Alphabets*, 97 sqq.), qui græcum alphabetum ut gothici typum habent, licet e latino et, fateri debemus, runico quosdam characteres Ulfilas mutuatus erit. Ea erat etiam Jacobi Grimmii sententia, cum in præfatione ad servicam grammaticam Wuki Stephanowitsch p. x dicit : « *Ulfilas legte seiner Arbeit das griechische und lateinische Alphabet mit Zuziehung runischer oder willkürlicher Zeichen für die besondern Laute gothischer Sprache unter*, » id est, Ulfilam opus suum instituisse ex græco et latino alphabeto, quibusdam signis e runico vel arbitrarie exceptis, ut peculiares gothicæ linguæ soni scriptura repræsentaret; sed vir doctus contrariam sententiam recenter admisisse videtur, dicens (*Deutsche Grammatik* I, 25 [3ª edit.]): « *In gothische Alphabet sint griechische und lateinische Buchstaben unter runische genommen verden*, » id est, in gothico alphabeto græcas et latinas litteras inter runicas exceptas fuisse.

Digitized by Google

« Jam vero si quis absque partium studio gothicas litteras consideraverit, persuasum habebit ad græcum alphebetum pertinere : Α, Β, Γ, Θ, Ζ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Π, Τ, Υ, Ω, Χ; ad latinum : Α, U, h, F, S, F, ita tamen, ut e prioribus plures etiam latinæ sint, ut : Α, Β, Θ, Ι, Κ, Ν, Τ; ad gothicum tandem proprie spectant, sin forma, saltem significatione : Ψ et Θ e græcis Υ et Θ; Ç et Ʀ e latinis G et R; si hæc ultima littera formæ latinæ cursivi n minus congrueret, extranea esse posset vel forsan indigena (vid. § 12). Runico autem nihil remanet adscribendum. Offensi sunt plures ex eo quod Ulfilas ex arbitrio quædam signa elegisse assereretur; sed merito cogitari potest eum imprimis voluisse, ut suæ linguæ soni cum alienis signis quam maxime congruerent; porro quibusdam characteribus sonis non respondentibus et aliis sermonibus nonnullos sonos gothico proprios non habentibus, hæc signa legitime pro libitu suo mutuari potuit, in hoc potius laudandus quam vituperandus. Etiam in quærendis characteribus ad certos sonos accommodatis conati sunt Simonides et Epicharmos pro græco alphabeto, Cæsar Claudius, pro latino (vid. Schneider, *Formenlehre der lat. Sprache* I, 4 sqq.), Chilpericus, pro Francorum alphabeto (Gregor. Turon. *Hist. Francorum* V, 45) et imprimis Cyrillus slavicum alphabetum e græco deducens.

« Cum gothica scriptura etiam post Gothorum tempora commemoratur, non credendum est eam esse, quæ in gothicis scriptis usurpatur. Gothica enim in Hispania vocabatur scriptura, quæ alibi sub nomine *toletanæ* indigitata, e gothicis et latinis litteris commista est, et a Francis assumpta (Aschbach, *Gesch. der Westgothen*, 353 sq.), concilio leonensi (1091) abrogata est. Necnon et in Italia runica signa improprie gothica nuncupata sunt, vid. Massmannum, *Skeir.* pag. XV et Hauptii *Zeitschrift für deutsches Alterthum* I, 377. Quod autem gothica scriptura in Italia asservata fuerit, et bresciana inscriptio primæ tabulæ in *Specimine Ulfilæ partium ineditarum* hac eadem fuerit conscripta, hoc unico superstite monumento, stabiliter affirmari nequit, coll. Grimm. *Jahrb. der Lit.* XLIII, 21. »

§ 12. Annotatio 2. — Quod ad *formam*, *habitum* et *potentiam* litterarum attinet, erroneam Maji conjecturam (*Spec.* XVI) prius notare debemus, quod scilicet Ulfilas *majorem* et *minorem* alphabetum adinvenerit. Equidem in codicibus litteræ majori minorive sunt statura, prout quam sedem occupant; sic majoribus litteris conscripta sunt initia capitum et versuum; minoribus vero, ubi textus extra lineam determinatam in margine conscriptus est. Sed utræque litteræ ejusdem sunt typi. Potiori jure, et ea forsan erat Maji sententia, distinxit Massmannus (*Die gothischen Urkunden von Neapel et Arezzo* p. 6 seq.) scripturam rectam atque solidam ad manuscriptos codices, libros et inscriptiones usurpatam, alteram vero inclinatam et cursivam ad usus vitæ quotidianos. In eo prior, ait vir doctus, a posteriori discrepat, quod nonnullæ litteræ, etiam absolutæ, majores calami ductus admittant, dum in scriptura cursiva minori delineamento exarantur. Quod præter Α et α, de Ψ dicendum est. Hac scriptura cursiva etiam conscriptæ sunt glossæ et annotationes in manuscriptis codicibus, vid. tabulam ad Massmanni Skeireins, exceptis eis in codice argenteo existentibus, quæ rectis solidisque, sed minoribus, licet pulchris sæpe, et a scripturæ textus distinctis litteris scriptæ sunt; nonnullæ tantum, ut quæ ad Luc. VI, 27 et XVI, 13 pertinent, cursivam scripturam præbent, unde constat, eas sive diverso tempore, sive manu diversa fuisse conscriptas.

« Quod ad diversum habitum quem nonnullæ litteræ in codicibus diversis præ se ferunt, nihil certi olim conjici potuit, quia deficientibus facsimilibus, meræ delineationes, sæpius infideles, præsto erant. Nunc vero facta sunt facsimilia omnium codicum : mediolanorum a Majo et Castillionæo, viennensium a W. Grimmio, Skeireinsis et neapolitani documenti a Massmanno, codicum argentei et carolini a nobis, qui inde tabulam exscriptam instituimus.

« Nunc vero de nonnullis litteris sint sequentes animadversiones :

« Α Vid. infra § 13.

« Ii est neque, ut voluit W. Grimmius, Græcorum *koppa* (vid. ad § 13), neque, ut contendit Lye XXXIX, Runorum *kæn* (ᚴ), quæ nonnisi in posterioribus latine donatis cum eo congruunt, sed Latinorum q. Nec latine transcribi potest *qu*, habita forsan ratione analogiæ cæterarum dialectorum (Grimm. *Gram.* I, 3), cum nusquam adsit in gothico sermone duplex sonus (*kw*), quem Ulfilas *kv* in *Akvila* adeo transvertit.

« Ψ Nullo fundamento nixus conjecit Lye (*Gram. goth.* XXIX), quod Ψ ex conjunctis Τ et Η evasisset, ita ut proprie fuerit ΤΗ, unde Ψ et denique Ψ; vel ex duobus ex adverso positis Δ (⧅). Neque verius est, hanc litteram ex eo originem duxisse, quod semicirculus linea transversali figeretur (W. Grimmius, *Runen* 44); nam duo cornua diversis apicibus efformantur (vid. Tab.). Datur et alia hujus litteræ forma, qua, cornibus ad superiorem partem conclusis, græco Φ assimilatur (W. Grimm. *Wien. Jahrb.* XLIII, 5). Nec runico signo ᚦ forma congruit gothicum (W. Grimm. *Runen* 44; J. Grim. *Gram.* I, 3), licet in manuscriptis codicibus scriptura latina conscriptis illud pro Ψ usurpetur. Ψ forma idem est atque græcum Υ (ps); sed Ulfilas pro *ps* illo non utitur, duplicem consonantem duplici signo reddens; cum autem nec in græco nec in latino alphabeto characterem gothico *dh* respondentem inveniret, illud huic sono accommodavit. In visigothicis monetis pro græco Θ gothicum Ψ occurrit in CINDASVINΘVS et ЯGGCGSVINΘVS (vid. apud Aschbach 360), quia verisimiliter his posterioribus Gothis purus sonus *dh* sensim deperditus erat, cujusin locum *th* et, ablata aspiratione, *t* intrus sum fuit, sicut horum nominum terminationes etiam probant. Theodoricus Ostrogothorum rex, edicta sua subscribere debuit ΨЄΩΔ (vel ΘЄΩΔ),

Digitized by Google

nam Anonymus Valesianus apud Muratorem (*Antiq. Ital.* II, 305) expresse dicit: « *Theodoricus illiteratus erat et sic obrute sensu, ut in decem annos regni sui quatuor litteras subscriptionis edicti sui discere nullatenus potuisset, de qua re jussit laminam auream interrasilem fieri, quatuor litteras regis habentem* THEOD, *ut, si subscribere voluisset, posita lamina super chartam, per eam penna duceretur, et subscriptio ejus tantum videretur.* » Cum autem his verbis asseritur regem quatuor tantum litteris subscribere, THEOD autem quinque constare, infelicius conjecit Reiske *ad Constant. de Cærim. aul. byzantin.* p. 140, edit. Lips., loco THEOD aliquid aliud, forsan LEGI, legendum. Hinc facile solvitur Massmanni quæstio, *Skeir.* præf. p. x**), utrum Theodorici sigillum scripturam gothicam contineret.

« Ï et I in eo sunt discriminanda, quod prius incipiente, posterius medio et desinente vocabulo usurpetur, vid. ad § 17.

« Ⅽ, est G Latinorum. Librarius codicis viennensis (vid. § 9) Ⅽ et ᖴ habet et usurpat pro eadem littera, ea tamen discrepantia, quod prius, latinum, debile *i*, posterius, græcum, asperum G valeat; deinde, ut prolationem gothicorum sonorum ignotorum determinet, vocabula cognitæ prolationis affert *genuit* et *Gabriel*, ut ita dicere intendat: ubi debilior est prolatio, ut in *genuit*, gothicum Ⅽ; ubi vero asperior, ut in *Gabriel*, ᖴ adhibetur. Eodem modo rem intellexerunt W. Grimmius et Massmannus, quorum prior in viennensi *Jahrb.* p. 13, posterior in Hauptii *Zeitschrift* p. 299, affirmant quidem hoc exemplum *genuit* rei nullam afferre lucem, seque malle vocabulum per J incipiens, ut, forsan, *judaius*. Hoc etiam obiter dicendum est, immerito Lye p. XXXIX, Ⅽ pro græco ι accepisse ideo, quod goth. *iskarjotes*, græco Ἰσκαριώτης responderet; et Ihre p. 202 (edit. Büsch.) eum ieni sibilantis sono illud proferendum asseruisse, qui eruditus vir in hoc conjiciendo ξ eamdem sedem occupans in alphabeto græco atque Ⅽ in gothico ante oculos verisimiliter habuit.

« Π, si e latino *n* non deducitur, proprium esset gothici alphabeti signum; sed nemo sane negare potest, hoc runico *Ur* (ᚢ) similius esse, quam ut unum et idem non asseratur, præeuntibus Lye p. XXXIX, Grimmio, *Runen* 43, et Waitzio, l. l. 52. Cæterum altera prolatio causa est, cur græco-latinum O pro sono *u* non electa fuit: forma enim latina U pro vocali usurpata nondum a consonanti V discriminabatur.

« S pro sua pristina forma latinum est; forma ᖵ proxime accedens ad græcum C, in recentiori scriptura ad cursivam propinquanti primum occurrit, vid. Massmannum, *Skeir.* X, ubi etiam angulosum ᑕ, vid. viennense *Jahrb.* 9.

« Ⅴ est neque anglosaxonicum ƿ (Lye XL), cujus a forma longe differt, neque runicum (Grimm. *Runen* 44), sed græcum Υ (Grimm. *Gram.* I, 42, 57; Waitz. 52).

« ᖴ est Latinorum F; Grimmius quidem (*Runen* 41) hoc habet tanquam digamma æolicum: sed obstat, quod istud aliam atque gothicum *f* habeat prolationem, quam aliunde novit Ulfilas, υ usurpans, ubique vocabula græca digammate proferenda essent. Si autem Ulfilas nullum signum latino alphabeto mutuatus esset, gothicum ᖴ ut runicum ᚠ eo magis haberetur, quod latet, cur græcum φ pro sono F potius non elegerit, cum græc. φ semper hoc signo transcribat, ex. gr.: *Filippus*, Φίλιππος; *Fygaikus*, Φύγελλος; *Filemon*, Φιλήμων; *Nymfa*, Νυμφᾶ, etc.

« Θ Licet in eo omnes consentiant, quod ad ignotum alphabetum hoc signum pertineat, at Waitzius saltem asserat hoc non esse græcum, cum tamen jam perspectum habuimus, Ulfilam græcas litteras, quibus in sua lingua nullus sonus respondebat, ad designandos alios sonos gothico sermoni proprios usurpavisse, nihil obstat, quin dicamus Θ Gothorum non proprium esse signum, sed tantummodo ϑ Græcorum. Nemo insuper non videt, quod Ulfilas in suo alphabeto græca Υ et Θ intervertierit, id est, goth. ƿ in locum græc. Θ et goth. Θ in locum græc. Υ subdiderit.

« Ω, auctore W. Grimmio (*Runen* 43), runicum est; sed hoc ᛟ (*adil*) codicis viennensis (*Wiener Jahrb.*), pertinet, ut alia, ad scripturam lineolis luxuriantem, quæ ut exemplar proponi nequit; aliunde danicus sonus (*ø*) gothico (ö) minime congruit; Ω igitur, invenientibus Lye XXXIX, et Waitzio 52, est potius ω Græcorum. Θ huic signo omnino simile occurrit etiam in inscriptione adumbrata apud Grotefend, *Alfitalien* V, tab. II, 4. »

« § 13. Annotatio 5.— His viginti et quinque litteris addantur duo episemata, scilicet:

« 1) Ⴓ Quamvis hoc signum nusquam ut littera, sed tantum ut cifra in codice argenteo appareat, hoc tamen Ihre (p. 205 edit. Büsch) habet ut vera littera, quam, quemadmodum russico characteri *tsk* (tsch) valenti forma convenit, ita et potentia convenire contendit. Sed contra militat, quod nunquam Ulfilas duplicem sonum unico signo reddiderit, et in tota gothica scriptura compositus sonus *tsk* nusquam appareat. Quam conjecturam Ihrei licet jam a Zahnio in annotationibus ad gothicum alphabetum gothicæ grammaticæ Fuldæ præpositis ut merum figmentum explosam, de novo, alio tamen modo exagitavit W. Grimmius (*Wien. Jahrb.* p. 7), in hoc signo litteram, et quidem *dh* valentem iterum agnoscens; sed huic sono respondet ƿ, ut infra (§ 50) ostendetur. Neque Jacobo Grimmio (*Wien. Jahrb.* p. 40) displicebat, ⴓ litteram esse, negabat autem vir ille doctus, quod ad gothicum alphabetum hæc littera necessario pertineret, eam adscribens ad alphabetum ex quo ille prodierat; confert equidem slavicum; hanc vero litteram non esse dentalem, sed gutturalem contendit. Utcunque se habent ista, signum de quo nunc agitur, non est gothica littera, sed tantum numeralis nota, 90 valens, koppa Græcorum, vid. Schneider, *Formlehre* I, 322; Matthiä *Griech. Gram.* I, 22; Buttmann, *Griech. Gram.* I, 12. Inde W. Grimmius græco koppa gothicum ᑌ infelicius assimilavit, quod latino *q* proprie respondet. De cætero ᑌ et ⴓ eodem modo inter se convenire, atque græcum kappa et koppa, nemo est

Digitized by Google

qui neget. Adest etiam, auctore Grimmio (*Wien. Jahrb.* 7 et 41), alia forma τοῦ Ϡ, quod, ubi ejus ansula ad exteriorem partem inclinata altius producta esset, et hasta magis ad lævum protracta, Ψ evadit, cumque nostro ϥ commutatum est; sic eo habitu donatur in viennensi codice et in visigothica moneta, ubi GONVGMAR pro *Gondemar* legitur (vid. Aschbach 359). Sed nihil est commune hoc signum inter et episema ϥ.

« 2) ↑ In ulfilana versione Novi Testamenti hoc signum non occurrit; sed apud Esdram II, 36, numero 900 per numerale vocabulum *niunhunda* expresso, optimo jure conjecit Castillionæus, *Spec.* p. 2, dubitandum esse, an apud Gothos pro numero 900 peculiare signum fuerit; neque enim in vaticano alphabeto reperitur (*Wien. Jahrb.* p. 4). Primum ut numerale signum apparuit in viennensis codicis serie numerica, quam W. Grimmius (*Wien. Jahrb.* 16 sq.) e primo Moseos libro excerptam merito conjecit, coll. prologg. col. 464 (Massmannus, in Hauptii *Zeitschrift* p. 305, se hanc agnovisse in Ezechiele et libris Macchabæorum asserit). Cæterum hoc signum Græcorum est *Sampi*, vid. Buttmann, *Griech. Gram.* I, 12; II, 378; Matthiä, *Griech. Gram.* I, 22 sq.; Bockh. Staatsh., *der Athener* I, 386, et in hac forma, græco alphabeto verisimiliter excerpta, jam in tabula apud Ihre (ad pag. 200 edit. Büsch.) et in alphabeto græco viennensis codicis occurrit.

« Nunc vero mirum est, quod Ulfilas, postquam duo supra memorata episemata Græcis mutuatus erit, et tertium, *bau* scilicet vel *vau*, numerum 6 valens et formæ S, non receperit (coll. Ihre, p. 210 edit. Büsch.); sed in locum hujus signi suum *q* subdiderit, quo numerus sextus significaretur. Unde patet, Ulfilam, in componendo alphabeto, arbitrium consuluisse. »

§ 14. Annotatio 4. — Quoad *potentiam numericam* litteræ gothicæ et episemata valent, ut sequitur :

𐌰	1	𐌹	10	𐍀	100
𐌱	2	𐌺	20	𐍁	200
𐌲	3	𐌻	30	𐍂	300
𐌳	4	𐌼	40	𐍃	400
𐌴	5	𐌽	50	𐍄	500
𐌵	6	𐌾	60	𐍅	600
𐌶	7	𐌿	70	𐍆	700
𐌷	8	𐍀	80	𐍇	800
𐌸	9	𐍁	90	↑	900

« Hæ litterarum potentiæ innotescunt e diversis Bibliorum versionis, Skeireins et documentorum locis, in quibus numeri litteris designantur; sic : *a* (1) Neh. v, 18; *b* (2) Joan. vi, 9; Skeir. VII, d; *g* (3) Esdr. II, 55; *e* (5) Joan. vi, 9; Skeir. VII, a, d; *q* (6) Neh. v, 18; *h* (8) Esdr. II, 16; *i* (10) Neh. v, 18; *ib* (12) Mth. ix, 20; Skeir. VII, c, d; *id* (14) Cor. II, 12; ? Cod. A. *iz* (17) Esdr. II, 39; *k* (20) Joan. vi, 19; *l* (30) Mc. iv, 8; *m* (40) Skeir. VII, d; Neh. v, 15; *me* (45) Esdr. II, 8; *n* (50) Neh. v, 17; *nb* (52) Esdr. II, 29; *j* (60) Mc. iv, 8; Docum. neap.; *jq* (66) Esdr. II, 14; *u* (73) Esdr. II, 36; *ud* (74) II, 40; *ye* (95) II, 20; (100) Mc. iv, 8; *rib* (112) Esdr. II, 18; *rk* (120) Docum. neap.; *rkb* (122) Esdr. II, 27; *rkg* (123) II, 21; *rkh* (128) II, 23; *rlg* (133) Docum. aret.; *rmq* (146) Esdr. II, 22; *rnq* (156) II, 30; *rnh* (158) II, 24; *skg* (223) II, 19; *sms* (247) II, 38; *snd* (254) II, 31; *t* (300) Joan. xii, 5; *tk* (320) Esdr. II, 32; *tlg* (333) II, 17; *tme* (345) II, 34; *tnd* (454) II, 15; *xib* (612) II, 26; *xkg* (623) II, 11; *xl* (630) II, 35; *xmb* (642) II, 10; *xjq* (666) II, 13; *wke* (725) II, 33; *wmg* (743) II, 25; *wj* (760) II, 13; *wuq* (776) II, 12. Innotescunt insuper e fragmento Calendarii gothici, in quo numeri a 1° ad 30ᵐᵘᵐ reperiuntur (vid. *Goth. gloss.* præf.); e numeris marginalibus, quibus sectiones codicum designantur, addito quod in codicis argentei margine etiam loca parallela cæterorum evangeliorum notantur, vid. Castillionæum, *Spec.* xix ad Corinth. II, 1, 3, et imprimis nostra prolegg. ad Ulfilam; denique ex reclamationibus (gall. *réclames* ou *signatures*), quibus in manuscriptis numeri quaternionum indicantur, Massmann. *Skeir.* 57. Notandum est etiam librarium, Cor. I, xiv, 26, in vocabulo, quod male prius scripserat 𐌰, et in altero, quod præire debebat, 𐌱 superposuisse, vid. Castil. ad h. l.: nec non et alphabetus vaticani codicis (*Wien. Jahrb.* p. 4) numeros juxtapositos ad 𐍀 usque continet, ultimo ↑ omnino deficiente.

« Ut autem litteræ numerales ab aliis discrimen habeant, *a*) illas super lineæ ‾ vel ‾, eodem modo ac in græcis codicibus (vid. Bast, *Comment. palæogr.*, p. 850 in Schaferii editione *Gregorios Korinthios*) ducuntur, et tunc deficiunt puncta diacritica τοῦ i, ex. gr. : 𐌴 5, 𐌹 10, 𐍀 100, etc.; quandoque etiam subter, ut in subscriptione Viljarith neapolitani documenti : 𐌾; *b*) figitur insuper punctum ante et post litteram, communius unicum, ex. gr. : ·𐌱· 2, ·𐌼· 40, ·𐌹𐌱· 12 etc.; in neapolitano autem documento duplex, ex. gr. : in subscriptione Sunjafrithas :𐌾: 60, :𐍀𐍁: 120. Loco punctorum Viljarith adhibet *c*) parvulos uncinos : ⸢𐌾⸣, ut etiam Gudileb in aretino documento : ⸢𐍀𐌰𐌲⸣. Similibus uncinis reclamationes (gall. *réclames* ou *signatures*) includuntur : ⸢𐌴⸣, vid. Massmann. *Skeir.* 57. Ufitahari singulas litteras duplicis numeri eo modo notat :𐍀𐍁, et Viljarith eas puncto separat : ⸢𐍀·𐍁⸣ ; in quo etiam animadvertas quasi virgulam unicuique litteræ supposita. Ex diversis numerorum indicandorum modis in viennensi codice (*Wien. Jahrb.* p. 11) patet, eos diversis fontibus adscribendos esse; prior series sic se habet : 𐌿𐌰 (130), 𐍈𐌶 (807), 𐍈𐌼 (840), ↑𐌹𐌱 (912), et W. Grimmius p. 16 eos e Geneseos libro excerptos esse probavit; posterior autem series lineæ ductu gaudet : 𐌾 (60), 𐌰 (30), 𐍅𐍃 (590), 𐌻 (70), 𐍊𐍃 (890). »

« § 15. Annotatio 5. — « Potentia numeralis litte-

Digitized by Google

rarum earum *ordinem* in alphabeto etiam indicat; qui ordo idem se habet, in quo litteræ § 10 fuerunt instructæ. Hæc porro *instructio* reperitur in alphabeto vaticano dicto § 14, in alio alphabeto viennensis codicis N° 140, fol. 20ᵇ (*Wien. Jahrb.* 5 sq.), et ibidem juxta runicum alphabetum gothice scriptum, qui tamen ulterius quam u non progreditur (*Wien. Jahrb.* 1 sq.); eodem ordine Ihre in tabula ad p. 200 edit. Büsch. gothicas litteras instruxit. Ad normam alphabeti latini, quem serius in septentrione etiam imitati sunt in ordinando runico, instructus est gothicus alphabetus in alia viennensis codicis serie : 𐌰, 𐌱, 𐌲, 𐌳, 𐌴, 𐍆, 𐌷, 𐌹, 𐌺, 𐌻, 𐌼, 𐌽, 𐌿, 𐍀, 𐍁, 𐍂, 𐍃, 𐍄, 𐍅, 𐍇, 𐍈, 𐍉; cum litteræ 𐌸 et 𐍈 ignotæ originis librario essent, ad finem ab eo rejectæ sunt; quoad 𐍉, ut *w* habitum esse videtur. Arbitrarie ab Hickesio p. 1 ordinata sunt signa Gothis propria : 𐌰, 𐌱, 𐌲, 𐌳, 𐌴, 𐍆, 𐌷, 𐌹, 𐌺, 𐌻, 𐌼, 𐌽, 𐌿, 𐍀, 𐍁, 𐍂, 𐍃, 𐍄, 𐍅, 𐍇, 𐍈, quem ordinem assecuti sunt etiam Lye, p. XXXIX et Zahn ad frontem fuldanæ grammaticæ, hoc tamen animadverso, quod posterior episema 𐌶 𐌸 inter et 𐍂 posuerit. Massmannus autem ordinem omnino peculiarem adhibuit in glossario ad Skeireins, scilicet : 𐌰, 𐌱, 𐌳, 𐌴, 𐍆, 𐌲, 𐌷, 𐌸, 𐌹, 𐌺, 𐌻, 𐌼, 𐌽, 𐍉, 𐍀, 𐍁, 𐍃, 𐍄, 𐍅, (𐍇), 𐍈, (𐍊).

« § 16. Annotatio 6. — Gothicarum litterarum *nomina* ad nos usque non pervenerunt, cum lingua ab indigenis grammaticis non fuerit elaborata. Unicum tantum nomen in bibliorum versione occurrit, scilicet *jota*, Mth. v, 18, atque etiam græcum est. Quod insuper 𐌱 *bi* nuncupetur, mera est Benzelii ad Matth. II, 2 conjectura; neque meliori fundamento Ihre p. 210 edit. Büsch. asserit 𐍅 *bau* vel *vau*, et Lye p. XXXIX 𐌷 *chon* vocari. In viennensi quidem alphabeto (*Wien. Jahrb.* 5 sq.) suum cuique litteræ nomen exhibetur, scilicet :

𐌰	*aza*	𐌷	*chozma*	𐍃	*sugil*
𐌱	*bercna*	𐌻	*laaz*	𐍄	*tyz*
𐌲	*geuua*	𐌼	*manna*	𐍅	*uuinne*
𐌳	*daaz*	𐌽	*noicz*	𐍉	*utal*
𐌴	*eyz*	𐌿	*uraz*	𐍇	*enguz*
𐍆	*fe*	𐍀	*pertra*	𐍈	*ezec*
𐌶	*gaar*	𐍁	*quetra*	𐍊	*uuaer*
𐌷	*haal*	𐍂	*reda*	𐍋	*thyth*
𐌹	*iia*				

Sed quam miræ et obscuræ horum nominum sunt formæ! Nam etiamsi omnes W. Grimmio (*Wien. Jahrb.* p. 19) concinerent, nos tamen nunquam ejus conjecturam, quod hæc nomina gothicum sapiant, admittere possemus, multo minus cum eo dicere, eorum librarium gothica calluisse lingua. Jacobus Grimmius (ibid., p. 41) in slavico sermone quærit, quo hæc difficilia nomina illustret, et quantumvis mira atque inaudita illi nonnulla videantur, ea tamen gothicas litteras reipsa designare, asserere non dubitat. Sed cuinam vel probabile erit, quod gothicarum litterarum nomina, pluribus sæculis ab extincta lingua elapsis, ad tempus quo scripta sunt traditione servata fuerint? Cæterum quæcunque de hac re cogitentur et judicentur, certum est tamen hæc nomina adeo esse deformata, ut vel habitum gothicum non jam habeant, neque J. Grimmio ipso, neque Massmanno (in Hauptii *Zeitschrift* p. 301), licet ingeniosissime excogitaverint, aliquid recti conjicientibus. Nihil tutius de his nominibus dici potest, nisi quod elementum *germanicum* adhuc præseferant, coll. Waitz. p. 52 ». »

§ 17. Annotatio 7. — Quod ad *signa lectionis* pertinet, sequentia sunt notanda :

« 1) *Diacritica signa.* Hujusmodi tantum sunt puncta super ĭ initiale posita, vid. Lye XXXIX; Maj. Spec. XX. Hæc communissima designatio gothicæ linguæ omnino est propria; si enim et in manuscriptis græcis recentioris epochæ duo appareant puncta super ι posita, ea ita sunt usu particularia, ut in aliis super ι tantum initiale vocabuli, in aliis super alium, in aliis tandem punctum diæreticum inserviat, vid. Bast, *Commentationem palæograph.* p. 718 sq. Judice Lye, secundum gothicæ linguæ indolem ĭ pungitur in pluribus bibliorum manuscriptis, ex. gr. in codice alexandrino, cantabrigiensi, colbertino, etc., nulla tamen sequente consecutione. Ex deficiente puncto in *akaikus*, *gaius*, *ĭudaiviskē* probatur, quod Gothi *ai* ut sonum unicum haberent, Græcis hunc semper divisum proferentibus, ut etiam nunc Ἀχαϊκός, Γάϊος, ἰουδαϊκός scribitur. Nos vero hoc *gaius* Rom. XVI, 23; Cor. I, 1, 14 incorrecte olim scriptum, in hac editione sedulo emendavimus. Immerito *ymainaĭus* Tim. II, II, 17 a Castillionæo scribitur, quod tribus punctis ι superscriptus erat; tamen secundum Tim. I, 1, 19 *ymenaius* legendum est.

« Diæreticum punctum spectaretur in *au*, ubi hæ vocales duplici sono emittuntur, ex. gr. in *laudeikaia*, Col. IV, 13, 15, 16, quod græco Λαοδικεία respondens, *la-u-deikaia* legendum est.

« 2) *Interpunctionis signa.* Ut regula haberi potest, quod simplici puncto minores, duplici autem majores interpunctiones indicentur, Lye p. XL; Ihre p. 193 edit. Büsch.; Castill. Spec. XIX; Masmann. *Skeir.* p. 58. Hæc autem interpunctio nullam trahit consecutionem, cum sæpius hæc signa absque necessitate et etiam invito sensu usurpentur. Post majores interpunctiones spatium vacuum relinquitur (Massmann. p. 57), dum alias verba sibi nullo intervallo succedant; vel etiam nova linea inchoatur, quo in casu, litteris initialibus, quæ majusculæ sunt, signum ⸗ in codice argenteo, vel ¬ in codice carolino superdelineatur. Ut explicatoria nota occurrit minor interpunctio Cor. II, IV, 4, ubi *in þaimei guþ. þis aiwis* legitur, quo puncto librarius significabat, *guþ þis aiwis* non conjunctim esse legendum.

« 3) Vocabulum, in duobus lineis scribendum, non ex etymologiæ principiis partitur, sed arbitrarie et pro spatio dividitur (Massmann. *Skeir.* 58 sq.); nonnisi autem rarissime peculiari signo (*partitoria nota*, equiv. gall. *trait-d'union*) partitio vocabuli indicatur : sic nullum occurrit in codice argenteo, in Skeireins primus Castillionæus, codicem de novo

revisens, in quodam loco signum - in fine prioris lineæ positum (quemadmodum apud nos mos est) III, a (fol. 25, a, 1) eo modo *jai- nar* animadvertit; in aliis vero locis idem signum ad eumdem finem usurpatur, non autem in fine prioris lineæ, sed initio sequentis positum, vid. Castillionæum ad Tim. I, I, 1, ubi scribitur *ve -nais*.

« Et aliud signum Col. IV, 7 occurrit, quod Castillionæus habet «ut *duplex magnum comma inversum.*»

« Hoc ultimum signum si invertatur, quasi comma alteri suppositum factum ⁒ in Phil. IV, 12 occurrit, ut, quam syllabam librarius scribendo omiserat et super lineam restituit, interponendam esse indicet, *signum interpositionis*, cujus loco in Skeir. IV, d signum ⁒ vocabulo includendo præponitur.

« 4) *Signa* quibus *citata loca* a textu discrepent (*antilambda*, gall. *guillemets*), vel sunt simplices uncini (ʃ) vel duplices (ʃʃ), qui lineæ cuique, textum citatum continenti, in margine præponuntur, Ihre, p. 190 edit. Büsch.; Massmann. *Skeir.* 58; ultimo modo indicantur in græcis manuscriptis loca poetarum laudata vel textui intermixta, vid. Bast. *Comment. palæogr.* p. 859. In Skeireins, ubi simplex antilambda usurpatur, ad primam lineam etiam ‾, ad ultimam vero signum inversum ‿ additur. In Skeireins VIII, c, ubi versus non ad integrum citatus occurrit, etiam simplex adhibetur uncinus ad finem lineæ positus, qua versus interrumpitur.

« 5) *Abbreviationis signa.* Jam vero

a) alia pro certis litteris adhibentur, nempe ‾ vel inversum ‿ pro *n*, et ‾ vel ‾ pro *m*, Ihre p. 191 sq.; Massmann. *Skeir.* 58; quæ signa in fine lineæ potissimum usurpantur, cum scilicet illis litteris spatium defuerit; ponuntur tamen et in medio, ut Mc. VIII, 43 *gavādjands*, Skeir. VI, a *mizinan*. Quoad sedem, communius exarantur super vocalem, post quam littera deficiens legenda est; rarius autem, in fine lineæ, post ipsam. Neque non frequenter hæc signa vel a librario neglecta, vel in manuscriptis deleta sunt, unde sæpius accidit, quod ‾ et ‾ commutata fuerint, vid. ad Mth. XXVII, 7; Mc. II, 12; Luc. VII, 25.

« *b*) Alia vocabulum epitomatum esse indicant, scilicet communius ‾, ‾ vel ‾, ultimo etiam in græcis manuscriptis usurpato, vid. Schäfer et Bast ad *Gregor. Kor.* p. 116, 295, 785 sq., 815; rarius autem uncinus › vocabulo epitomato ante- et postpositus, ut ᚴᚱᚾᛁ, in docum. neapol., pro *diakaun*. Regulariter epitomantur vocabula *guþ*, *ïesus*, *xristus*, *frauja*, vid. Gordon, *Spec. animadv. crit. in priscam evangeliorum vers. goth.*, p. 52 ap. Büsch.; Knittel, *Ulfilæ versio epistolæ Pauli ad Rom.* p. 321; Castill. *Spec.* p. XIX; Massmann. *Skeir.* p. 58, et equidem eo modo $\overline{gþ}$, $\overline{gþs}$, $\overline{gþa}$; $\overline{ïs}$, $\overline{ïuis}$, $\overline{ïua}$, $\overline{ïu}$; $\overline{xs}$, $\overline{xaus}$, $\overline{xau}$, $\overline{xu}$; $\overline{fa}$, $\overline{fins}$, $\overline{fin}$, $\overline{fan}$. Ex his compendiis ea quæ ad *xristus* et *ïesus* spectant, diu sola fuerunt merito agnita, licet incorrecte *ïaisus* scribatur. Signo autem compendii deleto vel non apparente, ïs et $\overline{ïs}$ ab editore, et forsan quandoque ab ipso librario commutata fuerunt, vid. ad Mc. I, 42. Præsente signo compendii, deficiunt puncta diacritica τοῦ ι. $\overline{Guþ}$, quod alias *goþ* scribitur, primus judiciose conjecit Lye p. XLIII; in $\overline{fa}$, quod alias *fan*, *fanins*, etc., legebatur, veram lectionem Gordon l. l. suspicatus est, vid. Zahn ad Mth. V, 33. In Skeireins, nulla fere exceptione data, punctum compendiis $\overline{gþ}$, $\overline{gþs}$, $\overline{fa}$, $\overline{fins}$ a tergo figitur; non autem compendio $\overline{gþa}$, vid. Masmann. Skeir. 58 *. Abest compendii signum a $\overline{gþs}$ tantummodo in *Skeir.* II, c, quia vocabulum omissum superscribitur, quo nulli signo relinquitur locus. In compositis autem hæc vocabula non epitomantur (vid. Castill. ad Timoth. I, I, 8); neque *guþ*, quando falsum deum significat, ut Joan. X, 34; neque *frauja*, quando non de Deo, sed de domino terrestri usurpatur, vid. glossar. v. *Frauja*, ubi laudatis locis etiam Col. (III, 22) IV, 1 addendus est; neque tandem *ïesus*, quando non Christi, sed aliorum virorum nomen est, ut Col. IV, 11; Esdr. II, 36, 40.

« *c*) Nonnisi raro occurrunt sequentes abbreviaturæ :

ᛁᚩᚻ pro *ïohannes* in porticis (vid. tabul. I^am^) textui codicis argentei suppositis, ubi etiam hoc animadvertas, quod super ï stent puncta diacritica, quæ in $\overline{ïs}$ deficiunt, vid. supra *b*).

ᛚᚢᚴ pro *lukas* ibid.

ᛈᚨᚢᛊ pro *pavlus* in subscriptione epistolæ ad Ephesios.

ᚨᛁᛈᛁᛊᚴᚨᚢᚷᚨᚢᛊ pro *aipiskaugaus* in Calend. goth.

ᚱᚨᚢᛚᚨᚢᛊᛊᚨᛁᛗ pro *kaulaussaim* in subscriptione epistolæ ad Colossenses.

ᚷᚨᛚᚷᛁᚾ pro *galgin* Col. II, 14. Cum autem præter quas abbreviaturas supra *b*) commemoravimus, nullæ aliæ nec in textu codicis argentei, nec in mediolanis manuscriptis appareant, eo meliori jure ᛈᚨᛏᚱᚢᛊ pro *patrus* Joan. XVIII, 15 et ᚨᛈᚨᚢᛊᛏᚨᚢᛗ pro *apaustaulum* Cor. II, II, 5 librarii menda esse videntur, quod nullo compendii signo superscripta sint.

« *d*) Compendii signa etiam *monogrammatibus* superducuntur :

ᛗᚨᛏ pro *matþaius*
ᛗᚨᚱ pro *markus*
} in portieis textui codicis argentei suppositis (*V.* tab. I^am^).

« A figura respondente ᛉ codicis ambrosiani, deest compendii signum; deest etiam ab *epitomatis scripturis*, in quibus hasta unica pro duabus litteris inservit (ᛉ vid. tab. II^am^, II) quæque præsertim in Skeireins sæpius occurrunt. Quæ inter alias conspicuæ sunt, scilicet :

ᚺ pro ᚺᛏ Ihre p. 192, Col. IV, 4 et, uti ad hunc locum conjicit Castillionæus, etiam Cor. II, II, 4 ubi *gabairhjan* et Tit. I, 3 ubi *atbairhida* cum *t* et *h* connexis, licet prius in manuscriptis evanuerit, scripta erant; pari jure etiam conjici potest *nahts* pro *nahts* Thess. I, V, 5 legendum.

ᚾᚨ pro ᚾᚨ Skeir. II, a. VIII, a.

ᚾᛗ pro ᚾᛗ Mc. 2, 11.

Digitized by Google

ᚠᚢᚦ pro ᚠᚢᚦ Skeir. II, a; VI, b; Tab. II, II.
ᚾᚾ pro ᚾᚾ Skeir. VI, c.
ᚾᚨ pro ᚾᚨ Tim. II, II, 24; III, 1, 2.
ᚾᛋ pro ᚾᛋ Skeir. VI, a; VII, b.
ᚦᚹ pro ᚦᚺ Ihre, p. 192.
ᛇ pro ᛇᚦ Luc. III, 1.

Hæc abbreviatura adhibetur etiam in codice ambrosiano pro *þairh*, vid. tabul. II^am, II.

« * Signo ¯ vocabula in margine annotata vel illustrata, necnon et glossæ ipsæ et variantes indicantur, Ihre, p. 190. Aliud signum, scilicet ⊢, Cor. I, XIII, 3; XV, 33 vocabulo textus in margine glossato superponitur. Idem signum etiam Eph. I, 19 et II, 10 stare videtur. Denique crassius punctum in vocabulo textus figi potest, ut Gal. II, 3, 8; Tim. I, I, 5. »

« § 18. Annotatio 8. — Scriptura litterali nondum adinventa, Gothi runicam probabiliter usurpabant, qua et alii Germani utebantur. Hanc runicam verisimiliter vocaverunt a gothico *runos*, quod, licet in bibliorum versione nunc adhuc μυστήριον significet, etiam pro βουλή et συμβούλιον usurpatur (vid. gloss.): pariter anglosaxonicum run has omnes significationes habet. Hastæ litterarum (elementa) gothice dicuntur *stabeis* (στοιχεῖα, coll. Gal. IV, 3, 9; Col. II, 20); variæ lineolæ, uncini, puncta, cornua, *vritos* (κεραῖαι, Luc. XVI, 17), *strikos* (κεραῖαι, Mth. V, 18), *stikos* (στιγμαί, coll. Luc. IV, 15). Scripturam nuncupabant *boka*, vel communius in plurali numero *bokos*; neque aliud nomen habent litteræ, charta testificatoria, in neapol. documento, quam *boka*, alias in plur. *bokos*, necnon et charta creditoria, sponsatoria (γράμματα, Luc. XVI, 6, 7); charta pignoratoria (χειρόγραφον, Col. II, 14) est *vadjabokos*; libellus repudii (ἀποστάσιον, Mc. XIX, 4; Mth. V, 31), *bokos afsateinais* vel *bokos afstassais*, denominatio etiam pro epistola (ἐπιστολή) usurpata, vid. glossar., h. v.; liber autem (βίβλος, βιβλίον) vid. ibid., in sensu christiano, id est, significans librum librorum, biblia (γραφαί) eodem vocabulo *boka*, *bokos* designatur. *Boka* tandem littera, græco γράμμα et γράμματα, necnon et latino *littera*, *litteræ*, respondet (Rom. VII, 6; Cor. II, III, 6; imprimis Gal. VI, 11), et *bokos* pro scientia, scripturarum cognitione adhibetur (Joan. VII, 15). Consequenter scripturæ eruditi apud Judæos (γραμματεῖς) nomen *bokarjos* habent (vid. gloss. h. v.), quod proprie *scribam* significat, vid. docum. neapol. Pro epistola (ἐπιστολή) paulinarum epistolarum interpres græcum *aipistaule* (vid. gloss. h. v.) in sensu litterarum apostolicarum usurpavit. *Sigljo* sigillum (σφραγίς) et *sigljan*, *gasigljan* sigillare (σφραγίζειν) gothicæ linguæ proprium est (vid. gloss. hh. vv.). Præter *bokos* valens scriptum, scripturam, sacram præcipue, adest et *mela* (Mc. XII, 24; Luc. IV, 21; Joan. V, 47) et *gameleins* (Joan. VII, 38, 42; Cor. II, III, 7; Tim. I, V, 18), vel frequentius *þata gamelido* (vid. gloss. h. v.), participium præt. a *gameljan*, quod simul atque simplex *meljan* scribere (γράφειν) significat; unde *ufmeljan* subscribere, *ufarmeljan* inscribere (ἐπιγράφειν, vid. ibid.) cum *ufarmeli* vel *ufarmeleins* inscriptio (ἐπιγραφή, vid. ibid.).

« De materia autem in qua scripserunt primo Gothi, nihil certi novimus; quod enim arborum corticem in hunc usum converterint nomenque *boka* ab arboris nomine, quemadmodum *liber* mutuati fuerint, e mera conjectura constat. Postea vero societate cum Græcis inita, pergamenum adhibuerunt, vel saltem pro eo nomen *maimbrana* (Tim. II, IV, 13) acceperunt, e græco μεμβράνα exscriptum. Jam vere omnes gothici manuscripti codices qui ad nos usque pervenerunt, in pergameno sunt conscripti; inter quos eminet codex argenteus in rubro pergameno, litterisque argenteis et aureis exaratus, vid. Prolegg. col 489 sq.; in papyro quidem conscribitur documentum neapolitanum, sed non ex integro gothicum est. Mature in librum folia coadunare debuerunt, cum jam in bibliorum versione voc. *spildos* (πινακίδια, πλάκες, Luc. I, 63; Cor. II, III, 3), occurrat.

« Quoad vero instrumentum quo in scribendo utebantur, penna erat nigra, *svartisl* vel *svartisla* (μέλαν, gloss. h. v.), verisimiliter calamus, *raus*, quemadmodum aliæ calamorum species (κάλαμος), vid. gloss. h. v., utrumque gothicæ linguæ vocabulum. Legere et recitare, *siggvan* et *ussiggvan*, idem est vocabulum, cantionem vel declamationem popularium cantilenarum significans; unde lectio (ἀνάγνωσις Tim. I, IV, 13) *saggvs* exponitur. »

B.

DE PROLATIONE.

§ 19. Si quidem pene est impossibile plena securitate sermonis extincti prolationem definire, certa tamen remanent indicia, quibus pensatis, ad fugaces sonos scripturæ signis circumvestitos pervenire possumus. Jam vero quæ indicia gothicus sermo singulariter præ se fert, ad sequentia referuntur: 1) litterarum habitum, prout e lingua nobis non ignota ortum ducant; 2) scriptionem vocabulorum peregrinorum et nominum propriorum; 3) litteras inter se commutatas, sive hoc fiat ex regula, sive ex librariorum menda; denique 4) analogiam cognatorum sermonum.

Licet autem infra, auxiliantibus his indiciis, sonos gothicæ linguæ instaurare intendamus, animadvertere tamen abs re non est nos quarto indicio, cognatorum scilicet sermonum analogia, nonnisi maxima cautione usos fore, et hoc ex multiplici ratione. Etenim gothica lingua, quasi ramus germanicæ stirpis omnituus, in cognatis linguis nulla sui parte jam super-

Digitized by Google

stitit, neque ulli ejusdem ætatis componi potest, cum Longobardorum, Vandalium, Burgundinorum et cæterorum linguæ similiter extinctæ sint. Vetus Germanorum superior sermo ipse, qui omnium ad gothicum proxime accedit, neque ab eo tam immediate oritur, ut ejus prognatio dici queat, neque ætate tam vicinus, ut ejus consocius nuncupari possit. Eo igitur in investigandis gothicæ linguæ sonis ex analogia veteris germanicæ major cautela habenda est, quo proprium hujus systema confusius est et peritissimi viri nunc adhuc hodie incerti magis in contraria scinduntur. Abstractis etiam his ingratis circumstantiis, semper imprudenter agit, qui sonos linguæ collatis cognatæ sonis comparare velit, cum sermones etiam cognatissimi sæpius sonis plurimum discrepent.


I. DE VOCALIBUS.

§ 20. Sunt gothicæ linguæ quinque simplices vocales : *a*, *e*, *i*, *u*, *o*, et quatuor diphthongi : *ai*, *au*, *ei*, *iu*.

« Annotatio. — Sexta vocalis, *y*, in solis vocabulis peregrinis occurrit nec ad gothicam linguam proprie pertinet, vid. § 27. »

§ 21. Vocales sunt vel breves vel longæ; longæ vocales duobus brevibus æquivalent et ordinario sunt breves sive productæ, sive geminatæ; unde vocales breves ut primitivæ spectandæ sunt.

Inter vocales simplices tres sunt breves *a*, *i*, *u*, quibus innititur vocalismus totus atque reliquæ vocales et diphthongi efformantur. Ex his tribus brevibus, *a* primitiva est vocalis, quæ per debilitationem hinc ad *u*, illinc ad *i* descendit; *e* et *o* sunt tantummodo longæ, et equidem longæ τοῦ *a* considerandæ, quippe cum *e* ad *i*, *o* ad *u* propius accedat. Τῶν *i* et *u* longæ sunt sive iterum *i* et *u*, sive diphthongi *ei* et *iu*, dum vocalis *a* cum *i* et *u* conjuncta diphthongos *ai* et *au* efformat. Quæ tamen diphthongi non ut duabus vocalibus compositæ spectentur; sunt enim potius vocales mediæ inter *a* et *i*, inter *a* et *o*, et consequenter non habentes quo necessario fiant longæ, sæpius reipsa breves sunt; *ei* vero et *iu* veræ sunt diphthongi, hoc est, duabus primitive brevibus efformatæ, et propterea tantum longæ. Quibus positis, totum gothicæ linguæ systema vocalium eo modo evolvitur



unde ipsius simplicitas et regularitas manifeste patent.

A

§ 22. 1) Vocalem *a* in gothica lingua primitivam esse certum est, non solum ex eo quod in nexionibus sit dominans vocalis, quæ nonnisi certis legibus in *i* vel *u* debilitatur (§ 32, 4), sed etiam quod in exscriptione vocabulorum peregrinorum brevis generaliter occurrat, pro latino *ĕ* et græco *ε* imprimis usurpata, ex. gr. : *karkara* lat. *carcer*; *lukarn* at. *lucerna*, *kafarnaum* Καπερναούμ, *beþlahaim* Βηθλεέμ.

2) Nulla vocalis frequentioris est usus quam *a*; itaque in vocabulis quamcunque sedem occupare potest, ante vel post quamlibet consonantem stare non repugnans. Sic :

a) Initio : *aba*, *agis*, *adam*, *aqisi*, *azets*, *aha*, *aþþan*, *ak*, *alls*, *ammo*, *ana*, *ajukduþs*, *apaustaulus*, *ara*, *asans*, *alta*, *avo*, *af*, *axaja*, *ava*, etc.

b) Medio : *badi*, *blandan*, *brakja*, *gaggan*, *glaggvo*, *vuba*, *gras*, *dags*, *dragk*, *qaþ*, *grammiþa*, *zakkaius*, *haban*, *klas*, *hramjan*, *þagkjan*, *þlahsjan*, *þragjan*, *þvahan*, *kalds*, *niuklahs*, *land*, *manna*, *namo*, *jah*, *papa*, *plats*, *praggan*, *rahnjan*, *saken*, *tagl*, *valdan*, *fastan*, *was*; *graban*, *lagjan*, *vadi*, *þlaqus*, *razda*, *faheds*, *laþon*, *staks*, *malan*, *sama*, *fani*, *bajoþs*, *skapjan*, *þarba*, *vas*, *mats*, *skavjan*, *hafjan*, *zaxzeius*, *saw*, etc.;

c) Fine : *giba*, *liga*, *bida*, *sigqa*, *batiza*, *staka*, *qiþa*, *leika*, *vaila*, *imma*, *ina*, *alja*, *vairpa*, *skura*, *lisa*, *maita*, *speiva*, *hlifa*, *paxta*, *leiva*, etc.

3) Sed nonnisi raro nostra vocalis, excepto compositionis casu, in gothicis vocabulis occurrit ante- vel postposita vocalibus, quæ cum ea in diphthongum non contrahuntur; quod si forte accidit, tantum ante *u* (§ 29 annot. I) et post *i*, *ei*, *ai*, *au* : *fiaþva*, *friaþva*, quo in casu, inducto *j*, hiatus vitatur (vid. § 34, 4); *keian*, *feian*; *laian*, *saian*, *vaian*; *trauan*, *bauan*.

« Annotatio 1. — In peregrinis vocabulis alii quidem connexus fieri possunt, ut *baiþlaem* (quocum tamen etiam occurrit *beþlahaim*), *baiþsaïda*, *Kaeinan*, *aiddua*; *aa* autem gothus temperat sive *h* immittendo, ut in *aharon* Ἀαρών, *abraham* Ἀβραάμ, *nahasson* Ναασσών, *mahaþ* Μαάθ, sive unicum exscribendo, ut in *isak* Ἰσάακ; *aa* tamen in fine reperitur : *gabaa*, Esdr. II, 25, coll. *sainnaïns* a *sainnaa* II, 35. Præter hæc duo exempla apud Esdram occurrentia, quæ saltem ex græco justificantur, sunt et aliæ formæ etiam apud Esdram, sed mendose occurrentes : II, 11 *babaavis*; II, 21 *baaaiþlaem*; II, 25 *kareiaþiaareim*; *aai* II, 28, sin scriptoris menda, saltem *a-ai* legendum. »

4) Exceptis supra laudatis exemplis, gothicum *a* græco *α* constanter respondet, cujus prolationem consequenter habuisse debuit, ex. gr. : *abba* ἀββᾶ, *abjaþar* Ἀβιάθαρ, *agar* Ἄγαρ, *adam* Ἀδάμ, *adaunеikam* Ἀδωνικάμ, *addin* Ἀδδίν, *akaja* Ἀχαΐα, *alfaius* Ἀλφαῖος, *ameinadab* Ἀμιναδάβ, *andraias* Ἀνδρίας, *annas* Ἄννας, *arkippus* Ἄρχιππος, *asgad* Ἀσγάδ, *assaum* Ἀσούμ, *ater* Ἀτήρ, *gaulgauþa* Γολγοθᾶ, *damasko* Δαμασκός, *kefas* Κηφᾶς, *seina* Σινᾶ.

Digitized by Google

5) Quamvis *a* pro græco α tam longo quam brevi usurpetur, in gothica tamen lingua non nisi breve est, sive radicali, sive formativæ syllabæ pertineat. Quod innotescit tum ex formatione secundæ conjugationis, tum ex circumscriptione τοῦ ᾱ in *o* (quæ circumscriptio a populo facta non ab interprete) in *rumoneis* pro Romani vid. infra 7).

6) Salva brevitate, *a* etiam *acutum* fieri potest, quod ante liquidas *s*, *z* et *h* præcipue accidit. Ratio est, quia liquidæ *s* et *z* sunt sive redundanter geminatæ, ut in *nasseinais* Thess. I, v, 8, *ïasson* (Ἰάσων) Rom. xvi, 21, *laszarus* (Λάζαρος) Luc. xvi, 23, *kannt* Cor. I, vii, 16; sive vice versa *simplificatæ*, ita ut liquida simplex adhibeatur, ubi etymologice duplex spectaretur, ut in *branjan* Joan. xv, 6 (a *brinnan*), coll. § 55, annot. 1, 2, quod fit præcipue, quando per compositionem tonus a syllaba de qua agitur excedit, ex. gr.: *alaþárba* (ab *alls*) *manamaúrþrja* (a *manna*). *A* ante *h* fit acutum præsertim in vocabulo *jah*, cum *h* sequenti consonanti assimiletur (§ 56).

« Annotatio 2.— E simili principio oriri potuit geminatio τοῦ *d* in *gaddarenus* pro Γαδαρηνός, vid. gloss. h. v.

« Annotatio 3. — De *a* debilitato vid. § 32, 4. »

7) Vocalis *longa* τοῦ *a* est *o*; *a* igitur non solum *o* sæpius evadit, sed *o* generaliter usurpatur, ubi *a* longum spectaretur. Formam *rumoneis* pro Romani jam supra 5) commemoravimus. Alia vero exempla, in quibus *a* in *o* transit nec ad propriam absonantiam (§ 32, 2) cogitari potest, hæc sunt; *gahobains* a *haban*, *ganohs* a *nahan*, *abtaudogs*, *fidurdogs* a *dags*. In aliis autem casibus, ut in *soþ* a *saþs*, *bota* a *bats*, verbum forte quod exsoleverit (*saþan*, *soþ*; *hatan*, *bot*), absonantiam explicare potest. Quod etiam in flexione *o* longæ vocali τοῦ *a* respondeat, patet ex forma *gibos* a *giba*, *vigos* a *vigs* (thematis *VIGA*), cum *gasteis* a *gasts* (thematis *GASTI*), et vice versa *hairtane* gen. a *hairtona*, in quo *o* propter *e* longum sequens in suam brevem *a* respondentem iterum incidit. *Warjanoh*, *warjatoh*, *warjoh*, quæ loco *warjana-uh*, etc., occurrunt, non ex contracto *a-u* in *o* illustranda sunt, cum alias *a* ante *uh* elidatur; sed hoc conjici potest, quod in principio vocalis primitive longa terminationis ante particulam encliticam servari potuerit, ut in *ainohun* ab *aina* et *hun*, *ainnohun* ab *ainana* (syncopato *ainna*) et *hun* (et fortasse etiam *weilohun* a *weila* et *hun*), vel quod enclitica, quæ his vocabulis mature et regulariter postmissa est, in vocalem terminationis, tono attracto, influxerit, dum in recentiori tempore, cessante influxu, brevis terminationis vocalis elisa finem habuerit.

« Annotatio 4. — De *e* ut altera vocalis longa τοῦ *a* considerata, vid. § 25, 4.

I

§ 23. 1) Ab *a* *i* vocalis est frequentissime occurrens, licet sæpius medio, quam initio vel fine vocabuli inveniatur:

a) Initio: *iakob*, *ibai*, *iggqis*, *idveit*, *iesus*, *izei*, *iþ*, *ik*, *im*, *in*, *ija*, *is*, *ïlan*, *ïfstuma*, *ïohannes*;

b) Medio: *bida*, *blinds*, *brinno*, *giba*, *glitmunjan*, *grids*, *digrei*, *drigkan*, *qiþan*, *hilpan*, *klifan*, *knivans*, *krisjan*, *þivi*, *þriskan*, *kilþei*, *klismo*, *kniva*, *krispus*, *ligan*, *miþ*, *niman*, *saijiþ*, *pistikeins*, *plinsjan*, *priska*, *rimis*, *sijis*, *skildus*, *skritnan*, *slindan*, *smiþa*, *snivan*, *spillon*, *stiks*, *striks*, *svibls*, *timrja*, *triva*, *tvis*...., *vinds*, *vlits*, *vrikan*, *finþan*, *frijei*, *wileiks*; *siai*, *siau*, *libains*, *gibla*, *stibna*, *trigo*, *ligrs*, *svignjan*, *siggvan*, *sigqan*, *sidus*, *bidjan*, *fidvor*, *riqis*, *þize*, *mizdo*, *andavisn*, *vlizjan*, *nih*, *aggviþa*, *niþjis*, *viþra*, *mikils*, *stikls*, *svikns*, *andtilon*, *silba*, *milds*, *filhan*, *vilþeis*, *filleins*, *usfilma*, *vilja*, *hilpan*, *sviltan*, *gilstr*, *qiman*, *himma*, *simle*, *mimz*, *trimpan*, *fimf*, *blinds*, *minznan*, *gasinþa*, *vinja*, *þinsan*, *kintus*, *frijon*, *skip*, *vipja*, *ganipnan*, *hiri*, *hirjiþ*, *vis*, *trisgan*, *vrisqan*, *fisks*, *klismjan*, *viesa*, *lists*, *kulistr*, *sitan*, *sitls*, *þivi*, *sifan*, *kliftus*, *lifnan*;

c) Fine: *arbi*, *aigi* Joan. vi, 40, *fauragaggi*, *vadi*, *bandi*, *aqizi*, *þvohi* Tim. I, v, 10, *aveþi*, *meki*, *aurali*, *nemi*, Mc. xii, 2, *fani*, *hropi*, *wilftri*, *usvisei*, *nati*, *hivi*, *sewi* Mc. viii, 23.

2) Vocalibus, quibuscum diphthongum non efformat, in simplicibus gothicæ linguæ vocabulis non nisi raro postponitur, et equidem tantummodo post *ai* et *au*: *saïiþ* Cor. II, ix, 6, *tauï*, *sauïl*, *stauïda*.

« Annotatio 1. — Duobus *i* concurrentibus, vel ambo in *ei* convertuntur, vel prius *j* evadit (§ 34, 3). »

3) In exscriptis peregrinis vocabulis *i* græco ι, sive accentum habenti, sive non, communiter respondet: *ïacirus* Ἰάκειρος, *ïairaimias* Ἱερεμίας, *ïairiko* Ἱεριχώ, *aivxaristia* εὐχαριστία, *þymiama* θυμίαμα, *gabriel* Γαβριήλ, *diabulus* διάβολος, *didimus* Δίδυμος, *krispus* Κρίσπος, *lukius* Λούκιος, *makeibis* Μαγεβίς, *nikaudemus* Νικόδημος, *siloam* Σιλωάμ.

« Annotatio 2. — Quandoque *i* etiam usurpatur *a*) pro græco η (coll. Castill. ad Cor. II, i, 16): *aunisimus* Ὀνήσιμος, *baiþil* Βαιθήλ, *jannis* Ἰαννῆς, *abeileni* Ἀβιληνή, *filippisius* Φιλιππήσιος, *biþania* Βηθανία; per exceptionem etiam *b*) pro græco υ: *didimus* Δίδυμος (in *akvila* pro Ἀκύλας forma latina typus fuisse potius videtur); *c*) pro græco ε: *andrias* Cal. goth., *saurababil* Ζοροβάβελ, *aggilus* ἄγγελος, *makidonja*, Μακεδονία; *d*) pro græco αι: *antiaukia* Ἀντιοχία; *e*) pro græco χ: *ïareim* Χαρίμ. »

4) *I*, quemadmodum *a* primitive breve est; cum autem in prolatione ad *ei* et *e* proxime accedat, horum quandoque ut longum personam gerit; ponitur ergo *a*) pro *ei* in: *digan* Rom. ix, 20, *ufarassiþ* Tim. I, i, 14, *þagkiþ* Gal. vi, 3, *visandin* (pro *visandein*) Tim. I, i, 4; Skeir. VII, 6, *laisaris* Luc. vi, 40, *silubrins* Mth. xxvii, 3, *gabigs* Mth. xxvii, 57 et sæp., coll. ad Gal. vi, 3; præsertim in nominibus propriis, ut *ananias* Neh. vii, 2, *ïairiko* Mc. x, 46, *bainiamein* Phil. iii, 5 h. l., *ïsraelites* Rom. ix, 4; *b*) pro *e*: *spidists* Tim. I, iv, 1, *azitizo* Mc. x, 25, *svigniþa* Luc. i, 44, *birusjos* ii, 41, *snivun* Mc. vi, 53, *nimeina* Luc. vi, 34, *qimi* vii, 3, *qiþeina* viii, 56; ix, 21, *qiþeiþ* xvii, 6, *usdribeina* ix, 40, *galagididcina* v, 18, *tavididcina* vi, 11,

Digitized by Google

ufkunþidun Neh. VI, 16, *frevaurhti* Rom. VII, 5, *spilli* Tit. I, 14, *herodis* Luc. IX, 7, *iohannis* Mc. VI, 14. In monetis gothicis *Reccaredus* et *Recsaridus* commutantur, vid. Aschbach. *Westg.* 358.

« Annotatio 3. — Eamdem apud Latinos animadvertere est commutationem, et quemadmodum *e* ad pristinam et rusticam, *i* vero ad recentiorem et urbanam eorum linguam pertinet (coll. Schneider. *Lat. Formenlehre*), ita et apud Gothos res eadem fuisse videtur.

« Annotatio 4. — Ubi autem *i* longum est, ruptio (§ 32, 5) quæ alias ante quasdam consonantes communiter adhibetur, nullam sedem habere potest; hinc *bi rusjos* (loco *berusjos*), *hiri* (ab *her*); *nih* ex *ni-uh* contractum est. »

5) *Ei longum* est τοῦ *i*, ut sive ex græcorum vocabulorum exscriptione (§ 30, 2 *b*), sive ex formarum doctrina (§ 64, 5; § 128) comprobatur. Sed propter affinitatem, sæpius *i* et *ei* promiscue usurpantur, quemadmodum supra 4) ostensum est fusiusque infra § 30, 3) ostendetur.

6) *I* transit *a*) per ruptionem in *ai* (§ 32, 5), *b*) ante vocalem in *j* (§ 34, 3).

U

§ 24. 1) *U*, tertia triadis gothicæ vocalium brevis, minus frequenter quam *i* et equidem pariter in omnibus consonantium connexibus occurrit. Initio vocabuli posita ad particulas et pronomina fere exclusive restringitur; fine vero præter nonnullas particulas et substantiva neutr. gen. in paucis tantum flexionibus usurpatur.

a) Initio : *ubivas*, *ubils*, *uþkis*, *uhteigs*, *ulbandus*, *und*, *undar*, *undaurns*, *uns*, *unte*, *us*, *ut*, *uf*, *ufar*, *ufjo*, *ufta* ;

b) Medio : *bugjan*, *brusts*, *guþ*, *usgrudja*, *dugan*, *drus*, *qums*, *hugjan*, *hiutra*, *knuþo*, *kruh*, *þus*, *þrutsfill*, *kubjan*, *kusejan*, *krusts*, *lustus*, *munan*, *nuta*, *jus*, *puggs*, *rums*, *sulja*, *skulan*, *snutra*, *stubjus*, *svultavairþja*, *tulgus*, *intrusgjan*, *vulan*, *vruggo*, *fuls*, *frums*, *fairivus*; *hubains*, *situbr*, *bugum*, *juggs*, *fugls*, *ludja*, *supon*, *supns*, *juþusi*, *anabusns*, *husd*, *huhrus*, *þuhtus*, *guþ*, *makamodei*, *fula*, *fulls*, *hulþs*, *mulda*, *numans*, *andanumis*, *svumsl*, *runa*, *brunna*, *afgrundiþa*, *kunþi*, *brunjo*, *kupa*, *skura*, *hus*, *andhruskan*, *barusnjan*, *kustus*, *luton*, *hufum*, *luftus* ;

c) Fine : *du*, *þu*, *ju*, *nu*, *izu*, *faihu*, *gairu*, *handu*, *aggwu*, *sinu*.

2) In peregrinis vocabulis exscribendis u pro græco ου, et quandoque ο, præsertim in terminationibus, regulariter usurpatur. Sic igitur stat. *a*) pro græco ου in : *faunel* φανουήλ, *iairusalem* Ἱερουσαλήμ, *iesus* Ἰησοῦς, *idumaia* Ἰδουμαία, *iurdan* Ἰορδάνης, *iudas* Ἰούδας, *iudaia* Ἰουδαία, *kusa* Κουζᾶ, *lukas* Λουκᾶς, *marþusal* Μαθουσαλά, *naum* Νοεύμ, *odneia* Ὀδενίας ; *b*) pro græco ο in : *paintekustes* πεντηκοστή, *aipistulē* Neh. VI, 17, 19 ἐπιστολή, *pantius* Πόντιος, *iairusaulyma* Ἱεροσόλυμα, *laudeikaia* Λαοδικεία, *diakun* διάκονος, *diabulus* διάβολος, *apaustaulus* ἀπόστολος, *barþulomaius* Βαρθολομαῖος, et in nominibus propr. in ος, ut : *paitrus* Πέτρος, *paulus* Παῦλος, *filippus* Φίλιππος, *alaikusandrus* Ἀλέξανδρος, *akajus* Ἀχαϊκός ; quam terminatio adeo prævalet, ut etiam pro græco ης quandoque usurpetur, ut in *praufetus* προφήτης, *kreikus* Κρήσκος, *skyþus* Σκύθης.

« Annotatio 1. — *U* etiam pro ο ponitur in latinis vocabulis : *pund* pondus, *kustanteinus* Constantinus, quemadmodum u nostrum gothorum græco et latino ο exscribitur.

« Annotatio 2. — Nonnisi per exceptionem adhibetur etiam pro græco ω et υ : *iusē* Ἰωσῆ, *spaikulatur* σπεκουλάτωρ, *rumoneis* Ῥωμαῖοι, *Rōmani*, *paurpura* πορφύρα, *saur* Σύρος, *tukeikus* Τυχικός ; *iakubos* Luc. IX, 54 librarii menda est pro *iakobus*. »

3) *U* breve est et longum, et quidem longum primitive, non per accidens, quemadmodum *i* loco *ei* et *e* usurpatum. Jam vero u re ipsa longum esse, ex sequentibus rationibus comprobatur :

a) Etenim vero frequenter cum *o* commutatur, sive u pro *o* stet, ut in *krotuda* Luc. XX, 18, *supuda* Mc. IX, 50, *uhtedun* Mc. XI, 32 et in græcis vocabulis *iusē*, etc. (vid. annot. 2) ; sive *o* pro u ponatur, ut in *aljakons* Eph. II, 19, *lauhmoni* Luc. XVII, 24 ; Thess. II, I, 8, *vidovo* Luc. VII, 12, *faiho* Mc. X, 25, *fraistobnjo* Luc. IV, 13, *usheofon* XVII, 13, *sunjes* Luc. XVI, 8, *vondon* Luc. XX, 12, *ohteiga* Tim. II, IV, 2, *ainomehun* Luc. VIII, 43 et in græcis vocabulis *iodas*, etc. (vid. ad § 26, 2, *c*). Eodem modo in monetis commutantur *Gundemar* et *Gondemar*, *Roderieus* et *Rudericus*, vid. Aschbach. *Westg.* p. 362.

b) Cum u breve ante *h* et *r* constanter rumpatur, in sequentibus ergo casibus ut longum habendum est : *juhiza*, *þuhta* et *huhrus* a *juggs*, *þugkjan* et *huggrjan* (in quibus præter positionem etiam etymologia u longum esse probatur), *bruhta* a *brūkjan* (cum *bauhta* a *būgjan*), *-uh*, *nuh*, *uhteigs*, *uhtvo*, *spaikulatūr* (pro græco ω), *skura*, *urreisan*, *urrinnan*, etc.

a) Longum u etiam requiritur in *hrukjan* propter 3am pers. sing. præs. indic. *hrukeiþ* Joan. XIII, 38 (§ 128) et in *lukan*, quia hic æquivalet *lu* indubie longo in *siukan*, *liusan*, *biudan* et aliis similibus.

« Annotatio 3. — In aliis quam supra datis casibus nonnisi difficile judicari potest utrum *u* longum habendum sit ; tale est tamen probabiliter in *mul*, *fuls*, *hus*, *rums*, *bruþs*, *dubo*, *stubjus*, *runa*, *þūsundi*, *dugan*, *vulan*. »

4) *U* prolatum u Germanorum assimilari potest, eo tamen discrimine, quod ad *o* magis accedere videatur ; hinc saltem ratio patet, cur cum *o* (§ 26, 4) et *au* (§ 29, 3) tam frequenter commutetur.

5) *U* similibus subjacet commutationibus atque *i* ; transit igitur *a*) ante *r* et *h* per ruptionem in *au* (§ 32, 5), *b*) ante vocalem in *v* (§ 35, 3).

E

§ 25. 1) *E* semper est longum ; in vocabulis gothicis mediam tantum et extremam sedem occupat, in genere minus frequenter quam *i* et *u* occurrens :

a) Medio : *berun*, *blesan*, *gebun*, *gredus*, *qens*, *hebjo*,

Digitized by Google

hleþra, þevis, kelikn, letan, mega, nemun, jer, garedan, sels, skevjan, slepan, speds, svegnjan, teva, vesun, vrekei, fera, flekan, fret; vegs, unleds, gafehába, garehsns, neþla, meki, mel, qemun, mena, vepna, ferja, mes, andaseis, lev, neiva,

b) Fine : *ne, þe, we, sve, simle, svare, unte, þande, hidre, jaindre, wadre, bisunjane*, et in genit. plur. *fiske, vaurde*, etc.

c) Aliis autem vocalibus *e* nunquam præponitur, excepto tamen *i* quocum in diphthongum (*ei*) incidit.

2) In exscriptis vocabulis peregrinis, græco ε regulariter respondet : *esav* Ἠσαῦ, *iesus* Ἰησοῦς, *iairusalem* Ἱερουσαλήμ, *israel* Ἰσραήλ, *kaidmeiel* Καδμιήλ, *iosef* Ἰωσήφ, *ioses* Ἰωσῆ, *kefas* Κηφᾶς, *kreta* Κρήτη, *nazorenus* Ναζωρηνός, *gaddarenus* Γαδαρηνός, *gainnesareiþ* Γεννησαρέτ.

« Annotatio. — Per exceptionem vero stat *a*) pro ε : *naen* Ναίν, *tykekus* Col. IV, 7 Τυχικός ; *b*) pro *e* : *iared* Ἰαρέδ, *tertius* Τέρτιος, *baiþlaem* Βεθλαέμ ; *c*) pro αι lat. *æ* : *kreks* Γραικός, Græcus. »

3) Jam supra fuit animadversum (§ 23 annot. 2), quod *e* cum *i* sæpe commutatur ; præter exempla illuc allata, in quibus *i* pro *e* ponitur, dantur etiam non pauca, in quibus pariter *e* pro *i* vel *ei* stare videtur. *a*) Pro *i* : *svekunþ* Luc. VIII, 17, *weleika* I, 29, *seneigs* Tim. I, V, 4, 2, *aggeljus* Rom. VIII, 38, *ubels* Tim. II, III, 13; *filegri* Luc. XIX, 46, *drebi* Mc. V, 10, *andbahtededun* Luc. VIII, 17 ; *b*) pro *ei* : *veks* Mc. VIII, 26, 27, *lekeis* Mc. II, 17 et sæp., *lekinon* Luc. X, 9, *hleþra* Joan. VII, 2, *skereins* Cor. I, XIV, 26, *speyan* Mc. VII, 33, *ne* Skeir. I, c, *frume* Cor. I suscript., *anavilje* Phil. IV, 5, *ake* Gal. II, 14, *þe* Cor. I, XVI, 6, *þataine* Skeir. I, 6, *miþþanei* Luc. II, 43, *þanei* X, 5, *þeze* XIX, 37, *þize* Cor. I, VIII, 11 ; II, XII, 13, *ize* Mth. V, 32 et sæp., *blotande* Luc. II, 37, *qemes* Eph. V, 22, 24, *kretes* Tit. I, 12, *visses* Luc. XIX, 22, *aipistaulem* Thess. II, II, 17 ; *c*) pro *ai* vid. § 28, 3.

4) In plurimis casibus *e* longum τοῦ *a* esse videtur, quemadmodum apud Græcos *η* longum est τοῦ *α*. Sic ponitur *wammeh, warjammeh, ainummehun* loco *wamma-uh, warjamma-uh, ainamma-hun*, quæ exempla ex eo tantum illustrantur, quod longior forma cum *e* primitiva, ante particulam encliticam servata sit, dum alias in *a* correpta est, vel quod hic etiam, quemadmodum supra (§ 22, 7) conjecimus, primitiva enclitica in vocalem terminationis producendo influxerit. Eodem modo pluralia *gebun, nemun*, producto *a*, ex singularibus *gaf, nam*, sunt deducenda. Necnon et terminatio 2 pers. sing. præt. secundæ conjugationis, *des*, simili ratione explicanda est, modo semel admittatur in hac terminatione præteritum forte cum vocabuli stirpe confusum esse, nempe *dad, dast, dad, dedum, dedub, dedun*, quod in singulari numero suum *d* (*t*) rejecisset et in sola 2 persona suam vocalem positione longam, *a* et *e* commutatis, iterum assumpeisset (*dast, das, des*), vid. § 127. Equidem suspicandum est *fret* apud Luc. XV, 30 ex *fra-at* exortum esse ; sed tutius esset conjicere hoc non pro *fraet* (quidnam enim gothicorum verborum in sing. præt. ind. in *e* desinat?), sed mendum esse librarii pro *frat*.

5) *E* proferri potuit ut *e* Latinorum, vel *e* Germanorum in vocabulis *See*, Meer (gall. *e fermé* et *allongé*. *Interp.*) ; sed serius ad *i* propius accedens, suggessit quo ipsius frequens commutatio cum *i* et *ei* explicaretur.

O

§ 26. 1) *O* sæpius occurrit quam *e;* sed nonnisi rarissime vocabulorum a fronte positum, frequentissime in medio et in fine invenitur.

a) Initio : solummodo *ogan, ogjan* (*o*);

b) Medio : *boka, bloþ, broþar, gods, doms, hoha, ufhlohjan, hrot, þroþjan, þvoh, knoda, kroton, losa, mota, nota, rodjan, sokjan, skaks, sloh, snorja, stoma, svogatjan, ubiltojis, ives, vopjan, wrokjan, fotus, flodus, froþs, wota ; gahobains, fidurdogs, moda, fodjan, fodr, ganohjan, skohsl, rohsns, hroþeigs, vakaine, vokrs, holon, stols, goljan, bloma, fon, stojan, wopan, hropjan, hors, los, blostreis, botan, gadof, woftuli ;*

c) Fine : *o, þo, so, wo, lailo, saiso, vaivo, spillo, holo, airino, luto, aglo, sunno, brunjo, augo, auso, hairto, vato*, etc., et genitivi plur. *gibo, tuggono, manageino*, etc.

2) Communiter usurpatur pro græco ω, rarius pro ο et ου. *a*) Pro ω adhibetur in : *ainok* Ἐνώχ, *ainos* Ἐνώς, *ammo* Ἀμώς, *anaþoþ* Ἀναθώθ, *apaullo* Ἀπελλώς, *asmoþ* Ἀζμώθ, *beroþ* Βηρώθ, *zelotes* ζηλωτής, *lod* Λώτ, *mammona* μαμμωνᾶς, *nahasson* Ναασσών, *nakor* Ναχώρ, *iasson* Ἰάσων, *sabaoþ* Σαβαώθ, *seimon* Σίμων ; *b*) pro ο in : *makidonja* Μακεδονία, *antiokja* Gal. II, 11 Ἀντιοχεία, *aiodia* εὐοδία, *airmogaineis* Ἑρμογένης, *bar þulomaius* Luc. VI, 14 Βαρθολομαῖος, *diakon* διάκονος, *daimonareis* δαιμονιζόμενος ; *c*) pro ου in : *iodas* Luc. III, 26 Ἰούδας, *lokas* Λουκᾶς, *sairok* Σερούχ.

3) *O* nullum *i*, et in genere nullam post se vocalem permittere videtur ; sed, casu hoc superveniente, in *au* potius transit, vel, ubi vocabula sunt peregrina, *h* induci jubet ; sic *stauida, staua* a *stojan, tauī*, genit. *tojis, lauīdja* Λωΐς, *nauel* Νῶε, *trauada* Τρωάς, *iohannes* Ἰωάννης, *iohanna* Ἰωάννα. Hoc principio vocabulum *alþjanoīne* in goth. Calend. occurrens merito spurium conjicitur.

« Annotatio 1. — In : *ioanan* Neh. VI, 18 pro Ἰωνάν prius *a* certo mendum est librarii ; in *siloam* vero Joan. IX, 7 pro Σιλωάμ *ao* diphthongus est more græco proferenda ; in *ailos* tandem Mc. XV, 34 pro *ἤλωι oe* in locum *oi* inusitati inductum est. *Oi* vitandi causa ponitur etiam Tim. II, III, 11 *lystros* pro græco Λύστροις (coll. tamen § 96). »

4) Jam supra diximus (§ 24, 3) hanc nostram vocalem frequenter cum *u* commutari. Quandoque etiam incidit in *au*, sed ratione minus apparenti. Hoc scilicet locum habet, quando, ut supra commemoravimus, sequitur altera vocalis, vel duo consonantes, id est, *hi*, unde, invita natura sua, acutum evaderet. Sic a *slahan, sloh*, verbale *slauhts*, a *NAHAN, NOH*, anomalum *nah, nauhta*, unde iterum *ganauha* et, specie regularius, *ganohs*.

Digitized by Google

« Annotatio 2. — Vice versa *tojis* cum *taujan* absque necessitate usurpari videtur, nisi collatis *stojan*, *stauīda* explices. Sed ratio non patet, cur *daubnan* in *dobnan* transierit. Quæ forsan, invita vicina significatione, etymologice sunt separanda et *dobnam* prius ad *dumbnan* (fortasse pro *dubnan?*) referendum (§ 38, 3). »

5) De *o* ut longo τοῦ *a* considerando, vid. quæ supra diximus (§ 22, 7).

Y

27. Y, ut vocalis, in solis græcis vocabulis occurrit, in quibus τοῦ υ vicem regulariter gerit, ex. gr.: *ymainaius*, *hymainaius* Ὑμέναιος, *skyþus* Σκύθης, *tykeikus* Τυχικός, *tyra* Τύρος, *syria* Συρία, *nymfa* Νυμφᾶ, *fygailus* Φύγελλος, *symaion* Συμεών, *synagoge* Συναγωγή *syntyke* Συντύχη, *kyreinaius* Κυρηναῖος, *īairusaulyma* Ἱεροσόλυμα, *þymiama* Θυμίαμα, *praizbytaireis* πρεσβύτερος, *spyreida* σπυρίς, *byssus* βυσσός, *smyrn* σμύρνον, *hyssopo* ὕσσωπος, *martyr* μάρτυρ, *lysanius* Λυσάνιος.

« Annotatio 1. — Pro græco οι ponitur in *saurau-fynikiska* (sic enim loco *saurinifynikiska* legendum) συροφοίνισσα.

« Annotatio 2. — Quandoque etiam in ejus sedem inducuntur *u* et *au*; sic *tukeikus* Eph. VI, 21 cum *tykeikus*, *saura* Gal. I, 21 et *sauraufynikiska* in annotatione 1ª commemoratum, cum *syria*. »

AI

§ 28. 1) Conjunctis litteris *a* et *i* evadit in gothica lingua sonus simplex, qui initio, medio necnon et fine vocabulorum frequenter occurrit:

a) Initio: *aiaik*, *aiauk*, *aibr*, *aigan*, *aiz*, *aihts*, *aiþei*, *aikan*, *ains*, *airþa*, *aistan*, *aivs*, *aiwatundi*;

b) Medio: *bairan*, *braids*, *gairnei*, *dails*, *draibjan*, *qainon*, *haitan*, *hlaiv*, *hnaivjan*, *hrains*, *þaih*, *þlaihan*, *faihuþraihns*, *þvairhs*, *laisjan*, *gamains*, *naiteins*, *jains*, *paida*, *raidjan*, *saivala*, *skaidan*, *slaihts*, *smairþr*, *snaivs*, *spaiskuldrs*, *stains*, *svairban*, *tains*, *vaihts*, *vlaiton*, *vraiqs*, *fairguni*, *fraiv*, *wairnei*; *vaian*, *armaio*, *gahlaiba*, *bilaigon*, *garaids*, *haiza*, *haihs*, *fraihnan*, *vaihsta*, *garaihts*, *svaihra*, *haiþi*, *maiþms*, *laikon*, *hails*, *haims*, *vainei*, *saijiþ*, *vaips*, *tairan*, *wairban*, *bairgahei*, *vairdus*, *fairzna*, *þairh*, *vairþan*, *þairko*, *stairno*, *vairpan*, *fairra*, *vairsiza*, *hairlo*, *fairwus*, *laisjan*, *maitan*, *baitrs*, *saivs*, *haifsts*, *saiwan*;

c) Fine: *bai*, *þai*, *jai*, *jabai*, *ībai*, *nibai*, *sai*, *tvai*, *vai*, *gibai*, *anstai*, *allai*, *qiþai*, etc.

2) In græcis vocabulis et nominibus propriis tam ε quam αι supplet. Ponitur igitur *a*) pro ε in: *aibair* Ἔβερ, *aizaikeia* Ἐξεκία, *aizleim* Ἐσλί, *aikklesjo* ἐκκλησία, *aileizair* Ἐλιέζερ, *aileisabaiþ* Ἐλισάβετ, *aimmeira* Ἐμμήρ, *baiailzaibul* Βεελζεβούλ, *baineiamein* Βενιαμίν, *bauanairgais* βοανεργές, *spaikulatur* σπεκουλάτωρ, *gainnesaraiþ* Γεννησαρέτ, *þaiaufeilus* Θεόφιλος, *īaireike* Ἱεριχώ, *īairaimias* Ἱερεμίας, *kaidron* Κεδρών, *hairaisis* αἵρεσις; *b*) pro αι in: *zaibaidaius* Ζεβεδαῖος, *zakkaius* Ζακχαῖος, *kyreinaius* Κυρηναῖος, *iudaius* Ἰουδαῖος, *ymainaius* Ὑμέναιος, *haileisaius* Ἐλισσαῖος, *haibraius* Ἑβραῖος, *þaddaius* Θαδδαῖος, *Idumaia* Ἰδουμαία, *Iuraia* Ἰτουραία, *kaisar* Καῖσαρ, *īaissais* Ἰεσσαί, *praitoriaun* πραιτώριον.

« Annotatio 1. — Etiam pro αι separato usurpatur in *iudaivisks* Ἰουδαϊκός, *akaikus* ἀχαϊκός, *gaius* Γάϊος (vid. supra § 17, 1), non autem in *baiþsaīdan* Luc. X, 13 Βηθσαϊδά, *esaīas* Mth. VIII, 17 Ἡσαΐας, in quibus, ut formæ *beþsaeidan*, *esaeias* probant, *i* ut longum habendum est.

« Annotatio 2. — Pro ει simpliciter ponitur *ai* in *naiman* Νεεμάν, licet auris gothica geminato *ai* minime repugnet, cum *aiaik*, *gaiainna*, *baiailzaibul* alias occurrant.

« Annotatio 3. — Græcum ευ per *aiv* (ante vocalem etiam *aivv*) gothice exscribitur: *aivaggeljo* εὐαγγέλιον, *aivlaugia* εὐλογία, *aivxaristia* εὐχαριστία, *aivva* Εὐα, *laivveis* Λευΐς.

« Annotatio 4. — Per exceptionem *ai* adhibetur *a*) pro græco η in *gairgaisainus* Γεργεσηνός, *aillam* Ἠλάμ, *baiþsaīdan* Βηθσαϊδά, *hailias* Luc. I, 17 Ἠλίας, *hairodias* Mc. VI, 17 Ἡρωδίας, *neikaudaimus* Skeir. VIII, c Νικόδημος, *klaimaintus* Phil. IV, 3 Κλήμης; *b*) pro græco ι in *kaurainþaius* Κορίνθιος, et fortasse *aai* Αἰ; *c*) pro græco in *si laudeikaia* Λαοδικεία; *d*) pro græco ευ in *aiodia* εὐοδία; *e*) pro græco α in *kaidmeiel* Καδμιήλ, *baidsaīdan* Luc. IX, 10 Βηθσαϊδά, *akaijus* Cor. I, XVI, 15 Ἀχαιός, *akaija* Cor. II, I, 1 Ἀχαΐα, ubi formæ æque usitatæ *akajus*, *akaja ai* separatum esse probant. »

3) *Ai* in *e* transiisse videtur in *tehund* a *taihun*, etiam *taihund* Luc. XVI, 6, 7 consequenter scripto. Hic enim adest idem respectus, quo *ai* pro græco η scribitur; et cæterum hæc commutatio ex similitudine soni explicari potest. Eadem similitudo rationem præbet, cur librarius *þizai* Cor. II, VII, 18 cod. A pro *þizei* mendose scripserit, quod eo facilius admittetur, quo major est affinitas *ai* inter et *e*, et reipsa sæpius *þizei* et *þize* inter se commutantur.

4) *Ai* longum esse et breve jam concludi potuit ex eo, quod ad græcum ε simul et longum αι exscribenda inserviat. Sed in gothicis vocabulis ubinam longum sit, ubinam breve, eo difficilius definiri potest, quod etiam in terminationibus *ai* tum brevi, tum longæ vocali respondeat: sic dativus sing. fem. *gibai*, *anstai* ex una parte plurali *gibōm*, *anstīm*, ex altera vero masculino *fiskă*, *balgă* respondet, vel præteritum *habaida* ex una parte cum *sokīda*, ex altera cum *spillōda* parallelum incedit. Pariter licet in absonantia *steigan*, *staig* τῶ *driusan*, *draus* respondeat, in dubio tamen remanet, utrum *ai* et *au* ad normam præsentis longa, vel ad normam pluralis *stigum*, *drusum* brevia esse debeant. Magis adhuc arduum est determinare hujus diphthongi quantitatem in syllaba radicali, cum affinium linguarum collatio eo minus inserviat, quod ex plurimis tantum similibus casibus lex certa ferri queat, et ubi de uno suspicatur, de omnibus suspicari possit. Hoc autem certum est, quod *ai* breve sit, ubi per ruptionem ex *i* deducitur (§ 32, 5).

5) Ut ut est *ai* idem sonat atque *ä* Germanorum vel *e* apertum in vocabulis *Berg*, *Feld*, *Recht* gall.

Digitized by Google

e ouvert in *excès, procès*). Quod ea sit hæc prolatio τοῦ *ai* in quibusdam saltem casibus, jam a veteribus grammaticis in cod. vindobon. (vid. *Wien. Jahrb.* XLIII, 11) fuit assertum, et in genere semper animadversum; quonam enim alio modo sonus græci ε significari potuisset? Sed quæritur insuper, utrum præter hanc prolationem non detur et altera, germanicæ proxima, ita ut, ad discriminandas has duas prolationes, aliam per *aí*, alteram vero per *ái* designaverint. Quam discrepantiam ut admittamus, sequentium rationum nos commovet auctoritas:

a) *Aí* ex *i* per ruptionem nascitur et est breve, *ái* vero diphthongus est et longum;

b) *Aí* et *ái* diversis vocalibus respondent in exscriptione vocabulorum peregrinorum, igitur ipsa inter se discrepare debent;

c) *Aí* adhibetur tam pro græco ε quam pro αι, profertur ergo in priori casu *aí*, in posteriori *ái*;

d) In comparativo *maiza* (ex *mah* et *iza*) adhuc perspicuum est, quomodo *ai* ex *a* et *i* ortum duxerit;

e) *Ai* quandoque in *aj* incidit, ergo utraque vocalis in proferendo audiri debuit.

Sed, vere ut dicamus, nec impugnabiles istæ sunt rationes, nec ex monumentis gothicæ linguæ ullo modo comprobatur illa distinctio, ad perturbandam gothicorum sonorum doctrinam, in se simplicem et regularem, magis, quam ad illustrandam inserviens. Primum igitur ad ullam compositionem vel conjunctionem recurrere necessum est, ut varia prolatio τοῦ *ai* explicetur, cum pari jure proferri potuerit ε̆, ε̄ et εῐ, εῑ. Cæterum eo modo in viennensi codice (vid. *Wien. Jahrb.* XLIII, 11) prolatio vocabuli *libaida*, allato *libeda*, statuitur, hoc expresse addito: « *diptongon* ai *pro* e *longa*. » Quoad vicinarum linguarum analogiam, huc afferri nequit, quippe cum gothica omnium germanicæ stirpis nobis sit antiquissima, et illegitima proinde omnis conjectura ex recentiori, scilicet, veteri germanica, quæ multimodis corrupta, necnon sonorum systemate neque constans, neque determinata, mediocriter tantum causæ profuisset. Nunc vero si *ai* græco ε et αι vicissim respondet, non inde concludas gothicam diphthongum duplicem habuisse sonum, sed legitimè tantum asseras veteres Græcos, illi saltem qui Ulfilæ coævi erant, αι, quemadmodum recentiores Græci, ut ε protulisse, quod factum, ab omnibus fere hodiernis philologis generaliter admissum, ab eo insuper vim obtinet, quod voc. Γραικός, Græcus, gothice *kreks* exscriptum sit. Nec minus equidem certum est voc. *maiza* a radice *MAH* et terminatione comparativa *iza* ortum ducere, quam *ai* in nonnullis paucis casibus in *aj* incidere; sed ex hac circumstantia valor quidem etymologicus, non autem phonicus exsurgit. Enimvero, ut rem nostram exemplo congenere illustremus, quemadmodum ex eo quod *tauï*, invito præterito *tavida*, genitivum *tojis* efformet, etymon quidem *TIVAN*, *TAU* (rad. *TAV*) innotescit, non autem sonus, nisi quod *au* τῷ ὸ affinis est, ita *maiza* ex *ma* - *iza* componi potuit, quin duo elementa in prolatione necessario separari debeant. Res eadem se habet in sanskrita lingua, in qua *a* et *i* ex regula constanti in *e* confunduntur. Quoad vero *ai* in *aj* transiens, hoc etiam animadvertendum est, quod in solis *aiv*, *ajukduþ*, *vai*, *vaja* (non autem in *bai*, *bajoþs* a *BA*) locum habeat; quas formationes lingua gothica, qualis nobis tradita fuit, nullo fere modo explicare potest, quæque, sicut *maiza*, sine dubio ad ea pristina sermonis tempora adscribenda sunt, quibus sensus etymologicus nondum erat hebetatus. Si ergo nullis argumentis *ai* in duplicem diversum sonum dividendum esse statuitur, jam quæritur quomodo Gothus, cujus lingua sonorum systema tam regulare et simplex exhibet, sonos ipsos, quales *i*, *ei*, *e*, qui mirifice alii in aliis incedunt, adeo secure et præcise discreverit, ut in omnibus fere casibus et invita scriptionis fluctuatione in nonnullis codicibus, facile sit recte et indubitanter conjicere? Quomodo Gothus sonos tantam diversitatem præ se ferentes, quantam *e* et *aí*, *o* et *au* eodem et unico signo significare potuerit? Nunc vero si *aí* et *ái* nullo discrimine habuit, si cuivis accentuationi prorsus alienus fuit, si aliunde nulla necessitate talis discrepantia desideratur, sermonem gothicum sane torqueret, qui hanc discrepantiam introducere tentaret. Cæterum *ai* et *au* ejusdem sunt conditionis: cum ergo confidentius adhuc probaverimus, *au* semper sicut *o* apertum proferri et quamlibet differentiam *aú* inter et *áu* rejiciendam, novum erit argumentum, quo distinctio illorum *aí* et *ái* iterum impugnabitur. Ex consectariis falsis idem insuper statuitur: *aí* (*aú*) enim regulariter ante *r* et *h* (et *w*) adhiberi debet, et tamen plurima vocabula his consonantibus *ái* (*áu*) præpositum præbent et alia diverse diversum accentum usurpant; quæ fluctuatio præcipue patet in casibus, ut *gatáih* et *gataíhum*, *áihta* et *aíhtron*, *sái* et *saíwan*, *dráusna* et *draúhsna*.

AU

§ 29. 1) *Au* ut sonus simplex tam frequenter occurrens quam *ai*, quamlibet vocabuli sedem occupare potest et quibusvis consonantibus conjungi:

a) Initio: *audags*, *augo*, *auhuma*, *auhsa*, *auþs*, *aukan*, *aurali*, *aurtja*, *auso*, *aufto*;

b) Medio: *bauan*, *blauþjan*, *bnauan*, *gaunon*, *dauþus*, *drausjan*, *haubiþ*, *hlauts*, *dishnaupnan*, *þaurnus*, *þlauhs*, *þraut*, *kaurn*, *kraust*, *laun*, *maurgins*, *nauþs*, *rauds*, *sauhts*, *skaudaraip*, *afslauþjan*, *spaurds*, *staua*, *gataura*, *trausti*, *vaurd*, *gaufaurs*, *flautan*, *frauja*, *waurbun*; *trauan*, *trauaida*, *sauil*, *galaubeins*, *usbaugjan*, *sauds*, *nauh*, *dauhts*, *bauþs*, *galauk*, *sauls*, *gaumjan*, *dauns*, *taujan*, *raupjan*, *faura*, *þaurbun*, *saurga*, *baurd*, *vaurhta*, *faurhts*, *vaurþum*, *maurþr*, *staurknan*, *vaurms*, *haurn*, *gabaurjoþus*, *þaurp*, *staurran*, *þaursus*, *raurstv*, *vaurts*, *þaurfta*, *raus*, *lausjan*;

c) Fine: *dau*, *þau*, *jau*, *snau*, *ahtau*, *sunau*, etc.

« Annotatio 1. — Huc non referendi sunt casus in quibus *a* et *u* ad diversas syllabas pertinent, ut in *gau* Mth. IX, 28; Mc. VIII, 22, *sau* Joan. IX, 2, 19, *svau* 18, 22, *wauh* Cor. I, IV, 7, *gaunledjan*.

Digitized by Google

2) In exscriptis vocabulis græcis pro o regulariter ponitur, ex. gr.: *bauaus* Βοὸς, *barþaulaumaius* Βαρθολομαῖος, *diakaunus* διάκονος, *eikaunio* Ἰκόνιον, *zaurauabil* Ζοροβάβελ, *iaurdanus* Ἰόρδανος, *Kaurazein* Χοραζίν, *nicaudemus* Νικόδημος, *paunitius* Πόντιος, *praufetus* προφήτης, *saudauma* Σόδομα, *saulaumon* Σολομῶν, *aunisimus* Ὀνήσιμος, *apaustaulus* ἀπόστολος, *bairauja* Βέροια.

« Annotatio 2. — Per exceptionem ponitur *a*) pro græco ου: *saillaum* Σιλλούμ, *maisaullam* Μεσουλάμ, *rabbaunei* ῥαββουνί, *banauī* Βανουί, *nabau* (? gen. *nabauis*) Ναβού, *assaum* Ἀσούμ; *b*) pro græco ω: *praitauria* Joan. XVIII, 33; XIX, 9 πραιτώριον, *dauriþaius* Δωρόθεος, *trakauneilidus* Τραχωνῖτις, *adauneikam* Ἀδωνικάμ, coll. § 26, 2, b; *c*) pro græco υ: *saur* Σύρος, *paurpaura* Luc. XVI, 19 πορφύρα; *d*) pro græco α: *kaurbanaun* κορβανᾶν. »

3) *Au* frequenter commutatur cum *u*, non solum in nominibus propriis, sed etiam præcipue in terminationibus substantivorum in *us*, ex. gr.: *fairwaus* Gal. VI, 14 pro *fairwus*, *sunaus* Luc. IV, 3 pro *sunus*, *barteimaiaus* Mc. X, 46 pro *barteimaius*, *dauþau* Joan. VIII, 53; Cor. I, XI, 26; Tim. II, I, 10 pro *dauþu*, coll. ad Mc. VII, 32; Tim. I, I, 16. Vice versa occurrit *sunus* Eph. IV, 15; Gal. II, 20 pro *sunaus*, *apaustaulus* Cor. II, XII, 12 h. l. pro *apaustaulaus*, *xristu* Gal. V, 6; Eph. V, 24 pro *xristau*, *teimauþaiu* Thess. I, III, 6 pro *teimauþaiau*, coll. ad Luc. I, 54. In vocativo casu uniuscujusque declinationis *u* et *au* adeo promiscue usurpantur, ut difficile definiri possit, quænam vocalis sit regularis, coll. ad Luc. XVIII, 38. Qua commutatione τῶν *au* et *u* non agnita, Castillionæus hic totidem librarii menda commentatus est (ex. gr. ad Phil. III, 8, 19; coll. III, 5; Thess. I, III, 6; Tim. I, I, 16).

« Annotatio 3. — De *au* in *o* commutato vid. § 26, 4. »

4) In ordine ad quantitatem *au* maximam cum *ai* præ se fert analogiam; sic hujus ad instar breve est et longum, licet in nonnullis casibus hæc quantitas certo statui nequeat. Ubi vero ex *u* per ruptionem (§ 32, 5) exoritur, ut breve semper habendum est.

5) *Au* in omnibus casibus idem sonat atque *o* apertum in germanicis vocabulis *Korn*, *Holz*, *doch*.

Etiam pro *au* duplicem excogitaverunt prolationem, quæ partim τῷ *o*, partim τῷ *au* responderet, duplicemque adhibentes notam, priori, *aú*, posteriori *áu* assignarunt, coll. *aí* et *ái* (§ 28, 5). Sed hanc contra sententiam pugnat, quod ex diversa quantitate diversa prolatio concludi nequeat, neque ulla conjectura in gratiam gothicæ linguæ antiquissimæ nec non et purissimæ, ex dialectis longe posterioribus partimque jam extinctis ullo pacto duci possit. Et ex ipsa lingua gothica hæc distinctio τοῦ *au* multo minus, quam distinctio τοῦ *ai* adstrueretur; quippe cum hæc diphthongus in exscriptis vocabulis peregrinis tum græco ε tum græco αι respondeat, illa autem pro græco ο tantum regulariter usurpata, neque græco αυ neque latino *au* unquam congruat, his diphthongis per gothicum *av* semper transcriptis, ex. gr.: *ragav* Ῥαγαῦ, *esav* Ἠσαῦ, *pavlus* Παῦλος, *daveid* Δαυεῖδ, *kavtsjo* (non autem *kautsjo* Grimm. III, 339) cautio, sed loco *augustus* Αὔγουστος, in quo concursus τῶν *u* et *g* gothicam aurem offendere potuisset, usurpatur in Luc. II, 1 non equidem *augustus*, sed *agustus*. Immo et in vocabulis gothicis *au* ex certis regulis cum *o* commutatur (§ 26, 4); quæ ultima vocalis, non autem *au*, frequentem etiam illustrare potest commutationem τοῦ *au* cum *u*, cujus affinitatem phonicam cum *o* jam supra (§ 24, 4) innuimus. Sed objicitur *áu* etiam in *av* incidere, ex. gr.: *taujan*, *tavida*, *MAUJA*, *mavi*, quam objectionem mere speciosam esse ex eo patet, quod huic *taujan* etiam *tojis*, et huic *tavida* etiam *taui* respondeant, ita ut cogemur etymologiam et sonum hic etiam discernere, et in gothica lingua similem respectum agnoscere, quem in sanskrita, ubi pariter *a* et *u* confunduntur in *ô*, quod iterum in *av* resolvitur.

EI

§ 30. 1) *Ei* ejusdem est comprehensionis atque *ai* et *au*, initio tamen nonnisi rarissime occurrens;

a) Initio: tantummodo in *ei*, *eis*, *eisarn*;

b) Medio: *beidan*, *bleiþs*, *usgeisnan*, *greipan*, *deigan*, *dreiban*, *qeins*, *heito*, *hleibjan*, *hneivan*, *þeihan*, *þreihan*, *keinan*, *galeiþan*, *meina*, *neiþ*, *peikabagms*, *reiks*, *seiþu*, *skeinan*, *sleiþa*, *smeitan*, *sneiþan*, *speivan*, *steigan*, *svein*, *gateihan*, *tveihnai*, *veihs*, *andavleizns*, *insveinan*, *freidjan*, *weits*; *sveiban*, *gageigan*, *hleiduma*, *veihnan*, *þeihs*, *leihts*, *þreihsl*, *leiþus*, *hleiþra leik*, *weila*, *skeima*, *lein*, *undarleija*, *veipan*, *reiran*, *skeirs*, *veis*, *leitils*, *fairveitl*, *heivafrauja*, *tveifls*, *leiwan*;

c) Fine: *nei*, *þei*, *sei*, *þatei*, *aiþei*, *gabei*, *managei* etc., et imperativi *sokei*, *lagei*, etc.

2) Pro græcis ει et ι indiscriminatim usurpatur, sit istud accentu notatum, necne, sit breve vel longum. *a*) Pro ει: *ïaeirus* Ἰάειρος, *ïoreim* Ἰωρείμ, *aileia keim* Ἐλιάκειμ, *Samareites* Σαμαρείτης, *helei* Ἠλεί; *b*) pro ι accentu notato: *addeín* Ἀδδί, *aisleim* Ἐσλί, *mailkein* Μελχί, *saimaieín* Σεμεί, *rabbei* ῥαββί, *kumei* κουμί, *helei* Ἠλί, *daveid* Δαυΐδ, *baineiamein* Βενιαμίν, *aizaikeia* Ἐζεκία, *ananeias* Ἀνανίας, *barakeias* Βαραχίας, *heleias* Ἠλίας, *seimon* Σίμων, *aivneika* Εὐνίκη, *þaissalauneika* Θεσσαλονίκη, *teitus* Τίτος, *areistarkus* Ἀρίσταρχος, *peilatus* Πίλατος; *c*) pro ι nullo accentu notato: *aipafraudeitus* Ἐπαφρόδιτος, *eikaunio* Ἰκόνιον, *adauneikam* Ἀδωνικάμ, *abeileni* Ἀβιλήνη, *aileiaizair* Ἐλιάζερ, *aileisabaiþ* Ἐλισάβετ, *ameinadab* Ἀμιναδάβ, *areimaþaia* Ἀριμαθαία, *kaeinan* Καϊνάν, *galeilaia* Γαλιλαία, *taleiþa* Ταλιθά, *teimaius* Τιμαῖος, *teimaþaius* Τιμόθεος, *þaiaufeilus* Θεόφιλος, *iaireiko* (*eiaireiko* Esdr. II, 34) Ἱεριχώ, *tykeikus* Τυχικός, *teibairius* Τιβέριος.

« Annotatio 1. — Quandoque etiam ponitur pro η (cujus prolatio jam ætate ulfilana ad ῑ proxime accedebat): *aimmeira* Ἐμμήρ, *kyreinaius* Κυρηναῖος,

Digitized by Google

aþeinein Ἀθῆναι, *nazoreinus* Ναζωραῖος, *obeid* Ὀβήδ, *eiram* Ἤραμ, *alrmeageinein* Ἠρμογένης, *aneiseisaurus* Ἀνεισεσαῦρος, *paraskaiwein* Mth. XXVII, 62 παρασκευήν *draxmein* Luc. XV, 9 δραχμήν, vid. h. l. Per exceptionem pro *e* : *makeibis* Μακεδείς. »

3) *Ei* cum *e* frequenter commutatur, ita ut non solum *e* pro *ei* stet (§ 23, 6), sed etiam vice versa *ei* pro *e* adhibeatur, ex. gr. : *leitan* Mth. IX, 6; Mc. XV, 9 et sæp., *greitan* Mc. XIV, 72; Luc. VII, 38 et sæp., *qeins* Luc. I, 5; II, 5, *faheiþs* Luc. VIII, 43, *manaseiþs* Luc. IX, 43 et sæp., *speidins* Mth. XXVII, 64, *bireiks* Cor. I, XV, 30, *leivjan* Joan. VI, 64, *teikan* Col. II, 21, *anasteleip* Luc. VIII, 23, *usmeitum* Cor. II, *I*, 12 h. l., *veiseis* Joan. XI, 32, *veisun* Neh. V, 15; VI, 17, *veiejau* Neh. V, 14, *dalei* Luc. III, 5, *fareisaiei* V, 33, *iudaiei* Joan. XI, 45; XII, 11, *gardei* Luc. X, 5, *þizeiei* Phil. III, 19, *isei* Joan. VII, 50; Cor. II, IX, 2, 14, *þizei* Mc. XIV, 69; Luc. XIV, 15; Joan. VII, 50; Cor. II, IV, 18; Gal. II, 10; Tim. II, II, 14, *þizeisei* Gal. III, 19; *hidrei* Luc. IX, 41, *þandei* Luc. I, 34, et sæp., *svarei* Cor. II, VI, 1, *iohannein* Luc. III, 15, *visseis* Luc. XIX, 22.

‹ Annotatio 2. — *Ei* quandoque etiam pro *i* usurpatur, ex. gr. : *kunnei* Joan. XVII, 23, *dreibeina* Mc. IX, 18, *greteiþ* Rom. IX, 27, *flauteiþ* Cor. I, XIII, 4, *sinteiþ* Cor. II, XIII, 3, *baireiþ* Gal. VI, 5. »

4) Quamvis *ei* quandoque stet, ubi, consulto græco, *i* breve spectaretur, semper tamen longum remanet, quippe cum in genuinis vocabulis gothicis tum ut longum τοῦ *i*, tum ut ex *ii* efformatum videatur; sic in plurali *gasteis* a *GASTI*, cum *vigos* a *VIGA*, in conj. *vandeiþ* pro *vandi-iþ*. Etymologice loquendo *ei* ejusdem est conditionis atque *ji*, ex. gr. : *lagjiþ* cum *vandeiþ*, *harjis* cum *hairdeis*, *gavairþjis* cum *gavairþeis*, vid. ad Luc. I, 23; sed immerito asseretur *ei* in istis casibus ex *ji* ortum duxisse. Utriusque discrepantia facile patet ex præcedentis syllabæ quantitate; cum enim hæc radicalis syllaba brevis est, corroborandi causa inducitur *ji*, ut in *harjis*, *lagjiþ*; cum autem longa est syllaba, quæ vel tali corroboratione non indiget, vel syllabam derivativam huic corroborationi incompatibilem præcedit, tunc *ei* adhibetur, ut in *hairdeis*, *vandeiþ*, *sokeiþ*, *mikileiþ*, *laisareis*.

5) *Ei* appellatur ut *e* et *i*, quorum prolatio satis distincta esset, ut non confundatur, non autem satis, ut auri dividatur. Quam probat non solum ex eo quod *ei* etymologice valeat ῑ vel *ii*, sed ex eo quod frequenter commutetur cum *e* et *i*, nec non et pro græco ι regulariter adhibeatur.

IU

§ 31. 1) *Iu*, gothicarum vocalium ultima, magis usu restringitur, quam aliæ; in solis enim radicalibus syllabis occurrens, nec in syllabis derivativis (excepto unico et consequenter dubio *uhtiug* Cor. I, XVI, 12) nec in exscriptione vocabulorum peregrinorum invenitur. Ex sequentibus exemplis ejus usus innotescet :

a) Initio : *iumjo*, *iup*, *iusiza*, *iusila* ;

b) Medio : *biudan*, *giutan*, *diups*, *driusan*, *gaqiujan*, *hiufan*, *hiuþ*, *dishniupan*, *þiuþ*, *þliuhan*, *kiusan*, *kriustan*, *liubs*, *niutan*, *jiuka*, *gariuds*, *siujan*, *afskiuban*, *sliupan*, *sniumjan*, *stiurjan*, *tiuhan*, *frius* ; *þlubs*, *driugan*, *þiuda*, *diuza*, *liuhaþ*, *hiuhma*, *liuhtjan*, *niuhsjan*, *liuþon*, *siuks*, *jiuleis*, *hliuma*, *niun*, *niujis*, *diupa*, *riurs*, *fraliusan*, *liuta*;

c) Fine : *triu*, *kniu*, *þiu*.

‹ Annotatio. — In *niu* (a *ni-u*), *siun* (loco *sijum*) et *siuþ* (loco *sijuþ*) *iu* non est diphthongus, sed duplici constat syllaba. Pariter in vocabulis peregrinis, ut *iudas* Ἰούδας, *filippistus* Φλιππήσιος, quapropter hiq etiam cum *ju* commutatur : *judas* Joan. XII, 4. »

2) *Iu* etymologice loquendo longum est τοῦ *u*, quemadmodum *ei* longum est τοῦ *i*; quod imprimis perspicuum est ex collatis utriusque absonantiæ c'assibus :

		Præs.	præt. sing.	præt. plur.	part. præt.	verbale.
classis	*i* :	*reisa*	*rais*	*risum*	*risans*	*rists*
classis	*u* :	*liusa*	*laus*	*lusum*	*lusans*	*lusts*

Idem quoque innotescit in nominibus plur. substantivorum masc. et fem. generis, quorum radicalis forma in *u* desinit, cum hic etiam aliorum substantivorum analogia *i* produci jubeat, ut sequens exhibet collatio :

	a radicale		*i* radicale		*u* radicale	
forma radicalis :	*VIGA*,	*GIBA*	*GASTI*,	*ANSTI*	*SUNU*,	*HANDU*
nom. plur. :	*vigos*,	*gibos*	*gasteis*,	*ansteis*	*sunjus*,	*handjus*

3) *Iu* sermoni gothico proprius sonus fuisse videtur, cujus prolatio eo difficilius conjici potest, quod in exscriptione vocabulorum peregrinorum non occurrat. Certum est saltem hanc vocabulam non idem sonasse atque *iu* Germanorum, vel *u* Gallorum, cum nusquam pro græco υ transcribendo inserviat. Fuit probabiliter aliquid duobus sonis *i* et *u* commixtum. Hinc in gothicis nominibus propriis apud auctores latinos occurrentibus, exscribitur *eo*, ex. gr. : Theodoricus (*þiudareiks*). Hinc etiam ratio datur, cur ex una parte in *iv*, ex altera autem in *ju* incidat. In *iv* transiens occurrit in *kniu* gen. *knivis*, *triu* gen. *trivis*, *þius* gen. *þivis*, *qius* plur. *qivai*; transiens in *ju* datur in plur. *sunjus*, *handjus*, etc., cum hic etiam, ut supra 2) diximus, aliarum declinationum analogia *u* radicalis formæ produci jubeat; sed genit. *sunive* *i* iterum assumit, quapropter *u* in *v* commutatur.

§ 32. Nunc vero serie gothicarum vocalium absoluta, nobis restat, nonnullas affectiones, quibus vel omnes in genere, vel saltem plurimæ vocales subjacent, hic breviter describere. Jam vero hæ affectiones sunt : *productio*, *correptio*, *absonantia*, *debilitatio*, *ruptio*, *apocope*, *syncope*, *hiatus* et *contractio*.

1) *Productio* est transitus vocalis brevis in suam

Digitized by Google

longam respondentem, ut *a* in *o* (§ 22, 7), *i* in *ei* (§ 23, 6), *u* in *iu* (§ 31, 2).

2) *Correptio* vocalis per consonantem sequentem efficitur. Liquidæ præsertim, necnon *s*, *z*, *h* et *f* vocalem præcedentem regulariter corripi jubent, cum scilicet una vel plures consonantes in eadem syllaba sequuntur, ex. gr. : *balgs*, *allai*, *malmo*, *valdan*, *halbs*, *hals*, *salt*, *milds*, *filleins*, *hilms*, *hilpan*, *dulgs*, *fulls*, *mulda*, *vamba*, *mammo*, *svimman*, *trimpan*, *dumbs*, *andanumis*, *laggs*, *band*, *dragk*, *fanþ*, *manna*, *ansts*, *briggan*, *drigkan*, *sigqan*, *vinds*, *vinnan*, *gaminþi*, *juggs*, *bistugqs*, *mundrei*, *kunnan*, *kunþs*, *varge*, *arms*, *þarbs*, *vardja*, *varþ*, *bairgan*, *svairban*, *vairdus*, *vairþs*, *fairra*, *fairzna*, *baurgs*, *þaurfts*, *vaurd*, *vaurts*, *maurþr*, *wass*, *asts*, *ist*, *fisks*, *brusts*, *razn*, *andavizn*, *anabuzns*, *mahts*, *raihts*, *sauhts*, *hafts*, *gifts*, *skufts*.

« Annotatio 1. — Vocalis autem non corripitur, quando consonans liquidam sequens non ad eamdem radicis syllabam, sed ad terminationem pertinet, ex. gr. : *smals*, *fuls*, *sums*, *vans*, *muns*, *gaurs*, *valjan*, *gramjan*, *sunja*, *harjis*, *gabaurjaba*, *gaþaurnan*.

« Annotatio 2. — In plurimis casibus litteræ *l*, *m*, *n*, *r*, *s* in se et propter se correptionem attrahere videntur, unde fieri potest, ut in scriptione vel sine necessitate geminentur, vel, ubi etymologia geminationem postularet, simplices adhibeantur (§ 55, annot. 1, 2).»

3) *Absonantia* (1) in eo consistit, quod vocalis syllabæ radicalis sive per deductionem sive per vocabuli formationem juxta certas regulas in aliam transeat. Dantur quædam absonantiæ series, quæ tum duas, tum tres et etiam quatuor diversas vocales amplectuntur, quæque ubi de formatione conjugationis fortis (§ 117, f, g) nec non et vocabulorum (§ 139, 143) quæstio erit, præcipue occurrent fusiusque tractabuntur. Hic vero sufficiat, ex istis classibus præcipuas in ordine ad sonum excerpere, unde sequentes evadant classes :

1ª classis :	*i*	*a*	*u*	*u*
2ª —	*i*	*a*	*e*	*u*
3ª —	*i*	*a*	*e*	*i*
4ª —	*ei*	*ai*	*i*	*i*
5ª —	*iu*	*an*	*u*	*u*
6ª —	*a*	*o*	*o*	*a*

Ex. gr. : *bindan*, *band*, *bundun*, *bundans* ; *niman*, *nam*, *nemun*, *numans* ; *giban*, *gaf*, *gebun*, *gibans* ; *beitan*, *bait*, *bitun*, *bitans* ; *biudan*, *bauþ*, *budun*, *budans* ; *sakan*, *sok*, *sokun*, *sakans*.

In prima, secunda et tertia classibus *a* pura radicis vocalis prævalet, in quarta *i*, in quinta *u*, in sexta autem, omnium imperfectissima, iterum apparet *a*, in quo latens longum *o* radicis per absonantiam corripi videtur ; qua de causa quæritur, utrum hæc classis secundariam radicum formationem ex secunda et tertia classibus non exhibeat, ut, ex. gr., *ganoh* derivatur a *nahan*, quod ipsum ad verbum primæ classis deperditum pertinet (§ 26, 4), vel ut *vrohjan* ad quoddam *vrahan*, *vroh* referendum, quod ex *vrikan*, *vrak* deductum est. Pro hac affinitate etiam militant, quod plurima verba, ad hanc classem pertinentia, in præsenti *j* advocant, id est, debiliter conjugantur. Ad sextam et alia absonantiæ classis, rarior equidem, proxime accedit, nempe :

7ª classis : *ai*, *e* *o* *o* *ai*, *e*

quæ in verbis reduplicatis tantummodo occurrit (§ 126). In hac classi *e* præsentis primitiva esse videtur, ante alias vocales non remanens equidem (§ 25, 1, c), sed in verbis, quorum radicalis syllaba vocali desinit, cum *ai* ejus sono affini commutata, eodem prorsus modo atque in similibus casibus (§ 26, 3) *au* τοῦ *o* personam gerit.

« Annotatio 1. — Quod autem tres priores classes maximam inter se habeant relationem, vel primo intuitu patet. In his enim triadem vocalium gothicarum sese evolventem vidimus, unde non immerito propter *a* dominans, eis, ut primitivis, primam sedem adscripsimus. In quarta et quinta classibus, quæ arctissimam quoque affinitatem inter se habent, *a* prorsus deficit, iterum tantummodo apparens hic *i*, illic *u*, quorum absonantia sive per productionem (*ei*, *iu*), sive per ruptionem (*ai*, *au*) efficitur. Nunc vero cum productio et ruptio latiorem simplicis sonorum systematis evolutionem supponit, has classes proinde ut posteriores habuimus ; sextam autem, sive quia e prima deducta est, sive quia recentissima aut saltem imperfectissa, immamediate post eas ad ultimum locum remisimus.

« Annotatio 2. — Quamvis absonantia in formanda conjugatione forti præcipue appareat, dantur tamen nonnulli casus, in quibus evidenter ad hanc conjugationem referri nequit, ut in *dogs*, a *dag*, *hobains* a *haban*, *ganohs* a *nahan*, quæ omnia ad analogiam sextæ classis efformantur, licet verbum *dagan*, *dog*, *haban*, *hob* mirum simul et inadmissibile videatur (propter conjectum *NAHAN*, *NOH*, vid. § 26, 4). Aliud exemplum absonantiæ irregularis præbet *briggan*, *brahta*, quod primam classem sapiens, primitivum forsan *brigan*, *brag* conjiciendum exhibet, ex quo per introductionem nasalis (ut in *standan*, *stoþ*, vel in *þagkjan*, *þahta*) novum præsens, et per latiorem formationem præteriti, etiam in nonnullis aliis verbis occurrentem (coll. *mag*, *mahta*, *og*, *ohta* etc.), novum præteritum cum debili flexione exortum est. »

4) Quem influxum habet absonantia in vocalem syllabæ radicalis, eum etiam habet *debilitatio* in vocalem syllabæ formativæ. Huic affectioni sola vocalis *a* subjacet, quæ sub ejus influxu cum *i* vel *u* commutatur ; atqui debilitatio tum ex natura vocalis

(1) Quoniam vocabulo germ. *Ablaut* nullum latinum perfecto, ut video, respondet, ne periphrasi utar, quod interpretationi semper incommodum est, novum vocabulum excogitare malui. Itaque in hujus operis decursu ubique aderit voc. *absonantia* transitionem vocalis seu soni in alium, lector benevole, intelligas. *Interpr.*

Digitized by Google

consonantem vel præcedentis vel sequentis, tum ex additione longioris syllabæ formativæ dependet nec non et in formatione sive declinationis sive conjugationis formarum adhibetur. Jam vero usus ejus ex sequentibus præceptis regulari potest :

a) *A* in *i* debilitatur :

aa) Ante dentales et sibilantes, ex. gr. : in declinatione *VIGA* gen. *vigis* (§ 64, 4), in conjugatione *lagja*, *lagjis*, *lagjiþ*, *lagjam*, *lagjiþ*, *lagjand*, particip. *lagiþs* (§ 113) ;

bb) Cum syllabam formativam altera cum *a* sequitur; sic eo modo dativus *hanin* a radice *HANAN* illustrandus est (§ 88, 4), licet suum *a*, dativi characteristicum, commutaverit; nam formas *hanana*, *hanina*, ut ad *hanin* deveniat, percurrisse censetur. Eadem ratio fortasse valet pro *i* ante substantivorum terminationes *þa*, *lo*, etc., ex. gr. : *daubiþa* a *DAUBA*, *kauriþa* a *KAURA*, *sviknipa* a *SVIKNA*, *barnilo* a *BARNA*, in quibus eo magis *i* ad dentales inclinare videtur, quod si dicatur quidem *magula* a *MAGU*, non autem *agluþa*, *manvuþa* ab *AGLU*, *MANVU*, sed *agliþa*, *manviþa*.

b) *A* finale in *u* tunc debilitatur, cum in conjugatione *a* syllabæ radicalis per transformationem in *u* incidit, sic in præt. plur. *bundun*, *bunduþ*, *bundun*, cum *bindam*, *bindiþ*, *bindand*. Hujusmodi debilitatione etiam in verbis, qui *u* ut vocalem transmutationis in præterito plur. non habent, occurrente, merito hanc formam primitivam et antiquissimam esse concluditur. Peculiaris est debilitatio in *ainummehun* loco *ainammahun*, ubi per longam sequentis syllabæ attractam esse videtur.

5) *Ruptio* est permutatio τῶν *i* et *u* in *ai* et *au*. Consequitur partim ex regulis absonantiæ (vid. supra 3), partim ex retrogrado influxu præcedentium consonantium *r*, *h* et *w*, et quidem in omnibus casibus locum habet, in quibus *i* et *u* reipsa longa sunt. Ruptio igitur in absonantiam ipsam realiter influit, cum ubicunque ex hujus regulis *i* vel *u* poni deberet, *ai* vel *au* usurpatur. Hinc novæ absonantiæ classes, quæsequuntur :

1ª series	*ai*	*a*	*e*	*au*
2ª —	*ai*	*a*	*au*	*au*
3ª —	*ai*	*a*	*e*	*ai*
4ª —	*ei*	*ai*	*ai*	*ai*
5ª —	*iu*	*au*	*au*	*au*
ex. gr. :	*bairan*,	*bar*,	*berun*,	*baurans*;
	vairþan,	*varþ*,	*vaurþun*,	*vaurþans*;
	saiwan,	*saw*,	*sewun*,	*saiwans*;
	leiwan,	*laiw*,	*laiwun*,	*laiwans*;
	tiuhan,	*tauh*,	*tauhun*;	*tauhans*.

6) *Apocope* est rejectio vocalis a fine vocabuli; sic se habent in declinatione dativi *hanin*, *vatin* loco *hanina*, *vatina*; composita cum *uh* enclitico, ut *þammuh*, *anþaranuh*, loco *þamma-uh*, *anþarana-uh*; et etiam *þat-ist*, *kar-ist*, *nist*, *nibai*, loco *þata ist*, *kara ist*, *ni ist*, *ni ibai*.

7) *Syncope* est rejectio vocalis inter duas consonantes positas; quod fit in declinatione pro *vatna*, *namna*, cum *hairtona* (§ 90, annot.) et pro *ainnohun* loco *ainanahun* (§ 111, β), in conjugatione autem pro præterito *bruhta* loco *brukida*, *þahta* loco *þagkida*, etc. (§ 128, annot. 4).

8) *Hiatus* est concursus duarum vocalium ad diversas syllabas pertinentium, ut in *gaarman*, *wauh*, *laudeikaia*, *fiaþva*, *iesus*, *saian*, *bauan*, etc. Jam vero quosdam hiatus dari non posse, jam supra (§ 25, 1 c; 26, 3) ostendimus; alios Gothus temperat sive *j* post *i* introducendo, unde *fijaþva* loco *fiaþva*, *sijum* loco *sium*, etc., sive *i* et *u* in semi-vocalem respondentem commutando, unde *sunjus*, loco *sunius*, *sunive* loco *suniue*, *mavi* loco *mawi*, etc., vel tandem *h* interjiciendo (§ 22, annot. 1).

9) *Contractio* est duarum vocalium concurrentium in unam redactio, ut in *sokeiþ* loco *sokiiþ*, vel in *frêt* (si hæc lectio legitima est) loco *fraat*

II. DE CONSONANTIBUS.

§ 33. Consonantes dividuntur in *semi-vocales* (*j*, *v*), *liquidas* (*l*, *m*, *n*, *r*), *mutas* (*g*, *h*, *k*, *x*, *q*, *w*, *b*, *f*, *p*, *d*, *þ*, *t*) et *sibilantes* (*s*, *z*).

Semi-vocales medium tenent vocales inter et consonantes, siquidem *j* ad *i*, *v* ad *u* coordinentur et sæpius cum his commutentur. Ad semi-vocales proxime accedunt *liquidæ*, aliquid vocalicum ipsæ præ se ferentes, siquidem per se ipsas tenorem habeant et una ex illis, *r*, vestigium puræ vocalium naturæ servaverit. *Mutæ* autem in triplicem classem iterum partiuntur, scilicet : *gutturales* (*g*, *h*, *k*, *x*, *q*, *w*), *labiales* (*b*, *f*, *p*) et *linguales* (*d*, *þ*, *t*); nec non et sunt vel *mediæ* (*b*, *d*, *g*), vel *aspiratæ* (*f*, *þ*, *h*) vel denique *tenues* (*p*, *t*, *k*). Reliquæ gutturalium, partim in solis vocabulis peregrinis occurrunt (*x*), partim proprii sunt soni (*q*, *w*) ad quæ formanda plura vocis organa concurrere videntur. *Sibilantes* denique ad lingualium classem referuntur, in quibus juxta certas sonorum leges incidere possunt. Hinc totum gothicarum consonantium systema sequenti modo ordinari potest :

1. Semi-vocales : *j*, *v*
2. Liquidæ : *l*, *m*, *n*, *r*
3. Mutæ : mediæ, aspiratæ, tenues

a) Gutturales :	*g*,	*h*,	*k*, (*x*), *q*, *w*
b) Labiales :	*b*,	*f*,	*p*
c) Linguales :	*d*,	*þ*	*t*

4. Sibilantes : *s*, *z*.

1. DE SEMI-VOCALIBUS.

J

§ 34. 1) *J* initio tantum syllabarum et vocabulorum occurrit, nunquam autem fine vel ante consonantem, ex. gr. : *jabai*, *jains*, *jau*, *jer*, *jiuka*, *juggs*, *vajamereins*, *bajoþs*, *taijiþ*, *taujan*, *fijands*, *undarleija* (?), *niujis*, *stojan*, *galaubjan*, *lagjan*, *daddjan*,

Digitized by Google

hnujan, *saggqjan*, *vaihjo*, *fraþjan*, *waidja*, *anaviljei*, *qemjam* (Mth. v, 17; x, 34), *sunjus*, *namnjan*, *afwapjan*, *warjis*, *laisjan*, *laistjan*, *aurtja*, *hnaivjan*, *ufjo*, *newjan*.

« Annotatio. — In unico tantum vocabulo a tergo syllabæ invenitur, scilicet in *freijhals* Cor. II, III, 17; Gal. II, 4, ubi lectio *freihals* sine dubio præferendaest. »

2) *J* adhibetur pro græco ι (lat. *i*) sive inter duas vocales incluso, sive post consonantem aut initio posito, ex. gr.: *kajafa* Καϊάφας, *akaja* Ἀχαία, *abjaþar* Ἀβιάθαρ, *iskarjotes* Joan. XIV, 22 Ἰσκαριώτης, *marja* Μαρία, *antiokja* Ἀντιοχεία, *laiktjo* lectio, *kavtsjo* cautio, *jasirus* Ἰάειρος, *janna* Ἰαννά, *jannis* Ἰαννῆς, *jaurdanus* Ἰόρδανος, *judas* Joan. XII, 4 Ἰούδας, *justus* Ἰοῦστος, *jota* ἰῶτα

« Annotatio 1. — In istis casibus frequenter commutatur cum *i*, quod in *iskariotes*, *iasirus*, *iaurdanus*, *iudas* regularius est. »

3) *J* nascitur ex *i*, cum in formativa syllaba vocalis sequitur, ut *laisarjos* loco *laisarios*, *sunjus* loco *sunius*, *þiujos* loco *þivios* (a *þivi*, radice *þIUJA*, in quo *v*, introducto *j*, in *u* iterum resolvitur), *maujos* loco *mavios* (a *mavi*, radice *MAUJA*), *tojis* a *taui*, *lagjiþ* loco *lagiiþ*, *harjis* loco *hariis*.

« Annotatio 2. — De regula, secundum quam *ii* tum in *ji*, tum in *ei* (*sokeiþ* loco *sokiiþ*, *hairdeis* loco *hairdiis*) incidit, vid. § 20, 4.

« Annotatio 3. — *I* vero in *j* transire nequit, cum ad radicem vocabuli pertinet, ut in *siai*, *sium*, *friaþva*, *fiands*, *þius*, *saian*, *vaian*; vel in vocabulis peregrinis, ut *asia*, *arabia*, *kileikia*, *galatia*, *dalmatia*, *aivtaugia*, *aifaisius*, *filippisius*. Excipiuntur *ajukduþ* ab *aivs* et *vaja* a *vai*. »

4) *J* ad vitandum hiatum intromittitur, ubi alia vocalis semi-radicale *i* (*ai*) sequitur, ut in *sijai*, *sijum*, *saijiþ* Mc. IV, 14, *frijaþva*, *fijands*, vid. § 32, 8, coll. prolegg. col. 479 not. [5].

5) *J* Gothorum idem sonasse videtur atque *j* Germanorum, acutius vero quam *y* Anglorum. Qua prolatione propius ad *g* accedente discriminatur *ju* ab *iu*, quæ alias satis similia, in genuinis tamen gothicis vocabulis ita discrepant, ut *iuggs*, *sunius* pro *juggs*, *sunjus* vel *juþ*, *junjo* pro *iup*, *iunjo* scribere non liceat. Hanc etiam prolationem τοῦ *j* definire intendebat, qui in cod. membr. salisb. n° 140 (*Wien. Jahrb.* XLIII, 11) dixit: *ubi dicitur* genuit, j *ponitur*, *ubi* gabriel, g *ponunt*; coll. supra § 12, littera *J*.

V

§ 35. 1) *V* initio, medio et fine vocabulorum occurrit; initio præter vocales etiam τοῖς *l* et *r* præponi potest:

a) Initio: *valjan*, *vens*, *vindan*, *vulþus*, *vokrs*, *vlits*, *vrikan*, etc.;

b) Medio: *slavan*, *favai*, *mavi*, *gavi*, *havi*, *tavida*, *hnaivjan*, *aivs*, *snaivs*, *saivs*, *saivala*, *waiva*, *staiva* Mc. x, 37, *skevjan*, *levjan*, *speivan*, *hneivan*, *heivafrauja*, *kniva*, *snivan*, *þivadv*, *þivi*, *sunive*, *lasive*, *viduvo*, etc.;

c) Fine: *aiv*, *hlaiv*, *snaiv*, *saiv*, *lev*, *gaidv*, *þivadv*, *vaurstv*, præterita *hnaiv*, *spaiv*, *valv* et imperativi *hnaiv*, *spaiv*, *vilv*.

« Annotatio 1. — De *v* ut *y* usurpato vid. supra § 27. »

2) Ponitur pro græco υ post vocalem *Ppavlus* Παῦλος, *esav* Ἠσαῦ, *daveid* Δαυίδ, coll. *kavtsjo* lat. cautio; *paraskaive* παρασκευή, *aivlaugia* εὐλογία, *aivneika* Εὐνίκη, *aivxaristia* εὐχαριστία, *aivaggeljo* εὐαγγέλιον.

« Annotatio 2. — In eo casu quandoque geminatur: *aivva* Εὔα, *laivveis* Λευίς, *laivveitus* Λευίτης, coll. Schneider, *Lat. Formenlehre* I, 367. Pariter *Livigild* in monetis gothicis inscriptum (vid. apud Aschbach, *Westg.* 357) pro *Leovigild*, *Livigild* sumi potuit. Quandoque etiam prætermittitur: *aiodia* εὐοδία, *agustus* Αὔγουστος. *Akvila* autem e græco Ἀκύλας minus, quam e latino *aquila* ortum duxisse videtur. Alias lat. *v* per *b* gothice exscribitur (§ 46, 2). »

3) *V* ex *u* inter duas vocales posito nascitur, ex. gr.: *mavi* a *MAUJA*, *havi* a *HAUJA*, *stravida* a *straujan*, *tavida* a *taujan*, *triva* a *triu*, *kniva* a *kniu*, *þivi* a *þius*, *navis* a *naus*, *sunive* loco *suniue*. Sed iterum in *u* transit, deficiente vocali sequente, ut in *sniwan*, præt. *snau*.

« Annotatio 3. — Simili modo efformatur *fidur-* ex *fidvor*, *tua-* ex *tvia-*. In *spai-skuldrs* a *speivan*, *spaiv*, *s* omnino evanuit.

« Annotatio 4. — Non ubique tamen *u* inter duas vocales positum in *v* incidit, ex. gr.: *tauã*, *stauida*, *trauan*, *bauan*, etc. »

4) *V* Germanico *w*, Anglico *v* congruere videtur. Sed a *v* Latinorum differre debuit, cum *v* lat. per *b* gothice exscribatur, ut supra annot. 2 innuimus, et vice versa goth. *v* in latinis scriptis per *w* (ex. gr. in nominibus VVillienaut, VViliarit), in monetis per *w* (Wittiza, Wittiges) exprimatur. Cæterum ex librarii mendo *vidvor* loco *fidvor* Cor. II, XII, 2 affinitas litterarum *v* et *f* difficillime concluderetur.

2. DE LIQUIDIS.

L

§ 36. 1) *L* frequenter occurrit tum initio tum medio et fine vocabulorum:

a) Initio: *laggs*, *laisjan*, *laus*, *lev*, *leik*, *ligan*, *liuhaþ*, *lustus*, *lofa*, etc.;

b) Medio: *halja*, *hails*, *sauls*, *sels*, *weila*, *skilja*, *jiuleis*, *fula*, *holon*, etc.;

c) Fine: *skal*, *dail*, *mêl*, *til*, etc.

2) Constanter respondet græco λ cujus prolationem habet, ex. gr.: *lysanius* Λυσάνιος, *abeileni* Ἀβιλήνη, *baialzaibul* Βεελζεβούλ, *gabriel* Γαβριήλ. Quandoque redundanter ponitur, ut in *alabalstraun* ἀλάβαστρον, *nauel* Νωέ.

M

§ 37. 1) *M* in qualibet vocabuli sede occurrit:

a) Initio: *manags*, *maiz*, *maurgins*, *mêgs*, *mins*, *minz*, *mulda*, *mota*, etc.;

b) Medio: *namo*, *haims*, *gaumjan*, *andanems*, *skeima*, *himins*, *iamja*, *rums*, *stoma*, etc.;

c) Fine: *qam*, *nam*, *manageim*, *nim*, *sum*, *ainom*, etc.

Digitized by Google

2) Ponitur pro græco μ, cui prolatione omnino respondet, ex. gr. : *moses* Μωσῆς, *hymainaios* Ὑμέναιος, *naum* Ναούμ. Quandoque etiam in fine vocabulorum redundanter jacet, ex. gr. : *mariam* Μαρία nisi Gothus Μαριάμ in suo codice legerit), coll. *bailiam* Cor. II, VI, 15, cum Græcus Βελίαλ, Βλίαρ vel Βελίαρ habet.

N

§ 58. 1) *N* easdem sedes atque *m* occupare potest; sed frequentius occurrit :

a) Initio : *naqaþs, naiteins, nauh, newa, neiþ, niman, niun, nuta, nota*, etc. ;

b) Medio : *vaninassus, sainjan, ussauneins, mena, keinan, ïna, runa*, etc. ;

c) Fine : *man, gamain, laun, ven, sein, namin, siun, ainshun, fon*, etc.

« Annotatio. — Ante gutturales *g* in locum τοῦ *n*, more græco, subditur (vid. § 40, 5). »

2) *N* græco ν omnino respondet, ex. gr. : *naggai* Ναγγαί, *ananeias* Ἀνανίας, *aharon* Ἀαρών. Quandoque etiam a tergo vocabuli redundanter additur, ut in *nerin* Νηρί, *mailkein* Μελχί.

3) *N* simul et ejus subrogatum *g*, ante labiales etiam *m* evadens, ad producendam brevem radicis syllabam quandoque intromittitur, sic in *standan* præt. *stoþ, þagkjan* præt. *þahta, þugkjan* præt. *þuhta, briggan* præt. *brahta*. Vice versa quandoque etiam deficit, ubi vocalis præcedens sive per positionem longa est, sive in suam longam respondentem incidit, ut in *kustanteinus* Constantinus, *seiteins* loco *sinteins*, ut *dobnan* loco *dumbnan*.

R

§ 39. 1) *R* etiam frequenter in omnibus vocabuli sedibus occurrit :

a) Initio : *raþjo, raihts, raups, redan, reisan, rimis, riurs, rums, radjan*, etc.

b) Medio : *faran, vairilo, daure, sveran, reiro, hiri, riurei, skura, horinon*, etc. ;

c) Fine : *bar, vair, daur, skeir, stiur, for*, etc.

« Annotatio 1. — Jam supra diximus (§ 32, 5), quod *r* ante *i* et *u* brevia positum eas frangi jubet. »

2) In vocabulis peregrinis græco ρ respondet, cujus prolationem habuisse videtur, ex. gr. : *raibaikka* Ῥεβέκκα, *markus* Μάρκος, *zaurobabil* Ζοροβάβελ, *ailaisaiar* Ἐλισάρ. In *artarksairksus* (Artaxerxes) redundanter interjectum est, in *airmodam* (Ἑλμωδάμ) pro λ immerito adhibetur.

3) Hujus litteræ (*r*) natura vocalica, quæ in aliis ejusdem stirpis sermonibus, in sanskrito præsertim, perspicua est, in gothico nondum est non agnoscenda. Unde fit, ut quorumdam nominum declinatio, eorum scilicet quæ affinitatis relationem exprimunt, ut *broþar, dauhtar*, declinationi cæterorum vocabulorum apprime conveniat. Ita sane res innotescit ex sequenti collatione utriusque declinationis, monito quod, ad vitandam omnem ambiguitatem, *R* vocale per *r̂*, *R* debilitatum per *r̆*, *R* longum tandem per r̂ significare necessum duxerimus.

Declinatio thematis *BROPR* sicut *VAIRA*.

		Præsens formatio.	Vocalica declinatio.	
Sing.	nom.	*broþar*	*broþr*	*sicut vair*
	acc.	*broþar*	*broþ*	— *vair*
	dat.	*broþr*	*broþr̆*	— *vairu*
	gen.	*broþrs*	*broþr̆s*	— *vairis*
Plur.	nom.	*broþrjus*	*broþr̂s*	— *vairos*
	acc.	*broþruns*	*broþr̂ns*	— *vairans*
	dat.	*broþrum*	*broþr̂m*	— *vairam*
	gen.	*broþre*	*broþre*	— *vaire*

Ad agnoscendam perfectam utriusque declinationis analogiam, considerandum est :

a) *A* in nom. et acc. sing. (*broþar*) vocalem esse euphonicam, ideo huc advocatam, quia *R* vocale (*R* consonanti sono congruens) deficit ;

b) Ex declinatione pluralis innotescere, quod *R* vocale in tono cum *u* commutatum fuerit, unde pro *r̆* semper *ru*, pro r̂ *rju* (loco *riu* § 31, 3) adhibuerunt. In gen. sing. autem, ubi pariter consonans *R* vocale sequitur, hoc equidem in *u* non incidit, quia in declinandis aliis vocabulis ille casus vocalem debilitari jubet, sed saltem vocalis omnino deficit.

« Annotatio 2. — Naturæ vocalicæ τοῦ *r* hoc etiam attribuendum est, quod hæc consonans plerasque cæterarum consonantium sibi initio præponi sinat, scilicet *v, g, h, k, q*, (*x*), *b, f, p, d, þ, t*, et duplices consonantes *sk, sp* et *st, j* tantummodo et *w*, lingualibus et sibilantibus exceptis. »

3. DE MUTIS.

DE GUTTURALIBUS.

G

§ 40. 1) *G* initio, medio et fine vocabulorum nec non initio ante *i* et *r* poni potest :

a) Initio : *gabeigs, gairnjan, gaurs, gebi, geigan, gilþa, giutan, guþ, gods, glitmunjan, gretan*, etc. ;

b) Medio : *magan, laigon, augo, megs, steigan, tigan, tiugan, bugjan, ogan*, etc. ;

c) Fine : *mag, daig, þung, veg, steig*, etc.

2) Græco γ regulariter congruit, ex. gr. : *Gabriel* Γαβριήλ, *gaulgauþa* Γολγοθᾶ, *agar* Ἄγαρ, *magdalene* Μαγδαληνή, *asgad* Ἀσγάδ, *fygailus* Φύγελλος, *synagoga* συναγωγή, *falaig* Φάλεγ (sic Ulfilas Luc. III, 35 cum pluribus codicibus loco Φάλεκ legit).

3) In fine syllabæ frequenter in *h* transit, sic *vaih* a *veigan, mahta* a *magan, bauhta* a *bugjan, brahta* a *briggan, aihta* a *aigan, gahts* a *gaggan*. Quandoque etiam cum *h* commutatur, ut in *aigands* et *aihands* Cor. II, VI, 10, *aigum* et *aihum* Joan. XIX, 7, *aih* et *aig* Cor. I, VII, 13 ; vel ex *h* oritur, ut in *fulgins* a *filhan*. *G* etiam *k* evadit in *gadik* a *deigan*.

4) Quoad prolationem, *g* Gothorum idem sonasse videtur atque *g* Germanorum, id est ut *k* lene initio syllabæ, in fine autem ut aliquid gutturale, germanico *ch* satis simile, coll. § 34, 6.

5) Sequente alia gutturali, sonum nasalem, ut græcum γ comparat, ex. gr. : *aggelus* ἄγγελος, *naggai* Ναγγαί, necnon et in gothicis vocabulis *briggan, siggvan, þagkjan, iggis*, etc. Sequentibus *k* vel *q* frequenter geminatur, ut in *driggkan, þagkjan, uggkis*,

Digitized by Google

þuggjan, *siggqan*, *stiggqan*, *iggqis*. Mendosa autem videtur hæc geminatio in *geiggan* Cor. I, IX, 20 loco *geigan*, cum nulla sequatur gutturalis. Vice versa unicum *g* quandoque pro duplici stat : *fauragagja* Luc. VIII, 3; XVI, 1 loco *fauragaggja*, *unmanarigvai* Tim. II, III, 3 cod. A loco *unmariggvai*, *hugridai* Cor. I, IV, 11 loco *huggridai*, *qaagvein* Skeir. I, c loco *gaaggvein*. In derivatis autem vocabulis hoc *g* nasale deficit sive compensatum sive non (coll. quod de *n* § 38 dictum est), hinc *juhiza* a *juggs*, *huhrus* a *huggrjan*, *gahts* a *gaggan*, *brahta* a *briggan*, *þahta* a *þagkjan*, *þuhta* a *þugkjan*.

« Annotatio. — Loco *g* nasalis quandoque apud Lucam *n* mendose scribitur, ex. gr. : *þankeiþ* Luc. XIV, 31, *bringiþ* XV, 22, *þank* XVII, 9, *inqis* XIX, 31, quod sine dubio influxui romano adscribendum est, quo vigente, noster textus Lucæ recenseri potuit. E romanis Accius scribit etiam *aggelus* loco angelus, vid. Varron. ap. Prisciau. p. 37. »

H

§ 41. 1) *H* etiam in quavis sede vocabuli occurrit et initio ante *l*, *n* et *r* adesse potest :

a) Initio : *haban*, *hailan*, *haubiþ*, *her*, *heito*, *himins*, *hiuhma*, *huljan*, *holon*, *hlaþan*, *hnawjan*, *nrains* ;

b) Medio : *fahan*, *þlaihan*, *fauho*, *þeihan*, *tiuhaþ*, *hoha* ;

c) Fine : *frah*, *jah*, *gataih*, *þauh*, *nauh*, *hauh*, *tauh*, *tiuh*, *-uh*, *skoh*.

« Annotatio 1. — Supra monuimus (§ 32, 5), quod ante *i* et *u* brevia non occurrit, quin ea rumpi jubeat. »

2) Spiritui aspero Græcorum respondet, ex. gr. : *hyssopo* ὑσσωπος, *hymainaios* Ὑμέναιος, *haibraius* Ἑβραῖος, *herodes* Ἡρώδης, etc. Redundans etiam invenitur : *helias* Ἠλίας, *haileisaius* Ἐλισσαῖος ; sed e contrario frequentius omittitur, ut in *airmogaineis* Ἑρμογένης, *ymainaius* Ὑμέναιος, *iairaimias* Ἱερεμίας, *iairusalem* Ἱερουσαλήμ, *iairaupaulis* Ἱεράπολις, *iaireiko* Ἱεριχώ, *osanna* ὡσαννά, *aai* Αἰ ; quæ omissio eo facilius explicatur, quod spiritum Græci non scribebant. Occurrit etiam in monetis *ERMENEGILD* loco *HERMENEGILD*, vid. Aschbach. *Westg.* 358.

« Annotatio 2. — Quod in vocabulis peregrinis duabus vocalibus interjiciatur, jam supra (§ 26, 3) innuimus.

« Annotatio 3. — De ipsius origine ex *g* et *k* vid. § 40, 3 et 42, 3, et de ejusdem commutatione cum *g* vid. § 40, 3. »

3) *H* ante alias consonantes vel in fine vocabuli positum quandoque deficit, ex. gr. : *liuteiþ* Mth. V, 45 loco *liuhteiþ*, *hiuma* Luc. VI, 47; VIII, 4 loco *hiuhma*, *drausnos* Joan. VI, 12 loco *drauhsnos*, *usvaurts* Cor. II, IX, 9 loco *usvaurhts*, *warjo* Mc. XV, 6 loco *warjoh*, *warjano* Skeir. IV, 6 loco *warjanoh*, *wamme* Gal. V, 3 loco *wammeh*, *al* Mc. XV, 38; Thess. II, II, 4 loco *alh*, *þairvakands* Luc. VI, 12 loco *þairhvakands*, *hauhairts* Tim. II, III, 2 loco *hauhhairts*. Hæc prætermissio regularis est in *vaurstv* a *vaurhts*, *gatvo* a *gahts*.

4) Quoad prolationem diversa esse videtur, prout *h* ante vocalem, vel consonantem, vel fine vocabuli reperitur. Ante vocalem positum spiritui aspero Græcorum congruisse potuit, spiritus ipse ; ante consonantem contra germanico *ch* respondet, gutturali littera in initialibus *hl*, *hn*, *hr* vel finalibus *ht*, *hs* evidenter audita. In fine tandem vocabulorum minus fortasse auditum, *h* ad id præcipue inservit, ut præcedentem vocalem acuat, atque adeo sive sequenti consonanti facile assimilatur (§ 56) sive prætermittitur (vid. supra 3).

K

§ 42. 1) *K* initiale, medium vel finale esse potest; initiale autem cum *l*, *n* et *r* conjungi valet.

a) Initio : *kalds*, *kaupon*, *kelikn*, *keinan*, *kintus*, *kiusan*, *kustus*, *klismo*, *knio*, *krusts* ;

b) Medio : *akran*, *laikan*, *aukan*, *tekan*, *peika*, *rikan*, *siukei*, *lukan*, *vokains* ;

c) Fine : *gasak*, *mik*, *sik*, *þuk*, *gajuk*, *taitok*, *auk*, *siuk*.

2) In nominibus propriis et vocabulis peregrinis respondet ordinario *a*) latino *c* et græco κ, cui ultimo prolatione convenit, ex. gr.: *lukarn*, lucerna, *karkara* carcer, *kavtsjo* cautio, *laiktjo* lectio, *kaisar* Καῖσαρ, *kefas* Κηφᾶς, *kileikia* Κιλικία, *krispus* Κρίσπος, *isak* Ἰσαάκ, *iskarjotes* Ἰσκαριώτης, *lucas* Λουκᾶς ; quandoque etiam *b*) græco γ : *makeibis* Μαγεβίς, *kreks* γραικός, græcus, *markreitus* μαργαρίτα ; sæpius tandem *c*) græco χ : *kaurazein* χοραζίν, *kafairi* Χαφιρά, *kusa* Χουζά, *iaireiko* Ἱεριχῶ, *antiaukia* Ἀντιοχεία, *akaja* Ἀχαΐα, *trakauneitidus* Τραχωνῖτις, *tykeikus* Τυχικός, *zakarias* Ζαχαρίας, *saikaineias* Σεχενίας, *taitrarkes* τετράρχης, *areistarkus* Ἀρίσταρχος, *arkaggilus* ἀρχάγγελος, *arkippus* Ἄρχιππος, *paska* πάσχα, *mailkein* Μελχί, *malkus* Μάλχος, *makmas* Μαχμάς, *drakma* δραχμή, *zakkaius* Ζακχαῖος, *ainok* Ἐνώχ, *sairok* Σερούχ, *lamaik* Λάμεχ.

3) Τῷ *t* præpositum in *h* transit, ex. gr. : *bruhta* a *brukjan*, *þahta* a *þagkjan*, *þuhta* a *þugkjan*, *sahts* a *sakan*, *sauhts* a *siukan*, *vahtvo* a *vakan*.

« Annotatio. — Cum *s* connexum (*ks*) ad circumscribendum græc. ξ tantummodo prodest : *arfaksad* Ἀρφαξάδ, *artarkserkses* Ἀρταξέρξης. »

X

§ 43. *X* tantum occurrit in græcis vocabulis et nominibus propriis, in quibus τῷ χ respondet, ex. gr. : *xristus* Χριστός, *pasxa* πάσχα, *zaxarias* Ζαχαρίας, *axaja* Ἀχαΐα ; geminatur etiam pro κχ in *saxxaius* Ζακχού. Cæterum in his omnibus vocabulis, si unum excipias *xristus*, commutatur cum *k*, cujus sonum Gothis habuisse videtur. Si enim illis χ Græcorum simpliciter aspiratum fuisset, non innotesceret ratio, cur saltem in quibusdam casibus hoc per *h*, aspiratis æquivalens, non expressissent, et forte *arhippus* ut *gatarhiþs*, *malhus* ut *alh*, vel *hristus* ut *hrisjan* non exscripsissent.

Q

§ 44. 1) *Q* initio, medio et fine vocabulorum occurrit:

Digitized by Google

a) Initio : *qam*, *qainon*, *qens*, *qiþan*, *qinjan*, *qums*, consonanti præpositum in solo dubio *qrammiþa* reperitur ;

b) Medio : *þlaqus*, *vraiqo*, *suqon*, etc. ;

c) Fine : *sagq*, *bistugq*, etc.

2) Vocabulorum peregrinorum in solo *qartus* græc. Κούαρτος, lat. Quartus occurrit, igitur pro latino *qu* ponitur ; cum autem in *akvila* per *kv* exscribitur, *q* videtur ejusdem fuisse prolationis.

W

§ 45. 1) *W* initio, medio et fine vocabulorum, sed satis raro occurrit ; initiale autem nunquam consonantem præcedit :

a) Initio : *was*, *wairban*, *waurbun*, *we*, *weila*, *wilstri*, *wopan* ;

b) Medio : *saiwan*, *leiwan*, *arwaxna*, *newa* ;

c) Fine : *new* et præterita *saw*, *laiw*, necnon imperativi *saiw*, *leiw*.

« Annotatio. — *I* et *u* brevia nunquam sequitur, quin ea frangi jubeat, qua de re coll. § 32, 5. »

2) In vocabulis peregrinis non reperitur atque adeo ejus prolationem determinare perarduum. Etymologice respondet litteris conjunctis *hv*, *wh* in cognatis sermonibus. Hickes hoc habet pro *cv* vel *hv*, Ihre pro *qh*. Sed Gotho simplicem fuisse sonum constat ex eo, quod unicum signum huic adscripserit, non autem aliis litteris conjunctis, ut *hl*, *hn*, *hr*. Cæteroquin *hv* et in compositis vocabulis occurrit, ut *ubilvopida* Luc. XVIII, 38, *þairhvakands* VI, 12, quin in *w* incidat.

b. DE LABIALIBUS.

B

§ 46. 1) *B* initio frequenter occurrit, sive ante vocales sive ante liquidas *l*, *n*, *r*, necnon et medio ; fine autem tantummodo post liquidas *l* et *m*, raro autem post *r* vel vocales reperitur :

a) Initio : *balgs*, *bai*, *bauan*, *berusjos*, *bida*, *biuds*, *bugjan*, *boka*, *bliggvan*, *bnauan*, *brikan* ;

b) Medio : *haban*, *gahlaiba*, *raubon*, *gebun*, *hleibjan*, *liban*, *þiubi*, *dubo*, *drobnan* ;

c) Fine : *halb*, *dumb*, *bisvarb* (hinc in glossar. *svarf* in *svarb* emendandum est), *tvalib* Luc. II, 42 ; VIII, 1, *hlaib* Mc. VII, 27 ; Luc. IV, 4 et sæp., *grob* Luc. VI, 48.

2) Pro græco β regulariter ponitur, ex. gr. : *barbarus* βάρβαρος, *beþania* Βηθανία, *byssus* βυσσός, *gabaa* Γαβαά, *abba* ἀββᾶ, *abraham* Ἀβραάμ, *maimbrana* μεμβράνα, *nabav* Ναβού, *iakob* Ἰακώβ. Necnon et pro græco ου, ubi latino *u* respondet : *silbanus* Σιλουανός silvanus, *naubaimbair* november.

3) In fine vocabuli et ante *t* in *f* ordinario incidit, et vice versa *f*, sequente vocali, in *b* transmutatur, ex. gr. : *hlaif*, *hlaifs* a *HLAIBA*, *laufs* a *LAUBA*, *gif*, *gaf*, *gafts* a *giban*, *hafts* a *haban*, *svaif* a *sveibon*, *skauf* a *skiuban*, *þarf*, *þaurfta* a *þarban*, *grof* a *graban*, econtrario *asabis ab asaf*, *tvalibim* a *tvalif*, *ubuh* ab *uf*, *abu* ab *af*. Etiam in fine vocabuli *f* in *b* transit, ex. gr : *hlaibs* Luc. IV, 3, *hlaib*, *tvalib*, *grob* (vid. supra 1, *c*), necnon in terminatione *ubni* -*ufni*.

« Annotatio. — In *timbrjan* loco *timrjan* euphoniæ causa *b* interjectum est. »

4) Prolatio τοῦ *b* et paulo debilior fuisse et latino *v* propius accessisse videtur, cum pro eo sit usurpatum.

F

§ 47. 1) *F* initio, medio et fine occurrit ; initio etiam cum *l* et *r* conjungi potest :

a) Initio : *fana*, *fairwus*, *faura*, *fera*, *felan*, *fidvor*, *fulls*, *fodjan*, *flekan*, *flodus*, *flautan*, *flahto*, *fraþi*, etc.,

b) Medio : *afar*, *hafjan*, *sifan*, *hiufan*, *ufar*, *lofa* ;

c) Fine : supra allata *hlaif*, *gif*, *gaf*, etc., et insuper *af*, *uf*, *fimf*, *tvalif*.

2) In vocabulis peregrinis græco φ respondet, ex. gr. : *falaiq* Φάλεγ, *fanuel* Φανουήλ, *filippus* Φίλιππος, *filetus* Φιλητός, *faurtunatus* Φουρτούνατος, *fareisaius* Φαρισαῖος, *fygailus* Φύγελλος, *aipafraudeitus* Ἐπαφρόδιτος, *arfaksad* Ἀρφαξάδ, *nymfa* Νυμφᾶ, *kajafa* Καϊάφας, *iosef* Ἰωσήφ ; per exceptionem etiam τῷ π : *kafarnaum* Καπερναούμ.

3) Quod *f* ex *b* oriretur et in *b* incideret jam supra (§ 46, 3) monuimus ; de ipsius eductione ex *p* vid. § 48. In *svumfsl* a *svimman* fuit euphoniæ causa interjectum.

4) Hinc conjiciendum est quod *f* debilius, sicut *bh*, non autem *ph*, proferri debuerit, quemadmodum in lingualium, et fortasse etiam gutturalium classi, ubi aspirata propius ad media quam ad tenua accedere videntur. Sed gothicum *f* græco φ non omnino congruere ex eo conjici potest, quod gothus peculiare signum ex alphabeto latino mutuari, ab eo occasionem ceperit. Vid. § 12, col. 901.

P

§ 48. 1) *P* nonnisi raro, nunquam fortasse initio genuini gothici vocabuli occurrit ; sæpius vero medio et fine :

a) Initio : *paida*, *peikabagms*, *puggs*, *pund*, *plapja*, *plats*, *plinsjan*, *praggan* ;

b) Medio : *skapan*, *kaupon*, *slepan*, *veipan*, *nipnan*, *diupiþa*, *supon*, *wopan* ;

c) Fine : *raip*, *saislep*, *skip*, *sup*, *hup*, *wop*.

2) In nominibus propriis et vocabulis peregrinis græco π, cujus sonum habet, convenit, ex. gr. : *parakletus* παράκλητος, *paintekuste* πεντηκοστή, *paunitus* Πόντιος, *peilatus* Πιλατος, *praufetus* προφήτης, *aipafras* Ἐπαφρᾶς, *apaustaulus* ἀπόστολος, *karpus* Κάρπος, *spaikulatur* σπεκουλάτωρ ; per exceptionem etiam τῷ ρ : *paurpura* πορφύρα, et *ps* τῷ ψ : *psalma* ψαλμός.

3) Ante *t* in *f* quandoque incidit, ex. gr. : *gaskafts* a *skapjan*, *woftuli* a *wopan* ; et probabiliter his addendæ sunt 2 person. præt. indic. *skoft*, *waiwoft*, *saisleft*, *varft*, etc., licet defuerit, quo probetur ; *grefts* multo minus ad *greipan* referendum est, quam ad vet. sup. germ. *grafo*, infer. germ. *grebe*, vid. Graff *Alth. Sprachsch.* IV 312 sq.

Digitized by Google

C. DE LINGUALIBUS.

D

§ 49. 1) *D* initio, medio et fine frequenter ponitur; initio litteras *r* et *v* post se non repugnat

a) Initio : *dags, dails, dauþus, deds, deigan, digrei, diups, dulþs, doms, dragan, driusan, drobnan, dvals,*

b) Medio : *badi, paida, daudjan, garedaba, beidan, hida, ljudan, gudja, fiadus;*

c) Fine : plurima neutra, accus. et præt., ut *sad, god, braid, stad, bad*, etc.

2) Græco δ ordinarie respondet, ex. gr. : *daveid* Δαυὶδ, *diakaunus* διάκονος, *didimus* Δίδυμος, *drakma* δραχμή, *andraias* Ἀνδρέας, *bebsaidan* Βηθσαϊδά, *arfaksad* Ἀρφαξάδ, *asgad* Ἀσγάδ, *þaddaius* Θαδδαῖος, *saddukaius* Σαδδουκαῖος. Raro autem græco θ : *baidsaidan*. Luc. IX, 10 Βηθσαϊδά, *lod* Λώθ (quod probabiliter Ulfilas loco Λὼτ legit),

3) In fine vocabuli et ante *s* nominativi frequenter cum *þ* commutatur, ex. gr. : *faheds* et *faheþs, mitads et mitaþs, manaseds* et *manaseþs, eads* et *aþs, stads* et *staþs, fads et faþs, aviliud* et *aviliuþ, juggalaud* Luc. VII, 14 et *juggalauþ*, Mc. XVI, 5 *bad* et *baþ, baud* et *bauþ, wad et waþ*, præsertim apud Lucam in terminationibus 3 personæ sing., 2 personæ plur. et participii præteriti, ut *drigkid* Luc. I, 15 et *drigkiþ* Joan. VI, 54, *libaid* Luc. IV, 4 et *libaiþ* Mth. IX, 18, *frijod* Luc VII, 42 et *frijoþ* VIII, 5, *rodeid* VI, 45 et *rodeiþ* V, 21, *manveid* III, 4 et *manveiþ* Mc. I, 3, *siud* Luc. V, 10 *et siuþ* Cor. II, III, 3, *magud* Luc. V, 34 et *maguþ* Mc. XIV, 7, *gamelid* Luc. IV, 4 et *gameliþ* Mth. II, 10, *gamanvids* Luc. VI, 40 et *gamanviþs* Tim. II, III, 17, coll. prolegg. col. 475 not. [1]).

Raro fit hæc commutatio in medio vocabuli, ut in *unfrodans* Gal. III, 1 et *unfroþans* III, 3, coll. *mididdjedun* Luc. 7, 11, loco *miþiddjedun*.

« Annotatio. — De transiente *d* in *þ* vid. § 50, 4, in *s* § 52, 4, in *z* § 53, 4. »

4) Post *n* quandoque deficit, sic in part. act. (§ 116, annot. 2), coll. *bansida* Luc. XX, 37. Hoc pari modo 3 persona plur. in præterito inf., quemadmodum in præsenti, primitive in *nd* finita, posterius *d* primo rejecit. In anomalo *sind* (loco *sijund*) *d* adhuc superest (coll. § 154, 4).

5) *D* idem atque græcum δ super. german. *d* sonasse videtur. Neque ex librarii menda *mad* Rom. XII, 20 pro *mats* ad asperiorem hujus litteræ prolationem jure conjiceretur.

Þ

§ 50. 1) *þ* in quavis vocabuli sede frequenter occurrit, initio etiam cum sequente *l, r* vel *v* :

a) Initio : *þata, þairh, þauh, þevis, þeihan, þizei, þiuda, þugkjan, þo, þlaqus, þliuhan, þragjan, þreis, þroþjan, þvastiþa*

b) Medio : *waþer, aiþei, dauþus, heþjo, seiþu, qiþan þiuþeigs, bruþs, broþar;*

c) Fine : præter casus, in quibus cum *d* commutatur (§ 49, 3), et sequentes : *iþ, miþ, guþ, bloþ, qaþ, froþ, stoþ, varþ, hanþ, ganþ*, etc.

2) In græcis vocabulis et nominibus propriis pro θ regulariter ponitur : *þaddaius* Θαδδαῖος, *þaiaufeilus* Θεόφιλος, *þymiama* θυμίαμα, *þomas* Θωμᾶς, *naþan* Ναθάν, *sabakþani* σαβαχθανί, *salaþiel* Σαλαθιήλ, *maþusal* Μαθουσαλά, *kaurinþo* Κόρινθος, *mahaþ* Μαάθ, *sabaoþ* Σαβαώθ, *nazaraiþ* Ναζαρέθ; raro pro τ : *alei sabeiþ* Ἐλισάβετ, *gannesaraiþ* Γεννησαρέτ, et geminatum pro τθ : *maþþaius* Ματθαῖος.

3) Frequenter cum *d* (§ 49, 3) et quandoque etiam cum *t* commutatur, ex. gr. : *hnuto* loco *hnuþo, þeimauþaius* loco *teimauþaius, fratvjan* loco *fraþvjan* (?), *usbloþains* Cor. II, VIII, 4 loco *usbloteins, bloþan* loco *blotan, unsahþaba* Tim. I, III, 16 loco *unsahtaba, gaþarhiþs* Gal. II, 11 loco *gatarhiþs, afleþanda* Mc. II, 9 loco *afletanda.*

4) Ex *d* regulariter nascitur, quando scilicet hoc in fine vocabuli, vel ante *s* alioquin inveniretur, ex. gr. in *faþs* a *FADI*, *staþs* a *STADI*, *aviliuþ* ab *AVILIUDA*, *liuhaþ* a *LIUHADA*, *naqaþs* a *NAQADA*, et in participiis præt. ut *habaiþs* a *HABAIDA*, *sokiþs* a *SOKIDA*, *spilloþs* a *SPILLODA*. Necnon et in præterito τοῦ *kunnan* loco *d* ponitur : *kunþa* loco *kunnda*. E contrario remanet *d* post alias liquidas in hujusmodi anomalis verbis : *skulda* a *skulan*, *munda* a *munan*.

5) Vice versa, ubi sequitur vocalis, iterum in *d* revertit. Neque solum in flexione, ut *faheþs* gen. *fahedais, staþs* gen. *stadis, sokiþs* fem. *sokida*, sed etiam ante enclitica *u* et *uh*, ex. gr. : *vitudu* Joan. XIII, 12 a *vituþ, sijaidu* Cor. II, II, 2 a *sijaiþ, vileidu* Mc. XV, 9 a *vileiþ, qiþiduh* Mc. XVI, 7 a *qiþiþ, vairþaiduh* Eph. IV, 32 a *vairþaiþ, standaiduh* Cor. I, XVI, 13 a *standaiþ*, etc.

« Annotatio. — De transiente *þ* in *s* vid. § 52, 4. »

6) þ ut *d* aspiratum probabiliter proferri debuit. Hoc equidem ut *th* communiter spectatur, sed immerito, cum ex una parte nonnisi rarissime et forsan ex librarii menda cum *t* commutetur, et ex altera in *d* regulariter et sæpissime incidat. Aliunde si hæc littera græco θ omnino congruisset, sine dubio pro illa hunc caracterem Ulfilas servasset, neque alium ex arbitrio elegisset. Cæterum æque injustum est, sonum τοῦ *þ* sive per *th* sive per *dh* exscribere, neque *t*, neque *d* cum *h* conjuncto τῷ *þ* omnino respondente, ex. gr. : *athaitan*, non *ahaitan, andhausjan*, non *anþausjan.*

T

§ 51. 1) *T* in omnibus vocabuli sedibus frequenter occurrit, initio etiam ante *r* et *v* :

a) Initio : *tagr, taihan, taujan, tahan, teihan, timrja, tiuhan, tunþus, traun, triu, twai, tweifs;*

b) Medio : *tata, haitan, sprauto, gretan, beitan, miten, giutan, luton, gaigretun;*

c) Fine : *at, mat, plat, vait, hlaut, fraiet, usmet, andabeit, vit, krot*, etc.

2) In vocabulis peregrinis et nominibus propriis pro græco τ, latino *t* adhibetur, quibus aliunde omnino convenit, ex. gr. : *taleiþa* ταλιθά, *tcinaim*

Digitized by Google

Τιμαῖος, *tykeikus* Τυχικός, *galatia* Γαλατία, *ituraia* Ἰτουραία, *kananeites* Κανανίτης, *kreta*, Κρήτη, *laikija* lectio, *lystra* Λύστρα, *matþai* Ματθάτ, *mattaþiu* Ματταθίας.

3) Pro *d* et *þ* adhibetur, sequenti muta vel sibilanti, nempe in præterito anomalorum verborum *aihta, mahta, ohta, brahta, þahta, þuhta, kauhta, þaurfte, mosta* loco *aih-da, mah-da*, etc.; in formationibus vocabulorum *kliftus, þuhtus, kustus* cum *vratodus, auhjodus; aihts, andabauhts, gifts, usdrusts* cum *gebaurþs, gaqumþs*, etc. *Cum gaqumþs* (a *qiman*) subrepsit *andanumts* (a *niman*), cujus loco *andanumþs* spectaretur.

4) De hujus litteræ transitu in sibilantes *s* et *z* vid. §§ 52, 4; 53, 4.

4. DE SIBILANTIBUS.

S

§ 52. 1) *S* præcipue initians, omnium consonantium est frequentissima. Initio vocabulorum libenter conjungitur cum *k, kr, l, m, n, p, pr, t, tr*, et *v*:

a) Initio: *sama, sair, sauil, sels, scins, sibun, sinks, sunus, sokjan, skaidan, skreitan, slahan, smairþr, morjo, spillon, sprauto, staþs, straujan, svers;*

b) Medio: *vasjan, laiseins, hausjon, mesa, veison, visan, driusan, þusundi;*

c) Fine: *hlas, urrais, raus, sves, veis, vis, hus, los.*

2) Pro græco ς regulariter ponitur, ex. gr.: *samaria* Σαμαρία, *symaion* Συμεών, *saimaicin* Σεμεί, *seimon* Σίμων, *saulaumon* Σολομῶν, *susanna* Σουσάννα, *ioses* Ἰωσῆ, *israel* Ἰσραήλ, *kaisar* καίσαρ, *mambres* Μαμβρῆς, *markus* Μάρκος, *paitrus* Πέτρος, etc. Quandoque etiam pro græco ζ: *kusa* Κουζᾶ, *asmoþ* Ἀζμώθ.

3) *S* inter duas vocales vel liquidas positum in *z* transit, et equidem:

a) In compositionibus: *uzon* ab *us-anan, uzeta* ab *us-itan;* præsertim ante enclitica *u, uh* et *ei*: *vileizu* Luc. IX, 54, *uzu* Gal. III, 2, 5, *uzuh* Luc. VI, 45 et sæp. *dizuh* Mc. XVI, 8, *wozuh, wanzuh, wizuh, wairjizuh andizuh, veizuh, juzuh* Cor. I, IV, 10 *þizuh, þanzuh, maizuh* Gal. IV, 9, *filippauzuh* Luc. III, 1; *þizei, þozei, þanzei, izei, þuzei, juzei, izvizei;* irregulariter etiam in *bijandzuh* Philem. 22, e contrario non in *vasuh* Mth. VIII, 30 et sæp., *sumansuh* Mc. XII, 5, *bidjandansuh* Mth. VI, 7.

b) In flexionibus: *hatiza* Luc. III, 7 a *hatis, riqiza* Luc. I, 79, *riqizis* Rom. XIII, 12 a *riqis, anza* Luc. VI, 41, 42 ab *ans, haizam* Joan. XVIII, 3 a *hais?* et in nominibus propriis *bauazis* a *bauaus, iaissaizis* ab *iaissais, iosezis* ab *ioses, mosezis* a *moses;* non autem in *agisa* Luc. II, 9 ab *agis, rimisa* Thess. II, III, 12 a *rimis.*

c) In formationibus: *hatizon* a *hatis, riqizeins, riqizjan* a *riqis, minznan* a *mins, maiza* a *mais.*

« Annotatio 1.—De ipsius frequenti mutatione cum *z* vid. § 53, 3. »

4) Ex *d, þ, t* nascitur, et equidem:

a) In flexionibus, cum scilicet alia dentalis immediate sequitur:

aa) In 2 persona sing. præt. verborum fortium: *anabaust* Luc. XIV, 22 loco *anabaudt* a *biudan, qast* Mc. XII, 32 loco *qaþt* a *qiþan, varst* Joan. IX, 34 loco *varþt* a *vairþan, bilaist* Mth. XXVII, 46 loco *bilaiþt* a *bileiþan, ufsnaist* Luc. XV, 30 loco *ufsnaiþt* ab *ufsneiþan, gastost* Rom. II, 20 loco *gastoþt* a *gastandan, haihaist* Tim. I, VI, 12 loco *haihaitt* a *haitan.*

« Annotatio 2.—Evidenter redundans est in *saisost* Luc. XIX, 21 loco *saisot* a *saian;* hic forsan analogia τοῦ *gastost* influxit; aliquid simile etiam invenitur in formatione τοῦ *blostreis* a *blotan*, nisi forma *blosreis* primitiva sit, in qua *t* euphonicum ad litteras *s* et *r* facilius connectendas fuit inductum. »

bb) In præterito verborum irregularium *motan, kaupatjan* et *vitan*, quæ præteriti terminationem *da* ad radicem immediate figunt (ut *skulda* a *skulan, vilda* a *viljan, munda* a *munan*). Hic enim τὸ *d* terminationis propter *t* præcedens in *t* transit (coll. § 51, 3), et deinde prius *t* in *s* incidit, eo modo: *mot-da, motta, mosta; kaupat-da, kaupatta, kaupasta.* In *vitan* mutatio ulterius extenditur, cum et posterius *t* præcedenti *s* assimiletur: *vit-da, vitta, vista, vissa.*

b) In formationibus, cum præcipue verbalium substantivorum dentalem et altera dentalis ut elementum formationis vocabuli sequitur, quo in casu, utraque *s* evadit. Sic se habent igitur *stass* a *standan* (rad. *STAÞ*), *qiss* a *qiþan, viss* a *vidan*, prorsus ut *kunþs* a *kunnan, qumþs* a *qiman, aihts* ab *aigan, gifts* a *giban*, etc.; *vissei* autem a *vitan* prorsus ut *baurþei* a *bairan*, dum *staþþs, qiþþs, vidþs, vitþei* ut primitiva forma spectanda est, ex qua, duabus dentalibus in sibilantibus commutatis et *s* terminationis rejecto, præsens forma deducta est. Latior adhuc dentalis in sibilantem ante *n* commutatio datur in formandis *anabusns* ab *anabiudan, usbeisns* ab *usbeidan.* Necnon eodem forsan modo *garehsns* ex *garaihtjan* ortum duxit?

5) Quoad prolationem *s* acutum esse debuit et oppositum τῷ *z*, quod tum adhibetur, cum sibilans debilius proferenda est.

Z

§ 53. 1) *Z* initians in nullis gothicis vocabulis, terminans nonnisi raro, et tantum pro *s* usurpatum, sæpius vero medians occurrit:

a) Radicale in *aqizi, azets, hazjan, vizon*, etc.;

b) In flexionibus, scilicet *aa*) in genit. adjectivorum et pronominum, ut *godaizos, godaize, þizos, þize*, etc.; *bb*) in 2 persona sing. pass. *haitaza, sokjaza;*

c) In formationibus comparativorum: *batiza, minniza, juhiza, framaldroza*, etc.;

d) Nascitur insuper ex *s*, ut infra 3) dicetur;

e) Fine pro *s*: *minz, riqiz;* et etiam *mimz, aiz* pro *mims, ais.*

2) In græcis vocabulis et nominibus propriis ζ valet, ex. gr.: *zaibaidaius* Ζεβεδαῖος, *zauraubabil* Ζοροβάβελ, *zelotes* ζηλωτής, *aizaikeia* Ἐζεκία, *aileiaizar* Ἐλιέζερ, *baiailzeibul* Βεελζεβούλ, *kaurazein* Χοραζίν, *lazarus* Λάζαρος, *azymus* ἄζυμος, *nazaraiþ* Ναζαρίθ; quandoque etiam ς: *praizbytaireis* πρεσβύτερος, *aizleim* Ἐσλί, *aizor* Ἐσρώρ.

3) Cum *s* frequenter commutatur, ex gr.: *riqis* Mth. VI, 23; Joan. XII, 35; Eph. V, 8 loco *riqis, minz*

Digitized by Google

Cor. II, xii, 15 loco *mins*, *saislep* Joan. xi, 11 coll. Cor. I, xv, 6 loco *saislep*, *moses* Cor. II, iii, 13 cod. A loco *moses*; *iosez* Mth. xxvii, 50 mendum est librarii loco *iosexis*; *anabusns* Mc. xii, 28 loco *anabusns* non est nisi falsa lectio Stiernhielmii, quæ e glossario expungenda est. Casus autem inversus permutati *s* in *z* nusquam probatur.

4) *Z* quemadmodum *s* ex dentalibus, præsertim sequente *n*, oritur : *vleizns*, *vlizjan* a *vleitan*.

5) *Z* ut debile *s* prolatum fuisse videtur. Nam licet pro græco ζ ponatur, hujus tamen sonum, *ds* valentem, habere nequit, siquidem Ulfilas hoc alias per *ds*, vel saltem non per simplicem litteram reddidit, et aliunde ex ejus phonica relatione pateat, *z* non esse nisi *s* debilius. Cum insuper ad simplicem sonum *s*, non autem ad duplicem *ds* ex geminato *z* in *lazzarus* cogitandum est, sequitur, quod etiam in nominibus propriis *z* debilioris soni esse potest, sive græcum ζ ætate Ulfilana hunc sonum reipsa habuerit, sive ejus asperior sonus gotho fuerit prolatu ita difficilis, ut hunc cum gothico *z* illi magis noto permutaverit.

§ 54. 1) Jam vero consonantibus singulatim disquisitis, earum nunc compositiones varias percurrere necessum est. Quæ quidem initio reperiuntur, ad singulas consonantes jam fuerunt relatæ; sed eas semel adhuc revocabimus, ut sinoptice instruamus, juxta ultimam partem compositi ordinantes, scilicet :

-v	*-l*	*-m*	*-n*	*-r*		*-p*	*-k*	*-t*
dv	*vl*	*sm*	*hn*	*vr*	*dr*	*sp*	*sk*	*st*
þv	*gl*		*kn*	*gr*	*þr*			
tv	*hl*		*bn*	*hr*	*tr*			
sv	*kl*		*sn*	*kr*	*skr*			
	ƕl			*qr*	*spr*			
	fl			*br*	*str*			
	pl			*fr*				
	þl			*pr*				
	sl							

2) Compositæ consonantes quæ medio et fine vocabulorum occurunt, sequuntur : *LV : balvs*, *malvjan*, *alvjan*, *vilvan*; *LM : malma*, *dvalmon*, *hilms*, *usfilma*; *LG : balgs*, *galga*, *dulgs*, *fulgins*, *tulgus*; *LH : alh*, *milhma*, *filhan*, *fulhsni*; *LK : halks*, *kalkjo*, *skalks*, *LB : halbs*, *kalbo*, *salbon*, *silba*, *ulbandus*; *LF : vulfs*, *wilftri*; *LP : hilpan*; *LD : alds*, *kalds*, *haldan*, *valdan*, *staldan*, *gild*, *milds*, *skildus*, *spilda*, *sild*, *skulds*, *muldu*, *saldra*, *framaldrs*, *spaiskuldrs*; *LÞ : alþan*, *falþan*, *balþs*, *halþei*, *gilþa*, *kilþei*, *vilþeis*, *hulþs*, *dulþs*, *vulþus*, *gulþ*; *LT : halts*, *salt*, *gamalteins*, *valtjan*, *sviltan*; *LS : hals*, *malsks*, *gilstr*; *LZ : talzjan*.

MN : namnjan; *MR : timrjan*; *MB : lamb*, *vamba*, *dumbs*, *kumbjan*; *MF : fimf*; *MP : trimpan*; *Mþ : gaqumþs*; *MT : andanumts*; *MS : amsa*, *svumsl*, *gramsts*, *þramstei*; *MZ : mimz*.

NV : manvus; *NF : hanfs*; *NG*, etc., vid. ad *GG*; *ND : and*, *land*, *andeis*, *handus*, *vandus*, *ulbandus*, *sandjan*, *tandjan*, *standan*, *blandan*, *skanda*, *bindan*, *vindan*, *vinds*, *grindafraþjis*, *slindan*, *blinds*, *hindar*, *kindins*, *hund*, *hunds*, *afgrundiþa*, *kunds*, *vunds*, *junda*, *vund*, *aiwatundi*, *undar*, *sundro*, *mundrei*, *bandvo*; *Nþ : anþar*, *nanþjan*, *gamainþs*, *vinþjan*, *finþan*, *kinþan*, *sinþ*, *svinþs*, *gaminþi*, *munþs*, *kunþs*, *tunþus*; *NT : sinteins*, *kintus*, *vintrus*, *unte*; *NS : ans*, *hansa*, *gansjan*, *plinsjan*, *þinsan*, *mins*, *urruns*, *uns*, *kunsl*, *ansts*, *bansts*, *brunsts*; *NZ : minznan*.

RV : arvjo, *sparva*, *sarva*; *RM : arms*, *barms*, *varms*, *tarmjan*, *vaurms*; *RN : arniba*, *barn*, *eisarn*, *tarnjan*, *smarna*, *stairno*, *gairnus*, *gairnjan*, *fairnis*, *wairnei*, *haurn*, *kaurn*, *maurnan*, *þaurnus*, *undaurns*; *RG : varga*, *bairgs*, *bairgan*, *baurgs*, *saurga*, *maurgjan*, *maurgins*; *RH : gatarkjan*, *bairhts*, *fravaurhts*, *faurhts*, *þairh*, *þvairhs*; *RK : arka*, *marka*, *airknis*, *þairko*, *aurkeis*, *vaurkjan*, *staurknan*; *RW : arwazna*, *fairwus*; *RB : arbi*, *þarba*, *warbon*, *arbaiþs*, *wairban*, *svairban*, *þaurban*; *RF : þarf*, *þaurfts*; *RP : snarpjan*, *vairpan*, *þaurp*; *RD : hardus*, *vardja*, *hairda*, *gairdan*, *vairdus*, *baurd*, *vaurd*, *spaurds*, *haurds*; *Rþ : varþ*, *usfarþo*, *vairþs*, *vairþan*, *airþa*, *smairþr*, *hairþra*, *gabaurþs*, *gataurþs*, *maurþr*; *RT : svarts*, *hairto*, *aurtja*, *vaurts*; *RS : vairs*, *daursan*, *þaursus*, *þaurstei vaurstv*; *RZ : marzjan*, *airzis*, *fairzna*.

GV : bidagva; alias tantummodo post nasale *g* occurrit : *aggvus*, *saggvs*, *bliggvan*, *triggvs*, *stiggvan*, *skuggva*; *GL : aglus*, *tagl*, *nagljan*, *siujljan*, *sviglan*, *fulgs*, *tuggl*; *GM : bagms*; *GN : rign*, *svegnjan*, *liugn*; *GR : tagr*, *fagrs*, *filegri*, *ligrs*, *digrei*, *figgrs*, *huggrjan*; *GG*, *GK*, *GQ* vid. ad *G*; *GD : gahugds*.

HL : þvahl; *HM : ahma*, *hiuhma*, *lauhmuni*; *HN : rahnjan*, *þraihns*, *auhns*; *HR : svaihra*, *huhrus*; *HT : mahts*, *flahta*, *þahta*, *brahta*, *insahts*, *rahton*, *ahtau*, *vahtvo*, *leihts*, *raihts*, *gaþlaihts*, *slaihts*, *aihtron*, *slauhts*, *dauhts*, *ustauhts*, *inrauhtjan*, *gadrauhts*, *sauhts*, *bauhta*, *þuhta*, *bruhta*, *liuhtjan*, *uhteigs*, *uhtvo*, *biuhts*; *HS : ahs*, *þlahsjan*, *vahstus*, *saihs*, *maihstus*, *vaihsta*, *taihsvo*, *auhsus*, *drauhsna*, *garehsns*, *þeihs*, *veihs*, *niuhseins*, *rohsns*, *skohsl*, *þreihsl*.

KL : stikls, *sikls*; *KN : taikns*, *kelikn*, *svikns*, *uslukns*; *KR : akrs*, *akran*, *vokrs*; *KS : anaks*; alias tantummodo in nominibus propriis pro græco ξ occurrens : *alaiksandrus* Ἀλέξανδρος, *arfaksad* Ἀρφαξάδ, *artarksairksus* (Artaxerxes).

QN : suqns.

BL : gibla, *svibls*, *dauþublis*; *BN : ibns*, *stibna*, terminatio *-ubni* et verba in *nan*, ut *dobnan*, *drobnan*; *BR : abrs*, *aibr*, *silubr*.

FL : tveifls; *FN* : terminatio *-ufni* et verba in *nan*, ut *hafnan*, *lifnan*; *FT : hafts*, *gaskafts*, *hliftus*, *fragifts*, *iftuma*, *gagrefts*, *skufts*, *luftus*, *woftuli*, *aftra*, *wilftri*; *FS : haifsts*, *þraftsjan*.

PN : vepna, *nipnan*.

DV : þivadv, *skadvjan*, *gaidv*, *nidva*, *bandva*, *fidvor*; *DR : nadrs*, *idreiga*, *fadrein*, *mundrei*, *fodr*.

þV : fijaþva, *frijaþva*, *saliþvos*; *þL : maþljan*, *neþla*; *þM : maiþms*; *þN : ataþni*, *haiþno*; *þR : hleiþra*, *qiþrs*, *viþrus*, *viþra*, *þaþro*, *smairþr*, *hairþra*, *maurþr*.

TV : gatvo, *usfratvjan* (*veitvods*); *TL : sitls*; *TN : glitmunjan*; *TR : baitrs*, *snutrs*, *hlutrs*, *vintrus*; *TS : vaurts*, *kavtsjo*.

Digitized by Google

SV : taihsvo; *SL : skohsl*, *þreihsl*, *hunsl*, *svumsl* ; *SM : klismo* ; *SN : asneis*, *anabusns*, *barusnjan*, *ufarstrusnjan*, *usbeisns*, *hlaivasna* ; *SG : intrusgjan* ; *SK : þriskan*, *fisks*, *atisk*, *andhruskan* et adjectiva terminationis *-isks* ; *SQ : hnasqus*, *vrisqan* ; *ST : asts*, *fastan*, *rasta*, *vasti*, *þvastiþa*, *frats*, *gasts*, *laistjan*, *maists*, *aistan*, *ïst*, *lists*, *urrists*, *svistar*, *qistjan*, *ganists*, *beist*, *kriustan*, *brusts*, *lustus*, *kustus*, *krusts*, *vaurstv*, *gistra*, *navistron*, *avistr*, *hulistr*, *blostreis*, *gilstr*.

ZV : ïzvis, *ubizva* ; *ZL : svartizla* ; *ZN : arwazna*, *razn*, *vizn*, *andavleizns*, *fairzna* ; *ZG : azgo* ; *ZD : gazds*, *razda*, *mizdo*, *huzd*.

§ 55. Altera connexarum consonantium species est *geminatio*, id est repetitio ejusdem litteræ. In genuinis gothicis vocabulis non geminantur, excepto nasali *gg*, nisi liquidæ, dentales et sibilantes, eo modo :

a) Liquidæ : *LL : alls*, *hallus*, *ufsvalleins*, *fill*, *spillon*, *vulla*, *fulls* ; *MM : vamm*, *svamm*, *stamms*, *dammjan*, *mammo*, *klamm*, et in terminationibus dativi *þamma*, *anþaramma*, *ïmma*, *hinima*, *ainummehun* ; *NN : manna*, *anno*, *kannjan*, *rannjan*, *ïnna*, *kinnus*, *brinnan*, *vinnan*, *spinnan*, *duginnan*, *aflinnan*, *rinnan*, *minniza*, *sunno*, *brunna*, *miunnan*, *kunnan*, *runnun*, etc. ; *RR : fairra*, *qairrus*, *andstaurran* ;

b) Dentales : *DD : daddjan*, *vaddjus*, *twaddje*, *ïddja* ; *þþ : aþþan*, *aiþþau* ; *TT : atta*, *skatts* ;

c) Sibilantes : *SS : wass*, *ungatass*, *usstass*, *gaviss*, *gaqiss*, *misso*, *missa-*, *vissa*, *knussjan*, et terminatio *-assus*.

« Annotatio 1.—Sæpe etiam hæ litteræ redundanter geminantur, ex. gr. : *allh* Luc. II, 46, *aggillau* Cor. II, XI, 14, *kannt* Cor I, VII, 18, *ainnohun* Philip. IV, 15, *fairrinoþ* Gal. V, 15, *nasseinais* Thess. I, V, 8, fortasse etiam *iddveit* Tim. I, III, 7 (vid. Castill. ad h. l.), præsertim in nominibus propriis : *aillam* Ἤδάμ, *maisaullam* Μεσουλάμ, *ammo* Ἀμῶς, *makidonim* Cor. II, IX, 12, *sainnaa* Σηνά, *aiddua* Ἰεδουά, *gaddarenus* Γαδαρηνός, (*lyddomaeis* ? Λοδαδιδ), *lazzarus* Luc. XVI, 23 Λάζαρος, *assaum* Ἀσούμ, *ïasson* Ἰάσων, vid. ad Gal. V, 15.

« Annotatio 2. — Vice versa quandoque simplex adhibetur consonans, ubi spectaretur geminata : *fulnan* Luc. II, 21 ; Eph. III, 19, *frakuni* Rom. XIV, 3, *manhun* Tim. I, V, 22, *visedun* Luc. II, 43, coll. ad Mc. III, 13 ; X, 45, *tvadje* Tim. I, V, 19.

« Annotatio 3. — Quoad reliquias consonantes non geminantur nisi in nominibus propriis et vocabulis peregrinis, ex. gr. : *laivvi*, *aivva*, *abba*, *rabbi*, *filippus*, *aiffaþa*, *aikklesjo*, *saxxaius* ; *sakkus* et *smakka* vere gothica vocabula certo non sunt, et *vippja* Joan. XIX, 2 mendum est librarii pro *vipja*.

Quamdam geminationem efficit *assimilatio*, qua consonans finalis vocabuli vel partis vocabuli in consonantem initialem sequentis incidit. Huic præsertim subjacent τὸ *h* particularum *nih*, *jah*, *uh*, et τὸ *s* præpositionis *us*, ex. gr. : *niþ-þan*, *jas-sa*, *jan-ni*, *vasuþ-þan*, *ur-reisan*, etc. Plura exempla in glossario reperies hh. vv.

§ 56. Jam ad singulas consonantes ac ipsarum *transitionibus* in alias monuimus ; hæ transitiones igitur triplicis sunt speciei :

1) transitio tenuis et mediæ in aspiratam, eo modo : *g* et *k* in *h*, *b* et *p* in *f*, *d* in *þ*.

2) Transitio aspiratæ in mediam, eo modo : *h* in *g*, *f* in *b*, *þ* in *d*.

3) Transitio dentalium in sibilantes, id est, *d*, *þ*, *t* in *s* et *z*.

§ 57. De consonantium affectionibus animadvertendæ sunt etiam :

1) *Paragoge*, qua liquida a tergo vocabuli adjicitur ; non occurrit nisi in nominibus propriis peregrinis, ex. gr. : *mariam* Μαρία, *nauel* Νᾶε, *nerin* Νηρί, *mailkein* Μελχί.

2) *Epenthesis*, qua consonans in medio vocabuli interjicitur, quæque in pluribus casibus ad euphoniam inservit, ex. gr. : *swumfsl* Joan. IX, 11 loco *svumsl*, *timbrjan* ; Luc. XIV, 28, 30 loco *timrjan*, coll. *j* inducto, § 34, 4.

3) *Metathesis*, qua consonans a loco movetur, ut in *marytr* Cal. goth. loco *martyr* ; *sprauds* autem Cor. I, IX, 24 loco *spaurds*, *þvalh* Skeir II, 6 loco *þvahl* librario ut menda certo adscribenda sunt, alias genuinis *spaurds* et *þvahl* occurrentibus.

4) *Elisio*, qua euphoniæ causa consonans rejicitur, ex. gr. in *fimtiguns* Luc. XVI, 6 pro *fimftiguns*.

CAPUT SECUNDUM.

DE VOCABULORUM FLEXIONE.

I. DE SUBSTANTIVO.

§ 58. Gothicæ linguæ sunt novem *orationis partes*. substantivum, adjectivum, numerale, pronomen, verbum, adverbium, præpositio, conjunctio, interjectio. Quatuor ultima, ut quæ flexionem non subeant, *inflexibilia*, aliæ vero *flexibilia* dicuntur. Ex his autem quatuor priora *declinantur*, posterius tandem, id est, verbum *conjugatur*.

A.

DE DECLINATIONE.

§ 59. In gothica lingua pro substantivis tria dantur *genera*, masculinum scilicet, neutrum et femininum. Sæpius equidem hoc grammaticale genus generi naturæ seu sexuum convenit, ex. gr. : *atta* masc. pater, *aiþei* fem. mater, *haubiþ* neutr. caput, non ea tamen regula nullas exceptiones patitur, immo

Digitized by Google

plura sunt vocabula, inanimata, proprietates, artes, affectionesve animi, etc., exprimentia, quæ, per personificationem omnibus linguis communem masculino femininove genere donata sunt, ut *bagms* masc. arbor, *airþa* fem. terra, *doms* masc. judicium, *muns* masc. sententia, *gahugds* fem. cogitatio, *vens* fem. spes, etc. Vice versa nonnulla sunt vocabula, personas significantia, quæ rerum genus, id est, neutrum præ se ferunt, sive eorum genus indefinitum remanere voluerint, ut in *barn* τὸ παιδίον, infans, *gaman* ὁ πλησίος, proximus, sive per contemptum personas in rerum classem deprimere intenderint, ut in *þevis* neutr. mancipium, *gaskalki* neutr. conservus. Aliud est genus commune pro vocabulis, quæ animata utriusque generis seu sexus exprimunt et consequenter ut masculina vel femininа usurpantur, ut *asilus*, masc. asinus, fem. *asina*. Qui casus non nisi raro occurrunt, cum ordinario mutato genere commutatur forma, ut in *svaihra* masc. socer, fem. *svaihro* socrus, *þius* masc. famulus, fem. *þivi* famula, *magus* masc. puer, fem. *mavi* (loco *magvi*? Grimm. III, 336) puella. Hæc aliunde fusius ubi de formatione vocabulorum (§ 142 sqq.) evolventur. Hic relative ad declinationem dicere sufficit, quod neutrum semper accusativum formet nominativo similem, et femininum pleniores vocales in flexione diligat. In nonnullis tamen vocabulis suæ cuique generi dantur diversæ terminationes, ita ut magis minusve sit dijudicatu difficile, quodnam genus hæc vocabula habeant. Jam vero hæ terminationes sunt:

1) *In declinatione vocalica:*

a) Masculina:	α)	sing.	nom.	*-s*	gen.	*-is*	plur.	nom	*-os*,	*-us*
—	β)	—	—	*-eis*	—	*-eis*	—	—	*-jos*	
—	γ)	—	—	*-jis*	—	*-jis*	—	—	*-jos*	
—	δ)	—	—	*-us*	—	*-aus*	—	—	*-jus*	
—	ε)	—	—	*-ar*	—	*-rs*	—	—	*-rjus*	
b) Neutra:	α)	sing.	nom	—	gen.	*-is*	plur	nom.	*-a*	
—	β)	—	—	*-i*	—	*-jis*	—	—	*-ja*	
—	γ)	—	—	*-u*	—	*-vis*	—	—	*-va*	
—	δ)	—	—	*-u*	—	*-au*	—	—	deest	
c) Feminina:	α)	sing.	nom.	*-a*	gen.	*-os*	plur	nom.	*-os*	
—	β)	—	—	*-i*	—	*-jos*	—	—	*-jos*	
—	γ)	—	—	*-s*	—	*-eis*	—	—	*-eis*	
—	δ)	—	—	*-us*	—	*-aus*	—	—	*-jus*	
—	ε)	—	—	*-ar*	—	*-rs*	—	—	*-rjus*	

2) *In declinatione consonantica:*

a) Masculina:	sing.	nom.	*-a*	gen.	*-ins*	plur.	nom.	*-ans*
b) Neutra:	—	—	*-o*	—	*-ins*	—	—	*-ona*
c) Feminina:	—	—	*-o*	—	*-ons*	—	—	*-ons*
—	—	—	*-ei*	—	*-eins*	—	—	*-eins*

§ 60. *Numerus* pro substantivis duplex est: singularis scilicet et pluralis. Dualis, qui in pronomine et verbo reperitur, in substantivis nusquam occurrit.

§ 61. Utrique numero quinque sunt *casus*: nominativus scilicet, vocativus, accusativus, dativus et genitivus. Casus instrumentalis in substantivis non equidem invenitur, sed in pronomine quædam liquit vestigia (vid. §§ 108, 110). Quod si insuper gothica nomina, ut infra dicemus, ex forma casuum in varias declinationes ordinantur, hæc varietas consistit minus in mutatione terminationum omnino diversarum, quam in varietate syllabarum radicalium vel derivatarum hanc præcedentium et in hujus in illam influxu. Hinc ex sequentibus notis dignoscendi sunt in genere casus utriusque numeri et in omnibus declinationibus.

Nominativus terminatur in vocalem vel in *-s*, neutro etiam in aliis consonantes finito; vocativus sing. nominativo convenit, rejecto tantum *s* huic proprio; accusativus sing. in genere radicem vocabuli nudam præbet; dativus sing. primitus terminatur in *a*; genitivus sing., in *s*. Necnon et nominativus et vocativus plur. masc. et fem. in *s*, neutr. in *a* terminantur; accusativus plur. in *s* vel *ns*, neutr. in *a*; dativus plur. in *m*; genitivus plur. in unam longarum vocalium *e* vel *o*. Quas omnes terminationes sequens tabula exhibet:

	Sing	Plur.
Nom.	—, *s*	*s*, (neutr. *a*)
Voc.	—	*s*, (neutr. *a*)
Acc.	—	*s*, *ns*, (neutr. *a*)
Dat.	*a* (*ai*, *au*)	*m*
Gen.	*s*	*e*, *o*.

§ 62. Ad varias declinationes dividendas *thema* seu *radix* vocabuli imprimis est observanda. Radice eam formam substantivi intelligimus, quæ licet per se ipsam nullam forte casuum designationem habeat, nec in lingua qualis est, generaliter existat, tamen ad formandos casus, ad evolvendam declinationem et formandum vocabulum ita fondamentaliter inservit, ut non solum omnes existentes declinationis formæ, sed etiam formæ ex existentibus vocabulis derivatæ ad hanc reduci possint. Quam radicalem formam in decursu operis litteris uncialibus notavimus.

§ 63. Declinatio in duas partes dividitur, quas veteres a nomine ad adjectivum proxime accedenti,

Digitized by Google

ibstractam et concretam seu emphaticam, recentiores vero fortem et debilem formam nuncuparunt. Sed utraque appellatio ideo falsa est, quod prior significationem, et non formam spectet, et aliunde pro substantivis fere non valeat, posterior vero in erronea consideratione formæ utriusque declinationis innitatur. Verum enim vero duæ declinationes in eo inter se discrepant, non quod debilis dicta addito accidentaliter *n* formativo a fronte declinationis evadat, sed quod radicalis forma hinc per vocalem, illinc per consonantem terminetur; itaque nos, meliori speramus jure, nomine *vocalicæ* et *consonanticæ* [1] *declinationis* eas donavimus. Posterior, consonantica scilicet, ea vocabula comprehendit quorum forma radicalis per *n* ad syllabam formativam pertinens concluditur (coll. Bopp. *Vergl.Gramm.* § 125, p. 149); hæc tamen littera ad formationem vocabuli non ad ejus flexionem pertinet; hic vero cum de posteriori tantum agendum habemus, vocabulum ea sola forma indutum, qua notis casuum connectitur, spectari debet.

A. VOCALIA DECLINATIO.

§ 64. *Vocalica declinatio* in eo essentialiter consistit, quod forma radicalis vocabulorum ad hanc pertinentium in vocalem terminetur. Jam vero in terminatione radicalis formæ tres tantum vocales occurrunt, *a*, *i* et *u*, quæ quidem in declinatione varias subeunt affectiones, sive debilitatæ, sive productæ, sive etiam in quibusdam casibus omnino rejectæ: *a* sæpissime, *i* nonnisi raro, *u* autem nunquam omittitur. Nunc vero ad formandos casus vocalicæ declinationis sequentes inserviant regulæ:

1) Nominativus sing. in masc. et fem. ad radicalem formam *s* addit, dum vocalis, si *u* est, immutata remanet, si *i* rejicitur, si tandem *a*, tum rejicitur, tum in *i* debilitatur. Femininum tantum modo hanc servat, *n* terminationis non accepto. Neutrum idem atque masculinum se habet, excepto quod *s* terminationis non capiat.

2) Accusativus et vocativus sing. nominativo congruunt, *s* finali rejecto.

3) Dativus sing. *a* ad terminationem affixo efformatur. Hinc in verbis quorum radicalis forma per *a* terminatur, huic formæ convenit; si vero per *j*, hæc vocalis in masc. a loco movetur, in fem. autem rumpitur, *a* eamdem ruptionem in radicalem vocalem *u* producente.

4) Genitivus sing. terminationem *s* cum vocali jam existente recipit. Hæc vocalis *a* primitus fuisse videtur, quæ in masc. et neutr. radicalium formarum in *a* et *i* debilita fuit in *i*, dum in fem. terminationes magis sonoras anteponenti eum vocali terminante in *o* et *ai* commista est. Si autem vocalis radicalis est *u*, ruptio sequitur et fit *au*.

5) Nominativus et vocativus plur. masc. et plur. terminationem *s* assumunt et producitur vocalis radicalis (*a* in *o*, *i* in *ei*, *u* in *ju* loco *iu*), neutr. autem terminationem *a* recipit.

6) Accusativus pluralis, qui in neutro nominativo convenit, in masc. et fem. ad radicalem formam appendit terminationem *ns*, cujus loco, ubi hæc forma in *-a* desinit, in fem. *s* tantum adhibet, vocali radicali producta, ita ut hic etiam accusativus nominativo congruat.

7) Dativus pluralis ad radicalem formam constanter adjicit *m*, cujus loco, ubi vocalis radicalis est *a*, hanc vocalem in fem. tantum in *o* iterum producit.

8) Genitivus plur. tandem habet terminationem *e*, pro qua in fem. tantum et ubi forma radicalis in *a* finitur, hanc vocalem produci jubet.

Hoc insuper animadvertendum est, quod ubi *j* vel *v*, vocalem radicalem præcedens, rejici debet, in cognatam vocalem *i* vel *u* juxta sonorum regulas (§§ 34, 3; 35, 3) convertatur.

§ 65. Declinatio vocalica subdividitur ipsa in triplicem classem, prout forma radicalis per unam trium vocalium *a*, *i* vel *u* terminatur. Insuper etiam *j* vel *v* vocali finali præpositum, necnon et genus substantivi in vocalem influunt, ita ut sequens tabula omnes possibiles hujus declinationis casus comprehendat:

Radic. vocalis *a*:

masc.			fem.			neutr.		
a	*-ja*	*-va*	*-a*	*-ja*	*-va*	*-a*	*-ja*	*-va*

Radic. vocalis *i*:

-i	*-ji*	*-vi*	*-i*	*-ji*	*-vi*	*i*	*ji*	*-vi*

Radic. vocalis *u*.

u	*-ju*	*-vu*	*-u*	*-ju*	*-vu*	*-u*	*-ju*	*-vu*

Sed hi casus non integre nisi cum vocali radicali *a* occurrunt, cum aliis autem duabus non paucas patientes lacunas. Sic regula est, nullis exceptionibus subjecta, quod consonantes *j* et *v* suis cognatis vocalibus *i* et *u* præire nequeant, formis *ji* et *vu* nusquam cæterum occurrentibus. Insuper in declinandis vocabulis etiam immittitur vocalicum *r* ut quarta radicalis vocalis (vid. ubi de sonis, § 39, 3), quæ suam sedem in vocalica declinatione etiam vindicat.

VOCALICA DECLINATIO PRIMA.

Rad. vocalis *ă*.

a. Masculinum.

§ 66. *α*. Forma radicalis *-a*: *FISKA*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*fisks*	piscis	*fiskos*	pisces
Voc.	*fisk*	piscis	*fiskos*	pisces
Acc.	*fisk*	piscem	*fiskans*	pisces
Dat.	*fiska*	pisci	*fiskam*	piscibus
Gen.	*fiskis*	piscis	*fiske*	piscium

Sic declinantur: *aiþs* jusjurandum, *asts* ramus, *bagms* arbor, *andbahts* famulus (plur. *andbahtos*, non autem *andbahteis*, ut mendose in glossario irrepsit) *dags* dies, *himins* cœlum, *hlaifs* panis, *hunds* canis, *hors* adulter, *þiubs* fur, *þiudans* rex *kreks* græcus,

[1] *Vocalica*, *consonantica*, nova vocabula ad novam ideam reddendam excogitata. *Interp.*

Digitized by Google

laufs folium, *ligrs* cubile, *sitls* sedes, *skalks* servus *skatts* argenteus nummus, *skilliggs* denarius, *stains* lapis, *stols* sedes, *tains* surculus, *dauravards* atriensis, *vigs* via, *vinds* ventus, *vulfs* lupus, *figgrs* digitus, *fugls* avis.

« Annotatio 1.—De plurimis vocabulis, quæ in plur. pro significatione occurrere nequeunt, vel quorum nominativus, accusativus vel dativus plur. in monumentis saltem exstantibus non reperiuntur, in dubio remanet, utrum eorum radicalis forma in *a* vel *i* desinat; talia sunt *akrs* campus, *biuds* mensa, *gadiliggs* consobrinus, *gazds* flagellum, *daigs* massa, *doms* judicium, *qums* adventus, *hakuls* (non *hakul*, ut in gloss. traditum est) pallium, *hlains* collis, *hlauts* sors, *þagks* gratia, *þlauhs* fuga, *faihuþraihns* divitiæ, *katils* lebes, *kindins* vicarius, *maiþms* donum, *maurgins* mane, *megs* gener, *munþs* os, oris, *run* cursus, *saivs* mare, *snaivs* nix, *stikls* calix, *striks* ductus lineæ, *waurms* vermis, *vigans* bellum, *vaips* corona, *vlits* facies, *vrits* litura, *vraks* persecutor.

« Annotatio 2.—De aliis autem incertum remanet, utrum masculina vel neutra sint : *akeits* vel *akeit* acetum, *aþns* vel *aþn* annus, *ans* (gen. *ansis*) trabs, *auhns* vel *auhn* fornax, *atisks* vel *atisk* satum, *gaggs* vel *gagg* incessus, *gilds* vel *gild* tributum, *gramsts* vel *gramst* festuca, *dals* vel *dal* vallis, *hilms* vel *hilm* ulmus, *hruks* vel *hruk* cornix, *þaurps* vel *þaurp* campus, *usluks* vel *usluk* apertura, *mails* vel *mail* macula, *maþls* vel *maþl* emporium, *mods* vel *mod* ira, *nadrs* vel *nadr* vipera, *plats* vel *plat* pannus, *puggs* vel *pugg* pera, *raips* vel *raip* corrigium, *sikls* vel *sikl* siclus, *saggqs* vel *saggq* occidens, *sauns* vel *saun* redemptio, *sinaps* vel *sinap* sinapis, *skauts* vel *skaut* fimbria, *spaiskuldrs* vel *spaiskuldr* saliva, *skufts* vel *skuft* capilli, *skohs* vel *skoh* calceamentum, *sleps* vel *slep* somnus, *svamms* vel *svamm* spongia, *svibls* vel *svibl* sulfur, *soþs* vel *soþ* satietas, *tveifls* vel *tveifl* dubium, *vaggs* vel *vagg* paradisus, *vairþs* vel *vairþ* pretium, *vamms* vel *vamm* macula, *andavleisns* vel *andavleisn* facies, *vokrs* vel *vokr* usura, *gafahs* vel *gafah* captura, *fulliþs* vel *fulliþ* plenilunium, *frums* vel *frum* initium. *Grets* vero est forsan femininum.

« Annotatio 3.—Radice in *s* desinente, hoc *s* in nominativo sing. a terminatione deficit : *ans* trabs, gen. *ansis*, *drus* casus, gen. *drusis*, *veinnas* (?) ebriosus, *hals* cervix. Idem dicendum est de nonnullis vocabulis, quorum radix in *r* terminatur : *gabaur* commune prandium; convivium, *vair* vir, *stiur* vitulus.

« Annotatio 4.—*Vegs* fluctus habet in nominativo plur. *vegos* Mc. IV, 37, in dativo autem plur. *regim* Mth. VIII, 24. Vice versa *aivs* ævum in dativo plur. est *aivam* Rom. XI, 36, in accusativo autem plur. *aivins* Mth. VI, 13.

« Annotatio 5.—*Reiks* stirps et *veitvods* testis habent in nominativo plur. formas apocopatas *reiks* Joan. VII, 26; Rom. XIII, 3, et *veitvods* Cor. I, XV, 15; genitivus autem et dativus plur. *reike*, *reikam*, etc., regulariter sonant. »

§ 67. β. Forma radicalis *-ja* : *HAIRDJA*, *HARJA*.

Sing.	nom.	*hairdeis*	pastor	*harjis*	exercitus
	voc.	*hairdi*	pastor	*hari*	exercitus
	acc.	*hairdi*	pastorem	*hari*	exercitum
	dat.	*hairdja*	pastori	*harja*	exercitui
	gen.	*hairdeis*	pastoris	*harjis*	exercitus
Plur.	nom	*hairdjos*	pastores	*harjos*	exercitus
	voc.	*hairdjòs*	pastores	*harjos*	exercitus
	acc.	*haidrjans*	pastores	*harjans*	exercitus
	dat.	*hairdjam*	pastoribus	*harjam*	exercitibus
	gen.	*hairdje*	pastorum	*harje*	exercituum

Ad normam *hairdeis* declinantur vocabula, in quibus vel syllaba derivata vel radicalis longa terminationis syllabam præcedit, ut : *andeis* finis, *aurkeis* olla, *asneis* famulus, *berusеis* plur. *berusjos* veteres, *guþblostreis* Dei contemptor, *fauramaþleis* præsul, *silbasiuneis* testis ocularis, *faurstasseis* præsul, *vitodafasteis* legisperitus, *waiteis* frumentum; *bokareis* scriba, *laisareis* magister, *liuþareis* cantor, *motareis* publicanus, *sokareis* scrutator, *vullareis* fullo, *ragineis* consiliarius, *siponeis* discipulus.

Ad normam *harjis* declinantur vocabula, quæ brevem syllabam radicalem immediate ante terminationem habent, quæ syllaba per *j* interjectum producitur, ut : *niþjis* gener, *sakjis* pugnator, *andastaþjis* adversarius, *silbaviljis* voluntarius.

« Annotatio.— De *laisaris* Luc. VI, 40 loco *laisareis* vid. ubi de sonis § 23, 4. »

§ 68. γ. Forma radicalis *va* : *þIVA*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*þius*	famulus	*þivos*	famuli
Voc.	*þiu*	famule	*þivos*	famuli
Acc.	*þiu*	famulum	*þivans*	famulos
Dat.	*þiva*	famulo	*þivam*	famulis
Gen.	*þivis*	famuli	*þive*	famulorum

Non datur aliud hujus formæ paradigma.

b. Neutrum.

§69. α. Forma radicalis *-a* : *VAURDA*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*vaurd*	verbum	*vaurda*	verba
Voc.	*vaurd*	verbum	*vaurda*	verba
Acc.	*vaurd*	verbum	*vaurda*	verbis
Dat.	*vaurda*	verbo	*vaurdam*	verba
Gen.	*vaurdis*	verbi	*vaurda*	verborum

Eo modo declinantur : *agis* metus, *ahs* spica, *aiz*, æs, *aibr* donum, *aigin* proprietas, *avistr* ovile, *akran*

Digitized by Google

fructus, *alev* oleum, *aljan* zelus, *aviliud* gratia, *gobaur* tributum, *balsan* balsamum, *barn* infans, *baurd* asser, *beist* fermentum, *andabeit* labes, *bloþ* sanguis, *gaidv* defectus, *gund* ulcus, *gulþ* aurum, *gras* herba, *daur* porta, *gadikis* (non autem *gadik*, ut in glossar. traditur) figmentum, *dius* animal, *dragk* potus, *eisarn* cibus, *anaqal* quies, *faurhah* velum, *hais* lampas, *hairþra* plur. tant. viscera, *andahait* confessio, *bihait* rixa, *gahait* promissio, *haubiþ* caput, *haurn cornu*, *hatis* odium, *hlaiv* sepulcrum, *huzd* thesaurus, *hulistr* velum, *hunsl* oblatio, *hus* domus, *hrot* tectum, *þeihs* tempus, *þevis* servus, *þivadv* servitium, *þiuþ* bonum, *þreihsl* angustia, *gaþrask* area, *þvahl* lotio, *kaurn* frumentum, *kas* vas, *kelikn* turris, *lamb* ovis, *laud* regio, *laun* merces, *leik* corpus, *sildaleik* prodigium, *lein* linum, *aflet* remissio, *fralet* id., *lev* occasio, *galiug* simulacrum, *liugn* mendacium, *liuhaþ* lux, *lukarn* lucerna, *bimait* circumcisio, *gaman* socius, *mel* tempus, *maurþr* homicidium, *miliþ* mel, *mimz* caro, *usmet* conversio, *neiþ* invidia, *andanem* acceptatio, *jer* annus, *juk* jugum, *pund* pondus, *ragin* consilium, *razn* domus, *raus* arundo, *rign* pluvia, *riqiz* obscuritas, *rimis* quies, *saban* linum, *sair* dolor, *salt* sal, *sauil* sol, *sarva* plur. tant. arma, *sigis* victoria, *silubr* argentum, *skip* navis, *skohsl* spiritus malus, *smyrn* myrrha, *smairþr* adeps, *svartisl* nigredo, *andstald* oblatio, *spill* fama, *svez* proprietas, *svumsl* piscina, *tagl* capillus, *tagr* lacrymæ, *vaurstv* opus, *veihs* pagus, *vein* vinum, *vepna* plur. tant. arma, *andavisn* sustentatio, *vis* tranquillitas, *idveit* opprobrium, *fraveit* vindicta, *fairveitl* spectaculum, *vitoþ* lex, *bifaih* fraus, derisio, *anafilh* traditio, *gafilh*, *usfilh* sepultura, *þrutsfill*, lepra, *fraiv*, semen, *frius* frigus.

« Annotatio 1. — Huc pertinent alia vocabula, de quibus in incerto est utrum sint masculina vel neutra, quæ vid. § 66 annot. 2.

« Annotatatio 2.—Ad hanc nostram declinationem referendum est secundum formam etiam *guþ* Deus; cum anomalis gen. *guþs*, nom. plur. *guda*, licet ab Ulfila, influente probabiliter doctrina christiana (coll. gloss. v. *unhulþo*) in sing. ut masc. usurpetur.

« Annotatio 3.—De genitivo plur. *dalei* Luc. III, 5 loco *dale* et *spilli* Tit. I, 14 loco *spille*, vid. ubi de sonis §§ 23, 4 ; 30, 3.

« Annotatio 4.—Cum *munþs* os, oris, masc. occurrit etiam *munþ* neutr. Cor. II, VI, 11.

« Annotatio 5.—Loco *brawa* Cor. I, XV, 52 a neutr. *braw* forsan *brawai* a fem. *brawa* legendum est. »

§ 70. β. Forma radicalis *-ja* : *KUNJA*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*kuni*	genus	*kunja*	genera
Voc.	*kuni*	genus	*kunja*	genera
Acc.	*kuni*	genus	*kunja*	genera
Dat.	*kunja*	generi	*kunjam*	generibus
Gen.	*kunjis*	generis	*kunje*	generum.

Sic declinantur : *aglaiti* impudicitia, *azeti* deliciæ, *aivaggeli* evangelium, *aveti* pecus, *aiviski* opprobrium, *andaugi* facies, *aurali* sudarium, *arbi* hæreditas, *ataþni* annus, *badi* lectum, *andbahti* ministerium, *barniski* infantia, *biari* animal, *basi* bacca, *biuhti* mos, *fauragaggi* administratio, *gavi* rus, *gairuni* passio, *fauradauri* via, *unhaili* morbus, *haimoþli* campus, *hauhisti* altitudo, *hauri* pruna, *havi* fœnum, *hivi* color, *gaþagki* circumspectio, *þiubi* spelunca latronum, *kunþi* cognitio, *andalauni* merces, *unledi* paupertas, *galeiki* similitudo, *galigri* nuptiæ, *fauramaþli* principatus, *manvi* impensa, *manauli* species, *meki* gladius, *ufarmeli* inscriptio, *gaminþi* memoria, *andanahti* verperus, *nati* rete, *reiki* imperium, *garuni* consilium, *gaskalki* conservus, *unsuti* seditio, *stiviti* dolor, *fauratani* signum, *tauï* factum, *tevi* cohors, *trausti* fœdus, *vaggari* pulvinar, *gavairþi* lætitia, *andvairþi* facies, *andvairþi* pretium, *valdufni* potentia, *andavaurdi* responsio, *gavaurdi* sermocinatio, *lausavaurdi* loquacitas, *gavaurki* lucrum, *vadi* pignus, *usvissi* vanitas, *unviti* ignorantia, *vitubni* cognitio, *fairguni* mons, *fani* lutum, *filegri* cavitas, *fulhsni* absconditum, *fraþi* intelligentia, *frumisti* principium, *fastubni* retinentia, observantia, *fastubni* jejunium (*fastubnja* Cor. I, VII, 19 non ut femininum sing., licet tale gloss. p. tradat, sed ut neutrum plur. habendum est).

« Annotatio 1.— Quomodo *tauï* in gen. sing. *tojis*, nom. plur. *toja* etc., habeat, jam ubi de sonis explicavimus.

« Annotatio 2.—Præter formam genitiv. sing. in *-jis*, etiam altera in *-eis* occurrit (vid. ad. Luc. I, 23), ut *gavairþeis* Cor. II, XIII, 11; Eph. IV, 9; Thess. II, III, 16, *andbahteis* Luc. I, 23, *fauramaþleis* Neh. V, 14. 18, *valdufneis* Skeir. VII, a, *trausteis* Eph. II, 12. Hæc videtur esse forma recentius in eis casibus ad analogiam masculini usurpata, in quibus duæ consonantes terminationem præcedebant. Hinc *waiteis* Joan. XII, 24 genitivum a *waiti* deducendum manifestum est, licet hic una tantum consonans terminationem præcedat, et insuper vocabulum in ea versionis parte reperiatur, quam priorem fuisse confectam probavimus. »

§ 71. γ. Forma radicalis *-va* : *KNIVA*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*kniu*	genu	*kniva*	genua
Voc.	*kniu*	genu	*kniva*	genua
Acc.	*kniu*	genu	*kniva*	genua
Dat.	*kniva*	genu	*knivam*	genubus
Gen.	*knivis*	genu	*knive*	genuum

Eo modo declinatur etiam *triu* arbor.

c. femininum.

§ 72. α. Forma radicalis *-a* : *GIBA*.

	Sing.		Plur	
Nom.	*giba*	donum	*gibos*	dona
Voc.	*giba*	donum	*gibos*	dona
Acc.	*giba*	donum	*gibos*	dona
Dat.	*gibai*	dono	*gibom*	donis
Gen.	*gibos*	doni	*gibo*	donorum

Sic declinantur : *ahana* palea, *airþa* terra, *aleina* ulna, *arka* arca, *arwazna* telum, *awa* fluvius, *bida* rogatio, *gabinda* vinculum, *gabruka* mica, *boka* scriptura,

Digitized by Google

bota utilitas, *gairda* zona, *gliþs* sicilus, *groba* fovea, *graba* fossa, *daila* participatio, *vigadeina* cardous, *drauhsna* buccella, *hairda* grex, *halba* latus, *hansa* turba, *hlaivasmos* plur. tant. fossores, *hlamma* laqueus, *hleiþra* tabernaculum; *hrugga* virga, *þarba* inopia, *þiuda* populus, *idreiga* pœnitentia, *karkara* carcer, *knôdu* gens, *laiba* reliquiæ, *liuga* matrimonium, *lita* hypocrisis, *marka* terminus, *mulda* pulvis, *mota* vectigal, *neþla* acus, *fiuka* certatio, *junda* juventus, *palda* tunica, *rasda* lingua, *rasta* milliare, *runa* mysterium, *saivala* anima, *saldra* scurrilitas, *saurga* cura, *skanda* turpitudo, *skura* horror (*frisson*), *sleiþa* detrimentum, *smarna* lutum, *spilda* pulpis, *staua* judicium, *staiga* semita, *stibna* vox, *svartizla* atramentum, *teva* ordo, *usvaurpa* abjectio, *kunaveda* catena, *vinna* dolor, *vamba* venter, *dauravarda* janitrix, *vulla* lana, *vulva* rapina, *vraka* persecutio, *faþa* sepes, *fairsna* calx, *fairina* debitum, *fera* locus, *filusna* multitudo, *weila* hora, *wota* minæ; et insuper derivata substantiva in *-þa*, ut *agliþa* afflictio, *mildiþa* benignitas, *fairniþa* senectus, *gaunoþa* luctus, etc., vid. § 148 *aa*) γ) ββ).

§ 73. β. Forma radicalis *-ja* : *BANDJA, SUNJA.*

Sing.	nom.	*bandi*	vinculum	*sunja*	veritas
	voc.	*bandi*	vinculum	*sunja*	veritas
	acc.	*bandja*	vinculum	*sunja*	veritatem
	dat.	*bandjai*	vinculo	*sunjai*	veritati
	gen.	*bandjos*	vinculi	*sunjos*	veritatis
Plur.	nom.	*bandjos*	vincula	*sunjos*	veritates
	voc.	*bandjos*	vincula	*sunjos*	veritates
	acc.	*bandjos*	vincula	*sunjos*	veritates
	dat.	*bandjom*	vinculis	*sunjom*	veritatibus
	gen.	*bandjo*	vinculorum	*sunjo*	veritatum

Ad normam *bandi* ea declinantur vocabula, quæ ante terminationem vel syllabam derivatam vel syllabam radicalem longam habent (coll. § 67), ut *gabindi* vinculum, *þiudangardi* regnum, *hropi* clamor, *mavi* (a radicali forma *MAUJA*) puella, *þivi* (a rad. forma *þIUJÀ*) ancilla, *aqizi* securis, *hulundi* altitudo, *lauhmuni* fulgur, *wolstaſi* gloria; necnon et *gabundi* vinculum, *haiþi* campus, *haiti* mandatum, *aiwatundi* ventis (βάτος Mc. XII, 26; Luc. VI, 44; XX, 37 in gloss. h. v. supplendum est), *vasti* vestis, *wilstri* vehiculum, *usvandi* circuitus, *kalki* (vel *kalkjo*) pellex, *frijondi* (non *frijondja*, ut gloss. incorrecte habet) amica, *vundusni* vulnus, *fraistubni* tentatio, *jukuzi* jugum, *aurahi* sepulcrum.

Ad normam vero *sunja* declinantur vocabula, in quibus syllaba radicalis brevis terminationem præcedit (coll. § 67), ut *vrakja* persecutio, *brakja* pugna, *halja* infernus, *sibja* cognatio; consequenter etiam *ludja* facies, *plapja* via, *skalja* later, *sulja* planta pedis, *vipja* corona, *vinja* pascuum, *banja* vulnus.

§ 74. γ. Forma radicalis *-va* : *BANDVA.*

	Sing.		Plur.	
Nom.	*bandva*	signum	*bandvos*	signa
Voc.	*bandva*	signum	*bandvos*	signa
Acc.	*bandva*	signum	*bandvos*	signa
Dat.	*bandvai*	signo	*bandvom*	signis
Gen.	*bandvos*	signi	*bandvo*	signorum

Sic declinantur : *nidva* craticula, *ubizva* porticus, *saliþvos* plur. tant. diversorium, *triggva* fœdus, *fiaþva* inimicitia, *friaþva* dilectio.

VOCALICA DECLINATIO SECUNDA.

Radic. vocalis *i*.

a. Masculinum.

§ 75. α. Radicalis forma *-i* : *BALGI.*

	Sing.		Plur.	
Nom.	*balgs*	uter	*balgeis*	utres
Voc.	*balg*	uter	*balgeis*	utres
Acc.	*balg*	utrem	*balgins*	utres
Dat.	*balga*	utri	*balgim*	utribus
Gen.	*balgis*	utris	*balge*	utrum

Ad ejus normam declinantur : *ands* terminus, *arms* brachium, *bansts* horreum, *barms* sinus, *gards* domus, *gasts* hospes, *gadrauhts* miles, *hups* femur, *juggalauþs* adolescens, *laists* vestigium, *mats* cibus, *muns* cogitatio, *saggvs* canticum, *sauþs* oblatio, *slahs* plaga, *staþs* sedes, *brûþfaþs* sponsus, *hundafaþs* centurio, *frasts*, puer.

«Annotatio 1.—Vocabula, quorum radix in *s* vel *r* desinit, *s* terminationis non accipiunt : *urruns* oriens (gen. *urrunsis*), *baur* natus.

«Annotatio 2.— Quod autem in vocabulis, quorum non reperitur pluralis, incertum sit, utrum ad hanc vel ad præcedentem declinationem pertineant, jam supra (§ 66, annot. 1) animadversum est.»

§ 76 β. Forma radicalis *-vi* : *NAVI.*

	Sing.		Plur.	
Nom.	*naus*	mortuus	*naveis*	mortui
Voc.	*nau*	mortuus	*naveis*	mortui
Acc.	*nau*	mortuum	*navins*	mortuos
Dat.	*nava*	mortuo	*ñavim*	mortuis
Gen.	*navis*	mortui	*nave*	mortuorum

Aliud hujus formæ vocabulum nusquam occurrit.

b. Neutrum.

Deest.

c. Feminnium.

§ 77. α. Forma radicalis *-i* : *ANSTI.*

	Sing.		Plur.	
Nom.	*ansts*	gratia	*ansteis*	gratiæ
Voc.	*anst*	gratia	*ansteis*	gratiæ
Acc.	*anst*	gratiam	*anstins*	gratias
Dat.	*anstai*	gratiæ	*anstim*	gratiis
Gen.	*anstais*	gratiæ	*anste*	gratiarum

Digitized by Google

Sic declinantur : *aihts* res, *ajukduþs* æternitas, *alþs* senectus, *arbaiþs* labor, *asans* messis, *gabaurþs* nativitas, *usbeisns* exspectatio, *andabauhts* pretium redemptionis, *faurbauhts* redemptio, *anabusns* auris, *allbrunsts* holocaustum, *bruþs* nurus, *innagahts* introitus, *fragifts* mutuatio, *gagrefts* mandatum, *grids* passus, *gaits* capra (nam juxta felicem Massmanni conjecturam Neh. v, 18 *gaits ·a·* loco *gaitsa*, quod in textu et in glossario induximus, legendum est) *dails* pars, *dauhts* convivium, *dauns* odor, *missadeds* scelus, *dulþs* festum, *usdrusts* via ardua, *qens* mulier, *gaqumþs* conventus, *haurds* porta, *andahafts* responsum, *haifsts* rixa, *gahugds* cogitatio, *þaurfts* indigentia, *gaþlaihts* consolatio, *gakusts* probatio, *gakunds* persuasio, *gakunþs* apparitio, *lists* dolus, *fralusts* detrimentum, *mahts* potentia, *magaþs* virgo, *gamaindubþs* communio, *gamainþs* ecclesia, *managduþs* multitudo, turba, *mikilduþs* magnitudo, *gamunds* memoria, *nauþs* necessitas, *andanumts* acceptatio, *ganists* salus, *garehsns* ordinatio, *urrists* resurrectio, *rohsns* vestibulum, *gasahts* vitium, *insahts* narratio, *frisahts* imago, *sokns* disquisitio, *manasepþs* mundus, *sauhts* contagio, *siuns* facies, *gaskafts* creatio, *slauhts* immolatio, *taikns* signum, *gataurþs* destructio, *ustauhts* consummatio, *vaihts* res, *usvahsts* incrementum, *usvaurhts* justitia, *fravaurhts* peccatum, *vens* spes, *vailavizns* sustentatio, *vists* scientia, *vunns* dolor, *vrohs* accusatio, *fadreins* genus, *faheþs* pax.

« Annotatio 1.—Huc referenda sunt etiam verbalia in *-eins*, in hoc tantum particularia, quod in nominativo plur. in *-os*, et in genitivo plur. in *-o* desinant, ex. gr.: *galaubeins* fides, *daupeins* baptisma, *anastodeins* principium, *naiteins* calumnia, *bisauleins* macula. Necnon et in dativo plur. terminatio *-om* pro *-im* per exceptionem occurrit in *unkaureinom* Cor. II, II, 9. Quoad verbalia in *-ons*, ut *mitons* cogitatio, *laþons* invitatio, *salbons* unguentum, *sunjons* justificatio, regulariter declinari videntur, occurrit saltem nominativus plur. *mitoneis* Mc. VII, 21, genitivus *mitone* Eph. II, 3, sed etiam *mitono* Rom. XIV, 1. Eo etiam modo flecti videntur verbalia in *-ains*, ut *bauains* habitatio, *þulains* patientia, *libains* vita, *lubains* spes, etc., quorum tamen non occurrit nisi genitivus plur. *þuldine* Cor. II, 1, 5 sqq.

« Annotatio 2.— Post *s* radicale *i* terminationis in nominativo sing. rejicitur, ex. gr. : *garuns* via, gen. *garunsais*, *los* sors, *afstass* divortium, *usstass* resurrectio, *anaqiss* calumnia, *gaqiss*, *þiuþiqiss*, etc. *Vaurts* vero *s* in singulari (gen. *vaurtsais*) retinet, rejicit autem in plurali (*vaurteis*).

« Annotatio 3.—*Haims* pagus declinatur in singulari ad instar præsentis declinationis, in plurali autem ad instar prioris (nom. *haimos*, etc).

« Annotatio 4.—De genitivo plur. *fravaurhti* Rom. VII, 5 loco *fravaurhte* vid. ubi de sonis § 23, 4.

« Annotatio 5.—Vocabulorum *ahaks* columba, *astaþs* veritas, *grets* fletus, *krusts* crepitaculum, *sauls* columna, *staks* macula, *bistugqs* offensio, *fulleiþs* plenitudo, genus dubium est, licet probabiliter huc referenda sint. De *midumai* Mc. III, 2 etc., potest nominativus *midums*, ad instar secundæ, vel *miduma* ad instar primæ declinationis flecti. »

VOCALICA DECLINATIO TERTIA.

Radic. vocalis *u*.

a. Masculinum.

§ 78. *α*. Forma radicalis *-u* : *ŠUNU*.

	Sing.	Plur.
Nom.	*sunus* filius	*sunjus* filii
Voc.	*sunu* fili	*sunjus* filii
Acc.	*sunu* filium	*sununs* filios
Dat.	*sunau* filio	*sunum* filiis
Gen.	*sunaus* filii	*sunive* filiorum

Sic declinantur : *airus* nuntius, *auhjodus* tumultus, *auhsus* bos, *asilus* asinus, *gabaurjoþus* concupiscentia, *dauþus* mors, *giþus* uter (uteri), *haidus* modus, *hairus* gladius, *hallus* rupis, *hliftus* latro, *huhrus* fames, *þaurnus* spina, *kintus* obolus, *kustus* probatio, *kubitus* lectum, *liþus* membrum, *lustus* concupiscentia, *luftus* aer, *magus* puer, *maihstus* stercus, *mannisкodus* humanitas, *sakkus* saccus, *sidus* mos, *skadus* umbra, *skildus* clypeus, *tunþus* dens, *vakstus* incrementum, *vairdus* diversorium, *valus* baculus, *vandus* virga, flagellum, *viþrus* agnus, *vintrus* hiems, *vulþus* gloria, *vratodus* iter, *fairwus* mundus, *fotus* pes; et insuper substantiva derivata in *-assus*, ut *ibnassus* similitudo, *ufarassus* superabundantia, *blotinassus* reverentia, *gudjinassus* præsbyteratus, sacerdotium, *drauhtinassus* stipendium, etc. vid. § 148 *ff*).

« Annotatio 1.—Incerti generis sunt *qairnus* pistrinum, *ulbandus* camelus, *flodus* fluctus, *gredus* fames, *leiþus* sicera (gall. *cidre* germ. *Obstwein*), necnon et vocabula in *-odus* finita.

« Annotatio 2.—De hujus declinationis *u* frequenter in *au* commutato vid. ubi de sonis § 29, 3. »

§ 79. *β*. Forma radicalis *-ju* : *STUBJU*.

	Sing.	Plur.
Nom.	*stubjus* pulvis	
Voc.	*stubju* pulvis	
Acc.	*stubju* pulverem	non occurrit.
Dat.	*stubjau* pulveri	
Gen.	*stubjaus* pulveris	

Sic declinantur *assarjus* denarius, *dranjus* sonus.

« Annotatio.—Forma pluralis probari nequit, quæ verisimiliter sonaret *stubjus*, *stubjuns*, *stubjum*, *stubjive* (*stubive* ? Grimm. I, 604). »

b. Neutrum.

§ 80. Forma radicalis *-u* : *FAIHU*.

	Sing.	Plur.
Nom.	*faihu* facultas	
Voc.	*faihu* facultas	
Acc.	*faihu* facultatem	non occurrit
Dat.	*faihau* facultati	
Gen.	*faihaus* facultatis	

Sic declinatur etiam *gairu* flagellum.

c. Femininum.

§ 81. *α*. Forma radicalis *-u* : *HANDU*.

	Sing.	Plur.
Nom.	*handus* manus	*handjus* manus
Voc.	*handu* manus	*handjus* manus

Digitized by Google

Acc. *handu*	manum	*handuns* manus
Dat. *handau*	manui	*handum* manibus
Gen. *handaus*	manus	*handive* manuum

Sic declinantur : *asilus* asina, *kinnus* genæ, *vriþus* grex.

§ 82 β. Forma radicalis *-ju : VADDJU.*

	Sing.	Plur.
Nom. *vaddjus*	murus	
Voc. *vaddju*	mure	
Acc. *vaddju*	murum	non occurrit
Dat. *vaddjau*	muro	
Gen. *vaddjaus*	muri	

VOCALIA DECLINATIO QUARTA.

Radic. vocalis *r*.

a Masculinum.

§ 83. Forma radicalis *-r : BROÞR.*

	Sing.	Plur.
Nom. *broþar*	frater	*broþrjus* fratres
Voc. *broþar*	frater	*broþrjus* fratres
Acc. *broþar*	fratrem	*broþruns* fratres
Dat. *broþr*	fratr	*broþrum* fratribus
Gen. *broþrs*	fratris	*broþre* fratrum

Sic declinatur quoque *fadar* pater.

b Femininum.

§ 84. Forma radicalis *-r : DAUHTR.*

Declinatur prorsus masculini ad instar.

Hanc declinationem sequuntur etiam *dauhtar* filia, *svistar* soror.

VOCALICÆ DECLINATIONIS ANOMALA.

§ 85. Ad vocalicam declinationem pertinent etiam nonnullæ vocabulorum classes, quæ licet in quibusdam casibus naturam vocalicam deperdant et consonanticam radicem manifeste sapiant, in aliis tamen casibus, præsertim in compositionibus, habent, quo forma radicalis reipsa vocalica dignoscatur, ita ut tanquam species consonaticæ declinationis immerito cogitarentur.

a. Masculinum.

§ 86. Forma radicalis : *GIBANDA.*

	Sing.	Plur.
Nom. *gibands*	donator	*gibands* donatores
Voc. *giband*	donator	*gibands* donatores
Acc. *giband*	donatorem	*gibands* donatores
Dat. *giband*	donatori	*gibandam* donatoribus
Gen. *gibands*	donatoris	*gibande* donatorum

Sic declinantur substantiva e participiis activis derivata : *daupjands* baptistus, *hatands* osor, *merjands* prædicator, *nasjands* salvator, *bisitands* vicinus, *talzjands* doctor, *allvaldands* omnipotens, *fraveitands* ultor, *fijands* hostis, inimicus, *frijonds* amicus, *fraujinonds* dominator, *midumonds* mediator.

«Annotatio.—Ad hanc declinationem pertinet etiam *menoþs* mensis, a quo sequentes casus probari possunt : sing. nom. *menoþs* Luc. I, 36, dat. *menoþ* Luc. I, 26, gen. *menoþs* Neh. VI, 15; plur. acc. *menoþs* Luc. I, 24, 56, dat. *menoþum* Gal. IV, 10. Hinc voc. et acc. sing. *menoþ*, gen. plur. *menoþe* cogitandi sunt.»

b. Femininum.

§ 87. Forma radicalis : *BAURGI.*

	Sing.	Plur.
Nom. *baurgs*	urbs	*baurgs* urbes
Voc. *baurg*	urbs	*baurgs* urbes
Acc. *baurg*	urbem	*baurgs* urbes
Dat. *baurg*	urbi	*baurgim* urbibus
Gen. *baurgs*	urbis	*baurge* urbium

Sic declinantur : *alhs* templum, *brusts* pectus, *dulþs* festum, *mitaþs* mensura, *miluks* lac, *nahts* nox, *spaurds* stadium, *vaihts* res, negotium.

«Annotatio.—*Dulþs* et *vaihts* regulariter etiam declinantur : gen. *dulþais*, *vaihtais*, etc. *Nahts* habet in dat. plur. *nahtam* Mc. v, 5.

B. CONSONANTICA DECLINATIO.

§ 88. Nonnullis casibus consonantica declinatio animadvertenda est, sic :

1) Nominativus sing. *n* finale radicalis formæ rejicit.

2) Vocativus sing. nominativo similis est.

3) Accusativus sing. nudam radicis formam exhibet, excepto tamen neutro, quod juxta regulam nullas patientem exceptiones, accusativum nominativo congruentem habet.

4) Dativus sing. *a* hujus casus proprium deperdidit quod tamen prius aderat, ut ex *a* præcedente syllabæ formativæ debilitato in *i* patet.

5) Genitivus sing. *s* ad radicalem formam immediate connectit, *a* syllabæ formativæ in *i* debilitato.

6) Nominativus plur. masc. et fem. radicali formæ *s* præponit, cujus loco neutrum *a* adhibet, producta vocali syllabæ formativæ.

7) Vocativus et accusativus plur. semper sunt nominativo congruentes.

8) Dativus plur. in *m* desinit, rejecto *n* radicalis formæ.

9) Genitivus plur. in masc. et neutr. *e*, in fem. *o* ad radicalem formam adjicit.

a. Masculinum.

§ 89. Forma radicalis *-an : HANAN*

	Sing.	Plur.
Nom. *hana*	gallus	*hanans* galli,
Voc. *hana*	galle	*hanans* galli
Acc. *hanan*	gallum	*hanans* galli
Dat. *hanin*	gallo	*hanam* gallis
Gen. *hanins*	galli	*hanane* gallorum

Sic declinantur : *halsagga* cervix, *aha* sensus, *ahma* spiritus, *amsa* humerus, *ara* aquila, *atta* pater, *blinda* cæcus, *bloma* flos, *brunna* puteus, *broþrahan* plur. tant. fratres, *fauragagga* præsul, præsidens, *galga* crux, *garda* stabulum, *gibla* pinaculum, *guma* homo, *gadaila* participator, *gadauka* hospes, *drakma* drachma, *drobna* seditio, *hiuhma* turba, *gahlaiba* socius, *hliuma* auris, auditus, *unhulþa* malignus (spiritus), *hoha* aratrum, *uzeta* præsepe, *galaista* comes, *manleika* imago, *galeika* concorporale, *usliþa* paralyticus, *liuta* hypocrita, *lofa* manus arida, *magula* parvulus, *maimbrana* pergamen, *malma* arena, *mela* modius, *mena* luna, *milhma* populus, *ganauha* sufficientia, *nuta* captor, *nota* puppa, *gajuka* socius, *garasna* vicinus, *sinista* maxime natus, *gasinþa* socius, *skula* debitor, *skuggva* speculum, *smakka* ficus, *snaga* vestis, *sunna* sol, *sparva* passer, *spilla* prædicator, *spyreida* sporta, *gataura* fissura, *vaihsta* angulus, *ga-*

Digitized by Google

vaurstva cooperator, *veiha* presbyter, *fana* pannus, *fulа* plenitudo; et formationes in *-ja : aurtja* hortulanus, *arbja* hæres, *baurgja* civis, *bandja* captivus, *fauragaggja* œconomus, *ingardja* inquilinus, *gauja* accola, *gudja* sacerdos, *vaidedja* malefactor, *afdrugkja*, *veindrugkja* ebriosus, *bihailja* rixosus, *dulgahailja* creditor, *haurnja* buccinator, *hlija* tabernaculum, *afetja* estor, *kasja* figulus, *manamaurþrja* homicida, *newundja* proximus, *arbinumja* hæres, *unkja* uncia, *gasinþja* socius, *skattja* nummularius, *skilja* carnifex, *sviglja* tibicen, *timrja* lignarius faber, *vaurstvja* operarius, *vardja* custos, *vilja* voluntas, *faskja* fascia, *fiskja* piscator, *frauja* dominus.

« Annotatio 1.— Incertæ sunt declinationis *maþa* vermis, *skeima* lucerna.

« Annotatio 2.—*Auhsa* bos, et *aba* homo habent in genitivo plur. *auhsne* Luc. xiv, 19 et *abne* Cor. I, xi, 3, 4, in dativo plur. *abnam* Eph. v, 22. Hic quoque *a* syllabæ formativæ rejectum est et consequentem *a* terminationis in dativo plur. servatum, coll. § 88, 8. »

b. Neutrum.

§ 90. Forma radicalis *-an : HAIRTAN*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*hairto*	cor	*hairtona*	corda
Voc.	*hairto*	cor	*hairtona*	corda
Acc.	*hairto*	cor	*hairtona*	corda
Dat.	*hairtin*	cord	*hairtam*	cordibus
Gen.	*hairtins*	cordis	*hairtane*	cordium

Sic declinantur : *augo* oculus, *aldomo* senex, *auso* auris, *barnilo* parvulus, *augadauro* fenestra, *þairko* foramen, *taurno* frumentum, *qiþlo* sermo, *gajuko* socius, *siglo* sigillum.

« Annotatio.— *Namo* nomen et *vato* aqua, quemadmodum masculina *auhsa* et *aba* (§ 89, annot. 2), *a* syllabæ formativæ in plurali rejiciunt : nom. et acc. *namna* Mc. iii, 17; Luc. x, 20; Phil. iv, 3, dat. *vatnam* Mth. viii, 32; Luc. viii, 25. »

c. Femininum.

§ 91. α. Forma radicalis *-on : TUGGON*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*tuggo*	lingua	*tuggons*	linguæ
Voc.	*tuggo*	lingua	*tuggons*	linguæ
Acc.	*tuggon*	linguam	*tuggons*	linguas
Dat.	*tuggon*	linguæ	*tuggom*	linguis
Gen.	*tuggons*	linguæ	*tuggono*	linguarum

Sic declinantur : *aglo* afflictio, *azgo* cinis, *anno* stipendium, *armaio* eleemosyna, *avo* avita, *bandvo* signum, *brinno* febris, *gatvo* via, *faihugeiro* aviditas, *dauro* porta, *hraivadubo* turtur, *þriuso* præcipitium, *qino* mulier, *haiþno* ethnica, *heito* febris, *hnuto* flagellum, *unhulþo* malignus, *þako* argilla, *þeiwo* tonitru, *ïnilo* excusatio, *kalbo* juvenca, *klismo* cimbalum, *inkilþo* prægnans, gravida, *broþralubo* charitas proximi, *gamarko* vicinia, *mammo* caro, *gamaitano* concisio, *malo* tinea, *mavilo* puella, *misdo* merces, *gajuko* similitudo, *uhvo* mane, *garasno* vicina, *reiro* tremor, *vinþiskauro* pala, *sunno* sol, *stairno* astrum, *stairo* sterilitas, *svaihro* socrus, *trigo* luctus, *vairilo* labium, *vahtvo* custodia, *dauravardo* janitoria, *viko* hebdomas, *vinno* dolor, *vruggo* tendiculum, *fauho* vulpes, *usfarþo* exitus, *fullo* plenitudo, *waþo* spuma; necnon et formationes cum *-jo* : *arbjo* hæres fem., *brunjo* lorica, *ïddaljo* præcipitium, *heþjo* cubile, *ïumjo* turba, *kalkjo* pellex, *mitadjo* mensura, *niþjo* germana, *raþjo* numerus, *garunjo* fluxus aquæ, *sakjo* rixa, *snorjo* nurus, *tainjo* cophinus, *gatimrjo* ædificatio, *vaihjo* pugna.

§ 92. β. Forma radicalis : *-ein : MANAGEIN*.

	Sing.		Plur.	
Nom.	*managei*	turba	*manageins*	turbæ
Voc.	*managei*	turba	*manageins*	turbæ
Acc.	*managein*	turbam	*manageins*	turbas
Dat.	*managein*	turbæ	*manageim*	turbis
Gen.	*manageins*	turbæ	*manageino*	turbarum

Sic declinantur : *aglaitei* impudicitia, *aiþei* mater, *unagei* intrepiditas, *gaaggvei* coarctatio, *airzei* error, *audagei* beatitudo, *inahei* disciplina, *bairgahei* regio montana, *bairhtei* manifestatio, *baitrei* amaritudo, *barniskei* puerilitas, *baurei*, *baurþei* onus, *balþei* audacia, *usbeisnei* patientia, *bleiþei* mansuetudo, *braidei* latitudo, *gairnei* desiderium, *gaitei* capra, *gaurei* mœstitia, *gabei* divitiæ, *gagudei* pietas, *gastigodei* hospitalitas, *daubei* induratio, *usdaudei* zelus, *filudeisei* astutia, *digrei* abundantia, *diupei* profundum, *undivanei* immortalitas, *drugkanei* ebrietas, *qairrei* dulcedo, mansuetudo, *lausqiþrei* jejunium, *hauhhairtei* superbia, *harduhairtei* duritia cordis, *armahairtei* misericordia, *viljahalþei* beneplacitum, *hauhei* altitudo, profunditas, *handugei* sapientia, *hlutrei* puritas, *hrainei* mundities, *tropei* clamor, *þaurstei* sitis, *þramstei* locusta, *þvairhei* ira, *kilþei* uterus, *niuklahei* pusillanimitas, *laggei* longitudo, *latei* molestia, *anþarleikei* diversitas, *analaugnei* absconditum, *liuhadei* illuminatio, *liutei* dolus, *magaþei* virginitas, *marei* mare, *vajamerei* blasphemia, *mikilei* eminentia, *laggamodei* longanimitas, *mukamodei* mansuetudo, *mundrei* scopus, *nauþadei* nuditas, *garaihtei* justitia, *selei* bonum, *unselei* malum, *siukei* morbus, *gaskaidei* divisio, distinctio, *guþaskaunei* divina forma, *usstiurei* luxuria, *unsverei* infamia, *allsverei* simplicitas, *sviknei* castitas, *svinþei* potentia, *filuvaurdei* multiloquium, *vaurstvei* virtus, *unvammei* sinceritas, *balvavesei* iniquitas (κακία Cor. I, v, 8 est in glossario adjiciendum), *varei* astutia, *hindarveisei* dolus, *anaviljei* modestia, *vrekei* persecutio, *veitvodei* testimonium, *ainfalþei* simplicitas, *faurhtei* metus, *usfilmei* stupefactio, *ufarfullei* superabundantia, *gafraþjei* modestia, *frijei* libertas, *frumadei* primatus, *frodei* prudentia, *faihufrikei* avaritia, *wairnei* calvarium.

ANOMALA.

§ 93. Cum anomala, quæ ad varias declinationes spectant, jam suo quæque loco fuerunt subjecta, ea nunc tantum hic remanent, quæ, ad nullam declinationem in particulari accedentia, id præsertim habent irregulare, quod defectiva sint, id est, nonnullis communibus casibus careant, quibus partim casus ad aliam formam radicalem mutuando supplent. Hujusmodi vocabula sunt :

1) *Manna* homo, quod suos casus tum ex radice

Digitized by Google

MANNA, tum ex radice *MAN* efformat, sequenti modo :

	Sing.		Plur.	
Nom.	*manna*	homo	*mans*, *mannans*	homines
Voc.	*manna*	homo	(*mans*)	homines
Acc.	*mannan*	hominem	*mans*, *mannans*	homines
Dat.	*mann*	homini	*mannam*	hominibus
Gen.	*manș*	hominis	*manne*	hominum

2) Eodem modo *fon*, neutr. ignis, in singulari tantum occurrens, suos casus a radicibus *FONA* et *FUNAN* :

Nom.	*fon*	ignis
Acc.	*fon*	ignem
Dat.	*funin*	igni
Gen.	*funins*	ignis

3) *Fadrein*, quod, licet juxta formam, neutrum sit singulare, in nominativo et accusativo ut masculinum plurale usurpatur, ex. gr. : *þai fadrein* Joan. IX, 20, *þans fadrein* IX, 18. Loco cæterorum casuum regularis plur. *fadreina* (Cor. II, XII, 14) communius adhiberi videtur, ex. gr. : *fadreinam* Col. III, 20; Tim. II, III, 2. Unde quæri potest, utrum *fadrein*, ut in glossario scribitur, proprie indeclinabile, an potius tanquam defectivum habendum sit.

DECLINATIO NOMINUM PROPRIORUM ET PEREGRINORUM.

§ 94. Horum nominum et vocabulorum declinatio peculiare requirit examen. Quamvis enim gothus peregrinam græcorum vocabulorum formam quandoque intactam reti nuerit, ea tamen quandoque etiam gothicorum vocabulorum ad instar flectere conatus est : hinc eorum deflexionem ab assueta forma prætermittere nefas. Jam vero juxta gothicas declinationes ordinantur, ut sequitur.

A. VOCALIA DECLINATIO.

1. Radic. vocalis *a*.

a. Masculinum.

α. Forma radicalis *-a* :

Hanc formam sequuntur peregrina vocabula numero plurima, ut : *abjaþar*, *aibair*, *abraham*, *adam*, *bailiam*, *bauaus*, *daveid*, *iakob*, *isak*, *israel*, *iosef*, *kaisar*, *lod*, *moses*, *saulaumon*, *seimon*, *siloam*, *fanuel*, etc., eo tamen discrimine, quod ad nominativum *s* non adjiciant. Idem dicendum est de gothico nomine *viljariþ* in documento neapolitano.

β. Forma radicalis *-ja* :

Laivveis, *lyddomaeis*, (*mailkeis*, Luc. III, 24), *naitofateis*, *praizbytaireis*, *saudaumeis*

b. Femininum.

Eo modo declinantur non pauca nomina et vocabula peregrina, ut *akaja*, *antiaukia*, *asia*, *galatia*, *dalmatia*, *iairusaulyma*, *kileikia*, *laodja*, *makidona* vel *makidonja*, *paurpura*, *sidona*, *syria*, *trauada*, *tyra*, *filippa*, etc. ; quæ tamen in genitivo terminationem *-ais* loco *-os*, recipiunt, ex. gr. : *asiais* Cor. I, XVI, 19, *kileikiais* Gal. I, 21. Regularius *iairusaulymos* apud Luc. II, 38 occurrit. *Synagoge* e contrario, quod alias consonanter flectitur, genitivum *synagogais* apud Luc. VIII, 41 et Joan. IX, 21 habet; dativus autem *laudidja* Tim. II, I, 5 mendum est librarii pro *laudjai*.

2. Radic. vocalis *i*.

Masculinum.

Eo modo tantum flectuntur nomina gentilitia, ut *saur* Syrus, dat. plur. *saurim* Luc. II, 2, præsertim in plurali : *makidoneis*, *rumoneis*, *seidoneis*, *saudaumeis* (Luc. XVII, 29), *galateis*, *iairusaulymeis*. Nonnulla etiam in nominativo sing. græcam terminationem *es* habent : *israeleites*, *samareites*, *iairusaulymeites*.

3. Radic. vocalis *u*.

Masculinum.

Huc referenda sunt vocabula numero plurima, ut *aggilus*, *aipiskaupus*, *aifaisius*, *akajus*, *alfaius*, *apaustaulus*, *barþaulaumaius*, *gadaarsnus*, *gairgaisaius*, *galatius*, *galeilaius*, *zaibaidaius*, *zakkaius*, *haibraius*, *iakobus*, *iaurdanus*, *iudaius*, *kaurinþius*, *nikaudemus*, *paitrus*, *paulus*, *pelatus*, *saddukaius*, *seimonus*, *teibairius*, *teimauþaius*, *teitus*, *fareisaius*, *filippisius*, etc. Hoc tamen est animadvertendum, quod nominativum plur. in *-eis*, genitivum plur. in *-e* efformet, ex. gr. : *apaustauleis*, *apaustaule*, *iudaieis*, *iudale*, his tantum exceptis, quæ in singulari in *-ius* desinunt, ut *aifaisius*, *kaurinþius*, *filippisius*, quæque in nominativo plur. eodem hoc modo sonant. Datur etiam nominativus plur. *aggiljus* Mc. XII, 25 ; Luc. II, 15 ; Rom. VIII, 38 cum *aggileis* Mc. I. 13. Quædam in nominativo sing. *es* quoque loco *us* accipiunt, ut *praufetes* Mc VI, 15 ; XI, 32, *iskariotes* Joan. XII, 4, qua nova terminatione ad supra memorata *israeleites*, *samareites*, *iairusaulymeites* accedunt. Dativus *iohannau* Luc. IX, 9 a *iohannes* pariter efficitur

« Annotatio.— Ad vocalicam declinationem pertinent, licet nulli peculiari formæ subjiciantur, sequentia : *ano*, gen. *anos* ; *helei*, gen. *heleis* ; *naggai*, gen. *naggais* ; *herodes*, dat. *heroda*, gen. *herodes* vel *herodis* ; *iohannes*, acc. *iohannen* (*iohanna* Mc. I, 19), dat. *iohanne*, *iohannen* et *iohannau* Luc. IX, 9, gen. *iohannes* vel *iohannis*. Probabiliter *taitrarkes*, *jannes*, *mambres*, *airmogaineis* simili modo sunt flectenda. »

B. CONSONANTICA DECLINATIO.

a. Masculinum.

§ 95. Quæ huc arcessenda sunt *abia*, *ainmerira*, *barakeia*, *helia*, *þymiama*, *kajafa*, *kusa*, *papa*, *rema*, *satana*, etc., plane regulariter declinantur, hoc tantum excepto, quod plura græcorum ad instar in nominativo sing. *s* accipiant, ut *aipafras*, *andraias*, *annas*, *barnabas*, *esaeias*, *zakarias*, *helias*, *þomas*, *iairaimias*, *iudas*, *lukas*, *tobeias*, *satanas*, etc. Sic se habet etiam nomen gothicum *sunjaifriþas*.

Juxta hanc quoque declinationem plurima flectuntur feminina, ut *aiodia*, *beþania*, *gaiainna*, *maria*, *marþa*, *samaria*, *sarra*, et probabiliter alia plura, ut *aivva*, *raibikka*, *priska*, *susanna*, *saudauma*, etc. Pariter occurrit accusativus plur. *aipistulans* Neh. VI, 17, 19 ab *aipistule*. Ex dativo *herodiadein* (pro *herodiadin* ?) Luc. III, 19 et genitivo *herodiadins* Mc. VI, 17, 22 conjicere licet nomi

Digitized by Google

nativum *herodiadą*, cujus tamen loco *herodias* solemnius fuisse videtur, vid. ad Mc. VI, 19.

b. Femininum.

α Forma radicalis *-on* :

Damasko, eikaunio, kaurinþo, qiſaisǫ, ïairenǫ, ſtalino, aikklezjǫ, ſkaurpjo, laikiþo, kavtsjo.

β. Forma radicalis *-ein* :

Beþsfagei, aipiskaupei, praizbytairei. Quædam vocabula, græcam terminationem *e* habentia, hanc juxta declinationem cæteros casus efformant, sic *synagoge*, acc. *synagogein* Luc. VI, 6; VII, 5, dat. *synagogein* Luc. IV, 16, 20; *aipistaule*, acc. *aipistaulein* Rom. XVI, 22, dat. *aipistaulein* Cor. I, V, 9, dat. plur. *aipistaulem* (loco *aipistauleim*) Thess. II, III, 17; *paraskaive*, acc. *paraskaivein* Mth. XXVII, 62; *syntyke*, acc. *syntykein* Phil. IV, 2. Simili modo dativi *daikapaulein* Mc. V, 20 et *ïairaupaulein* Col. IV, 13 a *daikapaulis*, *ïairaupolis* derivantur.

« Annotatio 1.—Alios casus *synagoge* irregulariter efficit : gen. sing. *synagogais* Luc. VIII, 41; Joan. IX, 22; dat. plur. *synagogim* Mc. I, 39; Luc. IV, 44.

« Annotatio 2. — Nonnulla masculina, quorum nominativus in *-n* desinit, ut feminina hujus declinationis flectuntur : *symaion*, gen. *symaions* Luc. III, 30; *aharon*, gen. *aharons* Luc. I, 5; *ammon*, gen. *ammons* Luc. III, 25; *apaullon* (*apaullo?*), acc. *apaullon*, Cor. I, XVI, 12, dat. *apaullon* IV, 6, gen. *apaullons*), 12; *addein* (*addei?*), gen. *addeins* Luc. III, 28; *mailkeiu* (*mailkei?*) gen. *mailkeins* III, 28; *nerin*, gen. *nerins* III, 27. Necnon forsan et *ïoanan* et *naiman*.

« Annotatio 3.— Pari modo etiam flectitur *ïairusalem* : acc. *ïairusalem* Luc. II, 22, dat. *ïairusalem* Mc. XI, 1, gen. *ïairusalems* Neh. VII, 2, 3. »

§ 96. In nonnullis tamen casibus græcam declinationem retinuit Gothus :

Sing. nom. huc præter nomina supra citata in *-as*, *-es* et *e* etiam adducenda sunt *magdalene*, *salome*; *praufeteis* (προφῆτις); *herodias*.

« Annotatio 1.— Huc pertinet etiam *standan*, præt. *stoþ*, quod post *a* syllabæ radicalis *n* ubique inducit, ex. gr. : præs. *standa*, imp. *stand*.

« Annotatio 2.— Plurima hujus conjugationis verba in præsenti et modis ad hoc pertinentibus debiliter flectuntur, scilicet : *hlahjan* ridere, *skapjan* creare, *haſjan* tollere, *skaþjan* nocere, *friþjan* intelligere, *raþjan* numerare, *vahsjan* proficere; sic ex. gr. : præs. *hlahja*, imperat. *hlahei*, part. act. *hlaßjands*. »

b. REDUPLICANS.

§ 124. Reduplicatio in eo consistit, quod initialis consonans ante *ai* radici verbi præposita geminetur, ex. gr. : *haham*, præt. *haihah;* *saltan*, præt. *saisalt;* si autem vocalis initialis est, *ai* tantummodo præposito reduplicationi satisfit, ex. gr. : *aukan*, præt. *aiauk*; si duæ vel plures sunt consonantes, prima tantum geminatur, ex. gr. : *fraisan*, præt. *faifrais*, exceptis tamen consonantium ligaturis *sk*, *st*, (*sp*), ex. gr. : *skaidan*, præt. *skaiskaid*. Jam vero reduplicantia verba in duas classes dividuntur, prout cum vel sine absonantia formentur. Ad posteriorem ea tantum pertinent, quæ vel *e* pro radic. vocali, vel *ai* hujus vicem gerens (§ 32, 3) habent. Hinc sequens exaratur tabula :

Præs.	Præt. sing.	Præt. plur.	Part. pass.
7 *a, ai, au, o, (e)*		(immutatum)	
8 *e, ai*	*o*	*ô*	*ai*

§ 125. 7. *hahan* tollere.

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*haha*	*haihah*
	2	*hahis*	*haihaht*
	3	*hahiþ*	*haihah*
Dual.	1	*hahos*	*haihahu*
	2	*hahats*	*haihahuts*
Plur.	1	*haham*	*haihahum*
	2	*hahiþ*	*haihahuþ*
	3	*hahana*	*haihahun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*hahau*	*haihahjau*
	2	*hahais*	*haihaheis*
	3	*hahai*	*haihahi*
Dual.	1	*hahaiva*	*haihaheiva*
	2	*hahaits*	*haihaheits*

Digitized by Google

Plur.	1	*hahaima*	*haihaheima*
	2	*hahaiþ*	*haihaheiþ*
	3	*hahaina*	*haihaheina*

Imperativus.

Sing.	2	*hah*
Dual	2	*hahats*
Plur.	1	*haham*
	2	*hahiþ*

Participium.

Act. *hahands* Pass. *hahans*

Sic conjugantur : *fahan* capere, *haldan* pascere, *staldan* possidere, *alþan* senescere, *falþan* plicare, *saltan* salire, *aikan* dicere, *laikan* exsultare, *plaihan* amplecti, *skaidan* dividere, *haitan* vocare, *maitan* cædere, *fraisan* tentare, *aukan* augere, *hlaupan* currere, *stautan* pulsare, *flautan?* ostentare, *bauan?* habitare, *wopan* gloriari, *slepan* dormire.

« Annotatio.— Si *flauteiþ* Cor. I, XIII, 4 reipsa legendum est, pro *flautiþ* (§ 30, annot. 2) ponitur; sed forsan melius *flautaiþ* legeretur, et tunc ad secundam conjugationem (*haban*) pertineret. »

§ 126. 8. *tekan* tangere.

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*teka*	*taitok*
	2	*tekis*	*taitokt*
	3	*tekiþ*	*taitok*
Dual.	1	*tekos*	*taitoku*
	2	*tekats*	*taitokuts*
Plur.	1	*tekam*	*taitokum*
	2	*tekiþ*	*taitokuþ*
	3	*tekand*	*taitokun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*tekau*	*taitokjau*
	2	*tekais*	*taitokeis*
	3	*tekai*	*taitoki*
Dual.	1	*tekaiva*	*taitokeiva*
	2	*tekaits*	*taitokeits*
Plur.	1	*tekaima*	*taitokeima*
	2	*tekaiþ*	*taitokeiþ*
	3	*tekaina*	*taitokeina*

Imperativus.

Sing.	2	*tek*
Dual.	2	*tekats*
Plur.	1	*tekam*
	2	*tekiþ*

Participium.

Act. *tekands* Pass. *tekans*

Sic conjugantur : *flekan* plangere, *sveran* insidiari, *redan* providere, *gretan* plorare, *letan* sinere, *blesan* flare, *laian* deridere, *vaian* flare, *saian* seminare.

« Annotatio.—E *saian* occurrit 2 persona sing. præt. ind. *saisost* Luc. XIX, 21. *Saiiþ* Mc. IV, 14 non nisi euphonice (§ 34, 4) ponitur pro *saiþ* Cor. II, IX, 6. »

CONJUGATIO SECUNDA.

§ 127. In secunda, debili seu vocalica conjugatione tres sunt diversæ formæ, prout forma radicalis verbi in *i*, *ai* vel *o* desinit.

In præsenti formando *i* radicis ante vocalem posita vel in *j* transit, vel in *ei* cum sequente alio *i* contrahitur; *ai* vero ante vocalem terminationis deficit, nisi *i* fuerit, quod post *ai* rejicitur; sed contra post *o* omnes terminationis vocales abeunt ita, ut in omnibus terminationibus vocalis *o* immutata remaneat.

Præteritum ex radice cum præterito verbi fortis *didan*, *dad*, *dedun* (unde *deds* factum) composito efformatur (coll. § 25, 4), quod verbum in indicativo dual. et plur. et in toto conjunctivo adhuc manifeste perspicuum est. In indicativo sing. tantum, quod proprie *-dad*, *-dast*, *-dad* sonare deberet, finalis consonans rejicitur, et in 2 persona, ut quantitas vocalis antea per positionem longæ, sed tali rejectione detractæ probabiliter compensaretur, longa vocalis pluralis (*e*) in locum brevis *a* inducitur *-da*, *-des*, *-da*.

1. FORMA RADICALIS *-i*.

§ 128. Hic in formandis præsenti et imperativo quoddam est discrimen. Ubi enim longa radicalis syllaba vel brevis derivativa syllaba præcedit, *i* radicalis formæ cum *i* terminationis in *ei* contrahitur; ubi vero brevis præcedit syllaba radicalis, hæc ita producitur, ut *i* formæ radicalis in *j* incidat. Cæterum idem transitus in *j* locum habet ad vitandum hiatum.

a. sokjan quærere. *b. lagjan* projicere.

Indicativus.

Præsens.

Sing.	1	*sokja*	*lagja*
	2	*sokeis*	*lagjis*
	3	*sokeiþ*	*lagjiþ*
Dual.	1	*sokjos*	*lagjos*
	2	*sokjats*	*lagjats*
Plur.	1	*sokjam*	*lagjam*
	2	*sokeiþ*	*lagjiþ*
	3	*sokjand*	*lagjand*

Præteritum.

Sing.	1	*sokida*	*lagida*
	2	*sokides*	*lagides*
	3	*sokida*	*lagida*
Dual.	1	*sokidedu*	*lagidedu*
	2	*sokideduts*	*lagideduts*
Plur.	1	*sokidedum*	*lagidedum*
	2	*sokideduþ*	*lagideduþ*
	3	*sokidedun*	*lagidedun*

Conjunctivus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*sokjau* (*lagjau*)	*sokidedjau* (*lagidedjau*)
	2	*sokjais*	*sokidedeis*
	3	*sokjai*	*sokidedi*
Dual.	1	*sokjaiva*	*sokidedeiva*
	2	*sokjaits*	*sokidedeits*
Plur.	1	*sokjaima*	*sokidedeima*
	2	*sokjaiþ*	*sokidedeiþ*
	3	*sokjaina*	*sokidedeina*

Imperativus.

Sing.	2	*sokei*	*lagei*
Dual.	2	*sokjats*	*lagjats*
Plur.	1	*sokjam*	*lagjam*
	2	*sokeiþ*	*lagjiþ*

Digitized by Google

Participium.

Act.	*sokjands*	*lagjands*
Pass.	*sokiþs*	*lagiþs*

Ut *sokjan* conjugantur: α) verba vocalem naturaliter longam vel diphthongum in syllaba radicali habentia:

aa) *levjan* tradere, *skevjan* iterfacere, *gatevjan* ordinare, *meljan* scribere, *aivaggeljan* evangelizare, *venjan* sperare, *merjan* prædicare, *unverjan* indignari, *svegnjan* gaudere, *newjan* propinquare, *gaunledjan* pauperem facere, *praufetjan* prophetizare, *fetjan* ornare;

bb) *goljan* salutare, *domjan* judicare, *siponjan* discipulum esse, *ogjan* pavescere, *svogjan* suspirare, *vrohjan* accusare, *drobjan* turbare, *hropjan* clamare, *vopjan* clamare, *rodjan* loqui, *dustodjan* incipere, *fodjan* enutrire, *veitvodjan* testari, *þropjan* exercere, *gasoþjan* saturare, *botjan* (sic enim tantum, non autem *botan*, ut in glossario irrepsit, occurrit) prodesse, *gamotjan* occurrere, *wotjan* objurgare;

cc) *hrukjan* cantare (*brukjan* uti);

dd) *usaivjan* sustinere, *hnaivjan* humiliare, *gailjan* lætificare, *dailjan* dividere, *hailjan* sanare, *insailjan* illaqueare, *hrainjan* purificare, *gamainjan* communicare, *sainjan* tardare, *stainjan* lapidare, *taiknjan* ostendere, *draibjan* compellere, *biveibjan* circumdare, *faurvrikjan* ligare, *arbaidjan* laborare, *baidjan* cogere, *usbraidjan* dilatare, *maidjan* corrumpere, *raidjan* constituere, *ganaitjan* improbare, *usgaisjan* pavescere, *laisjan* docere, *raisjan* excitare, *laistjan* sequi;

ee) *ufbauljan* inflare, *bisauljan* maculare, *gaumjan* videre, *haunjan* humiliare, *gaurjan* contristari, *kaurjan* gravare, *augjan* ostendere, *usbaugjan* everrere, *laugnjan* negare, *hauhjan* extollere, *gadaubjan* indurare, *galaubjan* credere, *daupjan* baptizare, *raupjan* evellere, *afslaupjan* exuere, *maudjan* admonere, *usdaudjan* studere, *blauþjan* delere, *dauþjan* occidere, *nauþjan* cogere, *afslauþjan* coarctare metu, *gadrausjan* ejicere, *hausjan* audire, *kausjan* gustare, *lausjan* inanem reddere;

ff) *gaskeirjan* interpretari, *sildaleikjan* mirari, *hleibjan* sublevare, *tveifljan* dubitare, *freidjan* parcere, *bleiþjan* misericordem esse, *gasleiþjan* lædere, *ufarhleiþrjan* superædificare, *idveitjan* exprobrare, *fullaveisjan* adimplere, *gabeistjan* corrumpere (de fermento)

gg) *sniumjan* festinare, *riurjan* corrumpere, *stiurjan* constituere, *gadiupjan* fodere, *biniuhsjan* explorare, *liuhtjan* illuminare, *þiuþjan* benedicere.

β) Verba, quorum syllaba radicalis per positionem longa est:

aa) *balþjan* audere, *balvjan* male afficere, *malvjan* conterere, *valvjan* volvere, *talzjan* docere, *valtjan* volvere, *faurdammjan* prohibere, *anavammjan* vituperare, *namnjan* vocare, *kannjan* notificare, *gabrannjan* exurere, *urrannjan* oriri facere, *sandjan* mittere, *tandjan* accendere, *vandjan* volvere, *bandvjan* significare, *ananaþjan* audere, *manvjan* parare, *qaaggvjan* coarctare, *afsvaggvjan* fluctuantem reddere, *dragkjan* bibere, *sagqjan* mergere, *gastagqjan* procidere, *tarmjan* erumpere, *varmjan* calefacere, *gatarnjan* occultare, *gavargjan* damnare, *gatarnjan* defamare, *gaþarbjan* abstinere, *atsnarpjan* adedere, *gahardjan* indurare, *fravardjan* permutare, *usagljan* molestare, *ganagljan* affigere, *lagrjan* lacrymari, *rahnjan* numerare *gafahrjan* accommodare, *þlahsjan* terrere, *andbahtjan* ministrare, *anamahtjan* fortificare, potentem facere, *gafrisahtjan* effingere, *biabrjan* tremere, *haftjan* ligare, *skaftjan* creare, *þrafstjan* consolare, *daddjan* sugere, *ufarskadvjan* obumbrare, *maþljan* loqui, *usfraþvjan* sapientem reddere, *ufarassjan* multiplicare, *gaþvastjan* confirmare;

bb) *gablindjan* obcæcare, *svinþjan* prohibere, *disvinþjan* conquassare, *plinsjan* saltare, *timrjan* ædificare, *sigljan* sigillare, *rignjan* pluere facere, *gaibnjan* adæquare, *klismjan* tinnire, *usqistjan* corrumpere;

cc) *dulþjan* festum celebrare, *tulgjan* confirmare, *fulljan* implere, *anakumbjan* recumbere, *gasvikunþjan* manifestare, *hunsljan* offerre, *huggrjan* esurire, *knussjan* genuflectere, *barusnjan* pie colere, *ufartrusnjan* supersalire, *intrusgjan* inserere, *huzdjan* thesaurum colligere;

dd) *gairnjan* cupere, *bairhtjan* manifestare, *vaifairwjan* fiere, *gagavairþjan* reconciliare, *airzjan* errare facere (seducere), *garaihtjan* constituere;

ee) *haurnjan* tuba canere, *maurgjan* abbreviare, *faurhtjan* timere, *andvaurdjan* respondere, *maurþrjan* interficere, *þaursjan* sitire, *inrauhtjan* irasci.

γ) Verba cum syllaba derivativa brevi: huc vero tantum veniunt *mikileid* Luc. 1, 46 a *mikiljan* magnificare, et *riqizeiþ* Mc. XIII, 24 a *riqizjan* tenebrari; et probabiliter etiam sequentia: *audagjan* beatum dicere, *managjan* multiplicare, *lauhatjan* illuminare, *svogatjan* suspirare, *framaþjan* peregrinare, *gabigjan* locupletare, *glitmunjan* splendere, *usvalugjan* circumferre.

Ut *lagjan* conjugantur:

α) Verba cum syllaba radicali brevi;

aa) *usskavjan* resipisci, *aljan* saginare, *saljan* remanere, *saljan* offerre, *valjan* optare, *gramjan* sollicitare, *hramjan* crucifigere, *gatamjan* domare, *ufþanjan* extendere, *arjan* arare, *varjan* prohibere, *farjan* ire, *þragjan* currere, *lagjan* jacere, *vagjan* agitare, *inagjan* increpare, *ahjan* arbitrari, *tahjan* lacerare, *fullafahjan* lætificare, *ufrakjan* extendere, *usvakjan* excitare, *vrakjan* persequi, *afwapjan* exstinguere, *skaþjan* lædere, *fraþjan* intelligere, *fraatjan* cibum distribuere, *latjan* impedire, *matjan* comedere, *natjan* rigare, *satjan* ponere, *nasjan* salvare, *vasjan* vestire, *hazjan* laudare;

bb) *krisjan* quassare, *vlizjan* colaphizare, in faciem verberare;

cc) *huljan* abscondere, *suljan* fundare, *faurmuljan* os alligare, *hunjan* conari, *huhjan* arbitrari, (*bugjan* vendere, emere), *kukjan* osculari, *suþjan* adulari.

β) Verba, quorum radicalis syllaba vocali desinit: *stojan* judicare (præt. *stauida*), *afdaujan* fatigare (præt. *afdauida*), *straujan* sternere (præt. *stravida*), *taujan* facere (præt. *tavida*), *ananiujan* renovare (præt. *ananivida*), *gaqiujan* vivificare (præt. *gaqivida*), *siujan* suere (præt. *sivida*).

Digitized by Google

« Annotatio 1.—Per exceptionem ponitur *hropjiþ* Luc. IX, 39 loco *hropeiþ*; sed contra *andhafeiþ* Mc. XI, 30 loco *andhafjiþ* (Mth. XXV, 45). De *ufarassiþ* Tim. I, 1, 14 loco *ufarasseiþ* vid. § 23, 4.

« Annotatio 2.—In 2 persona sing. imper. *ei* pro duplici formæ regulariter adhibetur, ex. gr.; *nasei* Mth. VIII, 25, *atlagei* IX, 18, *ufrakei* Mc. III, 5, *fraþei* Tim. II, II, 7; excipitur tantum adverbiale *hiri*.

« Annotatio 3.— Cum *hausjan* occurrit etiam infinitivus *hausjon* Mc. IV, 33; Luc. V, 15; Joan. VI, 60; Tim. II, II, 14; nec non et loco *suþjan* datur *suþjon* Tim. II, IV, 3, et cum *beistjan* etiam participium pass. *unbeistjoþs* Cor. I, V, 7 reperitur.

« Annotatio 4.—Nonnulla hujus conjugationis verba i radici et terminationi interjectum expellunt ita, ut tenuis vel media radicis in aspiratam, *t* in *s* transeat, et *d* terminationis post mutam veniens in *t* induretur: *bimaminjan* deridere, præt. *bimaminda*, *kaupatjan* colaphizare, præt. *kaupasta*, *þagkjan*, præt. *þahta*, *þugkjan*, præt. *þuhta*, *brukjan*, præt. *bruhta*, *bugjan*, præt. *bauhta*. »

§ 129. 2. Forma radicalis *-ai*.

haban habere.

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*haba*	*habaida*
	2	*habais*	*habaides*
	3	*habaiþ*	*habaida*
Dual.	1	*habos*	*habaideda*
	2	*habats*	*habaideduts*
Plur.	1	*habam*	*habaidedum*
	2	*habaiþ*	*habaideduþ*
	3	*haband*	*habaidedun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*habau*	*habaidedjau*
	2	*habais*	*habaidedeis*
	3	*habai*	*habaidedi*
Dual.	1	*habaiva*	*habaidedeiva*
	2	*habaits*	*habaidedeits*
Plur.	1	*habaima*	*habaidedeima*
	2	*habaiþ*	*habaidedeiþ*
	3	*habaina*	*habaidedeina*

Imperativus.

Sing.	2	*habai*
Dual.	2	*habats*
Plur.	1	*habam*
	2	*habaiþ*

Participium.

Act. *habands* Pass. *habaiþs*

Sic conjugantur: *a*) *skaman* erubescere, *haha* hærere, *þahan* tacere, *slavan* obmutescere, quietum esse, *valdan* gubernare, *blandan* miscere, *arman* misereri, *fastan* observare, *fastan* jejunare, *gaainanan* orbare;

b) *anaþivan* ministerio fungi, *fijan* odisse, *anasilan* sedare, *hlifan* furari, *sifan* gaudere, *vitan* videre, *gavisqan* (?) fructus afferre;

c) *þulan* tolerare, *munan* arbitrari, *trudan* (?) vindemiare, *andhruskan* examinare;

d) *sveran* glorificare;

e) *blotan* offerre;

f) *faian* vituperare; *fairaihan* participare, *aistan* æstimare;

g) *bauan* habitare, *trauan* confidere, *bnauan* vellere, *maurnan* sollicitum esse, *saurgan* curare, *andstaurran* fremere;

h) *weilan* cessare, *reiran* tremere, *gageigan* lucrari, *veihan* sanctificare, *leikan* placere;

i) *liugan* mentiri, *jiukan* pugnare.

« Annotatio. — Cum *hatan* odisse, occurrit etiam forma *hatjan* Mth. V, 44; Luc. VI, 27. »

§ 130. 3. Forma radicalis *-o*.

spillon annuntiare.

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*spillo*	*spilloda*
	2	*spillos*	*spillodes*
	3	*spilloþ*	*spilloda*
Dual.	1	*spillos*	*spillodedu*
	2	*spillots*	*spillodeduts*
Plur.	1	*spillom*	*spillodedum*
	2	*spilloþ*	*spillodeduþ*
	3	*spillond*	*spillodedun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*spillo*	*spillodedjau*
	2	*spillos*	*spillodedeis*
	3	*spillo*	*spillodedi*
Dual.	1	*spillova*	*spillodedeiva*
	2	*spillots*	*spillodedeits*
Plur.	1	*spilloma*	*spillodedeima*
	2	*spilloþ*	*spillodedeiþ*
	3	*spillona*	*spillodedeina*

Imperativus.

Sing.	2	*spillo*
Dual.	2	*spillots*
Plur.	1	*spillom*
	2	*spilloþ*

Participium.

Act. *spillonds* Pass. *spilloþs*

Sic conjugantur: *a*) cum radice monosyllaba:

aa) *salbon* ungere, *dvalmon* insanire, *gahamon* attrahere, *karon* curare, *warbon* ambulare, *vraton* ire;

bb) *gatilon* assequi, *sviglon* canere, *sidon* exercere, *gasmiþon* præparare, *viþon* movere, *gafriþon* reconciliare, *miton* cogitare, *fiskon* piscari, *vizon* vivere;

cc) *ushulon* excidere, *ufarmunnon* oblivisci, *mundon* considerare, *vundon* vulnerare, *supon* condere, *gatrudon* calcare, *luton* decipere, *lustoп* desiderare;

dd) *gredon* esurire;

ee) *holon* fraudare, *gakroton* comminuere;

ff) *vairþon* thesaurizare, *laigon* lingere, *bifaihon* decipere, *aihtron* mendicare, *gapaidon* vestire, *vlaiton* circumspicere;

gg) *gaunon* plangere, *biraubon* rapere, *kaupon* tractare;

hh) *galeikon* assimilare, *gaveison* aspicere;

ii) *aviliudon* gratias agere, *liuþon* cantare.

b) Verba cum syllaba derivativa: *airinon* lega-

Digitized by Google

tione fungi, *drauhtinon* militem esse, stipendia facere, *gudjinon* sacerdotio fungi, *fraujinþn* dominare, *skalkinon* servire, ministrare, *raginòn* regere, *reikinon* gubernare, *leikinon* sanare, *horinon* mœchari, *faginon* gaudere, *fairinon* vituperare, *aljanan* studere, *þiudanon* regem esse, *hatizon* irasci, *valvison* volvi, *idreigon* se pœnitere, *aiviskon* improbare, *ganavistron* sepelire, *midumoņ* mediatorem esse, *militon* militare, stipendia facere, *kapillon* tondere.

« Adnotatio.—Nonnulla verba ante terminationem *j* admittunt, quod tamen in flexionem minime influit. Talia sunt : *auhjon* tumultuari, *sunjon* justificare, *gavadjon* despondere, *frijon* amare, *gasibjon* se reconciliare ; coll. *hausjon*, *suþjon* (§ 128, annot. 3). »

CONJUGATIO TERTIA.

§ 131. *fullnan* impleri.

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*fullna*	*fullnoda*
	2	*fullnis*	*fullnodes*
	3	*fullniþ*	*fullnoda*
Dual	1	*fullnos*	*fullnodedu*
	2	*fullnats*	*fullnodeduts*
Plur.	1	*fullnam*	*fullnodedum*
	2	*fullniþ*	*fullnoduþ*
	3	*fullnand*	*fullnodedun*

Conjunctivus

Sing.	1	*fullnau*	*fullnodedjau*
	2	*fullnais*	*fullnodedeis*
	3	*fullnai*	*fullnodedi*
Dual.	1	*fullnaiva*	*fullnodedeiva*
	2	*fullnaits*	*fullnodedeits*
Plur.	1	*fullnaima*	*fullnodedeima*
	2	*fullnaiþ*	*fullnodedeiþ*
	3	*fullnaina*	*fullnodedeina*

Imperativus.

Sing.	2	*fulln*
Dual.	2	*fullnats*
Plur.	1	*fullnam*
	2	*fullniþ*

Participium.

Act. *fullnands*

« Annotatio.— Participium pass. non occurrit nec unquam probabiliter exstitit, quippe cum forma ipsa significationem passivam habeat. »

Sic conjugantur : *a*) Inter verba e prima conjugatione derivata : *andhundnan* solvi, *tundnan* accendi, *gaþaursnan* arefieri, *aftaurnan* scindi, *usgeisnan* obstupescere, *keinan* germinare, *insteinan* misereri, *afliþnan* reliqui, remanere, *diskritnan* disrumpi, *usgutnan* effundi, *usluknan* aperiri, *fraluznan* deperdi, *disknaupnan* disrumpi, *ufarhafnan* superbire, *gaskaidnan* sejungi, *biauknan* multiplicari, *andletnan* solvi :

b) Inter verba e secunda conjugatione derivata : *gaqiunan* reviviscere, *gahailnan* sanari, *mikilnan* gloriari, *afdumbnan* obmutescere, *urrumnan* dilatari, *blindnan* excæcari, *svinþnan* corroborari, *usmernan* narrari, *gagavairþnan* reconciliari, *gastaurknan* siccari, *managnan* superesse, *gabignan* locupletari, *veihnan* sanctificari, *ushauhnan* exaltari, *ganohnan* adimpleri, *gaþlahsnan* mirari, *gavaknan* evigilare, *afdaubnan* indurari, *afdobnan* obmutescere, *drobnan* quassari, moveri, *gahaftnan* hærere, *afswapnan* suffocari, *ganipnan* mœreri, *dauþnan* mori, *afslauþnan* mirari, obstupescere, *gabatnan* opus habere, *fraqistnan* perire.

II. PASSIVUM.

§ 132. In duabus tantum prioribus conjugationibus existit passivum, tertia passivam significationem per se habente, addito, quod in soio præsenti ind. et conj. occurrat. Quomodo autem cætera tempora et modi exprimantur, edocebit Syntaxis § 177.

CONJUGATIO PRIOR.

		Indicativus.	Conjunctivus.
Sing.	1	*haitada*	*haitaidau*
	2	*haitaza*	*haitaizau*
	3	*haitada*	*haitaidau*
Plur.	1	*haitanda*	*haitaindau*
	2	*haitanda*	*haitaindau*
	3	*haitanda*	*haitaindau*

CONJUGATIO POSTERIOR.

1.

sokjada, etc. *sokjaidau*

2.

habada, etc. *habaidau*

3.

spilloda, *spilloza*, etc. *spillodau*

Verba in passivo occurrentia sequuntur :

a) Ex prima conjugatione : *siggvan* Cor. II, III, 15, *fraslindan* V, 4, *vilvan* Thess. I, IV, 17, *usgildan* Luc. XIV, 14, *vairpan* Mth. VIII, 12; *niman* Mc. II, 20 *qiman* Gal. V, 15, *bairan* Joan. 3, 3, *tairan* VII, 23; *giban* Luc. VI, 38, *vrikan* Gal. V, 11, *qiþan* Cor. I, X, 30, *mitan* Luc. VI, 38, *bigitan* Cor. I, IV, 2, *lisan* Mth. VII, 16 ; *speivan* Luc. XVIII, 32 *veipan* Tim. II, II, 5, *teihan* Rom. IX, 17, *þreihan* Cor. II, I, 6, *bileiþan* Luc. XVII, 34; *kiusan* Tim. I, 3, 10, *lukan*, Neh. VII, 3, *tiuhan* Luc. XVIII, 31, *skaban* Cor. I, XI, 6, *sakan* XIV, 24, *fraþjan* Phil. II, 5; *laikan* Gal. VI, 7, *haitan* Mth. XXVII, 17, *maitan* VII, 19, *fraisan* Gal. VI, 1, *fahan* VI, 1, *saltan* Mc. IX, 49; *saian* IV, 15, *letan* II, 5, *blesan* Cor. I, XIII, 4.

b) Ex secunda conjugatione :

a) *merjan* Mc. XIV, 9, *levjan* XIV, 41, *rodjan* XIV, 9, *domjan* Luc. VI, 37, *sokjan* Cor. I. IV, 3, *dailjan* Mc. III, 24, *knaivjan* Luc. III, 5, *hrainjan* VII, 22, *unmaidjan* Cor. I, XV, 51, *daupjan* Mc. 10, 38, *gadrausjan* Luc. X, 13, *ushauhjan* XIV, 11, *lausjan* Cor. I, I, 17, *gadauþjan* Rom. VIII, 36, *gaurjan* XIV, 15, *skeirjan* Joan. IX, 7, *gasleiþjan* Cor. II, VII, 9, *idveitjan* Tim. I, IV, 10, *stojan* Luc. VI, 37, *ananiujan* Cor. II, IV, 16, *marzjan* Mth. XI, 6, *inbrannjan* Joan. XV, 6, *insandjan* Rom. X, 15, *afvandjan* Gal. I, 6, *fravardjan* Cor. II, IV, 16, *gatalzjan* Tim. I, I, 20, *anavammjan* Cor. II, VI, 3, *faurdammjan* XI, 10, *ana-*

Digitized by Google

mahtjan Mth. xi, 12, *rahnjan* Rom. ix, 8, *gaþrafstjan* Cor. II, i, 6, *timrjan* Cor. I, viii, 10, *afairzjan* xv, 33, *bairhtjan* Mc. iv, 22, *fulljan* Luc. i, 20, *kunsljan* Tim. II, iv, 6, *inþrusgjan* Rom. xi, 19, *mikiljan* Phil. i, 20, *usskavjan* Tim. II, ii, 26, *gavaljan* Tim. I, v, 9, *ingramjan* Cor. I, xiii, 5; *afagjan* Thess. I, iii 3, *tagjan* Mth. vii, 19, *vagjan* Mc. xiii, 25, *distahjan* Joan. xvi, 32, *saljan* Mc. iv, 21, *nasjan* Luc. viii, 50, *huljan* Mth. x, 26, *bugjan* x, 29, *brukjan* Col. ii, 22;

β) *gafastan* Luc. v, 38, *trudan* vi, 44, *sveran* Joan. xii, 23, *liugan* Luc. xx, 34, *gajiukan* Rom. xii, 21, *gaveihan* Tim. I, iv, 5, *faian* Rom. ix, 19;

γ) *frijon* Cor. II, xii, 15, *supon* Luc. xiv, 35, *gakroton* xx, 18, *qafaihon* Cor. II, ii, 11, h. l., *galeikon* Mth. vii, 26, *aviliudon* Cor. II, i, 11, *gaaiginon* ii, 11, *gaaiviskon* Rom. ix, 35.

III. MEDIUM.

§ 133. Medii pauca tantum vestigia supersunt in gothica lingua; ad sequentes formas reducuntur :

Præsens.

	Indicativus.	Conjunctivus.
Sing. 3.	*vaurkjada*	*vaurkjadau*
Plur. 3.	*vaurkjanda*	*vaurkjandau*

Et hoc ex sequentibus argumentis ; 3 pers. ind. sing. : *gavasjada* Cor. I, xv, 54, *vaurkjada* Cor. II, iv, 17, *ustiuhada* vii, 10; plur. : *uskunnanda* Joan. xiii, 35; 3 pers. conj. sing. : *atsteigadau* Mth. xxvii, 42; Mc. xv, 32, *lausjadau* Mth. xxvii, 43; plur. : *liugandau* Cor. I, vii, 9; vid. Syntaxim § 178.

« Annotatio.— Si lectio *sunjodama* Cor. II, xii, 19 codicis B legitima esset, medialem formam 1 personæ plur. præberet; sed potius mendum est librarii pro *sunjoma* (cod. A). »

ANOMALA CONJUGATIONIS

§ 134. 1 Duodecim verba formam præteriti fortis ut præsens adhibent, ex cujus plurali, debilis præteriti terminatione immediate affixa, præteritum et participium pass. efformant. Quoad infinitivum ex plurali præsentis etiam deducitur. Jam vero hæc omnia verba, si *magan* excipias, ad quasdam absonantiæ classes pertinentia in conjugationem fortem incidunt sequentique modo ordinari possunt :

			Præs. sing.	Præs. plur.	Præt.	Part. pass.	Inf.
1	absonantiæ classis	1.	*mag* possum	*magum*	*mahta*	*mahts*	*magan*
		2.	*kann* novi	*kunnum*	*kunþa*	*kunþs*	*kunnan*
		3.	*þarf* opus habeo	*þaurbum*	*þaurfta*	*þaurfts*	*þaurban*
		4.	*dars* audeo	*daursum*	*dursta*	*daursts*	*daursan*
2	—	5.	*man* arbitror	*munum*	*munda*	*munds*	*munan*
		6.	*skal* oportet [1]	*skulum*	*skulda*	*skulds*	*skulan*
3	—	7.	*nah* necesse est		*nauhta*	*nauhts*	*nauhan*
4	—	8.	*vait* scio	*vitum*	*visse*	*vits?*	*vitan*
		9.	*aih* habeo	*aigum*	*aihta*	*aihts.*	*aigan*
5	—	10.	*daug* consto		*dauhta*	*dauhts*	*dugan*
6	—	11.	*mot* possum	*motum*	*mosta*	*mosts*	*motan*
		12.	*og* timeo	*ogum*	*ohta*	*ohts*	*ogan*

Plur. 2 *kunneiþ* *kunþedeiþ*
3 *kunneina* *kunþedeina*

De cætero regulariter] flectuntur, præsens scilicet ut præteritum primæ, præteritum vero ut præteritum syncopatum secundæ conjugationis (§ 128, annot. 4), ex. gr. :

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*kann*	*kunþa*
	2	*kant* (*kannt*)	*kunþes*
	3	*kann*	*kunþa*
Dual.	1	*kunnu*	*kunþedu*
	2	*kunnuts*	*kunþeduts*
Plur.	1	*kunnum*	*kunþedum*
	2	*kunnuþ*	*kunþeduþ*
	3	*kunnun*	*kunþedun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*kunnjau*	*kunþedjau*
	2	*kunneis*	*kunþedeis*
	3	*kunni*	*kunþedi*
Dual.	1	*kunneiva*	*kunþedeiva*
	2	*kunneits*	*kunþedeits*
Plur.	1	*kunneima*	*kunþedeima*

« Annotatio 1.—Ab *ogan* tantum imperativus sing occurrit et sonat *ogs* Luc. i, 13, 30; Joan. xii, 15, Rom. xiii, 4; hinc definiri non potest quænam forma cæterorum verborum fuerit, fortasse *mags*, *kanns*, *mans*, minus autem probabiliter *kuns*, *muns*. Nec melius constat imperativus plur., cum formæ *ogeiþ* Mth. x, 26, *kunneiþ* Mc. xiii, 29; Joan. xv, 18, *gamuneiþ* Joan. xv, 20 etiam ad conjunctivum pari jure referri possunt, coll. § 186.

« Annotatio 2.— Infinitivis, quæ passim occurrunt, ut *kunnan* Mc. iv, 11, *daursan* Phil. i, 14 (coll. part. act. *þaurbands* Eph. iv, 28), eamdem atque præsens plur. absonantiam patientibus, *nahan* igitur glossarii in *nauhan* emendandum est.

« Annotatio 3. — *Munan*, *vitan* et *kunnan* in compositis *gakunnan*, *uskunnan* significatione paululum mutata, regulariter juxta conj. II, 2 flectuntur: *muna*, *munais*, *munaiþ*, etc. »

2) Ad verba supra memorata et equidem ad quar-

[1] Proprie germ. *ich soll*, quod verbum nulli latino respondet, necessitatem quamdam, obligationem ficiumque indicans. *Interpr.*

Digitized by Google

tam absonantiæ classem refertur etiam *viljan* velle, præt. *vilda*, eam tamen particularitatem habens, quod indicativo præsenti indigeat, cujus locum conjunctivus supplet :

Sing.	1	*viljau*	Dual.	1	*vileiva*	Plur.	1 *vileima*
	2	*vileis*		2	*vileits*		2 *vileiþ*
	3	*vili*					3 *vileina*

3) *Briggan* afferre, præsens equidem juxta primam conjugationem regulariter efformat, in præterito autem *brahta* absonantiam cum syncopata forma secundæ conjugationis commiscet (§ 128, annot. 4).

4) *Gaggan* ire, præsens et participium pass. *gaggans* habet juxta primam conjugationem formatum, sed præteritum *iddja* ex radice aliunde deperdita mutuatur, quod ad normam conjugationis secundæ flectitur.

Sing.	1	*iddja*
	2	*iddjes*
	3	*iddja*
Dual.	1	*iddjedu*
	2	*iddjeduþs*
Plur.	1	*iddjadum*
	2	*iddjeduþ*
	3	*iddjedun*

Semel tantum reperitur præteritum *gaggida* Luc. XIX, 12; participium pass. *gaggids* Mth. III, 11 in participium act. *gaggands* emendandum est.

5) Conjugatio verbi auxiliarii *visan* esse ex tribus radicibus efficitur, quarum una in sing. præs. ind., altera in cæteris formis præsentis, tertia tandem in præt. inf. et part. innotescit. Præsens etiam in duali et plurali ind. præteriti formam exhibet :

Indicativus.

		Præsens.	Præteritum.
Sing.	1	*im*	*vas*
	2	*is*	*vast*
	3	*ist*	*vas*
Dual.	1	*siju*	*vesu*
	2	*sijuts*	*vesuts*
Plur.	1	*sijum*	*vesum*
	2	*sijuþ*	*vesuþ*
	3	*sind*	*vesun*

Conjunctivus.

Sing.	1	*sijau*	*vesjau*
	2	*sijais*	*veseis*
	3	*sijai*	*vesi*
Dual.	1	*sijaiva*	*veseiva*
	2	*sijaits*	*veseits*
Plur.	1	*sijaima*	*veseima*
	2	*sijaiþ*	*veseiþ*
	3	*sijaina*	*veseina*

Participium.

Act. *visands.*

« Annotatio.ª Quando autem, significatione paulum deflexa, significat *esse*, id est remanere, regulariter juxta conj. I, 3 flectitur. »

C.

INFLEXIBILIA.

1. ADVERBIA.

§135. *a*) Temporis : *sunsaiv* brevi, *air* mane, *anaks* subito, *þan*, *þanuh* tunc, *ju*, *juþan* jam, *nauh*, *nauhþan*, *nauhþanuh* adhuc, *nu* nunc, *biþe* in illo tempore, *simle* olim, *ufta* sæpe, *seiþu* sero, *sinteino* semper, *suman* aliquando, *suns* brevi, *aftra* iterum, *wan* quando, *wanhun* unquam, *weilohun* longo tempore ;

b) Loci : *her* hic, *þaruh* illic, *þarei* ubi, *þadei* quo, *þaþroei* unde, *sundro* seorsim, *bisunjane* circumquaque, et alia in § 164 laudata ;

c) Modi, abundantiæ, etc. : *sva*, *svah* sic, *alja* præter, tantummodo, *ni* non, *ne* non, *niu*, *nei* nonne? *ja* utique, *jai* profecto, *sunja* vere, *svare* frustra, *weh* solummodo, *þatainei* id., *halisaiv* vix, *þishun* seorsim, *vaila* bene, *filu* magis, maxime, *vaitei* fortasse, *we* forsan, *duwe* cur, *duþe* quia, *vainei* utinam, et alia in § 163 memorata ;

d) Interrogationis : *-u ; an, nuh* ergo? *ibai* μή? *jau* forsitan? *þau* id.

2. PRÆPOSITIONES.

a) Cum dativo : *alja* præter, *af* ab, *miþ* cum, *us* ex, *faura* ante, *fram* ab ;

b) Cum accusativo : *and* per, *þairh* per, *inuh* sine, *undar* inter, *viþra* adversus, contra, *faur*, pro ;

c) Cum dativo et accusativo : *ana* in, *at* apud, ad, *afar* post, *bi* secundum, *du* ad *hindar* retro *und* usque ad, *uf* sub, *ufar* super

d) Cum genitivo, dativo et accusativo : *in* in, propter, de.

3. CONJUNCTIONES.

a) Copulativæ : *jah* et, etiam, *-hu* -que, *nih* neque ;

b) Disjunctivæ : *aiþþau* vel, *andizuh* — *aiþþau* aut — aut, *jaþþe* sive — sive ;

c) Adversativæ : *iþ*, *þan*, *aþþan*, *akei* sed, verum, autem, *ak* tamen, attamen ;

d) Causales : *allis*, *auk*, *unte*, *raihtis* nam ;

e) Conclusivæ : *þanuh*, *þaruh*, *eiþan*, *nu (nuh) þannu*, *nunu* igitur, ergo, sic ;

f) Conditionales : *jabai* si, *niba* nisi ;

g) Concessivæ : *þau* si tamen, *þauhjabai* si tamen, *sveþauh* quidem, equidem ;

h) Finales : *ei*, *þatei*, *þeei*, *þei* ut, quod, quia, *swaei*, *svasve* ita ut ;

i) Comparativæ : *waiva* quemadmodum, sicut? *swe* sicut, *svasve* ut ;

k) Temporales : *sve* cum, quando, *þan*, *þande*, quando, quandiu, *biþe* cum, *miþþanei* dum, *sunsei* statim atque, cum primum, *faurþisei* antequam.

4. INTERJECTIONES.

O oh ! *vai* væ ! *sai* ecce ! *hiri*, *hirjats*, *hirjiþ* age, agedum !

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

DE FORMATIONE VOCABULORUM.

136. Materiam primam, ex qua vocabulum efformatur, *radicem* appellamus. Radix vero in lingua, qualis nobis tradita est, nusquam occurrit, sed tantummodo *stirps*, ex radice enata, ex qua, additis formationis et flexionis elementis, vocabulum evadit. Radix igitur aliquid est abstractum, stirps, concretum; utriusque tamen formæ quandoque inter se convenire possunt.

Radices, ne una quidem excepta, monosyllabæ sunt; cum autem plures soni ad efformandam unicam syllabam concurrere possunt, radices, habita ratione terminationis, vocalicæ vel consonanticæ dicuntur.

1) *Vocalicæ radices* sunt :

a) Vel simplex vocalis, ut *i* (radix pronominis *is*), *u* (particula interrogativa);

b) Vel consonans et vocalis, ut *þa* (radix pronominis *þata*), *hi* (radix pronominis *his*), verbales radices *lai, vai, sai, bau, stau, kei*, etc.

« Annotatio.—Primæva vocalis *a* generalioris valoris est, quam ut ullam radicem per se efficere possit, sed probabilius sive debilitata (in *i* vel *u*), aut producta (in *o*), etc., ad aliquid particularius restringitur, sive consonanti locupletata vim radicalem acquirit. »

2) *Consonanticæ radices* vel una vel duabus consonantibus componuntur, suntque

a) Vocalis et consonans, ut in radicibus verbalibus *aik, auk, al, an, at;*

b) Vocalis duabus consonantibus interposita, ex. gr. : *hah, bar, mait, skaid, sniþ, stig, skrit, band, varp, halp, svalt, sland*, etc.

§ 137. Relative ad stirpes, quibus dant originem, spectatæ, radices quatuor sunt specierum, nempe :

a) *Verbales*, ut in supra laudatis *lai, aik, hah*, etc.;

b) *Nominales*, ut *aiz, ast, bloþ*, etc.;

c) *Pronominales*, ut *i, þa, hi*, etc.;

d) *Particulæ*, ut *ak, and, bi, du*, etc.

« Annotatio. — Quod omnium vocabulorum radix verbum sit, in gothico sermone minime probatur; e contrario sunt vocabula numero non pauca, quæ, sive forma, sive significatione, ad radicem verbalem repugnare videntur. Equidem verum est, sententiam sine verbo intelligi non posse, sed discrimen adest inter ideam verbalem et verbum ipsum; connexio enim in verbo jacens, copulæ cum idea operationis, jam ipsa quidam est sermonis progressus, qui consequenter aliquid anterius supponit, et revera in pluribus aliis linguis nondum effectus est. Fatemur equidem, quod sub respectu sublimiori non infundata jaceat sententia, qua singula vocabula singulaque nomina e verbo procederent, sed grammatico ab ea temperandum nec nisi de materia sermonis, qualis occurrit, curandum esse credimus. Quapropter nosmetipsi ea veritate moti, ad id tantummodo intendemus, ut gothicam linguam per eam ipsam illustremus. Hinc etiam non est, cur radices in verbales et pronominales (Bopp., *Vergl.*, *Gramm.*, pag. 105) dividamus, cum aliunde, priores in verbales et nominales, posteriores vero in pronominales et particulas iterum incidentes, huic divisioni apprime conveniant. »

§ 138. In radicibus verbalibus vocalis pro maxima parte regulariter commutatur (absonantia, § 32, 3). Jam vero, ut illic diximus, sequentes dantur absonantiæ classes :

Præs.	Præt. sing.	Præt. plur.	Part. pass.
1. *i*	*a*	*u*	*u*
2. *i*	*a*	*e*	*u*
3. *i*	*a*	*e*	*i*
4. *ei*	*ai*	*i*	*i*
5. *iu*	*au*	*u*	*u*
6. *a*	*o*	*o*	*a*
7. *ai, e*	*o*	*o*	*ai, e*

Spectares equidem, quod in his omnibus absonantiæ classibus vocalis radicalis semper in eadem sede reperiretur; res tamen, si eam propius inspexeris, non ita se habet. Si enim, exempli gratia, vocalem præsentis ut radicalem semper accipias, tunc in tribus prioribus absonantiæ classibus ægre explicabis, quomodo *þa* et *u* ex *i* procedere potuerint; si contra in præterito sing. radicem semper quæras, huic repugnabit ruptio in quarta et quinta classibus occurrens; itaque hoc principium statui potest, quod in unaquaque absonantiæ classe ea vocalis ut radicalis sumenda sit, ex qua cæteræ juxta cognitas sonorum leges modo quam maxime obvio deducuntur. Quo posito, vocalis præteriti sing. in tribus prioribus classibus, vocalis vero participii pass. in cæteris ut radicalis habenda est.

§ 139. Verba, quæ ad diversas absonantiæ classes pertinent, jam supra (§ 119 sqq.) memoravimus; dantur tamen et aliæ plurimæ stirpes, quæ, eamdem absonantiæ relationem præse ferentes, etiam ad verba fortia, licet in lingua, qualis ad nos pervenit, non jam occurrant, referendæ sunt. Huc ergo veniunt :

1) *Svillan* tumescere, *ufsvalleins* inflatio; — *hilþan* benignum esse, *haldis* libens, *viljahalþei* benevolentia, *hulþs* benignus, propitius; — *vilþan* rudem, fortem esse (?), *vilþeis* sylvestris, *valdan* dominare, *vulþus* gloria; — *vimman* maculare, *gavamms* impurus, *anavammjan* vituperare; — *svimman* natare, *svumsl* tabula; — *innan* favere, *anno* stipendium, *ansts* gratia; — *grindan* molere, commolere, *grindafraþjis* pusillanimis, *grundus* (pulvis, terra) solum; — *tindan*, urere, *tandjan* accendere, *tundnan* accendi; — *sinþan* ire, *sinþ* itus, gradus (vices), *gasinþa* socius peregrinationis, *sandjan* mittere; — *vriggan* torquere, circum-

Digitized by Google

dare, *vruggo* tendiculum ; — *þigkan* cogitare, *þagks* gratiarum actio, *þagkjan* cogitare, *þugkjan* videri ; — *sviggvan* nutare, *afsvaggvjan* vibrare ; — *vairdan* curare, *vairdus* hospes, *vards* custos, *fravardjan* corrumpere ; — *vairman* calefieri, *varms* calidus, *vaurms* vermis ; — *flaihtan* torquere, *flahto* torques.

2) *Hilan* celare, *hilms* galea, *halja* inferus, *huljan* operire, velare ; — *milan* (coll. *malan*), *miliþ* mel, *mel* (mensura) tempus, *mulda* pulvis ; — *silan* possidere, *saljan* manere, *sels* (dives) bonus, *sulja* fundamentum, planta, *gasuljan* fundare ; — *skilan* separare, excoriare, *skilja* carnifex, *skildus* (squamma) scutum, *skalja* (squamma) later (gall. *tuile*) ; — *tilan* convenire, accommodari, *tils* accommodatus, *tals* aptus, *talsjan* adaptare, instruere, educare ; — *himan* operire, *himins* cœlum, *gahamon* vestire, induere ; — *friman* accelerare, *fram* in conspectu, *fruma* primus ; — *qinan* (?), *qino* femina, *qens* mulier ; — *þinan* extendi, *usþanjan* extendi ; — *minan* cogitare, *gaminþi* memoria, *anaminds* suspicio, *munan* putare ; — *vinan* deficere (?), *vinja* pascuum, *vans* deficiens, *vens* exspectatio ; — *airan* laborare, colere (?), *airus* nuntius, *arjan* arare ; — *fairan* accusare, *fairina* crimen, · *ferja* insidiator, *gafaurds* concilium ; — *svairan* gravem esse, *svare* inanis, vacuus, *svers* honoratus ; — *vairan* manere, durare, tutum esse (?), *vair* vir, *vairilo* labia (oris custodes ?), *gavairþi* pax (hucne ?), *vars* sobrius, *varjan* arcere, *verjan* conservare ; *stikan* pungere, *stiks*, acus, punctum, *staks* vice, *hleþrastakeins* tentorium figere.

3) *Knivan* (?), *kniu* genu, *knussjan* genuflectere ; — *hlivan* audire, *hliuþ* attentio, silentium, *hliuma* auditus ; — *tivan* paratum esse, *taujan* facere, *tevi* coma, *gatevjan* præparare, ordinare ; — *faihan* aptari, *bifaihon* decipere, *fullafahjan* satisfacere ; — *didan* facere, *deds* factum (coll. § 127).

4) *Feian* hostilem esse, *infeinan* misereri, *faian* vituperare, *fijan* odi ; — *geiran* desiderare, *geiro* aviditas, cupiditas, *gairnjan* cupere ; — *heivan* operire (?), *heiv* domus, *hivi* (tectum) adspectus ; — *leiban* manere, *laiba* reliquiæ, *bilaibjan* relinquere, *afliſnan* superesse ; — *veiban* vertere, *bivaibjan* circumdare ; — *gleitan* lucere (*glitmuni* splendor), *glitmunjan* splendere ; — *vleitan* adspicere, *andavleixns* adspectus, *vlaiton* aucupari, circumspicere, *vlits* adspectus, *vlizjan* in faciem verberare ; — *geisan* terrere, *usgeisnan* mirari, stupescere, *usgeisjan* stupefacere.

5) *Giuman* enutrire, curare (?), *gaumjan* considerare, *guma* homo ; — *skiuran* vehementer commoveri, *vinþiskauro* ventilabrum, *skura* fremitus, turbo ; — *jiukan* convenire (?) *jiuka* discordia, *jiukan* pugnare, *juk* par, *gajuka* comes, *gajuko* similitudo, *jukuzi* jugum ; — *liuhan* lucere, *liuhaþ* lux, *liuhtjan* illuminare, *lauhatjan* illuminare, *lauhmuni* fulgur ; — *liuban* amari, *liubs* dilectus, *galaubjan* credere, *galaubs* carus, pretiosus, *galubs* pretiosus, *broþrulubo* caritas fraterna, *lubains* spes ; — *diupan* altum esse, *diups* profundus, altus, *daupjan* immergere, baptizare ; — *sliuþan* lubricum esse, *afslauþjan* terrere ; — *liutan* adulari, decipere, *liuts* simulator, *liuta* adulator, hypocrita, *luton* decipere.

6) *Galan* cantare, clamare, *goljan* salutem dare, avere ; — *dagan* lucescere, *dags* dies, *ahtaudogs* octiduanus ; — *haban* habere (gall. *tenir*), *haban* habere, *haftjan* adhærere, *gahoban* continere ; — *saþan* saturatum esse, *saþs* saturatus, *gasoþjan* saturare ; — *watan* vehementem esse (?), *wass* vehemens, *woljan* minari, increpare, injuriis prosequi.

« Annotatio. — De nonnullis harum stirpium quæstio est, utrum, invita absonantia, cui subjacent, ad illa fortia verba equidem deperdita referendæ sint, an potius non credendum, quod absonantia etiam alibi, quam verbalibus radicibus, interdum irrepserit (§ 32, 3, annot. 2), cum idea propius ad radicem nominalem quam ad verbalem accedere videatur, ut puta *qinan*, *knivan*, *dagan*.

« Annotatio 2. — Alia vero vocabula juxta regulas absonantiæ deduci nequeunt atque adeo origini ex verbo forti repugnant ; hujusmodi sunt præsertim astrorum nomina, ut *sunna*, *mena*, *stairno* ; elementorum et naturæ phenomenorum, ut *airþa*, *vato*, *fon*, *vinds*, *rign* ; animalium, ut *fauho*, *auhsa*, *lamb*, *tiþrus*, *ulbandus*, *asilus*, *fugls*, *ara*, *dubo*, *ahaks*, *hana*, *sparva* ; plantarum earumque partium, ut *triu*, *bagms*, *aurts*, *gras*, *þaurnus*, *asts*, *tains*, *vaurts*, *laufs*, *akran*, *basi*, *peika*, *smakka* ; membrorum corporis, ut *haubiþ*, *auso*, *augo*, *munþs*, *tunþus*, *tuggo*, *hals*, *arms*, *brusts*, *wamba*, *fotus*, etc., licet nonnulla alia huic classi pertinentia etiam ad radicem verbalem forsan referri possint, ut *hunds* et *handus* ad *hinþan*, *vulfs* ad *vilvan* (?) et similia. »

§ 140. *Radix* igitur in grammatica, sicut et in plantis, ea est pars oculis abscondita, ex qua vocabulum enascitur ; *stirps* vero e radice palam effertur, ut concretum vocabulum efformet. Jam vero etiam stirps vocabuli, si hoc ab elemento formativo separemus, forma monosyllaba semper apparet induta ; si autem vocabulum relative ad flexivum elementum spectemus, stirps id est, hoc elementum tantummodo sejungamus, stirps derivativa esse potest, augmento formativo ditata, et consequenter polysyllaba. Sic ex. gr. *nam* radix est et *nim* stirps τοῦ *niman* ; *numi* vero (cum augmento formativo *i*, § 148) stirps τοῦ *numis*, *nemeig* (cum augmento formativo *eig*, § 150, ζ) stirps τοῦ *nemeigs*.

« Annotatio. — Stirps igitur a forma fundamentali in eo distinguitur, quod hæc jam elemento formativo locupletetur ; hinc de forma radicali tractandum est ubi de flexione vocabulorum, de stirpe vero, ubi de formatione agitur. Sic ex. gr. *nam* radix, *numi* stirps, *NUMPTI* tandem forma fundamentalis est τοῦ *numis*. »

§ 141. Quod si vocabulorum formationem exterius tantum spectemus, eam sive ex terminatione unicuique dictionum classi propria cum vel absque absonantia per simplicem appositionem, ex. gr. : *niman*, *nems* a radice *nam* ; sive ex compositione duarum vel plurium stirpium, ut *afniman*, *arbinumja*, *miþgarda*

Digitized by Google

vaddjus produci videbimus. Si autem eamdem formationem interius, id est, habita vocabuli propria significatione, eam in quatuor classes dividi constabit, nempe : *nominalem*, *pronominalem*, *verbalem* et *adverbialem*. Quoad vero elementa formativa, semper immediate stirpi connectuntur, illisque deinde flexiva appendent. Insuper elementum formativum est sive simplex consonans (ut *t* in *numts*), sive integra syllaba (ut *eig* in *nemeigs*). Ubi autem vocabulo jam derivato augmentum formativum ulterius affigendum est, plures inde syllabæ formativæ sibi succedentes adesse possunt, ut in *skalkinassus* a *skalks*.

A. FORMATIO NOMINALIS.

I. SUBSTANTIVUM.

§ 142. Quamvis genus influxum non nullum habeat in significationem vocabuli (§ 59), hic tamen pro maxima parte adeo est confusus adeoque parum ejus leges notæ, ut cum de formatione vocabuli agitur nonnisi secundario in eum attendere liceat. Ubi genus discrepantia sexuum innititur, ut in *niþjis* germanus, *niþjo* germana, *garazna* vicinus, proximus, *garazno* vicina, *þius* famulus, *þivi* famula, hoc ex significatione semper notum pro formatione vocabuli equidem valet; deficiente autem hac discrepantia naturali, eam significationem, quam varia grammaticæ genera in formandis vocabulis præ se ferunt, tuto comparare jam fit impossibile, et licet in genere dici liceat, quod masculinum potius concretum, femininum autem et neutrum potius abstractum, nec non actionem ejusque objectum significet, hoc tamen generale discrimen adeo est vagum nimiisque exceptionibus obnoxium, quam ut in exponenda substantivorum formatione partitio secundum tria genera aliquid commodi allatura videatur; qua de re forsan, formam derivatam ob oculos primo ponere, deinde divisionem secundum genera revocare satius esset.

§ 143. 1) Derivatio sine elemento formativo.

a) E verbis conjugationis fortis :

aa) E præsenti non nisi paucissima vocabula derivantur et equidem fere exclusive in prima absonantiæ classe, ex. gr. masc. *bairgs* (a *bairgan*); neutr. *sinþ* (a *sinþan*), *anafilh* (a *filhan*), *gild* (a *gildan*), *gavairþi* (a *vairþan*); fem. *gabinda*, *gabindi* (a *bindan*), *gairda* (a *gairdan*), *vinna* (a *vinnan*). Ad secundam absonantiæ classem pertinet tantum fem. *skilja* (a *skilan*), ad quartam neutr. *andabeit* (a *beitan*), *idveit* (a *veitan*), ad quintam neutr. *galiug* (a *liugan*);

bb) E præterito sing. : α) masc. *gards* (a *gairdan*), *þagks* (a *þigkan*), *saggs* (a *siggan*), *saggvs* (a *siggvan*); neutr. *draggk* (a *drigkan*), *gaþraak* (a *þriskan*), *vamm* (a *timman*), *gaþagki* (a *þigkan*); fem. *bandi* (a *bindan*), *usvandi* (a *svindan*), *þarba* (a *þairban*), *flahta* (a *flaihtan*); β) fem. *skalja* (a *skilan*); γ) masc. *vraks* (a *vrikan*); neutr. *vadi* (a *vidan*); fem. *staks* (a *stikan*), *vraka*, *vrakja* (a *vrikan*), *brakja* (a *brikan*); δ) masc. *daigs* (a *deigan*), *vaips* (a *veipan*); fem. *laiba* (a *leiban*), *staiga* (a *steigan*); ε) fem. *laudja* (a *liudan*); ζ) neutr. *soþ* (a *saþan*); fem. *bota* (a *batan*), *groba* (a *graban*);

cc) E præterito plur. nonnulla tantum certo derivantur vocabula secundæ et tertiæ classis : masc. *vegs* (a *vigan*); neutr. *andanem* (a *niman*), *andaset* (a *sitan*), *tevi* (a *tivan*); fem. *teva* (a *tivan*), *kunaveda* (a *vidan*);

dd) E participio pass. : α) fem. *baurgs* (a *bairgan*, *hunþs* (a *hinþan*), *vunns* (a *vinnan*), *gabundi* (a *bindan*); β) masc. *baur*, *gabaur* (a *bairan*), *qums* (a *qiman*), *muns* (a *minan*), *runs* (a *rinnan*); neutr. *bistugg* (a *stiggan*), *gabaur* (a *bairan*); fem. *usvaurpa* (a *vairpan*), *sulja* (a *silan*), *gabruka* (a *brikan*); γ) masc. *þius* (a *þivan*), *stiks* (a *stikan*); neutr. *biſaih* (a *faihan*); fem. *bida* (a *bidjan*), *giba* (a *giban*); δ) masc. *viits* (a *vleitan*); neutr. *gadik* (a *deigan?*); fem. *vipja* (a *veipan*); ε) masc. *drus* (a *driusan*); neutr. *usluk* (a *lukan*); fem. *þlauhs* (a *þliuhan*), *krusts* (a *kriustan*), *skura* (a *skiuran*), *ludja* (a *liudan*); ζ) masc. *gaggs* (a *gaggan*), *slahs* (a *slahan*), *andastaþjis* (a *standan*), *sakjis* (a *sakan*); neutr. *fraþi* (a *fraþjan*), *fauragaggi* (a *gaggan*); fem. *staþs* (a *standan*), *graba* (a *graban*); η) masc. *grets* (a *gretan*); neutr. *aflet* (a *letan*);

ee) E verbis simpliciter reduplicantibus sine absonantia : masc. *laiks* (a *laikan*), *sleps* (a *slepan*); neutr. *faurhah* (a *hahan*), *gaſah* (a *fahan*), *andstald* (a *staldan*), *bimait* (a *maitan*); fem. *haiti* (a *haitan*).

b) E verbis debilis conjugationis : masc. *faurmaþleis* (a *maþljan*), *vitodafasteis* (a *fastan*), *huhrus* (a *huggrjan*); neutr. *andaugi* (ab *augjan*), *faurmaþli* (a *maþljan*), *ufarmeli* (a *meljan*), *taui* (a *taujan*), *hropi* (verisimiliter neutr., a *hropjan*), *gavaurki* (a *vaurkjan*); fem. *vrohs* (a *vrohjan*), *liuga* (a *liugan*).

c) E substantivis derivantur :

aa) Masculina, ad eum designandum, qui munere vel arte fungitur, ut *hairdeis* (a *hairda*), *ragineis* (a *ragin*), *silbasiuneis* (a *siun*), *faurstasseis* (a *stass*);

bb) Neutra sive per compositionem ex aliis jam derivatis efformata, ut *ataþni* (a *aþn*), *fauradauri* (a *daur*), *andalauni* (a *laun*), *andanahti* (a *nahts*), *garuni* (a *runa*), *andvairþi* (a *vairþs* pretium), *andavaurdi* (a *vaurd*), *faurafilli* (a *fill*); sive ad efficienda realia ex personalibus substantiva, ut *andbahti* (ab *andbahts*), *þiubi* (a *þiubs*), *reiki* (a *reiks*), *gaskalki* (conservus, vid. § 191, I, 1, a *skalks*), *veitvodi* (a *veitvods*);

cc) Feminina eodem modo atque neutra, id est, per compositionem efformata : *þiudangardi* (a *gards*), etiam ad designandum naturale genus : *varda* (a *vards*), *þivi* (a *þius*), cum significatione paululum mutata : *daila* (a *dails*).

d) Ex adjectivis tandem :

aa) Masculina : solummodo *dauþus* (a *dauþs*);

bb) Neutra : *sildaleik* (a *leiks*), *azeti* (ab *azets*),

Digitized by Google

biuhti (a *biuhts*), *unhaili* (a *hails*), *unledi* (ab *unleds*), *galeiki* (a *galeiks*), *manvi* (a *manvus*), *gariudi* (a *gariuds*), *unsuti* (a *sutis*), *andvairþi* (ab *andvairþs*), *unviti* (ab *unvits*), *usvissi* (ab *usviss*);

cc) Feminina : *halba* (a *halbs*), *triggva* (a *triggvs*), *sibja* (a *sibjis*), *sunja* (a *sunjis*).

§ 144. 2) Derivatio cum ELEMENTO FORMATIVO.

a) Cum semivocalibus :

aa) Derivata cum *J* ubi hoc ex *i* enascitur, in præcedenti § memorantur; aliæ nusquam occurrunt;

bb) Derivata cum simplici *V* fere non reperiuntur, sed ubique dentalis ante semivocalem subrepisse videtur, ut in fem. *fijaþva* (a *fijan*), *frijaþva* (a *frijon*), *saliþvos* (a *saljan*); neutr. *þivadv* (a *þivan*), *vaurstv* (loco *vaurht-dv?* vid. § 52, 4, a *vaurkjan*); eodem etiam modo sunt explicanda vocabula originis aliunde obscuræ, ut fem. *ubizva*, neutr. *gaidv;* quoad fem. *bandva* sine dubio pro *band-dva* adhibetur (si præsertim ad *bindan* pertineat). Ejusdem modi sunt vocabula, in quibus *n* secundæ declinationis accedit, ut masc. *vaurstva*, *vaurstvja*, fem. *bandvo*, *vahtvo* (a *vakan*), *unvaurstvo*, *gatvo* (loco *gahtvo?* a *gaggan*), et etiam *uktvo*. Nec non et in masculino obscuræ originis *nidva*, interjicitur dentalis, cui unicum *bidagva* subtrahitur, nisi forsan euphoniæ causa ita adhibeatur pro primitivo *bidag-dva*. Quoad *viduvo* e latino certe prodit, nec *v* adest nisi ad vitandum hiatum.

§ 145. *b*) Cum liquidis :

aa) Masculina et neutra cum simplici *L* derivata significant instrumentum, cum quo, vel locum, in quo quid efficitur. Masc. *sitls* (a *sitan*), *stikls* (a *stikan*), *stols* (a *standan?*); neutr. *þvahl* (a *þvahan*), *fairveitl* (a *veitan*); fem. *ïusila* (ab *ïus*).

Quandoque huic *L* et aliud formationis elementum ante vel post mittitur, unde sequentes evadunt ligaturæ :

SL : neutr. *þreihsl* (a *þreihan*), *svumsl* (a *svimman*), *hunsl* (a *hinþan?*) *skohsl*, *svartizl;*

þL : neutr. *haimoþli* (a *haims*), coll. fem. *woftuli* (a *wopan*);

L-N diminutiva format : masc. *magula* (a *magus*), coll. nominibus propriis *merila*, *vulfila;* neutr. *barnilo* (a *barn*); loco *qiþlo* Skeir. V, d melius *qiþano* (*qiþ̃o*) legendum esset (coll. Mc. xv, 28); *mavilo* (a *mavi*), coll. *ïnilo*, *vairilo*.

« Annotatio.— Vocabulum *manauli* in nulla supra descriptarum classe relative ad formationem ordinari potest atque adeo suspectum videtur, hinc forsan melius cum Massmanno, Phil. II, 8, *manludjai* (coll. *manleika*) loco *manaulja* legendum est. Obscurioris originis sunt masculina *hakuls* (non autem *hakul*, ut glossarium exhibet), *asilus*. »

bb) Derivatio cum *M* reperitur tantum in masc. *barms* (a *bairan*), frequentior vero occurrit ligatura *M-N :* masc. *ahma* (ab *ahan?*), *malma* (a *malan*), *hliuma* (a *hlivan?*), *stoma*, *bloma*, *milhma*, *hiuhma;* neutr. *aldomo* (ab *alþan*); fem. *miduma* (a *midja*), *lauhmuni* (a *liuhan*), *glitmuni* (a *gleitan*).

cc) *N* omnium elementorum frequentissime usurpatur ad firmanda vocabula præcipue substantiva, in quibus eamdem significationem habere videtur atque in formandis infinitivo et participio præt. verborum fortium. Jam vero arcessenda sunt :

α) Substantiva secundæ declinationis, quorum *n* in nominativo sing. deperditum est. Inter ea :

αα) Masculina designant, paucis tantum exceptis, personas, quæ munere vel proprietate pollent. In ordine vero ad derivationem complectuntur

ααα) Ea, quæ ex aliis substantivis deducuntur, ut *gadaila* (a *dails*), *gahlaiba* (a *hlaibs*), *galaista* (a *laists*), *usliþa* (a *liþus*), *gajuka* (a *juk*), *garazna* (a *razn*), *gasinþa*, *gasinþja* (a *sinþ*), *spilla* (a *spill*), *staua* (a *staua* fem.), *aurtja* (ab *aurts*), *arbja* (ab *arbi*), *baurgja* (a *baurgs*), *ïngardja* (a *gards*), *gauja* (a *gavi*), *gudja* (a *guþ*), *vaidedja* (a *deds*), *haurnja* (a *haurn*), *kasja* (a *kas*), *mana maurþrja* (a *maurþr*), *skattja* (a *skatts*), *vardja* (a *vards*), *liugnja* (a *liugn*);

ββ) Ea, quæ ex adjectivis originem trahunt : *unhulpa* (a *hulþs*), *þarba* (a *þarbs*), *veiha* (a *veihs*), *galeika* (a *galeiks*), *gamainja* (a *gamains*);

γγ) Ea, quæ ex verbis derivantur : *fauragagga*, *fauragaggja* (a *gaggan*), *liuta* (a *liutan*), *nuta* (a *niutan*), *skula* (a *skulan*), *ufarsvara* (a *svaran*), *bandja* (a *bindan*), *afdrugkja* (a *drigkan*), *bihaitja* (a *haitan*), *afetja* (ab *ïtan*), *arbinumja* (a *niman*), *skilja* (a *skilan?*), *sviglja* (a *sviglon*), *timrja* (a *timrjan*).

« Annotatio. — Realem significationem habent: *garda* (a *gards*), *mela* (a *mel*), *lukarnastaþa* (a *staþs*), *ganauha* (a *ganauhan*), *uzeta* (nisi sit neutrum [*uzets*], ab *ïtan*), *gataura* (a *tairan*), *vilja* (a *viljan*), *drobna* (a *drobnan*). »

ββ) Neutra tantum pauca in hac classe reperiuntur : *kaurno* (a *kaurn*), *gajuko* (a *juk*), *sigljo* (a *sigljan*), et peculiariter formatio *armalo* (ab *arman*).

γγ) Feminina hujus classis desinunt :

ααα) In *ein :* sunt pro maxima parte ex adjectivis derivata et proprietatem designant, ut *gaaggvei* (ab *aggvus*), *aglaitei* (ab *aglaits*), *airzei* (ab *airzis*), *audagei* (ab *audags*), *bairhtei* (a *bairhts*), etc. (vid. § 92). Huc etiam veniunt derivata ex participiis : *undivanei* (a *divans*), *drugkanei* (a *drugkans*).

Ea, quæ ex verbis exoriuntur, actionem vel conditionem significant cum idea secundaria durationis longioris, vel frequentioris repetitionis : *unagei* (ab *agan*), *hropei* (a *hropjan*), *vajamerei* (a *merjan*), *ustauhei* (a *tiuhan*), *vrekei* (a *vrikan*), *gabei* (a *giban*), *baurei* (a *bairan*).

Ea autem, quæ e substantivis originem ducunt, designant etiam habitum, conditionem vel statum : *afgudei* (a *guþ*), *usbeisnei* (ab *usbeisns*), *ogluitivaurdei* (a *vaurd*), *vaurstvei* (a *vaurstv*), *veitvodei* (a *veitvods*), *unbeistei* (a *beists*), *liuhadei* (a *liuhaþ*), *frumadei* (a *frumaþ?*), *magaþei* (a *magaþs*), *aipiskaupei* (ab *aipiskaupus*), *apaustaulei* (ab *apaustaulus*), *praizbytairei* (a *praizbytaireis*);

βββ) In *on :* huc proxime accedunt quædam vocabula, quæ, e masculinis derivata, naturale genus significant : *unhulþo* (ab *unhulþa*), *garazno* (a *ga-*

Digitized by Google

razna), *svaihro* (a *svaihra*), *dauravardo* (a *vards*), *haiþno* (a *haiþna?*), *gamarko* (a *gamarka?*) *arbjo* (ab *arbja*), *niþjo* (a *niþjis*), *kalkjo* (a *kalkja?*). Alia res indicant : *dauro* (a *daur*), *driuso* (a *driusan*), *malo* (a *malan*), *rinno* (a *rinnan*), *vinþiskauro* (a *skiuran*), *vruggo* (a *vriggan*), *flahto* (a *flaihtan*), *waþo* (a *waþjan*), *tainjo* (a *tains*), *iddaljo* (a *dal*), *mitadjo* (a *mitaþs*), *garunjo* (a *rinnan*). Alia tandem abstracta : *gajuko* (a *juk*), *fullo* (a *fulls*), *gariudjo* (a *gariuds*), *brinno* (a *brinnan*), *faihugeiro* (a *geiran*), *broþrulubo* (a *liuban*), *reiro* (a *reiran*), *vinno* (a *vinnan*), *raþjo* (a *raþjan*), *sakjo* (a *sakan*), *vaihjo* (a *veihan*), *gatimrjo* (a *timrjan*).

β) Præterea formantur adhuc et alia vocabula cum simplici *N*, et equidem

αα) Immediate stirpi affixo : masc. *faihuþraihns* (a *þreihan*), *andavleizns* (a *vleitan*); neutr. *barn* (a *bairan*), *liugn* (a *liugan*), *andavizn* (a *vizon*); fem. *usbeisns* (a *beidan*), *anabusns* (a *biudan*), *sokns* (a *sokan*), *vailavisns* (a *vizon*), coll. *garehsns*, *rohsns* ;

ββ) Cum vocali euphonica *A* : masc. *þiudans* (a *þiuda*), *vigans* (a *veihan*); neutr. *akran* (ab *akrs?*), *aljan* (ab *alan?*); fem. *asans* ;

γγ) Cum *I* : masc. *kindins*, *maurgins* ; neutr. *aigin* (ab *aigan*); fem. *fairina* (a *fairan*);

δδ) Cum *U* : neutr. *faihugairuni* (a *geiran*), *fairguni*);

εε) Cum *EI*, *AI*, *O*; sic efformata derivantur ex verbis secundæ conjugationis plurima feminina, ut *balveins* (a *balvjan*), *goleins* (a *goljan*), *dauþeins* (a *dauþjan*), *daupeins* (a *daupjan*), *afdomeins* (a *domjan*), *qisteins* (a *qistjan*), *hazeins* (a *hazjan*) ; *bauains* (a *bauan*), *þulains* (a *þulan*), *leikains* (a *leikan*), *libains* (a *liban*), *trauains* (a *trauan*); *aihtrons* (ab *aihtron*), *laþons* (a *laþon*), *mitons* (a *miton*), *salbons* (a *sálbon*), etc. Cæterum omnia substantiva, quæ hac terminatione gaudent, ad verba secundæ conjugationis, etiam non jam occurrentia, referenda sunt, sic ex. gr. *ahmateins* ad *ahmatjan*, *gahobains* ad *gahoban*, *vanains* ad *vanan*. Loco *usbloteins* Cor. II, VIII, 4 meliori jure legendum est *usblotains*, a *blotan* (non *blotjan*).

γ) Cum aliis consonantibus sequentes evadunt ligaturæ :

SN, *ZN* : neutr. *fulhsni* (a *filhan*); fem. *hlaivasna* (a *hlaiv*), *filusna* (a *filu*), coll. *drauhsna*, *arwazna*, *fairzna* ;

BN, *FN* : neutr. *vitubni* (a *vitan*), *fastubni* (a *fastan*), *valdufni* (a *valdan*); fem. *fraistubni* (a *fraisan*), *vundufni* (a *vundon*).

δδ) *R* : hoc elemento efformantur

α) Masculina, nempe :

αα) Pleraque vocabulorum in *reis* e verbis derivatorum, quæ operantem designant, inter quæ animadvertenda sunt : *laisareis* (a *laisjan*), *liuþareis* (a *liuþon*), *sokareis* (a *sokjan*), *blostreis* (a *blotan*), *bokareis* (a *boka*), *motareis* (a *mota*), *vullareis* (a *vulla*). Quoad vero significationem, eis conveniunt, quæ supra litteris *cc*) α) αα) subjecimus, addito, quod rarius et probabiliter non nisi serius eo modo efformantur ;

ββ) Vocabula in *AR* obscurioris originis, quæ varios affinitatis respectus designant, ut *fadar*, *broþar* ; quibus respondent feminina *svistar*, *dauhtar* ;

γγ) Et insuper *ligrs* (a *ligan*) et *spaiskuldrs*.

β) Neutra : *vaggari* (a *vagga?*), *galigri* (a *ligan*), *filigri* (a *filhan*), in quo euphoniæ causa *i* inductum præsertim animadvertendum est, nisi sit pro *filhigri* cum syllaba formativa *gri* ?

γ) Feminina : præter supra memorata *svistar*, *dauhtar*, etiam *vulþrs* (si lectio codicis A Gal. II, 6 legitima sit, a *vulþus*), *saldra* (a *sildan?*). Quoad vocabula *mundrei*, *digrei* ad formativum *N* pertinentia, ex adjectivis *mundrs*, *digrs* veniunt et proinde huc non referenda sunt.

Aliis consonantibus connexum occurrit tantum in ligatura *STR* : neutr. *gilstr* (a *gilþan*), *avistr* (ab *avi*), *navistr* (a *naus*), *hulistr* (a *huljan*).

§ 146. *c*) Cum gutturalibus :

Gutturales insulsam tantum personam in formandis substantivis gerunt. Sequentia tantum memoranda sunt :

aa) Terminatio masculina *IGG* reperitur tantum in vocabulis *gadiliggs* et *skilliggs* ;

bb) Masculinum *broþrahans*, ad secundam declinationem pertinens, adjectivum uti *ainaha* sapere videtur ;

cc) Pariter femininum *idreiga* (ab *idr*) ad adjectivum *idreigs* referendum est ;

dd) Neutra *airiski*, *barniski* citerius efformantur ex adjectivis in *isks*, nec non et masculinum *atisks* (vel neutrum *atisk*) suam formam ab hujusmodi adjectivo mutuatum iri videtur.

ee) Latet τῶν *miluks* et *ahaks* derivatio.

§ 147. *d*) Cum labialibus :

In formandis vocabulis non occurrunt, exceptis tamen, quæ supra memoravimus, neutris et femininis in *ubni*, *ufni* (§ 145, *cc*, γ).

§ 148. *e*) Cum dentalibus et sibilantibus :

Dentalium et sibilantium classis ea est, quæ in formandis substantivis liquidis maxime congruat. In plurimis casibus *þ* ea dentalis esse videtur, qua proprie formationis elementum constituatur ; quo posito *d*, *t* et *s* in aliis formis occurrentia ex *þ* juxta cognitas sonorum leges (§§ 49, 50, 52) enascerentur. Nec prætermittendum est, horum substantivorum formationem cum formatione participii passivi secundæ conjugationis convenire, unde eo magis ad congruentem utriusque formæ significationem putaretur, quod, ubi vocabulum ex verbo primæ conj. derivatur, vocalis participii passivi adhibeatur. Hujus formationis substantiva pleraque etiam efficacitatem, actum ipsum operationis significant, aliis, quæ sine elemento formativo deducuntur (§ 143 *a*), objectum operationis potius designantibus. Jam vero formationes huc pertinentes sequenti modo ordinari possunt :

aa) Eæ, quæ primitivum *þ* habent, sive mediante vocali stirpi vocabuli annexum, sive huic immediate

Digitized by Google

affirum, quo in casu euphoniæ causa in *d*, *t*, vel *s* immutatur :

α) Masc. *gabaurjoþus* (a *gabauris*), *manniskodus* (a *manniska*), *auhjodus* (ab *auhjon*), *vratodus* (a *vraton*), *skildus* (a *skilan*), *kustus* (a *kiusan*), *vahstus* (a *vahsjan*), *þuhtus* (a *þugkjan*), *hliftus* (a *hlifan*);

β) Neutr. *liuhaþ* (a *liuhan*), *vitoþ* (a *veitan*), *fulliþ* (a *fulls*), *miliþ* (a *milan?*), *beist* (a *beitan*); *aveþi* (ab *avi*), *kunþi* (a *kunnan*), *gaminþi* (a *minan*), *gavairþi* (a *vairan?*);

γ) Fem. : αα) juxta secundam declinationem vocalicam, pleraque verbalia operationem indicantia : *mitaþs* (a *mitan*), *magaþs* (a *magus*), *astaþs* ; *arbaiþs* ; *fulleiþs* (a *fulls*), *faheþs* (a *fahs*); *gaqumþs* (a *qiman*), *gakunþs* (a *kunnan*), *gamainþs* (a *gamains*), *gabaurþs* (a *bairan*), *gataurþs* (a *tairan*); *anaminds*, *gamunds* (a *minan*), *gakunds* (a *kunnan*), *gafaurds* (a *fairan*), *gahugds* (a *hugjan*); *aihts* (ab *aigan*), *andabauhts* (a *bugjan*), *innagahts* (a *gaggan*), *gaþlaihts* (a *þlaihan*), *mahts* (a *magan*), *gasahts* (a *sakan*), *sauhts* (a *siukan*), *slauhts* (a *slahan*), *ustauhts* (a *tiuhan*), *usvaurhts* (a *vaurkjan*), *usdrusts* (a *driusan*), *lists* (a *leisan*), *fralusts* (a *liusan*), *ganists* (a *nisan*), *urrists* (a *reisan*), *usvahsts* (a *vahsjan*), *vists* (a *visan*), *fragifts* (a *giban*), *andahafts* (a *hafjan*), *þaurfts* (a *þaurban*), *gaskafts* (a *skapjan*), *andanumts* (a *niman*); *anaqiss* (a *qiþan*), *afstass* (a *standan*), *gaviss* (a *vidan*); — ββ) cum terminatione *iþa* ex adjectivis derivata et proprietatem quamdam indicante : *aggviþa* (ab *aggvus*), *agliþa* (ab *agls*), *airziþa* (ab *airzis*), *airkniþa* (ab *airknis*), *gauriþa* (a *gaurs*), *daubiþa* (a *daubs*), *diupiþa* (a *diups*), *dvaliþa* (a *dvals*), *qrammiþa* (a *qramms*), *armahairtiþa* (ab *armahairts*), *hauhiþa* (a *hauhs*), *hlutriþa* (a *hlutrs*), *unhrainiþa* (a *hrains*), *þvastiþa* (a *þvasts*), *kauriþa* (a *kaurs*), *manviþa* (a *manvus*), *mildiþa* (a *milds*), *niujiþa* (a *ninjis*), *garaihtiþa* (a *raihts*), *sveriþa* (a *svers*), *svikniþa* (a *svikns*), *tulgiþa* (a *tulgus*), *veihiþa* (a *veihs*), *invindiþa* (ab *invinds*), *fairniþa* (a *fairnis*), *auþida* (ab *auþs*), *vairþida* (a *vairþs*) ; nonnulla etiam pauca e substantivis et verbis oriri videntur : *afgrundiþa* (a *grundus*), *veitvodiþa* (a *veitvods*), *meriþa* (a *merjan*), *svegniþa* (a *svegnjan*), *varjiþa* (a *vargjan*), coll. *gaunoþa* (a *gaunon*). Ad hanc classem etiam pertinent *junda* (loco *juggiþa ?* a *juggs*), *skanda* (loco *skamiþa?* a *skaman*), et *mulda* (a *milan*).

« Annotatio 1.—In nonnullis horum substantivorum citerior supervenit formatio mediante n consonanticæ declinationis, ut *mitadjo* (a *mitaþ*), *baurþei* (a *baurþs*), *þaurstei* (a *þaursts?*), *usfarþo* (a *farþs?*); hinc ad § 145, *cc*, α, γγ pertinent. »

bb) Eæ, quæ *T* primitivum habent : neutr. *stiviti*, *aglaiti*; fem. *vasti* (a *vasjan*). Jam vero huc referendæ sunt

cc) Formationes cum *ST* : neutr. *hauhisti*, *frumisti* (ex superlativis derivata), *trausti* (a *trauan*); fem. *ansts* (ab *innan*), *brunsts* (a *brinnan*), *gramsts* (a *granjan*), *bansts* (loco *bandsts*, a *bindan*).

dd) Formationes cum *ND* : fem. *hulundi* (a *huls*), *frijondi* (a *frijon*); coll. fem. *þusundi* et masc. 2 declinationis *newundja* (a *new*).

ee) Formationes cum *S* (*Z*) primitivo : masc. *urruns* (a *rinnan*); neutr. *agis* (ab *agan*), *hatis* (a *hatan*), *skaþis* (a *skaþjan*), *gadikis* (a *deigan*), *þevis* (a *þivan*), coll. *riqis*, *digis*, *rimis* (*baris*); fem. *garuns* (a *rinnan*), (*jukuzi* (a *juk*), *aqizi*.

« Annotatio 2.—In masculino *beruseis* s pro r ideo interjectum fuit, ne duo r sibi immediate succederent, eo modo *berurels*, ut *laisarels* (§ 145, *dd*, α). »

ff) Formationes cum *SS*: quæ ad hanc classem pertinent masculina pro maxima parte e verbis derivantur operationem vel conditionem designantia : *gudjinassus* (a *gudjinon*), *drauhtinassus* (a *drauhtinon*), *horinassus* (a *horinon*), *kalkinassus* (a *kalkinon*), *leikinassus* (a *leikinon*), *skalkinassus* (a *skalkinon*), *fraujinassus* (a *fraujinon*), *þiudinassus* (a *þiudanon*), *blotinassus* (a *blotan*), *vaninassus* (a *vans*), *ibnassus* (ab *ibns*), *ufarassus* (ab *ufar*).

II. ADJECTIVUM.

§ 149. 1) Nec non et plurima sunt adjectiva, quæ sine ELEMENTO FORMATIVO, terminatione stirpi simpliciter annexa, ex substantivis et verbis derivantur, nempe

a) E verbis primæ conjugationis :

aa) E præsenti : *vilvs* (a *vilvan*), *invinds* (a *vindan*), *gavairbs* (a *vairban*), *tils* (a *tilan*), *diups* (a *diupan*), *liubs* (a *liuban*), *galings* (a *lingan*), *liuts* (a *liutan*), *siuks* (a *siukan*), verisimiliter etiam *gaqiss* (a *qiþan*), *bats* (a *batan*), *saþs* (a *saþan*), *grindafraþjis* (a *fraþjan*), *aglaitgastalds* (a *staldan*), *fralets* (a *letan*) ;

bb) E præterito sing. : *þarbs* (a *þairban*), *gavamms* (a *vimman*), *untals* (a *tilan*), *hnaivs* (a *hneivan*), *gataubs* (a *liuban*), *laus* (a *liusan*), *gadobs* (a *daban*), *ganohs* (a *nahan*), *unandsoks* (a *sakan*), *froþs* (a *fraþjan*);

cc) E præterito plur. : *andanems* (a *niman*), *gatems* (a *timan*), *bireks* (a *rikan*), *gafehs* (a *faihan*), *andasets* (a *sitan*), *unqeþis* (a *qiþan*); probabiliter etiam *hulþs* (a *hilþan*), *þaursus* (a *þairsan*), *gaþaurbs* (a *þairban*), *unvits* (a *veitan*), *galubs* (a *liuban*), *unnutis* (a *niutan*);

dd) E participio pass. nulla certo derivantur.

b) E verbis secundæ conjugationis : *usskaws* (a *skavjan*), *gaviljis* (a *viljan*), *vailamers* (a *merjan*), *ubiltogis* (a *taujan*).

« Annotatio. — Nonnulla adjectiva, ut *garaids* (a *raidjan*), *gamaids* (a *maidjan*), *gavaurts* (a *vaurtjan?*), *uslukns* (ab *uslukan*), habitis eorum forma et significatione, apocopata participia esse videntur.

c) E substantivis : *alevis* (ab *alev*), *alþeis* (ab *alþs*), *navis* (a *naus*), *reiks* (a *reiks*), *rums* (a *rums*), *sleiþis* (a *sleiþa*), *sves* (a *sves*), *vairþs* (a *vairþs*), præcipue

Digitized by Google

in compositionibus : *inahs* (ab *aha*), *ufaiþs* (ab *aiþs*), *ingardis* (a *gards*), *afguds* (a *guþ*), *anahaims* (a *haims*), *unkarja* (a *kara*), *andaneiþs* (a *neiþ*), *anasiuns* (a *siun*), *gaskohs* (a *skoh*), *gavaurts* (a *vaurts*), *usvena* (a *vens*), *unweils* (a *weila*), *armahairts*, *hauhhairts* (a *hairts*), *laushandus* (a *handus*), *aljakuns* (a *kuni*), *samasaivals* (a *saivala*), *filufaihus* (a *faihu*), *þrutsfills* (a *fill*), et cum absonantia : *dags* (a *dags*).

§ 150. 2) Cum ELEMENTO FORMATIVO :

a) Cum *V* : huc pertinet tantum *lasivs* obscurioris originis ;

b) Cum *L* : *slahals* (a *slahan*), nisi *sla-hals* loco *slah-hals* sit dividendum, vid. gloss. h. v. ; *leitils*, *mikils*, *ubils* ; *skaþuls* (a *skaþan*), *veinuls*? vid. gloss. h. v. ; et insuper in ligaturis

BL : *dauþublis* (a *dauþus*),

KL : *ainakls* (ab *ains*) ;

« Annotatio. *Undarleija*, Eph. III, 8, suspectum est, vel si rectum, ante compositionem fuit. »

c) Cum *M* : huc veniunt veteres comparativi terminationes : *auhuma*, *aftuma*, *hinduma*, *hleiduma*, *innuma*, *iftuma*, *speduma*, (*miduma*), *fruma* ;

d) Cum *N* : *gairns* (a *geiran*), *analaugns* (a *liugan*), *uslukns* (a *lukan*) ; *fairins* (a *fairan*), *fulgins* (a *filhan*), et præcipue adjectiva in *ein* materiam ordinario significantia : *airþeins*, *barizeins*, *gulþeins*, *eisarneins*, *þaurneins*, *leikeins*, *liuhadeins*, *muldeins*, *riqizeins*, *silubreins*, *staineins*, *triveins*, *filleins*, et cum significatione magis metaphorica : *aiveins*, *qimeins*, *gumeins*, *galaubeins*, *pistikeins*, *siuteins*, *sunjeins*. De formativo *GG* occurrit tantum *unveniggs* (a *vens*), nisi syllaba formativa hic ad adverbium pertineat (§ 163, *b*, α) ;

e) Cum *R* : *framaldrs* (ab *alþs*), *lausqiþrs* (a *qiþus*), *vulþrs* (a *vulpus*), *fagrs* (a *faihan*), *bajirs* (a *beitan*), *klustrs*, *digrs* (?), *mundrs* (?) ;

f) Cum *G* (*H*) : *audugs* (ab *aud*), *unhunslags* (a *hunsl*), *manags* (a *man*), *modags* (a *mods*), *vulþags* (a *vulþus*), *gredags* (a *gredus*), *bidags* (ex *bidagva* conjectum, a *bida*), *unbarnahs* (a *barn*), *stainahs* (a *stains*), *vainahs* (a *veinan*?), *vaurdahs* (a *vaurd*), *ainaha* (ab *ains*), *broþrahs* (ex *broþrahans* conjectum, a *broþar*), *handugs* (a *handus*), *valugs* (unde *valugjan*), *uhtiugs* (ab *uht*) ; præsertim in forma *-eig*, quæ forsan cum *eigan* (unde *aigan*) convenit et pariter significatione « habendi aliquid » gaudet, ut *ansteigs* gratiam habens (ab *ansts*), *usbeisneigs* patientiam habens (ab *usbeisnei*), *gabeigs* divitias habens (a *gabei*), nec non etiam *hroþeigs*, *þiuþeigs*, *laiseigs*, *listeigs*, *mahteigs*, *andanemeigs*, *uhteigs*, *sineigs*, *gavairþeigs*, *vaurstveigs*, *vitodeigs*, *gavizneigs* ;

g) *K*. Hæc littera nonnisi in ligatura *SK* occurrit, germanicæ terminationi *-isch* forma et significatione apprime conveniens : *aivisks*, *barnisks*, *gudisks*, *þiudisks*, *mannisks*, *funisks*, *kalþivisks*, *iudaivisks*, *sauraufynikisks*. Huc ne pertinet etiam *malsks*?

h) Cum *þ* (*D*,*T*) : *kunþs* (a *kunnan*), *kunds* (a *kuni*), *skulds* (a *skulan*), *unatgahts* (a *gaggan*), *mahts* (a *magan*), *hauhþuhts* (a *þugkjan*), *handuvaurhts* (a *vaurhjan*), *hafts* (a *haban*), *þaurfts* (a *þaurban*), *haists* (a *haitan*?) ; et cum vocali euphonica : *naqaþs*, *framaþeis* (a *fram*), *bajoþs* (a *bai*) ;

i) Cum *S* ; tantummodo *valis* (a *valjan*).

§ 150. 3) Alius efformandi modus est **comparatio**, qua varii gradus formæ et significationis evadunt.

a) Comparativus regulariter efformatur per *z*, præmisso *i* vel *o*. Quænam vero harum vocalium eligenda sit, nulla certa lege constat, excepto, quod *o* non nisi in adjectivis fundamentalem vocalem *a* habentibus compareat, ex gr. : *airiza*, *azetiza*, *hauhiza*, *managiza*, *raþiza*, *speidiza*, *faviza*, *vulþriza*, *iusiza*, *þaurftiza*, *alþiza* (ab *alþeis*), *hardiza* (a *hardus*) ; *framaldroza*, *frodoza*, *garaihtoza*, *svinþoza*, *hlasoza*, *usdaudoza*, *handugoza*, *svikunþoza*, *sniumundoza*, *aljaleikoza* (ex adverbiis *sniumundos* et *aljaleikos* conjicienda).

b) Superlativus regulariter efformatur per *st*, præmisso etiam *i* vel *o* : *hauhists*, *smalists*, *spedists*, *managists*, *reikists* ; *armosts*, *lasivosts*.

« Annotatio 1. — Ex præcedentibus exemplis conjiciendum est, quod vocalis syllabæ formativæ in comparativo et superlativo sibi respondeat ; hinc componi possunt ex una parte comparativi *smaliza*, *reikiza*, *armoza*, *lasivoza*, ex altera superlativi *airists*, *azetists*, *framaldrosts*, *frodosts*, etc.

« Annotatio 2. — Sequentia adjectiva suum comparativum et superlativum ex alienis radicibus trahunt :

gods	comp.	*batiza*	superl.	*batists*
ubils	—	*vairsiza*	—	(*vairsts*)
leitils	—	*minniza*	—	*minnists*
mikils	—	*maiza*	—	*maists*

« Annotatio 3. — E *juggs* efformantur rejecta nasali (§ 40, 5), comparativus, *juhiza* et superlativus *juhists*.

« Annotatio 4. — Peculiaris superlativi forma est *undaraists*, ex qua comparativus *undaraiza* cogitandum est.

« Annotatio 5. — Comparativa sunt ea, quæ § 150, *c*) memoravimus, quæque ex natura sua positivis carent, scilicet *auhuma*, *aftuma*, *hleiduma*, *innuma*, *iftuma*, (*miduma*), *fruma* ; quod autem hæ formæ a veteribus ut superlativæ habitæ reipsa comparativæ sint, in syntaxi (§ 198, *b*) ostendetur ; ex his efformantur comparativi : *auhumists*, *aftumists*, *frumists*, *hindumists* et *spedumists*, quorum ex duobus ultimis formæ comparativæ *hinduma* et *speduma* supponendæ sunt. »

B. FORMATIO PRONOMINALIS.

§ 152. In pronominibus per derivationem efformandis gothica lingua peculiari indigentia laborat, quippe cum totus efformationis labor circa duas tantum stirpes, personalem scilicet et interrogativam,

Digitized by Google

versetur. Quoad alios respectus sive particulis sive quadam compositione adhibitis expressos, infra (§ 170) tractabimus.

1) Pronomina personalia efformant possessiva ex genitivo, cujus terminatio cum terminatione adjectivorum primæ declinationis permutatur, eo modo :

Gen.	1	Pers.	Sing.	*meina*	Poss.	*meins*
—	—	—	Plur.	*ugkara*	—	*ugkar*
—	—	—	Dual.	*unsara*	Poss.	*unsar*
Gen.	2	Pers.	Sing.	*þeina*	—	*þeins*
—	—	—	Plur.	*igqara*	—	*igqar*
—	—	—	Dual.	*izvara*	—	*izvar*
—	3	Pers.		*seina*	—	*seins*

2) Pronomen interrogativum *wa*, *was* significat in genere *quid*, *quis*, sine peculiari determinatione; hinc duplex efformatur pronomen interrogantis : *waþar* quis duorum, uter, *warjis* quis plurimorum, quis. Hæc posterior forma obscuræ est originis; prior vero etiam in *anþar*, alius, occurrit.

C. FORMATIO VERBALIS.

(Jacobi *Beiträge zur deutschen Grammatik*, pag. 131 sqq.)

I. CONJUGATIO PRIMA.

§ 153. Cum primam conjugationem ex legibus absonantiæ, quas subit, ut primitivam simul et radicalem spectavimus, frustra in genere sermo ad anteriorem horum verborum derivationem inveniendam inquireretur. Non desunt tamen casus, in quibus hæc inquisitio abs re non est.

a) Etenim supra (§ 32, 3) monuimus, quod verba ad sextam absonantiæ classem pertinentia ex secunda tertiaque classibus posterius derivatum iri videantur. Jam vero licet in plerisque verbis argumentum jam desit, quia singula radicalia verba deperdi et recentiori forma ex his derivata supplantari potuerunt, nonnulla tamen adhuc supersunt vestigia. Sic cum *malan*, *mol* reperitur quoddam *milan*, *mal*, ad quod *miliþ*, *mel*, *mulda* supra (§ 139, 2) fuit relatum; pariter cum *svaran* (gravare) confirmare, jurare, datur *svairan*, *svar* gravem esse, ex quo *svare* difficile, frustra, *svers* (gravis), honoratus, deducenda sunt. Atque adeo cum *vrikan*, *vrak*, supponi debet *vrakan*, *vrok*, quo *vrohjan* efformari possit. Denique cum *faran*, *for* etiam *fairan*, *far* reperitur, quin tamen utriusque significatio convenienter congruat.

b) Nec non et alia hujusmodi verba reipsa derivata esse, quamvis derivatio lateat, ex forma ipsa concludere licet, ea præcipue, quorum radix duabus consonantibus constat, ut *þairsan*, *þriskan*, *vahsjan*, *kriustan*, etc.; sed frustra simplici radice reperienda totam gothicam linguam discuteremus; paucis tantum superest : sic *alþan* senescere ex *alan* alere, et *þinsan* trahere, producere, ex *þinan* produci, posterius efformari videntur. Simili forsan modo a *vairan* manere, *vairdan* defendere, et a *vakan* vigilare, *vahsjan* crescere, deducenda sunt.

II. CONJUGATIO SECUNDA.

§ 154. Verba secundæ conjugationis in *-jan*, quantum eorum originem retrospicere possumus, sunt pro maxima parte ex verbis primæ conjugationis, adjectivis vel substantivis exorta. Quibus omnibus significatio « faciendi » fundamentalis esse videtur, sic ex. gr. : *lagjan* jacere facere (ponere), a *ligan*, *varmjan* calefacere, a *varms*, *huzdjan* thesaurum facere (thesaurizare), a *huzd*. Equidem est in plurimis horum verborum significatio magis minusve debilitata vel tantum metaphorice sumenda; quæ præsertim e substantivis derivantur non tam objectum, quod substantivum indicat, faciendum esse, quam aliquid cum eo agendum, significant, ita ut objectiva significatio in instrumentalem transeat, ut in *haurnjan* tuba canere, *klismjan* cymbalo resonare, tinnire, *ufarhleiþrjan* tabernaculo tegere, superne obtegere, *ganagljan* clavo figere, *stainjan* lapidibus obruere, lapidare. Non nisi autem raro hæc transitiva significatio in intransitivam, nempe « fiendi » vel « existendi » incidit, ut in *andbahtjan* (propr. ministerio fungi) ministrum esse, *siponjan* discipulum esse, *riqizjan* obscurum esse, *faurhtjan* timidum esse.

a) E verbis primæ conjugationis derivata vocalem præteriti sing. pleraque recipiunt, paucis tantum vocalem participii pass. habentibus. Deducuntur igitur

aa) E præterito sing. : 1) *vammjan* (a *vimman*), *braunjan* (a *brinnan*), *rannjan* (a *rinnan*), *sandjan* (a *sinþan*), *tandjan* (a *tindan*), *vandjan* (a *vindan*), *dragkjan* (a *drigkan*, *þagkjan* (a *þigkan*), *sagqjan* (a *sigqan*), *stagqjan* (a *stigqan*), *svaggvjan* (a *sviggvan*), *þarbjan* (a *þairban*), *fravardjan* (a *vairdan* ?); 2) *uſþanjan* (a *þinan*), *tamjan* (a *timan*); 3) *daujan* (a *divan*), *taujan* (a *tivan*), *lagjan* (a *ligan*), *vagjan* (a *vigan*), *rakjan* (a *rikan*), *vrakjan* (a *vrikan*), *fahjan* (a *faihan*), *atjan* (ab *itan*), *satjan* (a *sitan*), *nasjan* (a *nisan*); 4) *hnaivjan* (a *hneivan*), *draibjan* (a *dreiban*), *vaibjan* (a *veiban*), *vaipjan* (a *veipan*), *baidjan* (a *beidan*), *gaisjan* (a *geisan*), *laisjan* (a *leisan*), *raisjan* (a *reisan*); 5) *gaumjan* (a *giuman* ?), *laubjan* (a *liuban*), *daupjan* (a *diupan*), *slaupjan* (a *sliupan*), *drausjan* (a *driusan*), *lausjan* (a *liusan*), *kausjan* (a *kiusan*); 6) *goljan* (a *galan* ?), *ogjan* (ab *agan*), *sokjan* (a *sakan*), *rodjan* (a *raþjan* ?), *stodjan* (a *standan*), *soþjan* (a *saþan*), *boljan* (a *balan*);

bb) E participio pass. 1) *þaursjan* (a *þairsan*), *þugkjan* (a *þigkan*), *trusgjan* (a *trisgan*); 2) *huljan* (a *hilan*); 6) *aljan* (ab *alan*), *farjan* (a *faran*), *agjan* (ab *agan*), *vakjan* (a *vakan*), *batjan* (a *batan*).

b) Ex adjectivis derivantur

aa) Primæ declinationis : *biabrjan* (ab *abrs*), *usagljan* (ab *agls*), *bairhtjan* (a *bairhts*), *balþjan* (a *balþs*), *balvjan* (a *balvs*), *blindjan* (a *blinds*), *usbraidjan* (a *braids*), *gairnjan* (a *gairns*), *gaurjan* (a *gaurs*), *daubjan* (a *daubs*), *usdaudjan* (ab *usdauds*), *dauþjan* (a *dauþs*), *gadiupjan* (a *diups*), *gaqiujan* (a *qius*), *haſtjan* (a *hafts*), *hailjan* (a *hails*), *hauhjan* (a *hauhs*), *haunjan*

Digitized by Google

(a *hauns*), *þvastjan* (a *þvasts*), *ïbnjan* (ab *ïbns*), *kaurjan* (a *kaurs*), *latjan* (a *lats*), *gaunledjan* (ab *unleds*), *sildaleikjan* (a *sildaleiks*), *maidjan* (a *maids*), *raidjan* (a *raids*), *garaihtjan* (a *garaihts*), *svinþjan* (a *svinþs*), *varmjan* (a *varms*), *varjan* (a *vars*), *veisjan* (a *veis*), *fahrjan* (a *fagrs*), *faurhtjan* (a *faurhts*), *fulljan* (a *fulls*), *audagjan* (ab *audags*), *managjan* (a *manags*), *gabigjan* (a *gabeigs*), *valugjan* (a *valugs?*), *mikiljan* (a *mikils*) :

bb) Secundæ declinationis : *airzjan* (ab *airzis*), *augjan* (ab *augs*), *bleiþjan* (a *bleiþs*), *hrainjan* (a *hrains*), *laugnjan* (a *laugnis*), *gamainjan* (a *gamains*), *skeirjan* (a *skeirs*), *stiurjan* (a *stiurs*), *svinþjan* (a *svinþs*), *framaþjan* (a *framaþeis*) ;

cc) Tertiæ declinationis : *gaaggvjan* (ab *aggvus*), *gahardjan* (a *hardus*), *manvjan* (a *manvus*), *tulgjan* (a *tulgus*).

« Annotatio. — Huc referendum est etiam *newjan*, quamvis non adjectivum *news*, sed tantummodo adverbium *new* occurrat. Plura alia etiam ex adjectivis, quæ exsoleverunt, originem sapiunt, ex. gr.: *gailjan* (a *gails*), *liuhtjan* (a *liuhts*), *natjan* (a *nats*), etc. »

c) E substantivis derivantur :

aa) Cum significatione magis minusve patente faciendi : *aivaggeljan* (ab *aivaggeli*), *arbaidjan* (ab *arbaiþs*), *bandvjan* (a *bandvo*), *gabeistjan* (a *beists*), *glitmunjan* (a *glitmuni*), *dailjan* (a *dails*), *dulþjan* (a *dulþs*), *domjan* (a *doms*), *huzdjan* (a *huzd*), *hunsljan* (a *hunsl*), *hrukjan* (a *hruk*), *levjan* (a *lev*), *anamahtjan* (a *mahts*), *maþljan* (a *maþl*), *meljan* (a *mel*), *nauþjan* (a *nauþs*), *ufarassjan* (ab *ufarassus*), *rignjan* (a *rign*), *skaftjan* (a *skafts*), *sleiþjan* (a *sleiþa*), *gasuljan* (a *sulja*), *stojan* (a *staua*), *tagrjan* (a *tagr*), *taiknjan* (a *taikns*), *gatevjan* (a *ïeva*), *gagavairþjan* (a *gavairþi*), *andvaurdjan* (a *vaurd*), *venjan* (a *vens*), *gafrisahtjan* (a *frisahts*), *wotjan* (a *wota*), *faihugeironjan* (a *faihugeiro*), *ahjan* (ab *aha*), *hugjan* (a *hugs*), *miþlitjan* (a *lita*), *tveifljan* (a *tveifls*), *þiuþjan* (a *þiuþ*), *vargjan* (a *vargs*), *vaifairwjan* (a *fairwus*), *usaivjan* (ab *aivs*);

bb) Cum significatione instrumentali : *haurnjan* tuba canere (ab *haurn*), *klismjan* cymbalo resonare, tinnire (a *klismo*), *ufarhleiþrjan* tabernaculo obtegere (a *hleiþra*), *ganagljan* clavo figere (a *nagls*), *insailjan* illaqueare (a *sail*), *stainjan* lapidibus obruere (a *stains*), *laistjan* vestigiis insequi (a *laists*), *faurmuljan* os alligare (a *mul*), *matjan* comedere (a *mats*);

cc) Cum significatione « exsistendi » vel « fiendi » : *andbahtjan* ministrum esse (ab *andbahts*), *praufetjan* prophetam esse (a *praufetes*), *siponjan* discipulum esse (a *siponeis*), *riqizjan* obscurum fieri (a *riqiz*).

§ 155. Non nisi raro stirpem inter et terminationem interjicitur formativum elementum, sequentia tantum occurrunt exempla :

V : *malvjan* (a *malan*), *usfraþvjan* (a *fraþjan*), *skadvjan* (a *skadus*) ;

M : *sniumjan* (a *snivan*), *tarmjan* (a *tairan?*) ;

N : In *namnjan* (a *namo*) *n* ad stirpem pertinet ; obscurum *bimaminjan* huc referendum esset, nisi forsan ex judiciosa Massmanni conjectura, Luc. xvi, 14, *binamnidedun* loco *bimamindedum* legendum esset, coll. *birodjam* ejusdem significationis ;

AT : *lauhatjan* (a *liuhan*), *svogatjan* (a *svogjan*), *ahmatjan* (ab *ahma*), *kaupatjan* ,

Z : *talzjan* (a *tilan*), *vlizjan* (a *vlits*) ;

SS : *knussjan* (a *kniu*).

§ 156. 2) Verborum in *-on*, quæ terminatio pariter immediate ad stirpem plerumque annectitur, pleraque e substantivis, pauca tantum e verbis derivantur.

a) E verbis primæ conjugationis : *miton* (a *mitan*), *bifaihon* (a *faihan*), *ufarmunnon* (a *munan*), *vlaiton* (a *vleitan*), *warbon* (a *wairban*), *luton* (a *liutan*). Incertum est, utrum *trudon* e verbo secundæ conjugationis in *-an*, an potius utrumque e verbo forti deperdito *triudan* deductum sit.

b) Ex adjectivis : *ushulon* (a *huls*), *ïdreigon* (ab *ïdreigs*), *galeikon* (a *galeiks*), *mundon* (a *munds ?*), *vundon* (a *vunds*), *gatilon* (a *tils*), *gaveison* (a *veis*) ; *aiviskon* (ab *aivisks*), *ïudaiviskon* (ab *ïudaivisks*) ; *gasibjon* (a *sibjis*), *sungon* (a *sunjis*).

c) E substantivis eis præcipue, quorum vocalis fundamentalis est *a* : *aviliudon* (ab *aviliud*), *hamon* (a *hams*), *karon* (a *kara*), *liuþon* (a *liuþ*), *gapaidon* (a *paida*), *spillon* (a *spill*), *vairþon* (a *vairþs*), *fiskon* (a *fisks*), *gavadjon* (a *vadi*), *gasmiþon* (a *smiþa*), *friþon* (a *friþa?*), *aljanon* (ab *aljan*), *þiudanon* (a *þiudans*), *midumon* (a *miduma*), *paurpuron* (a *paurpura*), *hatizon* (a *hatis*), *navistron* (a *navistr*) ; quandoque etiam e substantivis cum vocali fundamentali *u* : *gredon* (a *grëdus*), *lustón* (a *lustus*), *sidon* (a *sidus*).

§ 157. Inter ea quæ stirpe producta derivantur, animadvertes

a) Quæ, interjecta formativa syllaba *-in*, e substantivis personarum deducuntur, ut *skalkinon* (a *skalks*), *horinon* (a *hors*), *drauhtinon* (a *gadrauhts*), *reikinon* (a *reiks*), *leikinon* (a *leikeis*), *airinon* (ab *airus*), *gudjinon* (a *gudja*), *fraujinon* (a *frauja*) ; in eis vero, quæ e substantivis rerum ortum ducunt, ut *aiginon* (ab *aigin*), *raginon* (a *ragin*), *faginon* (a *fagin ?*), *fairinon* (a *fairina*), derivativa syllaba *-in* ad substantivum pertinet, unde magis ex fortuito casu quam ex intima affinitate verbis supra laudatis conveniunt ;

b) Quæ cum *-is* efformantur : huc refertur tantum *valvison*, modo lectio Mc. ix, 20, legitima sit. Si autem cum eo supra (§ 156, *c*) memoratum *hatizon* a *hatis* componatur, hic non immerito ad substantivum deperditum *valvis* ascendendum erit, et consequenter ad præsentem classem plura alia ejusmodi verba adducenda, ut *agison* (ab *agis*), *sigison* (a *sigis*) ;

c) Quæ cum *-m* : *dvalmon* (a *dvals*).

§ 158. 3) Verba in *-an*, quod, paucis tantum exceptis, pariter ad stirpem immediate affigitur.

a) Ex verbis primæ conjugationis : *þivan* (a *þivan*), *botjan* (a *batan*), *valdan* (a *vildan*), *faian*, *fijan* (a *feian*), *luban* (a *liuban*). Huc pertinent etiam verba, quæ, licet ex anomalis orta, regulariter tamen flectuntur : *kunnan*, *munan* et *vitan*.

b) Ex adjectivis cum significatione habendi vel tractandi ut—, ex. gr.: *veihan* ut sanctum habere (a *veihs*),

Digitized by Google

sveran ut pretiosum habere (a *svers*), *arman* ut pauperem habere, misereri (ab *arms*), et etiam *leikan* (a *leiks*).

c) E substantivis, nempe ex solis femininis primæ declinationis cum fundamentali vocali *a*: *liugan* (a *liuga*), *jiukan* (a *jiuka*), *saurgan* (a *saurga*), *weilan* (a *weila*).

§ 159. Verborum autem e secunda conjugatione stirpe producta originem trahentium ea tantum occurrunt, quæ mediante syllaba *an* efformantur : *gaainanan* (ab *ains*), et *gastoþanan* (a *standan*).

III. CONJUGATIO TERTIA.

§ 160. Omnia hujus conjugationis verba ad verba primæ vel secundæ referenda sunt, et ubi hæc verba jam non existunt facillime sunt supplenda.

a) Ex verbis primæ conjugationis regulariter efformantur mediante vocali participii pass., quæ significationi passivæ apprime convenire videtur; in nonnullis tamen verbis ad quartam absonantiæ classem pertinentibus, vocalis præsentis præfertur, nempe in *usgeisnan*, *infeinan* et *keinan*; in *dishnaupnan*, ad quartam classem relato, vocalis præteriti sing. equidem interjecta est, nisi quoddam *dishnaupjan* ut medium terminum cogitandum sit, collato *ganohnan* ad sextam classem pertinente, cum quo verbum secundæ coujugationis *ganohjan* nunc adhuc occurrit. Jam vero derivantur :

aa) E prima conjugatione forti : *bundnan* (a *bindan*), *tundnan* (a *tindan*), *gaþaursnan* (a *þairsan*)

bb) E secunda : *aftaurnan* (a *tairan*);

cc) E quarta : *lifnan* (a *leiban*), *diskreitnan* (a *skreitan*), *usgeisnan* (a *geisan*), *keinan* (a *keian*), *infeinan* (a *feian*);

dd) E quinta : *usgutnan* (a *giutan*), *usluknan* (a *lukan*), *fralusnan* (a *fraliusan*); *dishnaupnan* (a *dishniupan*);

ee) E sexta : *batnan* (a *batan*), *vaknan* (a *vakan*), *hafnan* (a *hafjan*);

ff) E septima : *gaskaidnan* (a *skaidan*), *auknan* (ab *aukan*);

gg) Ex octava : *andletnan* (a *letan*).

§ 161. *b*) Inter verba secundæ conjugationis ea tantummodo in *-jan* finita tertiæ conjugationis verba efformant : *blindnan* (a *blindjan*), *gabignan* (a *gabigjan*), *daubnan* (a *daubjan*), *dauþnan* (a *dauþjan*), *dumbnan* (a *dumbjan?*), *drobnan* (a *drobjan*), *fraqistnan* (a *fraqistjan*), *gaqiunan* (a *gaqiujan*), *ushauhnan* (ab *ushauhjan*), *gahaftnan* (a *gahaftjan*), *hailnan* (a *hailjan*), *gaþlahsnan* (a *þlahsjan*), *managnan* (a *managjan*), *mikilnan* (a *mikiljan*), *minznan* (a *minzjan?*), *ganipnan* (a *ganipjan?*), *ganohnan* (a *ganohjan*), *urrumnan* (ab *urrumjan?*), *afslauþnan* (ab *afslauþjan*), *gastaurknan* (a *gastaurkjan?*), *svinþnan* (a *svinþjan*), *gagavairpnan* (a *gagavairpjan*), *fullnan* (a *fulljan*), *afwapnan* (ab *afwapjan*). Solum *veihnan* (a *veihan*) hic excipitur.

D. FORMATIO ADVERBIALIS.

§ 162. In ordine ad formationem distinguuntur adverbia *modi*, *loci* et *temporis*. Hic vero de his mentionem non facimus, quæ sive per compositionem, ut ex. gr. cum particulis *-uh*, *-ei*, *-hun* efformantur, sive per vera substantiva aut adjectiva, cum vel sine præpositione circumscribuntur; priora enim ubi de compositis, posteriora in syntaxi tractabuntur.

I. ADVERBIA MODI.

§ 165. 1) Adverbia ex adjectivis derivata communissime efformantur auxiliante *ba* formæ fundamentali annexo.

a) Ex adjectivis primæ declinationis : *abraba*, *azetaba*, *bairhtaba*, *baitraba*, *balþaba*, *gabigaba*, *gagudaba*, *haukaba*, *svikunþaba*, *mikilaba*, *ubilaba*, *raihtaba*, *garaihtaba*, *garedaba*, *unsahtaba*, *sviknaba*, *ungatasaba*, *gatilaba*, *triggvaba*, *vairþaba*, *unvairþaba*, *veihaba*, *ainfalþaba*, *gaſehaba*, *frodaba*, *wassaba*; etiam ex participiis : *unfairinodaba*.

b) Ex adjectivis secundæ declinationis. Jam vero iterum distinguendum est, utrum syllaba radicalis terminationem præcedens longa sit an brevis; in priori casu terminatio adverbialis est *iba*, in posteriori vero *jaba*, sic : *arniba*, *andaugiba*, *analaugniba*, *unanasiuniba*, *usstiuriba*, *gatemiba*, sed *gabaurjaba*, *sunjaba*.

c) Ex adjectivis tertiæ declinationis : *agluba*, *glaggvuba*, *harduba*, *manvuba*.

« Annotatio 1.—Hic quandoque *u* in *a* transit, ut in *glaggvaba*, Luc. xv, 8, *hardaba* Cor. II, XIII, 10, cod. A,

« Annotatio 2.—Quamvis adverbium interrogativum *waiva?* quomodo? huc pro sua significatione pertineat, an etiam juxta formam referendum sit, dubium est. Cum tamen supra (§ 46, 4) phonicam affinitatem *b* inter et *v* esse ostendimus, non inde impossibile esset, si *waiva* loco *waiba* steterit. Ut ut est, hæc considerandi ratio præferendam esse videtur opinioni, qua adverbium ex *we* et *aiva* compositis enasceretur. Insuper huic *waiva* ex pronomine interrogativo *wa* derivato respondet *sva* ex demonstrativo *sa* formatum, quod ut *s-va* intelligendum est et in quo nulla compositio cum *aiva* cogitanda. Cæterum utriusque terminatio similis est originis significationisque similis. Relativum *sve* ex *sva* et particula relativa *ei* commixtis effici videtur; vel forsan a conjunctione *svaei* non nisi contractione differt. »

2) Altera frequens forma, quæ tamen non ad adverbia tantum ex adjectivis deducta restringitur, est *o*. Cum forma *ba* simul quandoque occurrit, ut in *andaugjo* cum *andaugiba*, *glaggvo* (si recte in gloss. h. v. conjecimus) cum *glaggvaba*; incertum est tamen, an omnia adjectiva hanc duplicem adverbialem terminationem recipiant, aliis potius aliam formam præferentibus. Sic forma cum *o* his adjectivis exclusive convenit, quæ syllaba deductiva muniuntur. Excipitur tantum syllaba formativa *il* jam a primævis temporibus cum stirpe quodammodo commixta (*mikils*, *ubils*).

α) Ex adjectivis primæ conjugationis : *anateiko*,

Digitized by Google

anþarleiko, galeiko, laþaleiko, samaleiko, vairaleiko, sinteino, þiudisko, iudaivisko, uhteigo, unuhteigo, vitodeigo, probabiliter etiam *usdaudo, ussindo, sundro, sniumundo, unveniggo;* hæc duo posteriora saltem e verbis *sniumjan, venjan* difficile ducerentur.

b) Ex adjectivis secundæ declinationis : *andaugjo* et etiam *arvjo, þiubjo, gahahjo, allandjo*, et insuper numerale *þridjo* tertia vice, a *þridja* tertius.

c) Ex adjectivis tertiæ declinationis : *glaggvo* (*gaaggvo*).

d) Non ad adjectiva referri videntur : *aufto, ufjo, misso, sprauto.*

3) Adverbia e comparativis et superlativis derivata simplicem stirpem comparativi vel superlativi sine terminatione vocalica adhibent, excepto quod *z* comparativi in *s* convertant, sic :

a) Comparativi : *hauhis* (a *hauhiza*), *vulþris* (a *vulþriza*), *andvairþis* (ab *andvairþiza*), *framvairþis* (a *framvairþiza*), *mais* (a *maiza*); ejusdem sunt formationis comparativi ex adverbiis immediate derivati *airis* (ab *air*), *andis* (ab *and*), *newis* (a *new*), *framis* (a *fram*), *faurþis* (a *faurþ?*), *haldis* (a *halþ?*), *halis* (a *hal?*), *sniumundos* (a *sniumundo*), *aljaleikos* (ab *aljaleiko?*).

« Annotatio 1.—Adverbia *allis* et *raihtis* ad simplices particulas proxime accedentia, huc equidem secundum formam pertinere videntur; attento autem, quod nihil comparationis in *allis* jaceat et comparativus τοῦ *raihts* sit *raihtosa*, de nullo comparativo his adverbiis cogitandum est.

«Annotatio 2.—Nonnulla adverbia huc pertinentia i quod *s* præcedit, expulso, formam syncopatam præbent : *mins* (a *minniza*), *vairs* (a *vairsiza*) et etiam *seiþs* (a positivo *seiþu*), *jaindvairþs* (coll. *andvairþis, framvairþis*), *suns, anaks.*

«Annotatio 3.—Ex adverbio *filu* derivata forma *filaus* ante comparativos usurpatur; cum autem de genitivo ante adverbium adhibito putandum non est, comparativum hic adesse forsan credendum est et *filaus* pro *filos* stare. »

b) Superlativi : *maist* (a *maists*), *frumist* (a *frumists*).

4) Præter tres adverbiorum præcedentes classes sunt et alia pauca, quæ, licet dubiæ originis, huc tamen referenda sunt, nempe :

a) Cum *is* : *allis, raihtis* jam memorata;

b) Cum *e* : *sve, svare;*

c) Cum *u* : *filu, seipu;*

d) Cum *a* : *sunja.*

II. ADVERBIA LOCI.

§ 164. Adverbia huc pertinentia sunt pro maxima parte vel ex stirpibus pronominalibus vel ex aliis particulis efformata, paucis tantum ad radices nominales referendis. In tres classes partiuntur, prout existentiam in loco, motum ad locum, vel a loco significant.

1) Ad designandum locum, in quo res aliqua est vel versatur, inserviunt adverbia

a) Cum terminatione *a* : *afta* pone, *faura* ante, *dalaþa* infra, *iupa* supra, *uta* foris, *inna* intra, intus, *fairra* longe, *newa* prope, et adverbia in solis compositis occurrentia *anda* contra, *unþa* in longinquo. Nec non *alja* extra (propr. allorsum) etiam huc referendum est;

b) Cum terminatione *r, ar* : *war* ubi, *þar* hic, *ber* ibi, *jainar* illic, *aljar* alibi, collatis præpositionibus *hindar* pone, post, *ufar* super, *undar* sub, *afar* post.

c) Ex nonnullis horum adverbiorum alia, significatione paululum mutata, per terminationem *o* efformantur : *ufaro* super, sursum, *undaro* subter, *aftaro* pone, secundum.

d) Adjecta terminatione *na* præcedentia adverbia eamdem habent significationem, addito tamen, quod motum a loco quandoque exprimant : *aftana* pone, *utana* de foris, *innana* ab intus, *iupana* desuper, *hindana* post, pone, *samana* simul, congregatim.

2) Motum ad aliquem locum indicat sive simplex stirps consonantice finita : *faur, iup, ut, inn, new*, sive terminationes

a) *þ* (*Đ*): *waþ* quo, *jaind* illuc, *þad* huc (tantum modo in composito *þadei* quo supersles), *aljaþ* alias, *dalaþ* huc infra, *samaþ* simul (cum motu); cui terminationi quandoque etiam

b) *Re* remanente eadem significatione affigitur : *wadre* quo, *jaindre* illuc, *hidre* huc.

3) Denique motum ab aliquo loco indicat terminatio *þro* : *waþro* unde, *þaþro* hinc, *jainþro* illinc, *utaþro* de foris, *innaþro* ab intus, *iupaþro* de super, *dalaþro* ab infra, *fairraþro* a longinquo, *aljaþre* aliunde, *allaþro* undique.

« Annotatio. — In nulla harum classium ordinari potuit *bisunjane* circum, formatione simul et origine obscurum. Secundum formam genitivus plur. esse videtur, aut saltem huic respondere sive significatione sive constructionibus, in quibus occurrit, ex. gr. : Mc. III, 34 *bisaiwan bisunjane* circum aspicere, Neh. v, 17; VI, 16 *þai bisunjane unsis* hi circum nos. »

Jam vero omnia loci adverbia sequens tabula exhibet :

Quo?	ubi?	ubi?	ubi?	unde?	quo?	quo?	unde?
faur	*faura*	—	—	—	—	—	—
—	*afta*	*afar*	*aftaro*	*aftana*	—	—	—
iup	*iupa*	—	—	*iupana*	—	—	*iupaþro*
—	*dalaþa*	—	—	—	*dalaþ*	—	—
ut	*uta*	—	—	*utana*	—	—	*utaþro*
inn	*inna*	—	—	*innana*	—	—	*innaþro*
new	*newa*	—	—	—	—	—	—
—	*fairra*	—	—	—	—	—	*fairraþro*
—	*alja*	*aljar*	—	—	*aljaþ*	—	*aljaþro*

Digitized by Google

Quo?	ubi?	ubi?	ubi?	unde?	quo?	quo?	unde?
—	—	*war*	—	—	*waþ*	*wadre*	*waþro*
—	—	*þar*	—	—	(*þad*)	—	*þaþro*
—	—	*her*	—	—	—	*hidre*	—
—	—	*jainar*	—	—	*jaind*	*jaindre*	*jainþro*
—	—	*hindar*	—	*hindana*	—	—	—
—	—	*ufar*	*ufaro*	—	—	—	—
—	—	*undar*	*undaro*	—	—	—	—
—	—	—	—	*samana*	*samaþ*	—	—
—	—	—	—	—	—	—	*allaþro*

III. ADVERBIA TEMPORIS.

§ 165. In formandis his adverbiis gothicus sermo præcipue laborat. Præter enim nonnulla primitiva vocabula, ut *nu* nunc, *ju* jam, *air* mane, alia principaliter circumscribuntur, ut *himma daga* hodie, *du maurgina* mane, *gistradagis* (non equidem propr. adverbium, sed genitivus a *gistradags*) heri. Pauca tantum hic animadvertenda sunt :

a) Ex stirpibus pronominalibus *WA*, *ÞA*, *SUMA* annexo *n* efformantur adverbia temporis : *wan* cum, *þan* tum, *suman* olim;

b) Nonnulla alia, pro maxima parte obscuræ originis, terminationem *e* vel *a* recipiunt : *þande* dum, *unte* usque, *simle* olim, *ufta* sæpe, *aftra* iterum.

E. FORMATIO PER COMPOSITIONEM.

§ 166. Compositio propria in eo consistit, quod duo vocabula ita inter se connectuntur, ut prior pars vocabuli non jam peculiarem flexionem habere possit. Ubi autem res ita se non habet, *impropria* est compositio. Jam vero compositio a derivatione discriminatur, quod hæc vocabulo affigat elementum in se et per se significationis expers, cujus saltem significatio nos fugit, illa vero partibus per se significantibus constet. Cæterum composita non solum ex derivatis, sed etiam ex anterius compositis vocabulis efformari possunt; quæ ultima dicuntur *bicomposita*, ex gr. : *miþgardavaddjus*, *ufarhiminakunds*, *galiugabroþar*, *gabaurþivaurd*, *untilamalsks*, *unhanduvaurhts*, *innatgaggan*. Aliud insuper est discrepantia, quod in compositione prior pars vocabuli, in derivatione autem posterior majoris sit momenti. Hinc de compositione tractantes eam in triplici classe ordinabimus, prout prima pars nominalis, pronominalis vel particula erit.

« Annotatio 1. — Utrum in gothica lingua verbalis occurrat compositio, non certo constat. *Slahals*, si forte compositum est (§ 150, *b*), ex *slahan* simul atque ex *slahs* deduci potest. Idem dicendum est de *vinþiskauro* (a *vinþjan*), *spaiskuldrs* (a *speivan*) et *þiuþiqiss* (a *þiuþjan*). Nec non et *laþaleiko* ex adjectivo *laþs* potius quam immediate ex verbo *laþon* derivari videtur. Cæterum alia exempla vix reperies.

« Annotatio 2. — Voces hybridæ nusquam occurrunt in gothico sermone, quippe cum vocabulorum ut *motastaþs*, *smakkabagms* non constat, ad quamnam linguam prior pars pertineat; *afarsabbatus* equidem, *galiugaxristus*, *galiugaapaustaulus* posteriorem partem ab hebræa lingua mutuata sunt, verumtamen cum significatione civitate sunt donata. »

I. COMPOSITIO NOMINALIS.

I. SUBSTANTIVA.

§ 167. Huic regulæ generali compositio nominalis subjacet, quod prior pars compositi in forma fundamentali simpliciter adhibeatur. In nonnullis tantum rarioribus casibus præfertur forma apocopata consonantice finita, quæ quidem accusativo regulariter convenit, licet ut accusativus non habenda sit. Cur plenæ formæ *gudalaus*, *gudafaurhts*, *veinatriu*, *veinagards*, *lausavaurds* cum *gudhus*, *guþblostreis*, *veindrugkja*, *laushandus*, *lausqiþrs*, etc., occurrant, ratio dici nequit. Ut ut est, diligenter cavendum est, ne illa pro dativis habeantur, nam si de vocabulis primæ, nullo autem modo de vocabulis secundæ tertiæve vocalicæ declinationis dici posset, ipsa significatione in plerisque casibus repugnante. A regula supra data excipiuntur tantum ea vocabula, quorum stirps vocalice desinit, ut in *þiumagus*, *niuklahs*, *freihals*, vel polysyllaba est, ut in *sigislaun*, *þiudangardi*, *mikilþuhts*, *ubiltojis*, ubi forma brevior loco longioris *sigisalaun*, *þiudanagardi*, etc., euphoniæ causa eligi potuit. Quoad anomala substantiva usurpatur vel simplex stirps, ex. gr. : *bruþfaþs*, *manleika*, vel plena forma in *a*, ut *nahtamats*, *manaseþs*, vel tandem forma in *a* genitivi speciem præ se ferens, ut *baurgsvaddjus*, *þrutsfill*. Vocabula autem consonanticæ declinationis in compositione suum *n* rejiciunt, longa vocali remanente in brevem respondentem commutata, eo modo : *vaihstastains* a *VAIHSTAN*, *augadaura* ab *AUGAN*, *qinakunds* a *QINON*, *marisaivs* a *MAREIN*.

Jam vero substantiva cum substantivis, adjectivis, participiis, raro autem cum particulis componuntur.

Exempla compositorum substantivorum cum substantivis, adjectivis et participiis hæc sunt :

a) Vocalicæ declinationis :

aa) Cum fundamentali vocali *a* : *vigadeina* (a *vigs*), *figgragulþ* (a *figgrs*), *kaisaragild* (a *kaisar*), *himinakunds* (a *himins*), *gilstrameleins* (a *gilstr*), *alevabagms* (ab *alev*), *veinabasi*, *veinatains*, *veinatriu*, *veinagards* (a *vein*), *eisarnabandi* (ab *eisarn*), *vitodafasteis*, *vitodalaisareis*, *vitodalaus* (a *vitoþ*), *liugnapraufetus*, *liugnavaurds* (a *liugn*), *lukarnastaþa* (a *lukarn*), *daura-*

Digitized by Google

vards (a *daur*), *launavargs* (a *laun*), *vaurdajiuka* (a *vaurd*), *guþaskaunei*, *gudalaus*, *gudafaurhts* (a *guþ*), *ekranalaus* (ab *akran*), *bloþarinnands* (a *bloþ*), *hleþrastakeins* (a *kleiþra*), *motastaþs* (a *mota*), *stauastols* (a *staua*), *weilawairbs* (a *weila*), *friaþvamilds* (a *friaþva*).

« Annotatio 1.—In substantivis, quorum fundamentalis vocalis in *-ja* desinit, rursus est distinguendum, an syllaba derivativa, aut longa brevisve syllaba stirpalis præcedat; in priori enim casu forma apocopata *i*, in posteriori vero, forma plena *-ja* in compositione usurpatur : *andilaus* ab *andeis* (thema *ANDJA*), *þusundifaþs* a *þusundi* (them. *þUSUNDJA*), *arbinumja* ab *arbi* (them. *ARBJA*), *fraþjamarzeins* a *fraþi* (them. *FRAþJA*), *vadjabokos* a *vadi* (them. *VADJA*), *lubjaleisei* a *lubja?* (them. *LUBJA*). »

bb) Cum vocali fundamentali *i* : *matibalgs* (a *mats*), *drauhtivitoþ* (a *drauhts*), *gastigods* (a *gasts*), *naudibandi*, *naudiþaurfts* (a *nauþs*), *gabaurþivaurd* (a *gabaurþs*), *aurtigards* (ab *aurts?*).

cc) Cum vocali fundamentali *u* : *asiluqairnus* (ab *asilus*), *fotubandi*, *fotubaurd* (a *fotus*), *grunduvaddjus* (a *grundus*), *qiþuhafts* (a *qiþus*), *lustusams* (a *lustus*), *faihuþraihns*, *faihugairnei*, *faihuskula*, *faihufrikei*, *faihugavaurki* (a *faihu*), *handuvaurhts* (a *handus*).

dd) Cum fundamentali vocali *r* : *broþrulubo* vel *broþralubo* (a *broþar*).

« Annotatio 2.—Rejecta vocali finali fundamentalis formæ occurrunt : *guþblostreis*, *gudhus*, *halsagga*, *veindrugkja*, *gutþiuda*, *þiumagus*, *sigislaun*, *þiudangardi*. Licet, quomodo *midjungards* efformetur, lateat, hoc tamen ex quodam deperdito *midjun* vel *midjuns* effici probabile est. Quod in glossario junct. inscripsimus *þiuþspillon* convenientius in *þiuþ spillon* dividendum est, coll. *þiuþ taujan* Mc. III, 4; Luc. VI, 9, 33, 35.

« Annotatio 4. — Quamvis substantiva cum verbis non componantur, verba tamen e substantivis compositis derivari possunt, ut *þuthaurnjan* a *þuthaurn*, *faihugeironjan* a *faihugeiro*.

« Annotatio 3.—Sola exempla substantivi cum participio compositi hæc sunt : *mannahun* et *weilohun*. »

ee) Anomala : pauca quæ occurrunt exempla supra fuerunt relata, quibus certo adjicienda sunt *bruþfaþs*, *nahtamats*, *baurgsvaddjus*; nec non et *manleika*, *manaseþs*, *manamaurþrja* a *manna* derivata huc referri possunt, cum his thema *MAN* (§ 93, 1) fundamentum jaceat; τῷ *þrutsfill* favet analogia τοῦ *baurgsvaddjus*.

b) Consonanticæ declinationis : *vaihstastains* (a *vaihsta*), *smakkabagms* (a *smakka*), *viljahalþei* (a *vilja*), *gumakunds* (a *guma*), *miþgardavaddjus* (a *miþgarda?*), *augadauro* (ab *augo*), *qinakunds* (a *qino*), *marisaivs* (a *marei*), *aglaitivaurdei* (ab *aglaitei*).

II. ADJECTIVA.

§ 168. Idem in genere de adjectivis compositis atque de substantivis dicendum est. Composita equidem cum verbis occurrunt, sed tantum composita τοῦ *fulls* : *fullafahjan*, *fullafraþjan*, *fullaveisjan*.

Exempla adjectivorum cum substantivis, adjectivis participiisque compositorum hæc sunt :

a) Cum fundamentali vocali : *armahairtei* (ab *arms*), *juggalauþs* (a *juggs*), *laggamodei* (a *laggs*), *mukamodei* (a *muks?*), *þrasabalþei* (a *þras?*), *balvavesei* (a *balvs?*), *dvalavaurdei* (a *dvals*), *lausavaurdi*, *lausavaurdei*, *lausavaurds* (a *laus*), *godakunds* (a *gods*), *fullatojis*, *fullavits* (a *fulls*), *ibnaleiks*, *ibnaskauns* (ab *ibns*), *liubaleiks* (a *liubs*), *untilamalsks* (a *tils*), *allavaurstva*, *alaþarba*, *alamans* (ab *alls*).

b) Cum fundamentali vocali *i* : hic adest probabiliter eadem discrepantia, quam supra (§ 167, annot. 1) de substantivis animadversa fuit, licet sequentia tantum occurrant exempla : *midjasveipains* (a *midja*), *aljakuns*, *aljaleiks*, *aljaleikoþs* (ab *aljis*), *hrainjahairts* (a *hrains*).

c) Cum fundamentali vocali *u* desunt

« Annotatio. — Rejecta finali vocali formæ fundamentalis reperiuntur : *allbrunsts*, *allsverei*, *allvaldands*, *allandis* (ab *alls*), *hauhþuhts*, *hauhhairts*, *hauhhairtei* (a *hauhs*), *laushandus*, *lausqiþrs*, *lausqiþrei* (a *laus*), *aglaitgastalds* (ab *aglaits*), *anþarleiks* (ab *anþar*), *managfalþs* (a *manags*), *ubilvaurds*, *ubiltojis* (ab *ubils*), *mikilþuhts* (a *mikils*), *niuklahs* (a *niujis*), *freihals* (a *freis*). »

III. NUMERALIA.

§ 169. *a*) Numeralia plene flecta cum componuntur, eisdem regulis atque substantiva et adjectiva subjacent; adhibentur ergo in forma fundamentali vocalice finita : *ainabaur* (ab *ains*), *hundafaþs* (a *hund*), *þusundifaþs* (a *þusundi*), et etiam in forma apocopata : *ainwarjisuh*, *ainwaþaruh*. Numeralia decades et hecatontades designantia, ut *tvaitigjus*, *þreistigjus*, *tvahunda*, *þrijahunda*, quemadmodum *ainshun*, non sunt proprie composita, cum utraque pars vel etiam prior flectatur (§ 166).

b) Numeralia autem defective vel minime flecta in compositione immutata remanere videntur : *fidvortigjus*, *fimftigjus*, *fimfhunda*, *saihstigjus*, *ahtaudogs*, *niuhunda*; datur tamen pro *fidvor* etiam forma apocopata *fidur* : *fidurdogs*, *fidurragineis*.

c) Multiplicativa efformantur adhibito *falþs*, cui forma apocopata numeri præponitur : *ainfalþs*, *tvafalþs* (?), *þreifalþs* (?), *fidurfalþs*, *taihuntaihundfalþs*, etc.

II. COMPOSITIO PRONOMINALIS.

§ 170. Pronominalis compositio est sive propria, sive impropria. Prior occurrit tantum in componendis adjectivis pronominibus *sama* et *silba* : *samaleiks*, *samakuns*, *samalauds*, *samasaivals*, *samafraþjis*, *samaqiss*, *silbasiunis*, *silbavileis*, *silbaviljands*. De irregulari *seinaigairns* vid. ad Tim. II, III, 2. Improprie autem adjectiva efformantur juvantibus particulis *ei*, *uh* et *hun*.

Digitized by Google

a) Cum *ei* : *ūkei*, *þuei*, *ūtei*, *sai*, etc. (§ 109) coll. particulis *þadei*, *þarei*, *þaþroei*, *svaei*, *akei*, *sunsei*, *miþþanei*, etc. ;

b) Cum *uh* : *sah*, *wasuh*, *warjizuh*, *waþaruh* (§§ 108, 111), coll. particulis *þanuh*, *þaruh*, *þiswaruh*, *þiswaduh* ;

c) Cum *hun* : *washun*, coll. jam memoratis *mannahun*, *weilahun*, *ainahun*, et particulis *þishun*, *wannahun*, *weilahun*, *ainahun*, et particulis *þishun*, *wan-*

Conspicua sunt etiam vocabula impropria composita, quæ cum pronomine *sa*, *so*, *þata* et nonnullis ejus casibus efformantur : nom. *sawasuh*, *þatist*, *þatain*, *þatainei* ; gen. *þiswasuh*, *þiswaduh*, *þishun* ; dat. (instr.) *þehaldis*. Denique ex casu instrumentali pronominis interrogativi componuntur etiam *welauds* et *weleiks*.

III. COMPOSITIO PARTICULARUM.

§ 171. Cum particulæ neque flecti neque mutari possunt, in compositione igitur plerumque immutata adhibentur parvamque huic capiti de formatione vocabulorum utilitatem afferunt. Ex altera autem parte vocabula ex particulis composita prope sunt innumerabilia, qua de causa hic prætermitti nequeunt. Jam vero particulæ cum omnibus orationis partibus componi possunt, et compositio adverbiorum et præpositionum distingui debet.

I. ADVERBIA.

Vaila : *vailaqiss*, *vailavisns*, *vailamerjan*.

Vai (*vaja*) : *vaidedja*, *vaifairwjan*, *vajamerjan*, *vajamereins*.

Missa : *missadeds*, *missaqiss*, *missaleiks*, *missataujands*.

Filu : *filudeisei*, *filuvaurdei*, *filufaihus*, *filugalaubs*, *filuvaurdjan*.

Sunsa : *sunsaiv*, *sunsei*.

Hαlis : *halisaiv*.

Þan (*þana*) : *þanamais*, *þanaseiþs*.

Sva : *svalauds*, *svaleiks* ; coll. correlativis *welauds*, *weleiks* (§ 170).

Inn : *innqaggan*, *innvaírþan*, *innatbairan*, *innatgaggan*, *innattiuhan*, *inngaleiþan*, *innufsliupan*, *miþinngaleiþan*.

Innа : *innakunds*, *innagahts*.

Ut : *utbairan*, *utgaggan*.

Faura : *fauragaggan*, *fauraqiþan*, *fauraqiman*, *fauragahaitan*, *fauragaleihan*, *fauragaggja*, *fauradauri*, *faurnaþleis*.

Anda : *andabauhts*, *andabeit*, *andahait*, *andahafts*, *andaþahts*, *andalauni*, *andanahts*, *andanem*, *andanumts*, *andastaþjis*, *andastuna*, *andaveurd*, *andavaurdi*, *andavisn*, *andavleisns*, *andaneiþs*, *andanems*, *andanemeigs*, *andasets*.

Unþa : *unþaþliuhan*.

Tvis, *tuz* : *tvisstandan*, *tuzverjan*.

II. PRÆPOSITIONES.

§ 172. Inter præpositiones etiam nonnullas particulas inclusimus, quæ in compositione tantummodo occurrunt, ut *fair*, *fra*, *fri*, *ga*, *dis*, *id*, *un*. Hic vero paucis tantum exemplis advocatis ordinabimus, de aliis lectorem ad glossarium remittentes, in quo unicuique particulæ singula composita subjiciuntur.

Ana : *anabiudan*, *anaïnsakan*, *anamahts*, *anavairþs*, *analeiko*.

And : *andbindan*, *andtilon*, *andbahts*, *andvairþs*, *andaugjo*.

At : *ataugjan*, *atgaraihtjan*, *atgaggs*.

Af : *afaikan*, *afletan*, *afgrundiþa*, *afguds*, *afgastoþans*.

Afar : *afargaggan*, *afarlaistjan*, *afardags*.

Bi : *bimaitan*, *bivindan*, *bibaurgeins*, *bifaihs*, *bireiks*, *biþe* et etiam *biwe*, Luc. I, 18.

Ga : *ganisan*, *gateihan*, *gahaitan*, *gamunan*, *gegahaftjan*, *gageleikon*, *gagamainjan*, *gagatilon*, *gagavairþjan*, *gagavairþnan*, *gadaila*, *galaubeins*, *gaguds*, *gafulgins*, *gahakjo*, *gatemiba*.

Dis : *distairan*, *dishaban*, *distaheins*, *disvis*.

Du : *duginnan*, *dustodjan*, *duatgaggan*, *duatsniwan*, *duatrinnan*, *dugavindan*, *duþe*, *duwe*.

Hindar : *hindarleiþan*, *hindarvisei*, *hindarweis*.

Þairh : *þairharbaidjan*, *þairhsaiwan*, *þairhgaleikon*.

Id : *idveitjan*, *idveit*, *iddalje*.

In : *inagjan*, *insandjan* *ingaleikon*, *insahts*, *invinds*.

Inu : non componitur.

Miþ : *miþniman*, *miþanakumbjan*, *miþgatiuhan*, *miþuskramjan*, *miþinsandjan*, *miþfrahunþans*, *miþgaleikonds*, *miþvissei*, *miþgasinþa*.

Un : *unverjan*, *unkunnands*, *unþvahans*, *ungalaubjands*, *unandsakans*, *unbilaistiþs*, *unusspillodþs*, *unfairlaistiþs*, *unufbrikands*, *unagei*, *ungalaubeins*, *unbimait*, *unhails*, *unandseks*, *unatgahts*, *ungatass*, *unbindarveis*, *unfaurveis*, *unveniggo*, *unanasiuniba*.

Und : *undgreipan*, *undredan*, *undrinnan*.

Undar : non componitur.

Us : *usbeidan*, *urreisan*, *usgasaiwan*, *usvahsens*, *usstass*, *usvaurhts*, *ussindo*.

Uf : *ufbrikan*, *ufkropjan*, *ufhauseins*, *ufrunþi*.

Ufar : *ufarhafjan*, *ufarmeleins*, *ufarfulls*, *ufarhiminakunds*.

Viþra : *viþragaggan*, *viþragamotjan*, *viþravairþs*.

Fair : *fairaihan*, *fairhaitan*, *fairveitl*.

Faur : *faurbiudan*, *faurbigaggan*, *faurbauhts*.

Faura : vid. § 171.

Fra : *frabugjan*, *fragifts*, *fralets*.

Fram : *framgahts*, *framaldrs*, *framqiss*, *framvairþis*.

Fri : *frisahts*.

§ 173. Ex præcedentibus paragraphis equidem constat, quanta sit ad formanda vocabula gothicæ linguæ aptitudo ; verumtamen comparantibus nobis ulfilanam versionem cum græco textu perspicuum erit, huic aptitudini suos fines fuisse, linguæque indolem Gotho semper non permisisse, quasdam formationes vel compositiones græci sermonis in suam linguam traducere. Quapropter, fatentibus equidem

Digitized by Google

nobis gothicam linguam ex ea ipsa, quantum possibile est, evolvi decere, abs re tamen non est nec scopo, quem proposuimus, inutile, hic et via negativa *limites formationis gothicæ* exarare, quibus cognitis linguæ monumenta melius intelligentur. Jam vero eumdem et in hoc respectu ordinem sectantes, spectemus

1) Formationem per derivationem :

a) Substantivorum. Ex abundantia formarum, quæ ad formanda substantiva ex verbis et nominibus derivata præsto sunt quasque supra (§ 142 sqq.) evolvimus, vix credas ne unius quidem vocabuli græci interpretationem Gotho fuisse impossibilem.

« Hinc ad perfectiorem tantum interpretationem vel ad indolem gothicæ linguæ proprius assequendam attribuendum est, si Gothus, Col. II, 22, τὰ ἀποχρήσει per *þairh þatei is brukjaidau*; Mth. VI, 12, τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν per *þatei skulans sijaima*; Col. I, 24, παθήματά μου per *þoei vinna*; Tim. I, IV, 15, σοῦ ἡ προκοπή per *þatei þeihais þu* converterit, quemadmodum Col. I, 10, εἰς πᾶσαν ἀρίσκειαν per *in allamma þatei galeikai*; Mc. VII, 5, 8 παράδοσις per *þatei anafulhun* et Luc. VI, 7 κατηγορία per *til du vrohjan* traduxit, licet in aliis locis verbalia *leikains, anafilh, vrohs* cum eadem significatione usurpaverit. »

b) Adjectivorum. Verbalia græca in -τος per participium plerumque convertuntur, vid. § 190, 3.

c) Verborum. Hic præcipue gothica lingua græcæ cedit. Verba præsertim in -εύω, -άζω, -ίζω, -όω et -έω gotho circumscribenda fuerunt.

aa) Verba in -εύω et -έω.

« Equidem αἰχμαλωτεύειν per *ushinþan*, ἀγρεύειν per *ganiutan*, βασιλεύειν per *þiudanon*, θεραπεύειν per *heiljan, leikinon*, ἰατρεύειν per *gudjinon*, δουλεύειν per *skalkinon*, πτωχεύειν per *gaunledjan sik*, etc. convertuntur, in aliis vero pluribus casibus hæc verba circumscribantur necessum est, ex. gr. : ἀληθεύειν *sunja gateihan* vel *taujan*, θριαμβεύειν *hroþeigana ustaiknjan*, γυμνητεύειν *nagads visan*, ἡγεμονεύειν *kindins visan* (etiam *raginon*), κινδυνεύειν *bireks visan*, εἰρηνεύειν *gavairþeigs visan, gavairþi haban* vel *taujan*, πρωτεύειν *framadeins haban*, διανυκτερεύειν *nahts þairhvakan*.

« Pariter ἀρκεῖν *ganohs visan*, ἀσθενεῖν *siuks visan*, δυνατεῖν *mahteigs visan*, ἐνδημεῖν *anahaims visan*, εὐκαιρεῖν *uhtiugs visan*, συνευδοκεῖν *gaviljis visan*, ψευδομαρτυρεῖν *galiugaveitvods visan*, παρακολουθεῖν *galaists visan*, φθονεῖν *in neiþa visan*, ὠφελεῖν *du botai visan*, ἐκκακεῖν *vairþan usgrudja*, πλουτεῖν *gabigs vairþan*, κληρονομεῖν *arbja vairþan*, ἐλαττονεῖν *favizo haban*, ὑστερεῖν *minz haban*, ὑστερεῖσθαι *þarbos þulan*, δειπνεῖν *du naht matjan*. »

bb) Verba in -άζω :

« Cum ἀγιάζειν *veihan*, ἀγοράζειν *bugjan*, ἀτιμάζειν *unsveran*, αὐγάζειν *liuhtjan*, ἑτοιμάζειν *manvjan*, ἑορτάζειν *dulþjan*, etc., reperiuntur etiam νηπιάζειν *barnisks visan*, ὁμοιάζειν *galeiks visan*, σχολάζειν *uhteigs visan*, παραχειμάζειν *vintru visan*, πλεονάζειν *managizo haban*, λιθάζειν *stainan afvairþan* (et etiam *stainjan*). »

cc) Verba in -ίζω :

« Cum ἀναθεματίζειν *afaikan*, ἀφανίζειν *fravardjan*, βασανίζειν *balvjan*, βυθίζειν *sagqjan*, ἐγκεντρίζειν *intrisgan*, σαλπίζειν *haurnjan*, etc., reperiuntur ἐγγίζειν *newa visan* (et etiam *newjan, atnewjan*), ἐθίζειν *biuhts visan*, δαιμονίζεσθαι *vods visan*, *unhulþons haban*, ὀργίζεσθαι *þvairhs visan*, ἀπελπίζειν *usvena vairþan*, ἀνδρίζεσθαι *vairaleiko taujan*, παροργίζειν *briggan in þvairhein*, ψωμίζειν *mat giban*, ῥαπίζειν *lofam slahan*, ῥαβδίζειν *usbliggvan vandum*, ἀποκεφαλίζειν *haubiþ afmaitan*, ἐδαφίζειν *airþai gaibnjan*, ἐναγκαλίζεσθαι *ana armins niman*, εὐαγγελίζεσθαι *aivaggeljan merjan*. »

dd) Verba in -όω :

« Cum βεβαιοῦν *gaþvastjan*, *gatulgjan*, δουλοῦν *gaþivan*, δηλοῦν *bandvjan*, *gakannjan*, θανατοῦν *gadauþjan*, ἐπιδιορθοῦν *atgaraihtjan*, ζημιοῦν *gasleiþjan*, (μορφοῦν *gabairhtjan*), ὁμοιοῦν *galeikon*, τελειοῦν *usfulljan*, *ustiuhan*, νεκροῦν *dauþjan*, etc., reperiuntur δολοῦν *galiug taujan*, ἀξιοῦν, ἱκανοῦν *vairþana briggan*, ἐλευθεροῦν *frijana briggan*, κεφαλαιοῦν *briggan haubiþ vundan* (sic etiam ἑλκοῦν *banjo fullana briggan*, coll. Luc. XVI, 20), παραζηλοῦν *in aljan briggan*, δικαιοῦν *garaihtana domjan, qiþan, gateihan* (et etiam *garaihtjan, gasunjon*), ἐκριζοῦν *uslausjan us vaurtim*, ἀποδεκατοῦν *afdailjan taihundon tail*, χαριτοῦν *ansteigs visan*, κληροῦσθαι *hlauts gasaliþs visan*.

ee) Aliæ circumscriptiones cum *visan, vairþan, haban*, etc., hæ sunt :

« Διαφέρειν *vulþris visan*, *batiza visan*, ἐλάσσεσθαι *hulþs visan*, νήφειν *andaþahts, usskavs, vars visan*, πεινῆν *gredags visan* (et etiam *gredon*), πικραίνεσθαι *baitrs visan*, προσοφείλειν *skula visan*, συνήδεσθαι *gavizneigs visan*, ὑγιαίνειν *hails visan*, συμφέραι *gagigs visan*, φρεναπατᾶν *fraþjamarzeins visan*, προκεῖσθαι *in gagreftai visan*, καταδιώκειν *galaista vairþan*, πλήττεσθαι *usfilma vairþan*, κερδαίνειν *du gavaurkja haban*, ἐπαίρεσθαι *in arbaidai brigyan*, ἀνάκειν *du þaurftai fairrinnan*, coll. σπαταλᾶν *vison in aiztjau*.

« Annotatio.—Verba e comparativis derivata a Gotho in genere exprimi non potuisse videntur. Excipitur tantum *minsnan*; alibi autem occurrit *managizo haban* (πλεονάζειν), *favizo haban* (ἐλαττόνειν), *minz haban* (ὑστεροῦν), *batiza visan* (διαφέρειν), *ufarassau ganohjan* (περισσεύειν). »

2) Formationem per compositionem :

a) Substantivorum. Hic iterum distinguendum est, prout se habet prior pars compositi ad posteriorem.

aa) In respectu adjective :

« Ἀγριέλαιος *vilþeis alevabagms*, πολυέλαιος *gods alevabagms*, κενοδοξία *lausa hauheins* (etiam *lausavaurdi, armahairtei* et similia), εὐωδία *dauns veþi*, ταπεινοφροσύνη *hauneins gahugdais*, ἀρχιτελώνης *faurnaþleis motarje*, ἀρχιρεύς *auhumists gudja*, etc., ἀρχισυνάγωγος *faurnaþleis synagogeis*. »

bb) In respectu genitivo :

« Τεχνογονία *barne gabaurþs*, υἱοθεσία *sunive gadeds*, νομοθεσία *vitodis garaideins*, γεωργός *airþos vaurstvja*, εἰδωλολατρεία *galiugagude skalkinassus*, εἰδωλολάτρης *galiugam skalkinonds*, εἰδωλόθυτον *þatei galiugam sal-*

Digitized by Google

þada, ἐθνάρχης fauramaþleis þiudo, κοσμοκράτωρ sa fairwu habànds, ἀνδραποδιστής mannans gaþivands, ἀνδροφόνος mannans maurþrjands, πατραλώης attan bliggvands, μητραλώης aiþein bliggvands, ὀφθαλμοδουλεία in augam skalkinon, θεοσέβεια guþ blotan; coll. *εἰδωλεῖον galiuge staþs* (cum *lukarnastaþs*), *γενέσια mel gabaurþais* (cum *gabaurþivaurd*), *ῥάπισμα slahs lofin, πίδη eisarn bi fotuns gabugan* (et etiam *fotubandi*). »

cc) In respectu præpositionali :

« Ὑπολήνιον *dal uf mesa, περίχωρος þata bisunjane land, προαύλιον faur gard, ἐπαύριον ïftuma dags.* »

dd) In respectu correlativo :

« Νυχθήμερον *naht jah dag.* »

b) Adjectivorum.

aa) Quamvis Gothus α privativum sive per *un-*, sive per *-laus* convertat, quidam sunt tamen casus, in quibus illud circumscribere præfert.

« Sic ἀμεταμέλητος, Rom. xi, 29, *inu ïdreiga*, ἀφιλάργυρος, Tim. I, iii, 3 *ni faihufriks*, ἄνομος Cor. I, ix, 21 *vitodis laus* (et etiam alibi usurpatum *vitodalaus*). »

bb) Quædam adjectiva ex præpositionibus et substantivis formata ejusdemque significationis ac substantiva supra (2, *a*, *cc*) memorata, convertere Gothus non potuisse videtur :

« Dicit igitur *faur marein* pro παράλιος Luc. vi, 17; *uf vaira* pro ὕπανδρος Rom. vii, 2; *us synagogein usvaurpans* pro ἀποσυνάγωγος Joan. xii, 42; coll. *in keitom* pro πυρέσσουσα Mth. viii, 14; *aljar visands* pro ἀπών Cor. II, x, 1, 11. »

cc) Exempla aliarum circumscriptionum hæc sunt :

« Θεοδίδακτος *at guþa uslaisiþs*, θεόπνευστος *gudiskaizos ahmateinais*, ὀλιγόπιστος *leitil galaubjands*, φιλήδονος *frijonds viljan seinana*, ἰσάγγελος *ïbna aggilum*, δευτερόπρωτος *anþar fruma.* »

c) Verborum.

aa) Privativum α in verbis quandoque equidem per *un-* convertitur (§ 172, coll. gloss. h. v.), communiter autem circumscribitur :

« Ἀγνοεῖν *ni vitan*, ἀπειθεῖν, ἀπιστεῖν *ni galaubjan*, ἀδυνατεῖν *unmahteigs visan*, ἀμελεῖν *unkarja visan*, ἀσταθεῖν *ungastoþans visan*, ἀτακτεῖν *ungateviþs visan*, ἀστοχεῖν *afairsiþs visan*, ἀσθενεῖν *siuks visan* (*unhails visan*), ἀθυμεῖν *in unlustau visan*, ἀχρειοῦσθαι *unbruks vairþan*, ἀκαιρεῖσθαι *analatiþs vairþan*, ἀθετεῖν *vanans gataujan.* »

bb) Ubi vero prior pars compositi adverbialem respectum præbet, Gothus præcipue circumscriptione utitur :

« Ὀρθοτομεῖν *raihtaba raidjan*, ὀρθοποδεῖν *raihtaba gaggan*, ὑψηλοφρονεῖν *hauhaba hugjan*, ἑτεροδιδασκαλεῖν *aljaleikos laisjan*, ὑπερφρονεῖν *mais fraþjan*, ἀγαθοποιεῖν *þiuþ taujan*, κακοποιεῖν *unþiuþ taujan*, ψευδομαρτυρεῖν *galiug veitvodjan.* »

cc) Res eadem se habet, ubi objectivus respectus adest :

« Καρποφορεῖν *akran bairan*, ξενοδοχεῖν *gastins andniman*, τεκνογονεῖν *barna bairan*, τεκνοτροφεῖν *barna fodjan*, ὑδροποτεῖν *vato drigkan*, ζωγρεῖν *gafahanana tiuhan* vel *haban*, οἰκοδεσποτεῖν *garda valdan*, νικᾶγεῖν *usfarþon gataujan us skipa*, θηριομαχεῖν *du diuzam veihan*, λογομαχεῖν *vaurdam veihan*, λιθοβολεῖν *stainam vairpan*, ζωοποιεῖν *liban taujan*, coll. ἀνακλίνειν *gavaurkjan anakumbjan*, αὐξῆσαι *vahsjan gataujan*, κατακαλύπτεσθαι *gahuljan haubiþ sein*, Cor. I, xi, 6

CAPUT QUARTUM.

DE CONNEXIONE VOCABULORUM SEU DE SYNTAXI.

174. Hucusque vocabula in se et absolute spectavimus; sed vocabula, per se satis insulsa, eum scopum in sermone habent, ut cogitationem ob oculos, si ita loqui fas est, ponant, hominumque mentes mutuo commercio colligent. Jam vero hunc scopum attingere nequeunt, nisi forma certa sint induta certoque ordine instructa. Nostrum est igitur, cæteris absolutis, eas nunc dotes docere, quibus vocabula gaudere debent, ut hanc illamve cogitationem significent.

Cogitatio vocabulis expressa dicitur *sententia*. Unaquæque sententia necessario aliquid exhibet, quod prædicatur (*prædicatum*) et objectum, de quo prædicatur (*subjectum*). Jam vero prædicatum vel in verbo jacet, vel peculiari vocabulo exprimitur; in priori casu idea prædicati in stirpe verbi, et nonnisi per exceptionem in flexivo elemento latet. Cum autem in eodem flexivo elemento verbi etiam subjectum includi potest, potest unicum verbum totam sententiam efformare. Accessoria subjecti per *attributum*, accessoria autem prædicati per *objectum* indicantur. Quamnam vero *formam* singula sententiæ vocabula induere debeant, partim ex mutua eorum *relatione*, partim ex eorum *dependentia* (*rectione*) sequitur; quonam insuper *ordine* singula vocabula instruenda sint, determinatur tum et præcipue ex natura ipsorum, tum in certis casibus ex eorum potentia. Denique prout unicum et identicum aut multiplex et diversum est sivè subjectum, sive prædicatum, sententia *simplex* aut *composita* evadit.

§ 175. Propriam equidem grammaticam ad id intendere decet, ut linguam ex se ipsa illustret et exponat, et præcipue in syntaxi ostendat, quomodo, intellectus legibus moderatus et arbitrio tamen indulgens, populus, qui hac lingua locutus est, cogitationes exprimere valuerit; ea igitur esse deberet grammatica gothici sermonis; cum autem ejus monumenta, quæ probabilissime omnia ad nos pervenerunt, meras pro

Digitized by Google

maxima parte interpretationes et equidem ex græco exhibent, nedum sint genuina, hinc in exponenda syntaxi linguam gothicam cum græca conferamus necessum fit. Qua collatione primo innotescet, quonam modo Gothus sententias linguæ, cujus nonnullæ orationis partes formis et earum derivatæ voces numero multo sunt ditiores (ut verbum, conjunctio), invita propria formarum paupertate et indigentia proportionata derivatarum vocum subtiliores gradus orationis exprimentium, optime tamen et æquivalenter reddere potuerit; nec non et quam expeditus, licet ad exemplar proxime subsequatur, et quam moderatus tamen, ubi ab eo deflexit, in construendis vocabulis fuerit (coll. § 8).

A, DE SENTENTIÆ PARTIBUS

IN ORDINE AD SINDAXIM.

I. DE VERBO.

I. DE GENERE.

§ 176. 1. Activum. 1) Activa forma gaudent intransitiva et transitiva : Joan. VII, 37 *stoþ* Iesus *jah kropida qiþands. jabai wana þaursjai, gaggai du mis jah driggkai. saei galaubeiþ du mis, swasve qaþ gameleins, awos us wambai is rinnand vatins libandins;* Eph. IV, 20 *ni sva ganemuþ xristu, jabai sweþauh ina hausideduþ — ei aflagjaiþ þana fairnjan mannan.*

2) Sæpius activum pro medio græco ponitur, vid. § 178, 2, *b*.

3) Non pauca verba etiam in activo passivam significationem exhibent, vid. § 177 annot. 3, vel quamdam connexionem et constructionem affectant, vid. ibid. annot. 4.

4) Plurima intransitiva græca Gothus ut reflexiva convertit. Hic vero animadvertendum est, quod pronomen reflexivum post verbum regulariter mittatur; vocabulo autem determinativo ante verbum præeunte, pronomen inter utrumque poni potest. Sic : μεταβαίνειν discedere Mth. XI, 1 et ἐμβατεύειν Col. II, 18 per *ushafjan sik* germ. *sich erheben*, gall. *s'en aller*; θαρσεῖν confidere Mth. IX, 2 et alibi : *þrafstjan sik* germ. *sich getrösten*, gall. *se confier*; ἐκνήφειν evigilare, prudentem esse Cor. I, XV, 34 : *usskavjan sik* germ. *sich bewahren* gall. *se garder*; ὑποστέφειν revertere Mc. IV, 12; Luc. I, 56; X, 17 : *gavandjan sik* germ. *sich umwenden*, gall. *s'en retourner*; μετανοεῖν pœnitere Luc. XVII, 3; Cor. II, VII, 8 : *idreigon sik* germ. *sich reuen*, gall. *se repentir*; μέλλειν futurum esse Joan. XII, 4 : *skaftjan* germ. *sich anschicken*, gall. *se préparer*; πτωχεύειν pauperem fieri Cor. II, VIII, 9: *gaunledjan sik* germ. *entledigen* gall. *se dépouiller*; ἐγγίζειν propinquare Luc. XV, 1; Mc. I, 15; Luc. X, 11 : *newjan sik* et *atnewjan sik* germ. *sich nähern*, gall. *s'approcher*; ἀπέχειν abesse Mc. VII, 6 : *fairra haban sik* germ. *sich fern halten*, gall. *se tenir de loin, s'éloigner*; ἄλλως ἔχειν aliter esse (aliter se habere) Tim. I, V, 25 : *aljaleikos sik haban* germ. *sich anders verhalten*, gall. *se conduire autrement*, ἐπιμένειν remanere Rom. XI, 23 : *gatulgjan sik* germ. *sich befestigen* gall. *s'affermir*; μανθάνειν discere Phil. IV, 9 : *galaisjan sik* germ. *sich belehren* gall. *s'instruire*; προσκαρτερεῖν hærere Col. IV, 2 : *haftjan sik* germ. *sich anhängen* gall. *s'attacher*.

«Annotatio.—Quandoque, etiam *sik* rejecto, verba hæc intransitiva remanent, sic : *gavandjan* revertere (ἐπιστρέφειν) Joan. XII, 40; Cor. II, III, 16; Gal. IV, 9; *galaisjan* discere (μανθάνειν) Tim. I, V, 4 cod. B; *haftjan* adhærere (προσκαρτερεῖν) Rom. XII, 12; *andrinnan* certare (διαλέγεσθαι) Mc. IX, 34; immo communius sine *sik* sequentia occurrere videntur : *gagaggan* et *gaqiman* convenire (συνάγεσθαι), *atnewjan* appropinquare (ἐγγίζειν) et *idreigon* se pœnitere, vid. gloss. hh. vv.; in aliis vero locis ex præcedentibus reflexivum supplendum est, sic Skeir. VII, a *andþaggkjands* ex *andþaggkjandins sik*. »

§ 177. II. Passivum. 1) Gothica e linguis germanicis sola passivum habet. Hoc autem in ea lingua jam ferme extinctum fuisse conjicitur, ex eo quod formis longe paucioribus quam activum gaudeat (vid. § 132). Verumtamen ex monumentis superstitibus non confirmatur, quippe cum in omnibus, ne uno quidem excepto, passivum occurrat neque tantummodo ad græcum passivum convertendum usurpetur, sed etiam ad exprimendas cogitationes, quæ græce activo redduntur (vid. annot. 5) et græcas ellipses supplendas, ut Rom. XII, 19, etc. Jam vero passivum occurrit : Mth. VII, 16 *ibai lisanda* (colliguntur) *af þaurnum veinabasja;* 19 (*all bagme ni taujandane akran god usmaitadajah in fon atlagjada*, ἐκκόπτεται—βάλλεται), 26 (*galeikoda, mann dvalamma*, ὁμοιωθήσεται); VIII, 12; X, 26 (*ni vaiht ist gahuliþ, þatei ni andhuljaidau*, cognoscetur, γνωσθήσεται), 29; XI, 5, 6, 12; XXVI, 2; XXVII, 17; Mc. II, 5, 20; III, 24, 28; IV, 12, 15, 17, 21, 22, 29, 31, 32; IX, 31, 49, 50; X, 33, 38 (*magulsu daupeinai, þizaiei ik daupjada, ei daupjaindau*, ego baptizor — ut baptizemini, βαπτίζομαι — δύνασθε βαπτισθῆναι); XI, 17; XIII, 25; XIV, 9, 41; Luc. I, 15, 20, 32, 60 (*haitaidau* Iohannes, vocabitur, κληθήσεται), 61, 76 (*þu barnilo praufetus hauhistins haitaza*, vocaberis, κληθήσῃ); II, 4, 23, 35; III, 5, 9; V, 20 (*afleitanda þus fravaurhteis þeinos*, remittuntur, ἀφέωνται), 23, 35, 38; VI, 37, 38, 44; VII, 22, 23, 47; VIII, 12, 17, 18, 50; X, 15; XIV, 10, 11, 14, 34; XV, 19 (*ni im vairþs, ei haitaidau sunus þeins*, ut vocor, κληθῆναι); 16, 4, 16; XVII, 30, 34, 35; XVIII, 14, 31, 32; XIX, 26, 29; XX, 18; Joan. III, 3, 4, 5; VII, 23; IX, 7; XI, 4; XII, 23, 31, 32; XIV, 13, 21; XV, 6; XVI, 1, 32; Rom. VII, 2, 3; VIII, 36 (*in þuk gadauþjanda all dagis*, occidimur, θανατούμεθα); IX, 7, 8, 17, 19 (vid. ad annot. 5), 26, 33; X, 10, 15; XI, 19, 22, 23, 24, 35

Digitized by Google

XII, 19, 21 (*ni gajiuhainau*, non vinci, μὴ νικᾶσθ) ; XIII, 9 ; XIV, 10, 15, 16; Cor. I, I, 17 ; IV, 2, 3, VII, 22 ; VIII, 10 ; X, 25, 27, 29, 30 ; XI, 6; VIII, 3, 5, 8 ; XIV, 24 ; XV, 9, 12, 15 (ubi in interpretatione *inveniamur* loco *inveniantur* restituendum est), 26, 33, 51 ; Cor. II, I, 6, 11, 19 ; II, 11 (*ei ni ganiginondau* vel *gafaihondau*, πλεονεκτηθῶμεν, ubi in interpretatione *decipiamur* pro *decipiamini* legendum est) ; III, 14, 15, 16, 18 ; IV, 11, 16; V, 1, 3, 4, VI, 3, 12; VII, 9 ; IX, 4; X, 8 ; XI, 7, 10, 12, 29 ; XII, 9 15, 20 ; Gal. I, 6 (*afvandjanda*, μετατίθεσθε) ; II, 17 ; IV, 19 ; V, 11, 12, 15, 18; VI, 1, 7; Eph. III, 15 ; IV, 31 ; V, 3 ; VI, 19 ; Phil. I, 18, 20 ; II, 5 ; III, 9 ; Col. II, 22 ; IV, 16 ; Thess. I, III, 3 ; IV, 17; V, 23, 27 ; Thess. II, III, 1, 2 ; Tim. I, I, 19; III, 10 ; IV, 5, 10 ; V, 9, 16 ; VI, 1 ; Tim. II, II, 5, 26 ; III, 6 ; IV, 6 ; Philem. 22; Neh. VII, 3; Skeir. VII, a ; VIII, c.

2) Gothus etiam verba, quæ dativum regunt, in passivo construere potest, ex gr. : *fraqiman* : Mc. V, 26 *qino fraqimandei allamma seinamma* et alibi, et inde *fragimada* Cor. II, XII, 15; Gal. V, 15; *fraþjan* : Luc. II, 50 *ni froþun þamma vaurda* et alibi, et inde Phil. II, 5 *þata fraþjaidau*.

3) Præter passivam formam adest insuper peculiaris verborum classis, quæ passivam significationem habent, verba scilicet tertiæ conjugationis, ex. gr. : *andbundnan* solvi, *usgutnan* effundi, *gahailnan* sanari, *usmernan* narrari, etc., vid. § 131.

« Annotatio 1. — Sæpe passivum cum his verbis tertiæ conjugationis ex eadem stirpe ortum occurrit, nec in significatione habent, quo distinguantur, sic : *vaurda meina usfulljanda in mela seinamma* Luc. I, 20 cum *usfullnoda þata gamelido* Mth. VIII, 17 ; *ushauhjada sunus guþs þairh þata* Joan. XI, 4 cum *ushauhniþ namo fraujins* Thess. II, I, 12 ; *ni uslukaindau daurons* Neb. VII, 3 cum *haurds mis usluknoda* Cor. I, XVI, 9 ; *all gaveihada* Tim. I, IV, 5 cum *veihnai namo þein* Mth. VI, 9 ; sic *afdauþjada* Mc. VII, 10 cum *gadauþnan* ; *fraletada* Luc. VI, 32 cum *andlétnan* ; *merjada* Cor. I, XV, 12 cum *usmernan* ; *gatairada* Joan. VII, 23 cum *gataurnan* ; *mikiljada* Phil. I, 20 cum *mikilnan*. Nec non et cum intransitivis ejusdem stirpis : *ganasjada* (σώζεται) Luc. VIII, 50 cum *ganisan* (σώζεσθαι) ; *gabrannjada* (καίομαι) Cor. I, XIII, 3 cum *brinnan* (καίεσθαι) ; *gadrausjada* dejicitur (καταβιβάζεται) Luc. X, 15 cum *gadriusiþ* (βάλλεται) Mth. V, 29 ; *ufsaggqiþs varþ* absorptus est (κατεπόθη) *dauþus* Cor. I, XV, 54 cum *gasiggqai* (καταποθῇ) *sa svaleiks* Cor. II, II, 7 ; in hoc vero casu diversæ formæ sæpius qua in priori diversa significatione discriminantur ut *galagjada* jacitur, ducitur (βάλλεται) Mth. V, 25, sed *ligiþ* jactus est, jacet (βέβληται) Math. VIII, 6 ; *hnaivjada* humiliatur (ταπεινοῦται) Luc. XIV, 11, sed *hneivan* inclinare (κλίνειν) Luc. IX, 12. »

4) Passivum græcum, etiam intransivitis respondentibus Gothus vertit, quod sæpius significatione comprobatur ; sic græcum ὑποτάττεσθαι (subordinari) et πείθεσθαι (*persuaderi*) reddit per *ufhausjan* obedire ; μιμνήσκεσθαι (meminisse), *gamunan* cogitare ; λυπεῖσθαι (dolore affici), *saurgan* curare ; ἵστασθαι (stare), *standan* stare ; hinc etiam Mc. III, 5 *gastoþ aftra* (ἀποκατεστάθη) *so hanaus* ; Luc. VI, 11 ; βυθίζεσθαι (immergi), *siggqan iltabi* (Luc. V, 7), παυματίζεσθαι (consumi), *fbrinnan* uti ere (Mc. IV, 6) ; ἐκλύεσθαι (enervari), *usligan* deficere (Mc. VIII, 3) ; μηκύνεσθαι (prolongari), *liudan* crescere ; ἐκπλήττεσθαι (stupefieri), *sildaleikjan* mirari ; προσορμίζεσθαι (ad ripam appelli), *dwalmeran* appellere ; καταβιβάζεσθαι (dejici), *dalaþ galeiþan* in præceps ire (Mth. XI, 23), etc.

5) Passivum græcum ut reflexivum quandoque habetur et ut tale convertitur : *gakunnan sik* pro ὑποτάττεσθαι (subordinari) Cor. I, XV, 28 ; *gafilhan sik* pro κρύπτεσθαι (abscondi) Joan. VIII, 59; XII, 36; *ushafjan sik* pro αἴρεσθαι (elevari) Mc. XI, 23; *inmaidjan sik* pro μεταμορφοῦσθαι (transfigurari) Mc. IX, 2 ; *gavandjan sik* pro ἐπιστρέφεσθαι (reverti) Mth. IX, 22 ; Mc. V, 30; *gahaftjan sik* pro κολλᾶσθαι (adhærere) Luc. XV, 15 ; *atsaujan sik* pro ὁρᾶσθαι, φαίνεσθαι (videri) Cor. I, XV, 7; Luc. IX, 8 et alibi ; *afstaidan sik* pro ἀφορίζεσθαι (discedere) Cor. II, VI, 17 ; *usstaujan sik us vaurtim* pro ἐκριζοῦσθαι (eradicari) Luc. XVII, 6; *usstaljan sik* φυτεύεσθαι (plantari) Luc. XVII, 6; *afsibun sik* pro χωρίζεσθαι (secedere) Philem. 15 ; *galisan sik* pro συνάγεσθαι (congregari) Mc. IV, 1; Luc. XVII, 37; *gasteiþjan sik* pro ζημιοῦσθαι (lædere) Mc. VIII, 36; coll. *vairpan sis* pro βάλλεσθαι (projici) Mc. II, 23.

« Annotatio 2. — Nonnulla horum verborum etiam absque reflexivo pronomine usurpantur : Gal. II, 5 ; *gakunþedum* confessi sumus (εἴξαμεν) ; Tim. I, I, 6 ; *usvandidedun* conversi sunt (ἐξετράπησαν) ; Joan. XII, 40 ; *gavandidedun* reversi sunt (ἐπεστράφησαν) ; Cor. II, XI, 6 ; *gabairhtida* me manifestavi (ἐφανερώθην ; si enim hoc esset participium præt., uti aliunde φανερωθέντες textus græci suadet, nulla in contexto foret ratio, cur forma consonantica usurparetur, nisi credatur, genuinam formam esse *gabairhtidai* ; ex quo, propter *i* vocabuli immediate sequentis, *i* finale expunctum esset ; saltem *gabairhtjan* reflexivum adest etiam apud Luc. I, 79) ; Luc. IX, 25 ad *gasa þjands sik silban* ex præcedente *sis silbin* supplendum est, coll. § 178, annot. 3 et § 176, annot.

« Annotatio 3. — Nonnulla verba habent etiam in activo passivam nec non et reflexivam significationem, præsertim : *daupjan* lavare, lavari, se lavare (βαπτίσαι, βαπτίσασθαι, βαπτισθῆναι) : Mth. III, 11 *izvis daupja* (ὑμᾶς βαπτίζω) ; Mc. VII, 4 *niba daupjand* (ἐὰν μὴ βαπτίσωνται), *ni matjand* ; Luc. III, 21 *biþe daupida* (ἐν τῷ βαπτισθῆναι) ; (cujus tamen verbi etiam occurrit passivum : Mc. X, 38 *daupeinai þizaiei ik daupjada ei daupjaindau*) ; *binaitan* circumcidere, circumcidi, se circumcidere (περιτέμνειν, περιτέμνεσθαι) ; licet hujus reperiatur participium passivum *bimaitans*, dum βαπτιζόμενος Cor. I, XV, 29 active dicitur *daupjands*.

« Annotatio 4. — Communiter activum loco passivi in infinitivo usurpatur, *a*) ubi finis aliquis indicatur : Luc. V, 15 *garunnun leikinon* (ἰαθῆναι) *fram imma*

Digitized by Google

sanari; II, 1 et 5 *urrann gameljan* — *anameljan* (ἀπογράφεσθαι) inscribi; Thess. II, I, 10 *qimiþ ushauhjan* (ἐνδοξασθῆναι) exaltari. Tunc etiam *sik* stare potest: Luc. VI, 17 *qemun hailjan sik* (ἰαθῆναι); et modo particulariori Cor. II, I, 16 *vilda fram izvis gasandjan mik* (προπεμφθῆναι); *b*) semel adhibetur substantiva circumscriptio Mc. X, 45 *qam at andbahtjam* venit ad ministerium, id est, ut ministerio suo fungeretur (ἦλθε διακονηθῆναι); *c*) more germanico post verba imperandi, volendi, dandi; Mth. XXVII, 64 *hait vitan* (ἀσφαλισθῆναι) *hlaiva* jussit sepulcrum custodiri; Mc. V, 43; X, 49; Luc. XVIII, 40; XIX, 15; Luc. VIII, 15 *anabaud izai giban* (δοθῆναι) *mat*; Mc. VI, 27; Luc. I, 62 *waiva vildedi haitan* (καλεῖσθαι) *þata barn*; Mth. XXVI, 1 *sunus mans atgibada du uskramjan* (εἰς τὸ σταυρωθῆναι); *d*) cum *skulds visan* (oportere) et *mahts visan* (possibile esse), quibus inest passiva idea: Mc. VIII, 31 *sunus mans skulds ist uskusan fram þaim sinistam* (δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀποδοκιμασθῆναι); Luc. IX, 44 *sunus mans skulds ist atgiban* (μέλλει παραδίδοσθαι); XIX, 11 *skulda vas þiudangardi guþs gasvikunþjan*; Joan. XII, 34; Cor. II, V, 10; XII, 11; Mc. 14, 5 *mahta vas þata bálsan frabugjan* (ἠδύνατο—πραθῆναι); Luc. VIII, 43 *qino ni mahta vas galeikinon* (οὐκ ἴσχυσεν θεραπευθῆναι); Joan. III, 4 *waiva mahts ist manna gabairan* (δύναται γεννηθῆναι) X, 35; Tim. I, V, 25.»

b) Sententia passive expressa haud infrequenter in activam convertitur, ut sensus concretus fiat:

a) Rom. X, 10 *hairto galaubeiþ* (cor credit) *du garaihtiþai* gr. καρδίᾳ πιστεύεται (corde creditur); Mc. II, 1 *gafrehun* (compererunt) *þatei in garda ist*, gr. ἠκούσθη ὅτι εἰς οἶκόν ἐστιν; Luc. IX, 17 *unte qeþun sumai* (nam dicebant quidam) gr. διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπό τινων (quia a nonnullis dicebatur); Mc. V. 4 *unte galausida* (solvit) *af sis þos naudibandjos jah þo ana fotum eisarna gabrak* (rumpebat) gr. διὰ τὸ δυσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις καὶ τὰς πέδας συντετρίφθαι; II, 2 *vein juggata in balgins niujans giutand* (fundunt) gr. οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον (fundendum est); Luc. IV, 43 *mik insandida* scilicet *guþ* (misit me) gr. ἀπέσταλμαι (missus sum) scilicet ὑπὸ Θεοῦ; Joan. X, 14 *kunnun mik* (cognoscunt me) *þo meina* gr. γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν, vel tamen ut codd. legunt γινγώσκουσί με τὰ ἐμά.

b) Gal. VI, 12 *vrakja galgins xristaus ni vinnand* (persecutionem pati) gr. σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ οὐ διώκονται (vexantur); Tim. I, V, 10 *aglons vinnan* (afflictiones perpati) gr. θλίβεσθαι (affligi), coll. Phil. IV, 12; Luc. I, 11 *varþ in siunai aggilus* (venit in conspectu) gr. ὤφθη (visus est) ἄγγελος; XVI, 21 *gairnida sat itan* (sat comedere) gr. ἐπεθύμει χορτασθῆναι (satiari); XX, 6 *triggvaba galaubjand* (credere) *allai* gr. πεπεισμένος ἐστι πᾶς ὁ λαός. Non pauca horum verborum ad mediam viam pertinent: Gal. V, 4 *in vitoda garaihtans qiþiþ izvis* gr. δικαιοῦσθε; Cor. I, XI, 6 *qino gahuljai haubiþ sein* gr. κατακαλυπτέσθω; Luc. IX, 25 *þaurft gataujan sis* vel Cor. I, XIII, 3 *bota sis taujan* gr. ὠφελεῖσθαι.

« Annotatio 5. — Et vice versa quandoque Gothus passivam exhibet sententiam, quæ active exprimitur, etiam ut sensus concretus fiat: Rom. IX, 19 *wa nu faianda* (cur vituperamur? *vituperamur* enim in interpretatione legendum est pro *vituperant*) gr. τί ἔτι μέμφεται scilicet θεὸς ἡμᾶς; Luc. VI, 38 *mitads goda gibada* (bona mensura dabitur) gr. μέτρον καλὸν δώσουσι (dabunt); 44 et Mth. VII, 16 *ni us þaurnum lisanda* (colligi) *smakkans nih þan us aiwatundjai trudanda* (vindemiari) *veinabasja* gr. οὐκ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι (colligunt) σῦκα — τρυγῶσι (vindemiant) σταφυλάς: Joan. XVI, 21 *biþe gabauran ist* (gigni) *barn* gr. ὅταν γεννήσῃ (scilicet γυνὴ) τὸ παιδίον; XV, 6 more Gotho dilecto vertitur: *galisada* (colligitur) *jah in fon galagjand* (ponunt) *jah inbrannjada* (et crematur) gr. συνάγουσι—βάλλουσι—καίεται. Sic pro intransitivis: Mc. VII, 10 *dauþau afdaujaidau* (occidatur) gr. θανάτῳ τελευτάτω (morietur); Luc. VI, 21 *ufhlohjanda* (exhilaramini) gr. γελάσετε; Tim. II, II, 26 *uskavjaindau* (providentur) ἀνανήψωσι; Mc. IX, 42 *galagjada* (ponitur) *asilugairnus ana halsaggan* gr. περίκειται (jacet) λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον; Joan. XI, 38 *hulundi staina ufarlagida vas* (contectus est) gr. λίθος ἐπέκειτο ἐπὶ τῷ σπηλαίῳ, coll. Mc. IV, 29 *biþe atgibada* (offertur) *akran* gr. ὅταν παραδῷ (scilicet ἑαυτὸν) ὁ καρπός.

« Annotatio 6. — Plurima participia passiva adjectivis convertuntur, vid. § 190, 5. »

§ 178. III. Medium. Non nisi rarissime occurrit medium, cujus indubitata exempla hæc sunt: *atsteigadau* (καταβάτω) Mth. XXVII, 42; Mc. XV, 32; *lausjadau* (ῥυσάσθω) Mth. XXVII, 43; *uſkunnanda* (γνώσονται) Joan. XIII, 35; *vaurkjada* (κατεργάζεται) Cor. II, IV, 17; *ustiuhada* (κατεργάζεται) VII, 10; *gavasjada* equidem (ἐνδύσηται) Cor. I, XV, 54 ut passivum haberi posset, cum nihil obstet, quin *undivanein* dativi casus sit, (induitur immortalitate); sed sensus simul et contextus suadent, ut tanquam medium habeatur. Dubium esse posset, utrum *liugada* et *liuganda* de muliere Mc. X, 12; XII, 25; Luc. XVII, 27; XX, 34, 35; Cor. I, VII, 28 passivum sit (duci) an medium (nubere); ex *liugandau* Cor. I, VII, 9 in gratiam passivi res dirimi videtur.

« Annotatio 1. — *Faianda* quod prius ut medium obtulerant, Rom. IX, 19 deficit, vid. supra § 177 annot. 5; e contra inter mediorum exempla annumerari possent Mth. XI, 12 *anamahtjada* et Luc. XVI, 16 *nauþjada* (βιάζεται), posterius saltem, quod in græco nonnisi medium est; cæterum Gothus hunc locum non recte intellexit (quisque sibi vim facit), et βιάζεται ut passivum habuit (compellitur, etc., hinc *in izai*). Si *sunjodana* Cor. II, XII, 19 cod. B pro ἀπολογούμεθα reipsa esset, medium tunc adesse dici deberet, sed in cod. A rectius stat *sunjoma*. Syllaba autem *da* hic deperdita in aliis locis conservatur; scilicet Joan. XIV, 31 *frijoda* (dilexit), ubi tamen præteritum nec requiritur (ἀγαπῶ) nec convenit; hinc inclinaremus ad *frijoda* ut medium habendum, nisi, collato *sunjodama* supra memorato, probabilissimum

Digitized by Google

esset, hoc vocabulum ad exemplar pertinuisse, ubi syllaba *da* quamdam fortasse annotationem criticam continebat, deinde in textu incongruenter subrepsisse.

« Annotatio 2. — Jam ab aliis judiciose fuit animadversum, quod hæc loca, in quibus occurrit medium, non exhibent passiva pro medialibus formis græcis ab interprete male intellectis; nam partim græcis activis nonnulla respondent, partim formæ græcæ non sunt pro passivis spectandæ; itaque nostri saltem interpretes, qui linguæ græcæ peritos se præbuerunt, ea media sagaciter distinxerunt. Quibus argumentis adde, quod forma media et passiva saltem in conjunctivo discrepent (med. *-adau*, *-andau*, pass. *-aidau*, *-aindau*), et insuper, quod ex hoc καταβάτω bis et equidem in parallelis locis aliunde diversis occurrente, constet, ea ab interprete simpliciter non fuisse conversa. Ut ut est gothicum medium, quale nobis hic apparet, non minus inexplicatum est genus verbi. De facto semper ferme pro græco medio ponitur; quoad *atsteigadau*, si mentem nostram aperire licet, vel duplicem habet significationem: unam scilicet transit. demittere et alteram intransit. descendere, ita ut medium se demittere significet; vel, ut sæpe fit, compositione acta, transitivam significationem verbum *steigan* obtinuit, coll. *gagaggan*. Sed conspicuum et antiquitatibus germanicis pretiosum est medium verbi *liugan*; quippe cum ex eo confirmetur, quod puellæ non ex arbitrio parentum vel dominorum libidine, ut res, venirent, sed ipsæ suos sponsos eligerent vel a suis dilectis libere ducerentur. »

2) Alias græcum medium gothice vertitur

a) Reflexivo, coll. § 176, 4 :

aa) Cum *sis* : δανείσασθαι *leiwan sis* Mth. v, 43; ἀπεκδύεσθαι *afslaupjan sis* Col. III, 9; χάριν ἔχεσθαι *þagk sis fairhaitan* Luc. XVII, 9; ἀγοράζεσθαι *bugjan sis* Luc. IX, 12; φοβεῖσθαι *ogan sis* Mth. X, 26 et alibi διαλογίζεσθαι *þagkjan sis* Luc. I, 29; sed etiam simpliciter *ogan*, *þagkjan*, vid. gloss. hh. vv.;

bb) Cum *sik* : περιβάλλεσθαι *gavasjan sik* Mth. VI, 29; ἐνδύεσθαι *gahamon sik* Eph. VI, 11; Col. III, 12; ἀπεκδύεσθαι *andhamon sik* Col. 2, 15; ἐμπλέκεσθαι *dugavindan sik* Tim. II, II, 4; μετασχηματίζεσθαι *gagaleikon sik* Cor. II, XI, 13; συναναμίγνυσθαι *blandan sik* Thess. II, III, 14; ἀπέχεσθαι *afhaban sik* Thess. I, V, 22; ἐγκρατεύεσθαι *gahaban sik* Cor. I, VII, 9 et *sik gaþarban* IX, 25; χωρίζεσθαι *skaidan sik* Cor. I, VII, 15; διαχωρίζεσθαι *afskaidan sik* Luc. IX, 33; ὑπεραίρεσθαι *ufarhafjan sik* Thess. II, II, 4; ἐπεκτείνεσθαι *sik ufþanjan* Phil. III, 14; ἀπάγχεσθαι *ushahan sik* Mth. XXVII, V; ἐντρέπεσθαι *gavandjan sik* Tim. II, IV, 2; *gaskaman sik* Thess. II, III, 14; αἰσχύνεσθαι *skaman sik* Luc. XVI, 3 et alibi; ἐπανέρχεσθαι *atvandjan sik* Luc. XIX, 15; συνέρχεσθαι *gagaggan sik* Mc. III, 40; συνάγεσθαι *gaqiman sik* Mth. XXVII 6; Mc. II, 2; διαλέγεσθαι *sik andrinnan* Skeir. III, a; ταπεινοῦσθαι *haunjan sik* Phil. IV, 12; σκύλλεσθαι *draibjan sik* Luc. VII, 6; ἐνδυναμοῦσθαι *instinþjan sik* Eph. VI, 10; ἐρμαίνεσθαι *varmjan sik* Mc. XIV, 54; Joan. XVIII, 18; μεθύσκεσθαι *anadrigkan sik* Eph. V, 18; ἐπαναπαύεσθαι *gaweilan sik* Luc. X, 6; ἀπολογεῖσθαι *sunjon sik* Cor. II, XII, 19;

cc) Ita ut pronomen possessivum ad substantivum dependens referatur : Cor. I, XI, 6 *jabai agl ist qinon du kapillon aiþþau skaban*, *gahuljai haubiþ sein*, velat caput suum (gr. κατακαλύπτεσθαι (gall. *elle se voile la tête*, pro *elle voile sa tête*).

« Annotatio 3. — Quandoque etiam *sik* omittitur; sed tunc eodem verbo præcedente communiter adhibetur : Cor. I, V, 11 *blandan* (συναναμίγνυσθαι) vos commiscere scilicet *izvis* ex vs. 9 *blandan izvis*; Mth. VI, 31 *we vasjaima* quo (nos) vestiamus scilicet *uns* ex *gavasida sik* vs. 29; Cor. I, VII, 15 *skaidai* discedit (χωριζέσθω), ubi *skaidiþ sik* immediate præcedit; dum vs. 10 *skaidan* (χωρισθῆναι) reipsa absolute ponitur : sic Rom. XIII, 12 *gavasjam* induimus nos (ἐνδυσώμεθα); Eph. IV, 24; Col. III, 11 *gahamoþ* (ἐνδύσασθε) induite vos. »

b) Activo simplici: sic *andhaitan* æque significat ὁμολογεῖν et ἐξομολογεῖσθαι; *athaitan*, καλεῖν et προσκαλεῖσθαι; *gahaitan*, συγκαλεῖν (Mc. XV, 16) et συγκαλεῖσθαι (Luc. IX, 1); *afniman*, ἀφαιρεῖν (Luc. I, 25) et ἀφαιρεῖσθαι (Luc. XVI, 3); *gasigljan*, σφραγίζειν (Joan. VI, 27) et *sigljan*, σφραγίζεσθαι (Cor. II, I, 22); *ataugjan*, δεῖξαι (Luc. IV, 5 et alib.) et ἐνδείξασθαι (Eph. II, 7); *ganimam*, παραλαμβάνειν (Mc. V, 40) et συλλαμβάνεσθαι (Luc. I, 31); *gafastan*, διαφυλάττειν (Luc. IV, 10) et φυλάττεσθαι (Mc. X, 20); *lagjan*, τιθέναι (Mth. XXVII, 60 et alib.) et τίθεσθαι (Luc. I, 60); *taujan*, ποιεῖν (Mth. V, 46 et alib.) et ποιεῖσθαι (Luc. V, 33). Necnon media et deponentia, ut ῥύεσθαι *lausjan*, ἀγαλλιᾶσθαι *svegnjan*, ἀπωθεῖσθαι *afskiuban*, παῤῥησιάζεσθαι *gadaursjan*, περιποιεῖσθαι *fairvaurkjan* (sed Tim. I, III, 13, non semel ἑαυτοῖς convertitur), διαστέλλεσθαι *anabiudan*, ἐναγκαλίζεσθαι *gaþlaihan*, ἐκλέγεσθαι *gavaljan*, ἐπαγγέλλεσθαι *gahaitan*, εὐαγγελίζεσθαι *spillon* et *vailamerjan*, παύεσθαι *ganaþjan* et *anaslavan*, etc.

c) Raro passivo, ut Gal. III, 27 *xristau gahamodai sijuþ* (Χριστὸν ἐνεδύσασθε); sæpius tamen in participio : ἐνδυσάμενος *gavasiþs* Cor. II, V, 3; *gapuidoþs* Eph. VI, 14; *gahamoþs* Thess. I, V, 8; περιζωσάμενος *bigaurdans* Luc. XVII, 8; *usgaurdans* Eph. VI, 14.

II. DE TEMPORE.

§ 179. In gothica lingua sunt activo duo tempora, *præsens* scilicet et *præteritum*, passivo autem et medio, tantummodo *præsens*; præteritum vero passivum auxiliante *visan* aut *vairþan* circumscribitur (§ 181). Futurum equidem deest; sed quod ut aliquid certi in futuro proponitur, per præsens ind., quod autem ut aliquid incerti, per conjunctivum præs. exprimitur. Sunt etiam nonnulla auxiliaria ad illud circumscribendum (§ 182).

§ 180. I. Jam vero PRÆSENS usurpatur

1) Quando de actione præsenti, vel anterius incœpta, sed adhuc perseverante, aut nondum absoluta, necnon et universali, universaliterve

Digitized by Google

accepta; hinc ubi de moribus, habitudus, in proverbiis agitur: Rom. VII, 1, *vitoþ fraujinoþ* (κυριεύει), *mann, sva lagga weila sve libaiþ* (ζῇ); Cor. I, XVI, 19 *goljand* (ἀσπάζονται) *izvis aikklesjons asiais, goleiþ* (ἀσπάζονται) *izvis akvila jah priska, at þaimei jah saljа* (ξενίζομαι); Cor. II, XIII, 9 *faginom* (χαίρομεν), *þan veis siukam* (ἀσθενῶμεν), *iþ jus svinþai sijuþ* (ἦτε); Mc. X, 38 *magutsu* (δύνασθε) *driggkan stiki, þanei ik driggka* (πίνω); Mc. III, 32 *aiþei þeina jah broþrjus þeinai jah svistrjos þeinos uta sokjand* (ζητοῦσι) *þuk;* Joan. XI, 9 *tvalif sind* (εἰσίν) *weilos dagis, jabai was gaggiþ* (περιπατῇ) *in dag, ni gastiggqiþ* (προσκόπτει), *unte liuhaþ þis fairwaus gasaiwiþ* (βλέπει), Mc. VII, 4 *iudaieis niba ufta þvahand* (βαπτισωνται), *ni matjand* (ἐσθίουσι); Mc. IV, 29 *biþe gibada akran, insandeiþ* (ἀποστέλλει) *gilþa;* Cor. II, IX, 7 *hlasana giband frijoþ* (ἀγαπᾷ) *guþ.*

2) Pro futuro, vid. § 182, 1.

3) Ad vivacius narrandum (et *præsens* dicitur *historicum*), quandoque præeunte exemplari græco: Luc. VIII, 49 *nauhþan imma rodjandin gaggiþ* (ἔρχεται) *sums manne;* Joan. VI, 19 *þaruh farjandans sve spaurde ·k· jah ·e· aiþþau ·l· gasaiwand* (θεωροῦσιν) *iesu;* IX, 13 *gatiuhand* (ἄγουσιν) *ina du fareisaium þanu saei vas blinds;* XI, 38 *þanuh iesus gaggiþ* (ἔρχεται) *du hlaiva;* XI, 11 *þo qaþ* (εἶπε) *jah afar þata qiþiþ* (λέγει) *du im.* Ita etiam se habet Gothus, vel non præeunte græco, cum præsente et præterito; Joan. XII; 22 *gaggiþ* (ἔρχεται) *filippus jah qiþiþ* (λέγει) *du andraiin jah jah aftra andreias ja filippus qeþun* (λέγουσι) *du iesua* Mc. V, 15 *jah atiddjedun* (ἔρχονται) *du iesua jah gasaiwand* (θεωροῦσι) *þana vodan sitandan;* 22 *jah sai qimiþ* (ἔρχεται) *ains þize synagogaſadejah gadraus* (πίπτει) *du fotum iesuis;* 40 *iesus ganimiþ* (παραλαμβάνει) *attan þis barnis jah aiþein jah þans miþ sis jah galaiþ inn* (εἰσπορεύεται). Communiter tamen pro historico Græcorum præsente usurpatur præteritum: Mth. VIII, 4 *jah qah* (λέγει) *imma;* VIII, 7; VIII, 20, 26; XXVI, 71; Mc. I, 12 *ahma ustauh* (ἐκβάλλει) *ina in auþida;* 21 *jah galiþun* (εἰσπορεύονται) *in kafarnaum;* I, 30, 37, 38, 40; II, 3, 4, 5, 10, 17, 18; III, 13, 20, 31; IV, 36, 38; V, 19, 35; VI, 1, 30; VII, 1, 32; X, 49; XVI, 4; Luc. XVI, 7; XIX, 22; Joan. VI, 5, 20; IX, 17; XI, 29; XIII, 24; XVIII, 28; XIX, 9, 10.

4) Sæpe pro græco perfecto

a) Cujus sensum præsentialem verbo respondente Gothus exhibet; sic convertit Mc. IV, 29 παρέστηκεν ὁ θερισμός (venit) *per atist asans* (præsto est); Tim. II, IV, 6 καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε per *mel meinaizos disvissais atist;* Luc. VIII, 20 ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω per *aiþei þeina jah broþrjus þeinai standand uta;* Cor. I, XV, 1; Rom. IX, 19 βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε per *viljan is was andstandiþ* (ita enim loco *andstandi* legendum est, *þ* a librario propter *þ* immediate sequens prætermisso, quemadmodum Cor. II, XII, 3, cf ad Cor. II, III, 2); VIII, 38 πέπεισμαι (persuasus sum) per *gatraua* (credo); XIV, 14 οἶδα καὶ πέπεισμαι per *vait jah gatraua;* item Cor. II, X, 7; Gal. V, 10; Phil. I, 14; Thess. II, III, 4 πέποιθα i. q. πέπεισμαι) pariter per *gatraua;* Joan. VIII, 55 ἐγνώκατε (cognovistis) per *kunnuþ* (scitis); Tim. I, V, 8 τὴν πίστιν ἤρνηται (abdicavit) per *galaubein invidiþ* (negat). Vice versa Gothus transvertit Mc. VIII, 3 μακρόθεν ἥκουσι (præsto sunt) per *fairraþro qemun* (venerunt); Luc. XV, 27, Joan. VIII, 42 et alibi; XI, 28 ὁ διδάσκαλος πάρεστι (adest) per *laisarcis qam* (venit); Mth. VI, 2 ἀπέχουσι (habent) τὸν μισθὸν αὐτῶν per *andnemun* (receperunt) *mizdon seina;* Gal. IV, 20 ἀποροῦμαι (conterritus sum) per *afslautiþs im* (perf.); Phil. I, 17 κεῖμαι (jaceo) per *gasatiþs im* positus sum.

« Annotatio 1.—Gothus autem in præterito græco per præsens gothice vertendo deficit Tim. II, III, 15, et Joan. VI, 42, quibus in locis οἶδας (scis) et οἴδαμεν (scimus) per *kunþes* (nosti) et *kunþedum* (novimus); Rom. XI, 20 ἕστηκας (stas) et Cor. II, I, 24 ἑστήκατε (statis) per *gastost* (stetisti) et *gastoþuþ* (stetistis); Rom. XIII, 2 ἀνθίστηκε (obstat) per *andstoþ* (obstitit) convertit. »

b) Cum actio præterita, sed in suis consecutionibus perseverans, exhibetur: Joan. V, 45 εἰς Μωσῆν ὑμεῖς ἠλπίκατε (spem vestram posuisti et adhuc ponitis) vertitur per *du mose jus veneiþ* (speratis); V, 37 ὁ πέμψας με πατὴρ αὐτὸς μεμαρτύρηκε (testificatus est et ejus testimonium adhuc valet) περὶ ἐμοῦ per *saei sandida mik atta sah veitvodeiþ* (testificatur) *bi mik;* hinc Gothus convertit etiam XIV, 7 γνώσκετε τὸν πατέρα μου καὶ ἑωράκατε (vidisti eum et videtis nunc adhuc in me) per *kunnuþ attan meinana jah gasaiwiþ* (videtis); et responsum Jesus apud Mth. IX, 2, 5; Mc. II, 5, 9; Luc. VII, 47, 48: ἀφεωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου (peccata tua remissa sunt, remissaque remanent) etiam per *fraletanda þus fravaurhteis þeinos* (remittuntur tibi); Rom. VII, 2 ἐὰν ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται (est et remanet soluta) ἡ γυνὴ ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός per *jabai gasviltiþ aba, galausjada* (solvitur) *qens af þamma vitoda abins.*

5) In oratione obliqua et etiam in sententiis subordinatis, plerumque præeunte græco: Mc. X, 47: *gahausjands þatei iesus sa nazaraius ist* (est, ἐστί); Joan. VI, 24 *gasaw managei þatei iesus nist* (οὐκ ἐστι) *jainar;* Rom. XI, 32 *galauk guþ allans in ungalaubeinai, ei allans gaarmai* (ἐλεήσῃ); Skeir. V, *ƕagasok, ei galaisjaina sik.* Et invito græco: Luc. V, 26 *fullai vaurþun agisis qiþandans, þatei gasaiwam* (εἴδομεν) *vulþaga himma dago;* Joan. IX, 32 *fram aiva ni gahausiþ vas, þatei uslukiþ* (ἀνέῳξεν) *augona blindamma.* E contrario Thess. I, III, 4 *fauraqeþum izvis þatei anavairþ vas uns* (μέλλομεν) *du vinnon agliþos.*

« Annotatio 2. — Cùm autem interpres in aliis locis græcum præsens per præteritum explicat, ex eo oritur, quod peculiariter, sed non semper judiciose, textum græcum intelligat · Joan. VI, 39 *ita meins ga[f*

Digitized by Google

δίδωσι) *izvis hlaif*; 37 *all þatei gaf* (δίδωσι) *mis atta, du mis qimiþ*; VIII, 45 *þatei sunja rodida* (λέγω), *ni galaubeiþ mis*; XIV, 31 *ak ei uskunnai so manaseþs, þatei ik frijoda* (ἀγαπῶ) *attan meinana — urreisiþ* (vid. § 179 annot. 1); XIX, 4 *attiuha izvis ïna ut, ei viteiþ, þatei in ïmma ni ainhun fairino bigat* (εὑρίσκω); Tim. I, 5, 18 *qaþ* (λέγει) *gameleins*; Tim. II, II, 17 *vaurd ize sve gund vuliþ, þizeei vesun* (ἐστίν) *ymainaius jah filetus*; Cor. II, I, 4 *gaþrafstjam þans in allaim aglom þairh þo gaþlaiht, þizaiei gaþrafstidai sijum* (παρακαλούμεθα) *silbans fram guþa*; Eph. II, 22 *in þammei jah jus miþgatimridai sijuþ* (συνοικοδομεῖσθε) *du bauainai guþa*. Præsertim in determinando tempore, cum scilicet Gothus pro puncto temporis, usque quod aliquid evenit, tempus potius a quo res contingit, exhibere mavult: Mc. VIII, 2 *ïnfeinoda* (σπλαγχνίζομαι) *du þizai managein, unte ju dags gans þrins miþ mis vesun* (fuerunt, gr. προσμένουσι) *jah ni haband* (ἔχουσι), *wa matjaina*; Luc. XV, 29 *sva filu jere skalkinoda* (servivi, gr. δουλεύω) *þus jah ni wanhun anabusn þeina ufariddja* (παρῆλθον); Joan. XIV, 9 *svalaud metis miþ izvis vas* (fui, gr. εἰμί), *jah ni uskunþes* (ἐγνωκας) *mik*.

§ 181. II. Præteritum ponitur

1) Pro græco *imperfecto*:

a) Mc. I, 13 *andbahtidedun* διακόνουν; 21 *laisida* ἐδίδασκε; 30 *svaihro seimonis lag* (κατέκειτο) *in brinnon*; 35 *iesus jaina baþ* (προσηύχετο); XI, 8 *sumai astans maimaitun* (ἔκοπτον); *us bagmam jah strayidedun* (ἐστρώννυον) *ana viga*.

b) Imperfectum pass. vertitur per participium præt., auxiliante præterito verbi *visan*: Mc. I, 5 *daupidai vesun* (ἐβαπτίζοντο) *allai*; Joan. III, 23; Luc. I, 65 *in allai bairgahein iudeias merida vesun* (διελαλεῖτο) *alla þo vaurda*; XXIII, 3 *svaei sunus mundz vas* (ἐνομίζετο) *iosefis*; IV, 1 *iesus taukans vas* (ἤγετο) *in ahmin in auþidai*; VII, 12; VIII, 27, 29, 37; XVI, 19; XVII, 27; Joan. VI, 18; Rom. VII, 6; Cor. I, XI, 23; Neh. V, 18. Semel occurrit Mc. VI, 3 *gamarzidai vaurþun* (ἐσκανδαλίζοντο) *in þamma*.

2) Pro *perfecto*:

a) Mth. IX, 22 *galaubeins þeina ganasida* (σέσωκε) *þuk*; Mc. V, 34; Mc. I, 38 *gaggam du þaim bisunjane haimom jah baurgim, ei jah jainar merjau, unte dupe qam* (ἐξελήλυθα); VII, 29 *usiddja* (ἐξελήλυθε) *unhulþo us dauhtr þeinai*; XI, 2 *bigitats fulan gabundanana, ana þammei nauh ainshun manne ni sat* (κεκάθικε); XIII, 25 *fauragatalh* (προείρηκα) *izvis allata*; XIV, 42 *sa levjands mik atnewida* (ἤγγικα), etc.; Luc. VII, 16 *praufetus mikils urrais* (ἐγήγερται); Cor. II, XV, 12.—Joan. III, 29 *faheds meina usfullnoda* (πεπλήρωται); XII, 27 *saivala meina gadrobnoda* (τετάραχται); Mc. XI, 21 *smakkabagms gaþaursnoda* (ἐξήρανται); Cor. I, XVI, 9 *haurds mis gasluknoda* (ἀνέῳγε); Cor. II, VI, 11.

b) Perfectum pass. transitivis exprimitur:

aa) Communiter adhibitis participio præt. et præsente verbi *visan*: Mth. X, 30 *izvara tagla haubidis alla garaþana sind* (ἠριθμημέναι εἰσί); Mth. XI, 10 *bi þanei gameliþ ist* (scilicet in scriptura, γέγραπται); Mc. I, 2; VII, 6; XI, 17; Luc. II, 23; III, 4; IV, 4; X, 26; Rom. VIII, 36; Cor. II, VIII, 14; Luc. IV, 12 *giþan ist* (scilicet in scriptura, εἴρηται) *ni fraisais fraujan*; Mc. IV, 11 *izvis atgiban ist* (δίδοται) *kunnan runa*; Luc. IV, 6; VIII, 10; Joan. VII, 8 *meinata mel ni nauh usfulliþ ist* (πεπλήρωται); 47 *ibai jah jus afairzidai sijuþ* (πεπλάνησθε); XVII, 10; XVIII, 37; Rom. VII, 2; XIII, 1; Cor. I, I, 13; IV, 4; VII, 14, 27; Cor. II, VII, 4; VII, 13; IX, 2, 3; Gal. V, 4; VI, 14; Phil. III, 12; IV, 12; Col. I, 16; IV, 3; Tit. I, 15. Jam vero non nisi raro verbum substantivum participio præponitur et quidem tantummodo ubi negatione attrahitur vel præeunte græco prius mittitur: Joan. VI, 65 *nibai ist atgiban*; VIII, 41 *ni sijum gabauranai*; XII, 14 *svasve ist gameliþ*; XVI, 24 *bidjaiþ ei faheþs izvara sijai usfullida* (ᾖ πεπληρωμένη); XVII, 23 *ik in ïm jah þu in mis, ei sijaina ustauhanai* (ὦσι τετελειωμένοι); Cor. II, IV, 3 *jabai ist gahulida* (ἐστι κεκαλυμμένον), Cor. I, VII, 15 *nist gaþivaiþs*, Tim. II, II, 9 *nist gabundan*.

bb) Raro autem adhibitis participio præt. et præterito verbi *visan* vel *vairþan*: Mc. X, 40 *þata du silan af taihsvon meinai aiþþau af hleidumein nist mein du giban alja þaimei manviþ vas* (ἑτοίμασται); Gal. II, 7 *þai þugkjandans ni vaiht anaïnsokun ak þata viþravairþo gasaiwandans, þatei gatrauaida vas mis* (πεπίστευμαι) *aivaggeljo*; IV, 23; Mc. IX, 42. — Mc. III, 26 *jabai satana usstoþ ana sik silban jah gadailiþs varþ* (μεμέρισται), *ni mag gastandan*; Joan. XVI, 11 *parakletus gasakiþ þo manaseþ bi staua, þatei sa reiks þis fairwaus afdomiþs varþ* (κέκριται); Cor. II, VII, 11; Gal. II, 23.

Semel Gothus circumscribit cum *haban* et participio præt. ad objectum relato, more Latinorum: Tim. I, IV, 2 *afstandand sumai atsaiwandans laiseino unhulþono gatandida habandane svesa miþvissein* (maculatam habentium conscientiam, gr. κεκαυτηριασμένων τὴν συνείδησιν). Item de præterito per *faura* strictius determinato dicendum est: Luc. XIV, 24 *ni ainshun manne jainaize þize faura haitanane* pro τῶν κεκλημένων; alias vero simplex participium sufficit, ex. gr.: *gabaurans* pro γεγεννημένος Joan. IX, 32.

Quemadmodum in oratione obliqua præsens loco præteriti pro sensu ponendum est (§ 180, 5), ita etiam perfectum loco plusquamperfecti usurpatur: Mc. XVI, 4 *gaumidedun þammei afvalviþs ist* (ἀποκεκύλισται) *sa stains*.

3) Pro *plusquamperfecto*:

a) Mc. XIV, 44 *atgaf* (δεδώκει) *sa levjands ïm bandvon*; XV, 7 *in auhjodau maurþr gatavidedun* (πεποιήκεισαν); 10 *in neiþis atgebun* (παραδεδώκεισαν) *ïna þai gudjans*; XVI, 9 *usvarp* (ἐκβεβλήκει) *sibun unhulþons*; Luc. VIII, 2, 29, 35, 38; Joan. VI, 17; VII, 30; VIII, 20; XI, 13, 19, 30; XIV, 7; Skeir. VII, d

Digitized by Google

(*gasaw jag - gahausida*, viderat et audiverat); ἐκάθητο Mc. x, 46 et εἰστήκει Joan. vii, 37; xviii, 5, 16, 18 Gothus convertit ut simplicia præterita pro sensu (sedit, stetit) per *sat* et *stoþ*.

b) Plusquamperfectum pass. ubique auxiliantibus participio præt. et præterito verbi *visan* circumscribitur : Mth. vii, 25 *razn gasuliþ vas* (τεθεμελίωτο) *ana staina*; Luc. vi, 48; Luc. iv, 29 *ana fairgunja bourgs galimrida vas* (ᾠκοδόμητο); xvi, 20 *lazarus atvaurpans vas* (ἐβέβλητο) *du daura*; Joan. xi, 44 *vlits is auralja bibundans* scilicet *vas* (περιεδέδετο); xix, 11 *ni aihtedeis valdufnje ainhun ana mik, nih vesi þus atgiban* (ἦν δεδομένον) ὑπαῤῥο; Joan. ix, 22 συνετέθειντο in mediali sensu usurpatur, quod Ulfilas per *gaqeþan sis* tradidit.

4) Pro *aoristo* :

a) Mth. v, 28 *waxuh saei saiwiþ qinon du luston izos, ju gahorinoda* (ἐμοίχευσεν) ἐσαί; vii, 22 *niu þeinamma namin praufetidedum* (προεφητεύσαμεν) *jah þeinamma namin unhulþons usvaurpum* (ἐξεβάλομεν) *jah þeinamma namin mahtins mikilos gatavidedum* (ἐποιήσαμεν), etc.

b) Pro *aoristo* pass. Gothus adhibet participium præt. :

aa) Cum præterito verbi *vairþan* : Mth. xi, 19 *usvaurhta gadomida varþ* (ἐδικαιώθη) *handugei*; xxvii, 8 *duþþe haitans varþ* (ἐκλήθη) *akrs jains akrs bloþis*; 5 *iesus du stauai gatauhans varþ* (πατεχρίθη); Mc. ii, 27 *sabbato in mans varþ gaskapans* (ἐκτίσθη); ix, 4 *ataugiþs varþ* (ὄπτηθη) *im helias miþ mose*; xvi, 11 *hausjandans þatei libaiþ jah gasaiwans varþ* (ἐθεάθη), *ni galaubidedun*; Luc. vii, 35; viii, 5, 20; ix, 56; xv, 24, 32; xvi, 1; xviii, 14, 18; Joan. ix, 2, 19, 20, 34; xii, 38; xv, 18; xvi, 21; xvii, 12; Rom. vii, 4, 6, 10; xi, 17, 24 (*usmitans jah intrusgans varþ*); xv, 4; Cor. I, i, 13; vii, 18; xv, 54; Cor. II, iv, 4; vii, 14; xii, 4, 12; Eph. i, 13; iii, 8; Phil. iii, 12; Col. i, 16, 26; Thess. II, ii, 3; Tim. I, i, 16; ii, 13, 14 (*varþ usluto þs*); iii, 16; iv, 14; vi, 10; Neh. vi, 15, 16 (*varþ usfulliþs*); vii, 1;

bb) Cum præterito verbi *visan*, pariter ac in circumscribendis imperfecto et plusquamperfecto : Mc. i, 9 *qam iesus fram nazareþ jah daupiþs vas* (ἐβαπτίσθη); xv, 15 *þeilatus iesus atgaf, ei u skramiþs vesi* (σταυρωθῇ); 28 *miþ unsibjaim rahniþs vas* (ἐλογίσθη); Luc. ii, 18 *svasve rodiþ vas* (ἐλαλήθη) *du im*; iv, 26 *insandiþs vas* (ἐπέμφθη) *helias in sarepta*; 27 *ni ainshun ize gahreiniþs vas* (ἐκαθαρίσθη) *alja naiman*; Joan. vii, 39 *iesus naukþanuh ni haukiþs vas* (ἐδοξάσθη); ix, 52; xii, 5, 16; xviii, 36; Cor. I, i, 13; vii, 20, 21, 24; x, 2; xv, 4; Cor. II, i, 8; vii, 7, 9; xi, 25, 33; xiii, 4; Gal. ii, 3; iii, 1, 27; Eph. i, 14; iii, 3, 10; Col. iii, 15; Thess. I, iii, 1; Tim. I, i, 13; Neh. v, 17,

cc) Cum præsenti verbi *visan*, sicut ac in circumscribendo perfecto : Mth. v, 21 *hausideduþ þatei qiþan ist* (ἐῤῥέθη) *þaim airisam*; Luc. ii, 11 *spillo izvis faheid mikila, sei vairþiþ allai managein, þatei gabaurans ist* (ἐτέχθη) ἐσνις *nasjands*; x, 20 *fagino d in þammei namna izvara gamelida sind* (ἐγράφη) *in himinam*; 22 *all mis atgiban ist* (παρεδόθη) *fram attin*; Joan. xiii, 32 *jabai guþ hauhiþs ist* (ἐδοξάσθη) *in imma, jah guþ hauheiþ ina*; xv, 8; xvi, 21 (ubi *gabauran ist barn* passive pro γυνὴ γεννήσῃ convertitur), Rom. ix, 12; Cor. I, v, 7; vii, 34; xii, 13; xv, 5, 6; subscript.; Cor. II, xii, 7; subscript.; Gal. ii, 17; v, 13; Eph. iii, 5; iv, 1, 4, 7, 21, 30; Phil. i, 29; iii, 8; Thess. I, iii, 7; Thess. II, i, 10; Tim. I, ii, 7; vi, 12; Tim. II, i, 11; Tit. i, 3. — Mc. iii, 21 *qeþun þatei usgaisiþs ist* (ἐξίστη) propter orationem obliquam dicitur, coll. supra § 180, 5.

« Annotatio. — Ubi vero quæque harum trium circumscribendi rationum adhibenda sit, difficile definiri potest, earum discrepantia individuali apparente. Ex variis autem locis, in quibus hæ diversæ rationes promiscue usurpantur, ut Joan. xiii, 31 *nu gasveraids varþ* (ἐδοξάσθη) *sunus mans jah guþ hauhiþs ist* (ἐδοξάσθη) *in imma*, patet, quod *varþ* factum historicum, *ist* vero factum remanens efficaciterque continuans indicet; cæterum hic locus inter alios probat, quantum interpres sensum exemplaris tetigerit in eumque altius penetraverit. Cor. I, vii, 22 *saei haitans ist* et *saei haitada* indiscriminatim pro κληθείς ponuntur. »

5) Pro *præsente* vid. § 180, 4 et annot. 2.

§ 182. III. Futuro nulla equidem est peculiaris forma; futurum autem græcum sæpe convertitur sive præsenti, sive circumscriptione adhibita.

1) Igitur pro græco futuro *præsens* solemniter usurpatur, et equidem

a) Præsens indicativi : Mth. v, 8 : μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται : *audagai þai hrainjahairtans, unte þai guþ gasaiwand*; Mc. viii, 37 τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ : *wa gibiþ manna inmaidein saivalos seinaizos*; Luc. xix, 44 ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χαράκά σοι καὶ περικυκλώσουσί σε καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν, καὶ ἐδαφιοῦσί σε καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοι λίθον ἐπὶ λίθῳ : *qimand dagos anaþus jah bigraband fijands þeinai grabai þuk jah bistandand þuk jah bivaibjand þuk allaþro jah airþai þuk gaiþnjand jah ni letand in þus stain ana staina*; Rom. ix, 25 καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου : *haita þo ni managein meina managein meina*; Mth. xi, 23 *kafarnaum þu und himin ushaukida dalaþ und halja gateiþis* (καταβιβασθήσῃ); Joan. xvi, 20 *amen qiþa izvis, þei greitiþ jah gaunoþ* (κλαύσετε καὶ θρηνήσετε) ἤþ *manaseþs faginoþ* (χαρήσεται); Tim. II, ii, 11 *jabai miþgadauþnodedum jah miþliban* (συζήσομεν), *jabai gaþulam jah miþþiudanom* (συμβασιλεύσομεν); Cor. II, xii, 15 *gabaurjaba fraqima jah fraqimada* (δαπανήσω καὶ ἐκδαπανηθήσομαι) *faur saivalos izvaros*; Rom. xi, 22 *jabai þairkvisis in selein, aþþan jah þu usmaitaza* (ἐκκοπήσῃ); Mc. x, 33 *sunus mans usgibada* (παραδοθήσεται) *þaim ufargudjam*; Cor. I, xv, 51 *allai inmaidjanda*

Digitized by Google

(ἀλλαγησόμεθα); Mc. XIII, 25 *mahteis þos in himinam gavagjanda* (σαλευσθήσονται), etc.;

b) Præsens conjunctivi, solemniter in sententiis subjunctivis, interrogativis et ubique futurum ad imperativum proxime accedit : Mc. IX, 19 *o kuni ungalaubjandono, und wa at izvis sijau* (ἔσομαι), *und wa þulau* (ἀνέξομαι) *izvis* (usque dum vobiscum esse debeo? usque dum pati vos debeo?); Luc. IV, 8 *fraujan invitais* (προσκυνήσεις) *jah imma ainamma fullafahjais* (λατρεύσεις, servire debeo); Joan. VIII, 22 *nibai usqimai* (ἀποκτενεῖ) *sis silbin* (nonne interficiet seipsum?); VI, 68 *frauja du wamma galeiþaima* (ἀπελευσόμεθα, nonne ire debemus, possumus?); Luc. XIX, 31 *jabai was iggis fraihnai, duwe andbindiþ, sva qiþaits* (ἐρεῖτε) *du imma* (dicere potest, debet); Philem. 22 *venja ei þairh bidos izvaros fragibaidau* (χαρισθήσομαι) *izvis;* Mc. VIII, 12 *amen qipa izvis, jabai gibaidau* (δοθήσεται) *kunja þamma taikne;* Mth. VI, 7 *þugkeiþ im ei in filuvaurdein seinai andhausjaindau* (εἰσακουσθήσονται). Item etiam Mth. V, 33, 39, 41; X, 26; Mc. III, 27; X, 7; XI, 13; XII, 9; XVI, 13; Luc. I, 13, 31, 60; III, 10, 12; IV, 8, 12; VI, 42; VIII, 17; X, 6; XVI, 3; XVII, 4; XVIII, 8; XX, 15; Joan. V, 47; VII, 31, 35; IX, 21; XV, 20; XVI, 26; Rom. VIII, 35; XI, 14, 19, 21, 35; Cor. I, VII, 16; XI, 22; Cor. II, IX, 19; XI, 30; XIII, 1; Gal. V, 12; VI, 4; Thess. I, III, 3; Tim. I, III, 5; Neh. VII, 3.

In interrogationibus indirectis et oratione obliqua adhibetur præsens conjunctivi, ubi verbum principalis sententiæ in præterito ponitur : Mc. III, 2 *vitaidedun imma, hailidedi* (θεραπεύσει) *sabbato daga;* Luc. VI, 7; Mc. XI, 18 *sokidedun waiva imma usqistidedeina* (ἀπολέσουσιν). Quapropter Joan. V, 45 (μὴ δοκεῖτε) *þatei ik vrohidedjau izvis* non explicandum est.

« Annotatio 1. — Sæpe autem ex diversa tantum lectione indicativus vel conjunctivus diverso usurpatur, ut Cor. II, XIII, 1; in sententia enim *ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα* cod. B futurum per conjunctivum *gastandei*, cod. A autem per indicativum *gastandiþ* convertit. Sed quandoque etiam Gothus in eadem sententia indicativum vel conjunctivum pro libitu suo adhibet : Mc. IX, 39 *ni mannahun ist, saei taujiþ* (ποιήσει) *maht in namin meinamma jah magi* (δυνήσεται) *ubilvaurdjan mis;* Luc. I, 31 *sai ganimis* (συλλήψῃ) *in kilþein jah gabairis* (τέξῃ) *sunu jah haitais* (καλέσεις) *namo is iesus;* Joan. XV, 20 *jabai mik vrekun jah izvis vrikand* (διώξουσι), *jabai mein vaurd fastaidedeina jah izvar fastaina* (τηρήσουσι); Rom. XI, 14 *andbahti mein mikilja, ei waiva in aljana brigga* (παραζηλώσω) *leik mein jah ganasjau* (σώσω) *sumans us im;* Cor. II, IX; 10 *sa andstaldands fraiva þana saiandan jah hlaiba du mata andstaldiþ* (χορηγήσει) *jah managjai* (πληθυνεῖ) *fraiv izvar jah vahsjan gataujai* (αὐξήσει) *akrana usvaurhtais izvaraizos;* coll. 2).

« Annotatio 2. — Quoniam Gothus futurum, quando ad imperativum accedit, conjunctivo tradit, eodem etiam modo hoc convertit, ubi negatione comitatur (οὐ c. fut.) : Mth. V, 21 *ni maurþrjais* (οὐ φονεύσεις, non occidas); 33 *ni usfarsvarais* (οὐκ ἐπιορκήσεις); Luc. IV, 12; Rom. VII, 7; XIII, 9; Cor. I, IX, 9; Cor. II, V, 3.

« Annotatio 3. — E contrario conjunctivum aorist. cum οὐ μή, qui sensum futuri præ se fert, ordinario per indicativum præs. (coll. §, 183) Gothus exhibet : Mth. V, 18 *und þatei usleiþiþ himins jah airþa, jota ains aiþþau ains striks ni usleiþiþ* (οὐ μὴ παρέλθῃ) *af vitoda;* 20 *qipa izvis þatei nibai managizo vairþiþ izvaraizos garaihteins þau þizebokarje, ni þau qimiþ* (οὐ μὴ εἰσέλθητε) *in þiudangardjai himine;* 25 *qiþa þus, ni usgaggis* (οὐ μὴ ἐξέλθῃς) *jainþro, unte usgibis þana minnistan kintu;* X, 42; Luc. I, 15; IX, 27; X, 19; XVIII, 17; Joan. VI, 35, 37; VIII, 51; X, 5, 28; XIII, 38; Cor. I, VIII, 13; Gal. IV, 30; Thess. I, IV, 15; V, 3. — Conjunctivus autem non nisi raro ponitur : Luc. XVIII, 7 *iþ guþ niu gavrikai* (οὐ μὴ ποιήσῃ) *þans gavalidans seinans;* Joan. XVIII, 11 *stikl þanei gaf mis atta, niu drigkau* (οὐ μὴ πίω) *þana;* VIII, 52 *jabai was mein vaurd fastai, ni kausjai* (οὐ μὴ γεύσηται) *dauþau;* Gal. V, 16. »

2) Quandoque autem Gothus circumscriptione uti mavult; quo in casu nonnulla verba usurpat, quæ græcis μέλλειν et ἔχειν respondent, ut *skulan, munan, skaftjan sik*, præsertim *skulan duginnan* et *haban* cum infinitivo : Luc. I, 66 *galagidedun þo vaurda in kairtin seinamma qiþandans, wa skuli þata barn vairþan* (ἔσται); VI, 25 *vai izvis jus hlahjandans nu, unte gaunon jah gretan duginnid* (πενθήσετε καὶ κλαύσετε); Joan. XII, 26 *þarei ik im, þaruh sa andbahts meins visan habaiþ* (ἔσται). Jam vero hæc circumscriptio præcipue adhibetur, ubi præsens et futurum contextim stantia discriminanda sunt : Phil. I, 18 *fagino jah faginon duginna* (χαίρω καὶ χαρήσομαι); Cor. II, XI, 12 *tauja jah taujan haba* (ποιῶ καὶ ποιήσω); Thess. II, III, 4 *taujiþ jah taujan habaiþ* (ποιεῖτε καὶ ποιήσετε). In hoc casu commutantur etiam conjunctivus et indicativus : Joan. V, 47 *þande jainis melam ni galaubeiþ* (πιστεύετε), *waiva meinaim vaurdam galaubjaiþ* (πιστεύσετε); Cor. I, XI, 22 *wa qiþau izvis, hazjan* (ἐπαινέσω) *izvis, in þamma ni hazja* (ἐπαινῶ). Vel pro futuro ponitur compositum cum *ga-* : Luc. XVII, 8 *bigaurdans andbahtei mis, unte matja jah drigka* (φάγω καὶ πίω), *jah biþe gamatjis jah gadrigkais þu* (φάγεσαι καὶ πίεσαι); Joan. XVI, 16 *leitil nauh jah ni saiwiþ* (θεωρεῖτε) *mik jah aftra leitil jah gasaiwiþ* (ὄψεσθε) *mik;* XVI, 19; Rom. IX, 15 *gaarma* (ἐλεήσω) *þanei arma* (ἐλεῶ), *jah gableiþja* (οἰκτιρήσω) ubi supplendum est *þanei bleiþja* (οἰκτείρω), non autem *gaþleiþja* ut in annot. ad h. l. asseritur.

« Annotatio 4. — Cum examinantur loca, ut Mth. V, 8; Mc. XIII, 26; XIV, 62; XVI, 7; Luc. III, 6; XVII, 21; Joan. XI, 40 in quibus ὄψομαι semper per *gasaiwan* redditur, dum præsens *saiwan* sonat, hoc quidem conjici posset, Gothum composito sensum futuri exhibere voluisse; licet tamen formæ cum

Digitized by Google

ga- sæpe eo modo inveniantur, occurrunt etiam simplicia pro futuro convertendo, ex. gr. : δώσω semper traditur per *giba*, vid. Mc. VIII, 37; XII, 9; XIII, 22, 24; Luc. I, 32; IV, 6; XVI, 12; XX, 16; Joan. VI, 27; XI, 22; XIII, 26; XIV, 16; XVI, 23; Tim. II, II, 7.

« Annotatio 5. — Necnon et indicativus pro præsenti et futuro græco indiscriminatim ponitur : Joan. XIV, 12 *saei galaubeid mis þo vaurstva, þoei ik tauja* (ποιῶ), *jah ïs taujiþ* (ποιήσει) *jah maizona þaim taujiþ* (ποιήσει); Tim. II, II, 12 *jabai afaikam* (ἀρνούμεθα) *jah ïs afaikiþ* (ἀρνήσεται) *uns;* Luc. IV, 6 *þus giba* (δώσω) *þata valdusni þize allata, unte mis atgiban ïst jah þiswammeh þau viljau giba* (δίδωμι) *þata;* Cor. II, XI, 18 *wopand jah ïk wopa* (καύχωνται κἀγὼ καυχήσομαι); coll. Cor. II, I, 10 *ïzei us svaleikaim dauþum uns galausida jah galauseiþ* (ῥύεται), *du þammei venidedum ei galauseiþ* (ῥύσεται); 13 *ni alja meljam ïzvis alja þoei ufkunnaiþ* (ἐπιγιγνώσκετε). *aþþan venja ei und andi ufkunnaiþ* (ἐπιγνώσεσθε). Intellectu difficilis est Joan. XIII, 32 *guþ hauheiþ* (altat) *ïna ïn sis jah suns hauhida* (altavit) *ïna*, cum in græco textu bis adsit futurum.

« Annotatio 6. — Quoad vero futurum verbi subst. (ἔσομαι) exprimitur *a*) per indicativum et conjunctivum præs. verbi *visan* : Mth. XXVII, 64 *ïst* (ἔσται) *so speidizei airziþa vairsizei þizai frumein;* Mc. VI, 11 *amen qiþa ïzvis, sutizo ïst* (ἔσται) *saudaumjam niþþau gaumaurjam þau þizai baurg;* Luc, V, 10; XIV, 10; Joan. VIII, 36; XIV, 17; Mth. V, 48 *sijaiþ* (ἔσεσθε) *nu jus fullatojai svasve atta ïzvar fullatojis ïst;* Mc. IX, 19 *und wa at ïzvis sijau* (ἔσομαι); 35 *jabai was vili frumists visan, sijai* (ἔσται) *allaize aftumists;* X, 8, 43; Luc. I, 20, 34; IX, 41; XVII, 31; XVIII, 13; Joan. VIII, 55; Cor. II, XII, 6; Tim. II, II, 2; *b*) per indicativum verbi *vairþan :* Mth. V, 21 *sei maurþreiþ, skula vairþiþ* (ἔσται) *stauai;* V, 22; VIII, 12 *jainar vairþiþ* (ἔσται) *grets jah krusts tunþive;* XI, 22, 24 (in loco parallelo apud Mth. VI, 11, dum illic ἔσται *ïst* sonat, hic vertitur *vairþiþ*); Mc. X, 31 *managai vairþand* (ἔσονται) *frumans aftumans jah aftumans frumans;* XII, 7, 23; XIII, 19; Luc. I, 14, 33, etc. Raro autem per merum conjunctivum verbi *vairþan :* Luc. VI, 40 *gamanvids warjisuh vairþai* (ἔσται) *sve laisaris ïs;* Cor. II, III, 7, 8 *jabai andbahti dauþaus varþ vulþag—waiva nei mais andbahti ahmins vairþai in vulþau.* Hinc in circumscriptione per verba *visan* et *vairþan* utrumque pro futuro ponitur : Luc. I, 37 ἀδυνατήσει *unmahteiga ïst;* Rom. VIII, 39 δυνήσεται *mahteiga ïst;* Luc. X, 25 κληρονομήσω *arbja vairþa;* Gal. V, 21; Col. III, 4 φανερωθήσεσθε *bairhtai vairþiþ;* Joan. XI, 12 σωθήσεται *hails vairþiþ;* XVI, 20 λυπηθήσεσθε *saurgandans vairþiþ;* Phil. I, 20 αἰσχυνθήσομαι *gaaiviskoþs vairþa;* Luc. VI, 25 πεινάσετε *gredagai vairþiþ;* Tim. I, VI, 8 *habandans usfodein jah gaskadvein þaimuh ganohidai sijaima* (ἀρκεσθησόμεθα); Luc. XVIII, 18 *wa tanjands libainais aiveinons arbja vairþau?* (κληρονομήσω). Quandoque per *ïst* et *vairþiþ* græcum ἐστί et ἔσται discriminandum esse videtur, ut Mth. VI, 22 *jabai augo þein ainfalþ ïst* (ἐστί), *allata leik þein liuhadein vairþiþ* (ἔσται); attamen immediate præcedit vs. 21 *þarei ïst* (ἔστι) *huzd izvar, þaruh ïst* (ἔσται) *jah hairto ïzvar.*

« Annotatio 7.—Conspicuæ sunt in locis Gal. V, 10 *sa drobjands ïzvis sa bairaiþ* (βαστάσει) *vargiþa* et Thess. I, IV, 14 *guþ þans þaiei anasaislepun þairh ïesu tiuhaiþ* (ἄξει) *miþ ïmma*, duæ formæ *bairaiþ* et *tiuhaiþ*, quæ, si græcum futurum per indicativum conversum esset, *bairiþ* et *tiuhiþ*, si per conjunctivum, *bairai* et *tiuhai* sonarent. Non autem audiendi sunt, qui his locis librarii mendum adesse volunt; hoc enim prorsus sit improbabile, cum aliunde etiam Col. III, 15 hæc forma tertia vice et equidem pro imperativo occurrat, vid. § 186, annot. 4; hic, quemadmodum ad Thess. I. I. dicendum est, hanc recentiorem esse pro conjunctivo formam. »

§ 183. IV. FUTURUM EXACTUM Gothus etiam vertit per præsens et equidem ordinario per præsens indicativi (vid. ad Thess. II, I, 10) : Mth. V, 20 *nibai managizo vairþiþ* (περισσεύσῃ) *ïzvaraizos garaihteins, ni þau qimiþ ïn þiudangardjai himine;* 21 *saei maurþreiþ* (φονεύσῃ), *skula vairþiþ stauai;* 22, 26 *ni usgaggis jainþro unte usgibis* (ἀποδῷς) *þana minnistan kintu;* Mc. II, 20 *þan afnimada* (ἀπαρθῇ) *af ïm sa bruþfaþs, jah þan fastand;* Joan. XIII, 38 *hana ni hrukeiþ, unte þu mik afaikis* (ἀπαρνήσῃ) *kunnan þrim sinþam;* Cor. I, XVI, 5 *qima at ïzvis, þan makindonja usleiþa* (διέλθω). Indicativus autem et conjunctivus commutantur : Mth. V, 19 *saei nu gatairiþ* (λύσῃ) *aina anabuzne þizo minnistono jah laisjai* (διδάξῃ) *sva mans, sah minnista haitada ïn þiudangardjai himine, iþ saei taujiþ jah laisjai* (ποιήσῃ καὶ διδάξῃ) *sva, sah mikils haitada ïn þiudangardjai himine;* Mc. III, 27 *ni manna mag kasa svinþis galeiþands ïn gard ïs vilvan, niba faurþis þana svinþan gabindiþ jah þana gard ïs disvilvai* (δήσῃ—διαρπάσῃ). Evidenter quoddam discrimen statuere studuit Gothus apud Mth. V, 31 et 32 *qiþan ïst þatei wazuh saei afletai* (ἀπολύσῃ) *qen, gibai ïzai ufstasseis bokos. iþ ïk qiþa ïzvis þatei wazuh saei afletiþ* (ἀπολύσῃ) *qen seina, taujiþ þo horinon.*

III. DE MODO.

§ 184. I. INDICATIVUS usurpatur ad exprimendum quod reipsa existit, aut existere affirmatur.

1) In simplicibus sententiis :

a) Mc. XVI, 6 *ïesus nist her, urrais :*

b) In directa interrogatione : Gal. III, 1 *was ïzvis afhugida?* Joan. XIII, 36 *frauja wad gaggis?*

« Annotatio 1. —In directis interrogationibus ponitur etiam conjunctivus, vid. § 185, 1, *f*.

« Annotatio 2.—Verba *debere*, oportere (germ. *sollen*) et velle, more græco et latino ponuntur in indicativo præt., ubi Germani conjunctivum usurpant : Cor. II, II, 9 *þata silbo gamelida ïzvis, ei qimands saurga mi haban, fram þaimei skulda* (ἔδει germ. *ich hätte sollen*) *faqinon;* XII, 11 *ïk skulds vas*

Digitized by Google

(ὄφελον germ. *ich hätte sollen*) *fram* ïwis *gakannjan*; Gal. IV, 19 sq. *barnilona meina, þansei aftra fita, unte gabairhtjaidau xristus* ïn ïzvis, *aþþan vilda* (ἤθελον germ. *ich hätte mögen*) *qiman at* ïzvis; nisi Gothus hic intellexerit imperfectum narrativum, quemadmodum aliunde Cor. II, I, 15; Philem. 13 et præcipue aoristum Philem. 14 intelligendum est. Attamen quandoque etiam conjunctivus adhibetur, ut Cor. I, V, 10 *ni blandaiþ* ïzvis *horam — unte skuldedeiþ* (ὠφείλετε, debetis) *þan us þamma fairwau usgaggan*. Verbum velle (*viljan*) in gothica lingua præsente prorsus caret solumque conjunctivum habet (*viljau*), vid. § 134, 2. »

2) In sententiis compositis et equidem :

a) In hypotheticis sententiis : Cor. I, XV, 16 *jabai daupans ni urreisand, nih xristus urrais;*

b) Post particulas temporales;

c) In interrogationibus indirectis : Joan. IX, 21 *waiva nu saiwiþ, ni vitum;*

d) In oratione obliqua : Luc. VIII, 47 *gasaiwandei so qino, þatei ni galaugnida.*

Quid fusius de his casibus et quomodo præcipue in *a*), *c*) et *d*) sæpissime conjunctivus adhibeatur, vid. infra ubi de sententia composita agitur.

§ 185. Conjunctivus possibilitatem significat.

1) Jam vero in sententiis simplicibus possibile enuntiari potest :

a) Ut aliquid *desideratum* (*optativum*) : Rom. XV, 5 *guþ gibai* (δῴη, det) ïzvis *þata samo fraþjan* ïn ïzvis *misso*; Thess. II, III, 16; Tim. II, I, 16, 18 *guþ fulljai* (πληρώσαι) ïzvis *allaizos fahedais*; Cor. II, VII, 2 *gamoteima* ïn ïzvis (utinam locum apud vos inveniamus, quod Gothus multo subtilius expressit quam Græcus cum χωρήσατε ἡμᾶς); Thess. II, II, 17 *guþ gaþrafstjai* (παρακαλέσαι) *hairtona* ïzvara *jah gatulgjai* (στηρίξαι) ïn *allaim vaurstvam godaim*; III, 5 *frauja garaihtjai* (κατευθύναι) *hairtona* ïzvara ïn *friaþvai guþs*; Thess. I, III, 11, 12 *frauja managjai* (πλεονάσαι) *jah ganohnan gataujai* (περισσεύσαι) *friaþvai*; V, 23 *guþ gaveihai* (ἁγιάσαι) ïzvis *jah saivala jah leik unfairinong gafastaidau* (τηρηθείη); Philem. 20 ïk *þeina niutau* (ὀναίμην) *in fraujin*. Cum *vainei* (ὄφελον) Gal. V, 12 *vainei jah usmaitaindau* (ὄφελον ἀποκόψονται) *þaidrobjandans* ïzvis; cum autem præteritum (indic.) a Græco usurpatur, Gothus conjunctivum præt. adhibet : Cor. I, IV, 8 ïnu *uns þiudanodeduþ jah vainei þiudanodedeiþ* (ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε); Cor. II, XI, 1 *vainei us þulaidedeiþ* (ὄφελον ἠνείχεσθε) *meinaizos leitil unfrodeins*. Huc pertinet etiam formula *ni sijai* (μὴ γένοιτο) Luc. XX, 16; Rom. VII, 7;

b Ut aliquid *concessum* et humiliter prolatum (*permissivum*) : Luc. I, 38 *qaþ mariam : sai þivi fraujins, vairþai* (γένοιτο) *mis bi vaurda þeinamma*; II, 29 *symaion qaþ : nu fraleitais* (ἀπολύεις) *skalk þeinana* ïn *gavairþja*;

c) Ut aliquid *volitum*; huc referenda est prima persona pluralis, qua qui loquitur multitudinem adhortatur : videamus, germ. *lasst uns!* vid. infra § 186, 4;

d) Ut aliquid *debitum*; huc præcipue pertinet tertia persona, quæ pro immediato imperativo gothice usurpatur, vid. infra § 186, 3;

e) In genere ut aliquid, cujus existentia a futuro pendet, hinc conjunctivus pro ipso futuro sæpe adhibetur, vid. supra § 182, 1) *b*);

f) In interrogationibus sæpissime, ubi potissimum Græcus futurum habet, ut Tim. I, III, 5 *jabai was seiþamma garda fauragaggan ni mag, waiva aikklesjon guþs gakarai* (ἐπιμελήσεται), vid. supra § 182, 1) *b*). Animadversu digna sunt loca, ut Mc. XII, 14 *skuldu ïst kaisaragild giban kaisara þau niu gibaima* (vel nonne dare debemus?); Joan. III, 4 *ibai mag manna alþeis visands* ïn *vamba aiþeins seinaizos aftra galeiþan jag-gabairaidau* (potestne nasci?).

« Annotatio.—In Luc. XIX, 8 *halbata aiginis meinis gadailjau unledaim*, adesse conjunctivum neque ex græco (δίδωμι), neque ex sensu, quem solum sententia patitur, conjiciendum est; probabilius est *gudailja* tantum legitimum esse, cujus u librarius propter eamdem litteram sequentis vocabuli deceptus duplex exscripsit. »

2) De conjunctivo post particulas temporales, causales, conditionales necnon et explicativas posito tractabitur, ubi de sententiis compositis.

§ 186. III. Imperativus *necessitatem* exprimit.

1) Huic modo equidem propria est forma; sed Gothus eum sæpe etiam per conjunctivum convertit. Jam vero pro imperativo aor. græco regulariter formam imperativam usurpat, ubi aliquid ad ictum oculi imperatur; pro imperativo autem præs. græco, formam conjunctivam, ubi scilicet aliquid imperatur, quod in futuro tantum fieri debet. Quoad negationem cum influitivo per *ni* redditur : Cor. I, XI, 24 *nimiþ matjiþ* (λάβετε φάγετε) *þata ïst leik mein, þata vaurkjaiþ* (ποιεῖτε) *du meinai gamundai*; Joan. XVII, 11 *atta veiha, fastai* (τήρησον) ïnþs ïn *namin þeinamma*; Tim. I, V, 23 *þuk silban sviknana fastais* (τήρει); Mc. X, 14 *letiþ* (ἄφετε) *þo barna gaggan du mis*; XI, 25 *þan standaiþ bidjandans, afletaiþ* (ἀφίετε) *jabai wa habaiþ wiþra wana*; Mth. VI, 11 *hlaif unsarana þana sinteinan gif* (δός) *uns*; V, 42 *þamma bidjandin þuk gibais* (δίδου); Philem. 12, *þu* ïna *andnim* (προσλαβοῦ); Tim. I, V, 19 *ni andnimais* (παραδίχου) *niba* ïn *andvairþja veitvodi*; Joan. XI, 39 *afnimiþ* (ἄρατε) *þana stain*; Luc. IX, 3 *ni vaiht nimaiþ* (αἴρετε) ïn *vig*; Luc. X, 2 *bidjiþ* (δεήθητε) *fraujan*; Mth. VI, 9 ïva *nu bidjaiþ* (προσεύχεσθε); Joan. XIII, 27 *þatei taujis, tavei* (ποίησον) *sprauto*; Rom. XIII, 4 *þiuþ taujais* (ποιεῖ) *jah habais hazein us þamma*; Joan. VI, 10 *vaurkeiþ* (ποιήσατε) *þans mans anakumbjan*; 27 *vaurkjaiþ* (ἐργάζεσθε) *ni þana mat þana fralusanau*; Cor. I, VII, 21 *þauhjabai freis magt vairþan, mais brukei* (χρῆσαι); Tim. I, V, 23 *ni drigkais þanamais vato* (μὴ ὑδροπότει), *ak veinis leitil brukjais* (χρῶ); Cor. II, VI, 17 *usgaggiþ* (ἐξέλθατε) *us midumai ize*; Luc. IX, 4 *þar saliþ jah þaþroh usgaqqaiþ* (ἐξέρχεσθε); XV, 22 *sprauto*

Digitized by Google

briggiþ (ἔρχονται) *vastja*; x, 4 *ni briggaiþ* (βαστάζετε) *pugg*, etc.

« Annotatio 1. — Vice versa tamen sæpe gothicus imperativus græco imperativo præs. respondet conjunctivusque, licet rarius, pro græco imperativo aor. ponitur : Mth. VII, 23 *afleiþiþ* (ἀποχωρεῖτε) *fairra mis*; Rom. XI, 20 *jabai gredo fijand þeinana, mat gif* (ψώμιζε) *ïnma, ïþ jabai þaursjai, draygkei* (πότιζε) *ïna*; Mth. VIII, 9 *qiþa du þamma qïm* (ἔρχου), *jah qimiþ*; Luc. VII, 13 *ni grat* (κλαῖε); Rom. XI, 20 *ni in matis gatair* (κατάλυε) *vaurstv guþs*; Tim. I, IV, 11 *anabiud þata jah laisei* (παράγγελλε — δίδασκε); Mth. VIII, 22 *laistei afar mis* (ἀκολούθει); Mc. V, 36 *ni faurhtei* (φοβοῦ); Luc. I, 13 *ni ogs þus* (φοβοῦ); Mth. X, 26 *ni ogeiþ* (μὴ φοβεῖσθε), etc. —Mth. VII, 13 *ïnngaggaiþ* (εἰσέλθετε) *þairh aggvu daur*; Eph. VI, 17 *hilm naseinais nimaiþ* (δέξασθε), Col. IV, 10; Joan. XV, 4 *visaiþ* (μείνατε) *ïn mis jah ik ïn ïzvis*; Col. IV, 16 *þan usliggvaidau at ïzvis so aipistaule, taujaiþ* (ποιήσατε) *ei jah ïn laudekaion usliggvaidau jah þoei ïst us laudeikaion jus usliggvaid* (ἀναγνῶτε); Mth. X, 27; Mc. VI, 11; XIV, 15; Joan. X, 38; Cor. I, XVI, 11.

« Annotatio 2.—In diversis locis diverse interpretatus est Gothus : *gibiþ*, quo Luc. IX, 13; XV, 22; XIX, 24; Rom. XII, 19 regulariter δότε explicat, ponit etiam Eph. IV, 27 (*ni gibiþ staþ unhulþin*) pro δίδοτε; fert tamen cod. A rectius *nih gibaiþ*, ut Luc. VI, 38 *gibaid* (δίδοτε) *jah gibada ïzvis*; *atbair* Mth. VIII, 4 regulariter ponitur pro προσένεγκε, sed Tim. II, II, 13 pro φέρε; *gaþlaih* Tim. II, IV, 2 pro παρακάλεσον, sed Tim. I, V, 1 etiam pro παρακάλει; *krïnate* vertitur Joan. XVIII, 31 per *stojiþ*, Rom. XIV, 13 per *stojaiþ*; μὴ κρίνετε Luc. VI, 37 per *ni stojiþ*, Joan. VII, 24 per *ni stojaiþ*; εἴπατε valet regulariter *qiþiþ* Mc. XVI, 7; Luc. X, 9; XX, 3, sed etiam *qiþaiþ* Mth. X, 37; Luc. X, 10; Col. IV, 17; λέγετε Luc. X, 5 est *qiþaiþ*, sed Gal. IV, 21 etiam *qiþiþ*; ἀσπάσασθε dicitur *goleiþ* Cor. I, XVI, 20; Col. IV, 15, sed *goljaiþ* Cor. II, XIII, 12; Thess. I, V, 26; καλεῖ Luc. XIV, 13 *hait* et μὴ φώνει XIV, 12 *ni haitais*; φέρετε Mc. IX, 19 *bairiþ*, XII, 15; sed βαστάζετε Gal. VI, 2 *bairaiþ*; βλέπετε, ὁρᾶτε, θεωρεῖτε ordinario vertuntur *saiwiþ* Mc. IV, 23; XII, 38; Luc. VIII, 18; Joan. XII, 19; Cor. I, X, 18; Gal. V, 15; Eph. III, 2; Thess. I, V, 15, sed Cor. I, XVI, 10 etiam *saiwaiþ*. Communis ad adhortandum formula est imperativus *gagg*, *gaggiþ* pro ἔλθε, πορεύου, πορεύθητι, ὕπαγε, etc. Mth. V, 41 tamen est *gaggais* et Eph. V, 2, 8; Col. IV, 5 *gaggaiþ*. »

2) Secunda persona imperativi :

a) Mth. V, 24 *aflet* (ἄφες) *jaintar þo giba þeina*; Joan. VII, 3 *usleiþ* (μετάβηθι) *þaþro*; Luc. IV, 9 *vairp* (βάλε) *þuk þaþro dalaþ*; Mc. IX, 43 *jabai marzjai handus þeina, afmait* (ἀπόκοψον) *þo*; XIV, 13 *gaggats afar* (ἀκολουθήσατε) *þamma*; Luc. V, 4 *brigg* (ἐπανάγαγε) *ana diupiþa jah athahid* (χαλάσατε) *þo natja ïzvara du fiskon*; Mc. XIV, 44 *þammei kukjau, sa ïst, greipiþ* (κρατήσατε) *þana jah tiuhiþ* (ἀγάγετε): Luc. XVII, 6 *uslausei þuk us vaurtim* (ἐκριζώθητι) *jah ussatei þuk* (φυτεύθητι) *in marein*; Cor. II, VI, 17 *afskaidiþ ïzvis* (ἀφορίσθητε); 13 *þata samo andalauni urrumnaiþ* (πλατύνθητε) *jah jus*; Mth. VIII, 3 *vairþ hrains* (καθαρίσθητι): Mc. V, 12 *ïnsandei* (πέμψον) *unsis ïn þo sveina*; Luc. IV, 35 *afdobn* (φιμώθητι), etc.

b) Secunda autem persona conjunctivi : Rom. XIII, 6 *gilstra ustiuhaiþ* (τελεῖτε); Tim. I, VI, 11 *ïþ þu þata þliuhais* (φεῦγε), *ïþ laitsjais* (δίωκε) *garaihtein*; Cor. I, IX, 24 *sva rinnaiþ* (τρέχετε), *ei garinnaiþ*; Thess. I, V, 21, 22 *all uskiusaiþ* (δοκιμάζετε), *þatei goþ sijai, gakabaiþ* (κατέχετε), *af allamma veihte ubilaizo afhabaiþ ïzvis* (ἀπέχεσθε); Eph. V, 18 *ni anadrigkaiþ ïzvis veina* (μεθύσκεσθε); Phil. I, 27 *vairþaba aivaggeljons usmitaiþ* (πολιτεύεσθε); Cor. I, XVI, 13 *vakaiþ* (γρηγορεῖτε), *standaiduk* (στήκετε) *ïn galaubeinai, vairaleiko taujaiþ* (ἀνδρίζεσθε), *gaþvastidai sijaiþ* (κραταιοῦσθε); Cor. II, VI, 17 *unkrainjamma ni attekaiþ* (ἅπτεσθε); Col. III, 9 *ni liugaiþ* (ψεύδεσθε); Luc. X, 7 *ni faraiþ* (μεταβαίνετε) *us garda ïn gard*, etc.

c) Sic semper ponitur conjunctivus pro μὴ cum conjunctivo aor. in sensu imperativi : Luc. XVII, 23 *qiþand ïzvis : sai her aiþþau sai jainar, ni galeiþaiþ nih laistjaiþ* (μὴ ἀπέλθητε μηδὲ διώξητε); Tim. I, V, 1 *seneigana ni andbeitais* (μὴ ἐπιπλήξῃς); Mth. V, 36 *ni svarais* (μὴ ὀμόσῃς); Col. II, 21 *ni teihais, ni atsnarpjais, ni kausjais þatei all ïst du riurein*; Mc. XIII, 21 *ni galaubjaiþ*; Mth. V, 17; VI, 2, 7, 19; X, 34; Mc. V, 7; Luc. X, 4; XVII, 23; Tim. II, I, 8, etc.

« Annotatio 3. — Gothi formam peculiarem ad mitigate imperandum (ad precandum) non habent; cujus loco conjunctivum præs. usurpant, ex. gr. : non fureris *ni hlifais*, vid. supr. § 182, annot. 2. »

3) Tertia imperativi persona personæ tertiæ conjunctiv i semper convenit : Mth. V, 16 *lïuhtjai* (λαμψάτω) *liuhaþ ïzvar ïn andvairþja manne*; 31 *saei afletai qen, gibai* (δότω) *ïzai afstassais bokos*; 37 *sijai* (ἔστω) *vaurd ïzvar ja ja, ne ne*; VI, 3 *ni viti* (γνώτω) *hleidumei þeina, wa taujiþ taihsvo þeina*; VI, 10 *qimai* (ἐλθέτω) *þiudinassus þeins*; VIII, 13 *svasve galaubides, vairþai* (γενηθήτω) *þus*; Mc. VIII, 34 *saei vili afar mis laistjan, ïnvidai* (ἀπαρνησάσθω) *sik silban jah nimai* (ἀράτω) *galgan seinana jah laistjai* (ἀκολουθείτω) *mik*; Rom. XIV, 3 *sa matjands þamma ni maljandin ni frakunni* (ἐξουθενείτω), *ïþ sa ni matjands þana matjandan ni stojai* (κρινέτω); Eph. V, 8 *ni manna ïzvis uslusto* (ἀπατάτω) *lausaim vaurdam*, etc.; Eph. V, 22 *qeneis seinaim abnam ufhausjaina* (ὑποτασσέσθωσαν); Tim. I, III, 12 *diakaunjus sijaina* (ἔστωσαν) *ainaizos qenais abans*; V, 4 *galaisjaina sik* (μανθανέτωσαν) *svesana gard barusnjan*; III, 10; VI, 2; Joan. XIV, 27. — Mth. VI, 9 *veihnai* (ἁγιασθήτω) *namo þein*; Joan. XIV, 1 *ni ïndrobnai* (ταρασσέσθω) *ïzvar hairto*; 27 *ni ïndrobnaina ïzvara hairtona nih faurhtjaina*; Mc. VII, 10 *saei ubil qiþai attin seinamma, dauþau afdauþjaidau* (τελευτάτω); Rom. XIV, 16 *ni vajamerjaiþ*

Digitized by Google

d a u (βλασφημίσθω) *uncir þiuþ*; Cor. I, VII, 9 *jabai ni gahabaina sik, l i u g u n d a u* (γαμησάτωσαν); XI, 6 *jabai ni huljai sik qens, s k a b a i d a u* (κειράσθω); XV, 33; Eph. IV, 31; V, 3; Phil. II, 5; Tim. I, III, 10; V, 9, 16; Tim. II, II, 26.

« Annotatio 4.—Col. III, 15 *gavairþi guþs s v i g n a j a i þ* (βραβευέτω) *in hairtam izvaraim* legendum est *svignjai*; *svignjaiþ* autem vel librarii negligentiæ attribuendum, vel pro *svingjai* positum est, uti supra § 182 annot. 7 jam diximus. »

4) Prima persona pluralis, quæ ad hortandum (faciamus, etc.) inservit, peculiarem habet formam formæ indicativi congruentem: Mc. IV, 35 *u s t e i þ a m* (διέλθωμεν) *jainis stadis*; Luc. VIII, 22; Mc. IX, 5 *v a u r k j a m* (ποιήσωμεν) *hlijans þrins*; Gal. VI, 10; Mc. XII, 7 *hirjiþ u s q i m a m* (ἀποκτείνωμεν) *imma*; XIV, 42 *urreisiþ g a g g a m* (ἄγωμεν); I, 38; Joan. XI, 7, 11, 15; 14, 31; Gal. V, 25; Luc. 15, 23 *matjandans stiur alidana v i s a m v a i l a* (εὐφρανθῶμεν); XX, 14 *sa ist sa arbinumja, a f s l a h a m* (ἀποκτείνωμεν) *ina*; Rom. X, 12 *u s v a i r p a m* (ἀποθώμεθα) *vaurstvam riqizis iþ g a v a s j a m* (ἐνδυσώμεθα) *sarvam liuhadis*; Cor. I, V, 8 *d u l þ j a m* (ἑορτάζωμεν) *ni in beista fairnjamma*; XV, 32 *matjam jah d r i g k a m* (φάγωμεν καὶ πίωμεν); Cor. II, VII, 1 *h r a i n j a m* (καθαρίσωμεν) *unsis af allamma bisauleino.*

Nec non et pro hac persona etiam sæpe adhibetur conjunctivus: Luc. IX, 33 (in loco parallelo ad Mc. IX, 5) *g a v a u r k j a i m a* (ποιήσωμεν) *hleiþros þrins*; II, 15 *þairk g a g g a i m a* (διέλθωμεν) *und beþlahaim jah s a i w a i m a* (ἴδωμεν) *vaurd þata vaurþano*; Rom. XIV, 13 *ni uns misso s t o j a i m a* (κρίνωμεν); 19 *þoei gavairþjis sind t a i s t j a i m a* (διώκωμεν); Cor. I, XV, 49 *svasve berum manleikan þis airþeinins, sva b a i r a i m a* (φορέσωμεν) *jah frisaht þis himinakundins*; Cor. II, III, 12 *habandans nu svaleika ven managaizos balþeins b r u k j a i m a* (χρώμεθα); IV, 1 *ni v a i r þ a i m a* (γενώμεθα); *usgrudjans*; Gal. V, 26; VI, 9; Phil. III, 15 *sva managai sve sijaima fullavitans þata h u g j a i m a* (φρονῶμεν); Thess. I, V, 6 *ni s l e p a i m a* (καθεύδωμεν) *ve þai anþarai ak v a k a i m a* (γρηγορῶμεν) *jah v a r a i s i j a i m a* (νήφωμεν); 8 *unskavai sijaima* (νήφωμεν).

« Annotatio 5.—Imperativi ad verbum deperditum pertinentes, quemadmodum græce δεῦρο δεῦτε, sunt *hiri* (germ. *hier du*), *hirjats* (germ. *hier ihr beide*), *hirjiþ* (germ. *hier ihr*), vid. gloss. hh. vv.

« Annotatio 6.—Cum duo imperativi sibi immediate succedunt, vel *a*) per *jah* connectuntur: Joan. XI, 34 *hiri j a h saiw*; Luc. V, 23 *urreis j a h gagg*; XVIII, 22; vel *b*) *per-uh*: Mth. XXVII, 65 *gaggiþ vitaidu h*; Mc. II, 11; XVI, 7; vel *c*) absque conjunctione juxtaponuntur: Mth. VIII, 4 *gagg þuk silban ataugei*; IX, 13 *gaggaiþ ganimiþ*; Mc. X, 21 *gagg sva filu sve habais frabugei jah gif*; XII, 7 *hirjiþ usqimam*; vel *d*) hi duo imperativi in sententiam conjunctivam commutantur: Mc. I, 44 (locus parallelus ad Mth. VIII, 4) *gagg þuk silban a t a u g j a n* propr. vade te ostendere (græce ὕπαγε σεαυτὸν δεῖξον); Mth. V, 24; Mc. X, 21; Luc. XVIII, 22; Joan. IX, 7, 11; Mc. VIII, 15 *saiviþ ei atsaiwaiþ* videte quod prævideatis (ὁρᾶτε· βλέπετε); Mth. XXVII, 49 *let ei saivam* (ἄφες· ἴδωμεν); Mth. IX, 30 *saiwats ei manna ni viti* (ὁρᾶτε, μηδεὶς γινωσκέτω). Hinc Gal V, 6 *qiþa ei gaggaiþ* (λέγω· περιπατεῖτε); coll. Thess. II, III, 1 *þata anþar ei bidjaiþ.* »

IV. PERSONÆ ET NUMERUS.

§ 187. I. PERSONÆ. 1) Sunt in singulari et plurali numero tres personæ, in duali, duæ tantum, prima scilicet et secunda, vid. infra II.

2) Verba, quæ tertia tantum persona gaudent et *impersonalia* dicuntur, hæc sunt: *rigneiþ* pluit Luc. XVII, 29; sed Mth. V, 45 personaliter usurpatur: (*atta izvar*) *rigneiþ ana garaihtans jah ana ïwindans*; insuper nullis vocabulis peculiariter designantur phenomena naturalia: vesperascit dicitur *seiþu vairþiþ* Mth. XXVII, 57; Joan. VI, 16. Verba autem necessitates naturales significantia: esurit, sitit, quandoque modo impersonali pronuntur: Joan. VI, 35 *þana gaggandan du mis ni h u g g r e i þ jah þana galaubjandan du mis ni þ a u r s e i þ*; Rom. XII, 20 *jabai g r e d o fijand þeinana — iþ jabai þ a u r s j a i*; Joan. VII, 37 *jabai wana þaursjai*; hæc verba in græco sermone personalia sunt, ut etiam *huggriþs* et *þaursiþs* Cor. I, IV, 11 vel *afþaursiþs* (*visan*) Mth. XXV, 42, *gredon* e contrario sub sola forma *gredags vairþan* personale est, vid. gloss. h. v. Alia impersonalia hæc sunt: *vairþiþ* contingit, Mc. II, 23; Luc. IV, 36; VI, 1; XVI, 22; Cor. II, VII, 7; *boteiþ* opus est Mc. VIII, 36: utrumque etiam personaliter usurpatur; *gadabiþ* convenit, accommodatur Mc. X, 32; Skeir. III, *c*, cujus personale est *gadobs visan*; *þugkeiþ* videtur Mth. VI, 7; Luc. XIX, 11; Cor. II, XII, 19; græce personale est, quemadmodum alibi gothice (coll. Mc. X, 42; Luc. VIII, 18; Joan. XVI, 2; Cor. I subscript., etc.); *binah* necessum est, Cor. II, XII, 1, sed etiam personale Cor. I, X, 23; *ganah* sufficit Mth. X, 25, personale Joan. XIV, 8: Cor. II, II, 6; XII, 9. Quoad impersonalia aliarum linguarum, ut oportet (δεῖ), pœnitet, pudet, miseret, μέλει gothice sunt personalia: *skulan, ïdreigon sik, skaman sik, arman, karon* (impersonaliter est *karïst*).

II. Triplex est NUMERUS, scilicet: *singularis, pluralis* et *dualis*. Gothus proprio modo dualem usurpat, ubi neque in textu græco (1 pers. act.) neque in N. T. occurrit; sed in oratione tantum, non in narratione utitur, unde ratio est, cur hic numerus in prima et secunda personis tantummodo inveniatur, plurali pro tertia, de qua narratur, adhibito: Joan. X, 30 *ïk jah atta meins ain s i j u*; XVII, 22 *vulþu þanei gaft mis, gaf ïm, ei sijaina ain svave vil* (*ego et pater*) *ain s i j u*; XIV, 23 *jabai was mik friþoþ jah vaurd mein fastaiþ, jah atta meins f r i j o þ ina jah du ïmma g a l e i þ o s jah saliþvos at ïmma g a t a u j o s*; Cor. I, IX, 6 *ïk jah barnabas ni h a b o s valdufni du ni vaurkjan*; Mth. IX, 28-30. *d u a t i d d j e d u n ïesua þai blindans* (duo erant) *jah qad im ïesus*; *g a u l a u b j a t s þatei magjau þata taujan?*

Digitized by Google

qeþun du ïnma jai frauja — jah ïnagida ïns ïesus qiþands : saiwats ei manna ni viti ïþeis usmeridedun ïna ; Mc. I, 16, 17 *warbonds ïesus faur marein gasaw seimonu jah andraian vairpandans nati in marein. vesun auk fiskjans. jah qaþ ïm : hirjats afar mis !* XI, 2-4 *ïesus ïnsandida tvans siponje jah qaþ du ïm : gaggats ïn haim jah bigitats fulan andbindandans ïna attiuhits* (de hac falsa forma vid. supra § 116, annot. 3), *ja jabai was ïggqis qiþai : duwe þata taujats? qiþaits, þatei frauja þis gairneiþ. galiþun þan jah bigetun fulan ;* Luc. XIX, 30-33; Luc. VII, 22 *ïesus qaþ du ïm* (duobus scilicet legatis Joannis) : *gaggandans gateihats ïohannen, þatei gasewuts jah gahausideduts.* In loco dualis exemplis ditissimo Mc. X, 35-39 *at habaidedun sik du ïmma ïaakobus jah ïohannes qiþandans : laisari vileima ei þatei þuk bidjos, taujais unsis. ïþ ïs qaþ ïm : wa vileits taujan mik ïggis? ïþ eis qeþun : fragif ugkis ei — sitaiva in vulþau þeinamma. ïþ ïesus qaþ du ïm : ni vituts wis bidjats, magutsu driggkan stikl, þanei ïk driggka jah daupeinai, þizaiei ïk daupjada ei daupjaindau? ïþ eis qeþun : magu ! ïþ ïesus qaþ : sveþauh þana stikl, þanei ïk driggka driggkats jah þizai daupeinai, þizaiei ïk daupjada...* primo patet, quod passivum dualem non habeat, quippe cum *daupjaindau* pro βαπτισθήσεσθε positum *daupjanda* esse deberet; quod deinde desit pluralis *vileima*; cujus loco *vileiva* spectares. Nec non et pluralis quandoque pro duali usurpatur, ut Mc. XIV, 13-15 *ïnsandida tvans siponje qaþuh du ïm : gaggats ïn þo baurg jah gamoteiþ ïggis manna kas vatins bairands, gaggats afar þamma jah þadei ïnngaleiþai qiþaits — war sind saliþvos — jah sa ïzvis taikneiþ kelikn jah jainar manvjaiþ unsis ;* Luc. XIX, 31 et 33 in eadem interrogatione semel *duwe andbindiþ*, dein *duwe andbindats.* Pluralis etiam solus adhibetur, licet de duobus fiat oratio : Luc. II, 48, 49 *sa atta þeins jah ïk sokidedum þuk. jah qaþ du ïm : wa þatei sokidedu þ mik. niu vissedu þ þatei ïn þaim attins meinis skulda visan?* In priori casu interpres arbitrarie egisse, in posteriori autem minus attentum fuisse minusque stricte ad textum græcum sese accommodasse videtur.

V. INFINITIVUS ET PARTICIPIUM.

§ 188. Verbo et nomini media intersunt infinitivus et participium. Cum verbo hoc commune habent, quod ideam actionis exprimant et regendi aptitudine gaudeant; ab eo autem differunt, quod eorum forma non sit verbalis flexio, sed propria derivatio, vid. §§ 145 *cc*), 148; hinc copulam in se non continent nec ad subjectum referri possunt. Nominibus vero significatione conveniunt.

§ 189. I. INFINITIVUS abstractam verbi ideam exhibet ideoque ex natura sua substantivum est, ex gr. : *ogan* timere (timor), *viljan* velle (voluntas, gal. *le vouloir*), *frijon* amare (amor).

1) Gothicus sermo unum tantum infinitivum præsentis scilicet activi habet, itaque allo deficiente, per eumdem etiam græci infinitivi præt. convertuntur : Luc. I, 9 θυμιᾶσαι per *saljan;* 57 τεκεῖν per *bairan;* IV, 10 διαφυλάξαι per *gafastan;* Rom. XIII, 11 ἐγερθῆναι per *urreisan;* Cor. II, X, 2 τολμῆσαι per *gadaursan;* Phil. III, 11 κατειλημφέναι per *gafahan*, etc. Cum autem Gothus infinitivum conjunctione circumscribendum habet, tunc relationem temporis observat, ut Cor. II, II, 12 *ni habaida gaweilain akmin meinamma, in þammei ni bigat* (τῷ μὴ εὑρεῖν) *teitaun*; VIII, 5 *ni svasve venidedum, ak sik silbans algebun, svaei bedeima* (ὥστε παρακαλέσαι). Sed rectum est etiam quoad sensum X, 2 *bidjam ei ni andvairþs gatrauan* (τὸ θαρρῆσαι).

2) Infinitivi passivi convertuntur

a) Frequenter infinitivo activi, vid. § 177 annot. 4;

b) Circumscriptione cum verbis auxiliariis : Luc. IX, 22 *skal sunus mans uskusans fram sinistam vairþan* (ἀποδοκιμασθῆναι); Cor. I subscript. *du kaurinþium frumei þugkeiþ melida visan* (γεγράφθαι) *us asiai;* Cor. II, V, 11 *venja svikunþans visan* πεφανερῶσθαι) *uns ;*

c) Solutione conjunctionali : Mc. V, 3, 4 *ni manna mahta ïna gabindan, unte ïs ufta naudibandjom eisarneinaim gabundans vas* (διὰ τὸ δεδέσθαι); Luc. II, 3 *iddjedun allai, ei melidai veseina* (ἀπογράφεσθαι) *warjizuh in seinai baurg.*

3) Propter ejus naturam substantivam ponitur infinitivus

a) Etiam pro græcis substantivis et vice versa, vid. § 193, 1;

b) Ut subjectum sententiæ (§§ 207, 2 et 209, 4), sed communius post verba ut objectum sententiæ simplicis;

c) Ubi finis et consibium exprimitur præpositionem *du* ordinario advocat, quod ratio est, cur et in recenti Germanorum lingua *legen* a *zu legen* discriminatur, vid. infra de sententiis compositis.

« Annotatio. — *Du* autem a suo infinitivo vocabulis ad determinandum inservientibus vel ab eo dependentibus separari potest : Rom. VII, 5 *du akran bairan;* XI, 11 *du ïn aljana briggan;* Cor. I, VIII, 10 *du galiugagudam gasaliþ matjan;* Phil. IV, 10 *du faur mik fraþjan;* Thess. II, I, 5 *du vairþans briggan ïzvis;* II, 2 *du ni sprauto vagjan;* Skeir. II, c *du garehsn daupeinais andniman.* »

§ 190. II. PARTICIPIUM ex natura sua adjectivum est. Jam vero duo sunt participia in gothico verbo, participium scilicet præsentis (activum) et participium præteriti (passivum); utrumque triplicem habet terminationem pro triplici genere et plerumque duplicem formam, vocalicam nimirum et consonanticam (§ 103).

1) *Participium activi* formant omnia verba activæ flexionis, ea etiam passivæ siguificationis in *-nan* finita. Quomodo autem declinatio consonantica et vocalica in sing. masc. differant, vid. § 196. Participium activi, quod proprie præsentis significationem præ se fert, etiam pro participio præt. ponitur : Eph. III, 9 κτίσαντα : *qaskapiandin;* Tim. I, I, 12 ἐνδυναμώ-

Digitized by Google

σαντι — θέμενος : *insvinþjandin — gasatjands*; IV, 3 *ἐπεγνωκόσι* : *uſkunnandam*; Rom. VII, 4 *ἐγερθείς* : *urreisands*; Cor. II, XII, 21 *ἐλθόντα* : *qimanda*, *προημαρτηκότων* : *fauratravaurkjandane*, *μετανοησάντων* : *idreigondane*; Joan. XII, 37 *πεποιηκότος*: *gataujandin*; Thess. I, IV, 13 *κεκοιμημένοι*: *þai anasleþandans*, etc. In solis circumscriptionibus cum *vaírþan* ipsa dari potest participium præt., ut *usvena vaurþans* Eph. IV, 19 pro *ἀπηλπικώς*.

2) *Participia passivi* diversæ sunt terminationis, prout a verbo forti vel debili derivantur (§ 103). In quonam autem differat declinatio consonantica et vocalica in ordine ad syntaxim, vid. § 196. Participium pass., quod proprie præteriti significationem habet, etiam pro præsenti quandoque usurpatur; Cor. II, VII, 5 *θλιβόμενοι* : *anapraggana*i; Cor. I, XI, 24 *τὸ κλώμενον* : *þata gabrukano*; Mth. VI, 30 *βαλλόμενοι*: *galagiþ*, etc.

3) Pro sua natura participium sæpe græco adjective respondet et vice versa, sic: *fairinonds* pro *διάβολος* Tim. II, III, 3; *galaubjands* : *πιστός* Cor. II, VI, 15 etc.; *unȝalaubjands*: *ἄπιστος* Mc. IX, 19, etc.; *leitil galaubjands* : *ὀλιγόπιστος* Mth. VI, 30; *uſsliupands* *παρεισακτος* Gal. II, 4; *viljands* : *αὐθαίρετος* Cor. II, VIII, 17; *unwapnands* : *ἄσθεστος* Mc. IX, 43, etc.; *airzjands* : *πλάνος* Cor. II, VI, 8; *uſkausjands* : *ὑπήκοος* Phil. II, 8; *usþulands* : *ἀνεξίκακος* Tim. II, II, 24; *bleiþjands* : *οἰκτίρμων* Luc. VI, 36 cum *bleiþs*; *unliugands* : *ἀψευδὴς* Tit. I, 2; *flautands* : *κενόδοξος* Gal. V, 26; *gamainjands* : *κοινωνός* Cor. I, X, 18; *unuſbrikands* : *ἀπρόσκοπος* X, 32; *sik frijonds* : *φίλαυτος* Tim. II, III, 2, et insuper plurima sunt vocabula cum *φιλ...* composita per *frijonds* explicata: *sik ungahabands* : *ἀκρατὴς* Tim. II, III, 3. — Participium passivum insuper pro verbalibus in *τός*, ut: *andhuliþs* : *ἀκατακάλυπτος* Cor. I, XI, 8; *ungavagids* : *ἀμεταμέλητος* Cor. I, XV, 58; *gavaliþs* : *ἐκλεκτός* Mc. XIII, 20, etc.; *ungafairinoþs*: *ἀνέγκλητος* et *ἀνεπίληπτος* Tim. I, III, 10; V, 7, etc.; *aliþs* : *σιτευτὸς* Luc. XV, 23; *unbi-* et *unfairlaistiþs* : *ἀνεξιχνίαστος* Rom. XI, 33; Eph. III, 8; *laisiþs* : *διδακτός* Joan. VI, 45; *miþþrahunþans* : *συναιχμάλωτος* Col. IV, 10; *fraqiþans* : *ἐπικατάρατος* Joan. VII, 49; *þiuþiþs* : *εὐλόγητος* Eph. I, 3; *galaþoþs* : *κλητός* Cor. I, I, 24; *unusspilloþs* : *ἀνεκδιήγητος* Cor. II, IX, 15; *niuja satiþs* : *νεόφυτος* Tim. I, III, 6; *galulgiþs* *ἀμεταμέλητος* Cor. II, VII, 10; *ga-* et *vailagaleikaiþs* : *εὐάρεστος* Rom. XII, 1; Col. III, 12; etiam pro adjectivis : *unsaltans* : *ἄναλος* Mc. IX, 50; *usagiþs* : *ἔκφοβος* IX, 6, *ganaiviþs* : *ταπεινός* Luc. I, 52; *digans* : *ὀστράκινος* Tim. II, II, 20; *us synagogein usvaurpans* : *ἀποσυνάγωγος* Joan. XII, 42; *ustauhans* : *τέλειος* et *ἄρτιος* Rom. XII, 2; Tim. II, III, 17, etc.; *gakusans* : *δόκιμος* Cor. I, IX, 27, etc.; *ungakusans* et *uskusans* : *ἀδόκιμος* Cor. II, XIII, 5; Tit. I, 16, etc.; *unbeistjoþs* : *ἄζυμος* Cor. I, V, 7; *ungeniþs* : *ἄγαμος* I, VII, 8; *galulgiþs* : *ἱδρεῖος* et *βέβα* ex Col. I, 23; Cor. II, I, 6. E contrario *hails* : *ὑγιαίνων* Luc. V, 31 etc., *ἰσχύων* Mth. IX, 12; *unhails* : *ἀσθενῶν* Luc. IX, 2, *κακῶς ἔχων* V, 31; *siuks* : *ἀσθενῶν* Mc. VI, 56 etc.; *unmahteigs* : *ἀσθενῶν* Rom. XIV, 1 etc.; *gredags* : *πεινῶν* Luc. I, 53; *qius* : *ζῶν* Mc. XII, 27 etc.; *qiþuhafta* : *ἐκ γαστρὶ ἔχουσα* Mc. XIII, 17; *barbs*: *χρείαν ἔχων* Luc. IX, 11; *fravaurhts*: *ἁμαρτάνων* Tim. I, V, 20; *gabigs* : *πλουτῶν* Rom. X, 12; *anavairþs*: *μέλλων* Luc. III, 7 etc., *ἐρχόμενος* Mc. X, 30; *andvairþs* : *παρὼν* Cor. I, V, 3 etc., *ἐνεστώς* Rom. VIII, 38 etc.; *anahaims* : *ἐνδημῶν* Cor. II, V, 9; *afhaims* : *ἐκδημῶν* Cor. II, V, 6; *unvits* : *παράφρονων* Cor. II, XI, 23; *samafraþjis* : *τὸ ἓν φρονῶν* Phil. II, 2; *auhuma* : *ὑπερέχων* II, 3; *vans* : *λείπων* Tit. I, 5; *usvena* : *ἀπελπίζων* Luc. VI, 35; *mahteigs* : *δυνάμενος* Eph. III, 20; *vaurstveigs* *ἐνεργούμενος* Cor. II, I, 6; *inkilþo* : *συνειληφυῖα* Luc. I, 36; *framaldrs* : *προβεβηκώς* Luc. I, 7 etc.; *naus* : *τεθνηκώς* Luc. VII, 12; *dauþs* : *τεθνηκώς* Joan. XI, 44; *riurs* : *φθειρόμενος* IV, 22; *gaurs* : *συλλυπούμενος*; Mc. III, 5; *uslukns* : *σχιζόμενος* Mc. I, 10; *vods* : *δαιμονιζόμενος* V, 15; *ushaista* : *ὑστερηθείς* Cor. II, XI, 8; *þvairhs* : *ὀργισθείς* Luc. XIV, 22; imprimis pro perfecto: *ainakls* : *μονωμένος* Tim. I, V, 5; *anstai audahafts* : *κεχαριτωμένος* Luc. I, 28; *valis* et *liubs*; *ἠγαπημένος* Col. III, 12; Rom. IX, 25 etc.; *daubs* : *πεπωρωμένος* Mc. VIII, 17; *þaursus* : *ἐξηραμμένος* Mc. XI, 20; *gaskohs* : *ὑποδεδεμένος* Mc. VI, 9; *usliþa* : *παραλελυμένος* Luc. V, 18; *saþs*: *ἐκπεπλησμένος* et *κεκοσμένος* Luc. VI, 25; Cor. I, IV, 8; *ganaids* : *τεθραυσμένος* Luc. IV, 19; *banjo fulls* : *ἠλκωμένος* XVI, 20; *usfarfulls* : *πεπισμένος* VI, 38; *garaids* : *διατεταγμένος* III, 13; *invinds*: *διεστραμμένος* IX, 41; *gafulgins* : *κεκρυμμένος* Luc. XVIII, 34 etc.; *veihs* : *ἡγιασμένος* Joan. XVII, 19; *framaþeis* : *ἀπηλλοτριωμένος* Eph. II, 12; *rigizeins* : *ἐσκοτισμένος* IV, 18; *funisks* : *πεπυρωμένος* VI, 16.

4) Participia naturæ adjectivæ esse ex eo probatur insuper, quod cum præfixo *un-* componi possint, licet hanc compositionem verba non patiantur, sic: *unagands*, *unbairands*, *unhabands*, *unkunnands*, *unliugands*, *unrodjands*, *unbaurans*, *unbeistjoþs*, *undivans*, *ungeniþs*, *unþvahans*, *unliugaiþs*, etc., vid. Gloss. v. *Un-*

5) Ut pote adjectiva, etiam substantive usurpantur participia, præcipue cum articulo, vid. § 195; itaque pro græcis substantivis quandoque ponuntur, et vice versa, vid. § 193, 2, quo etiam substantivæ formæ in *-nds* referendæ sunt, vid. § 193, annot.

b) De participio ut temporali, copulativo, causali etc., adhibito, nec non et de ipso circumscripto per *saei* et verbum finitum, vid. ubi de sententia composita agitur.

« Annotatio. — Nonnullorum intransitivorum participia pass. activam significationem habent: Mc. I, 33 *garunnans* conveniens; IX, 33 *qumans* veniens; Joan. VI, 51; III, 31; Mc. VII, 30 *usgaggans* exiens; Joan. IX, 21 *usvahsans* adultus; Tim. II, II, 8 *urrisans* surgens; Tim. I, IV, 7 *usalþans* senex. Ad ea discriminanda sæpe librarius *-ans* pro *-ands* mendose exscripsit, ut Tim. I, I, 3 *galeiþans* pro *galeiþands*, vid. § 116 annot. 2. Raro autem participium act. et pass. eamdem significationem habent, ut Tit. I, 6, 7 *unga-*

Digitized by Google

fairinands et *ungafairinoþs*, utrumque pro ἀνέγκλητος irreprehensus positum. Aliter se habet Mth. xxvi, 75 ubi Gothus, ἐμνήσθη ὁ Πέτρος τοῦ ῥήματος Ἰησοῦ εἰρηκότος αὐτῷ per *gamunda paitrus vaurdis ïesuis qiþanis du sis* convertens, *qiþamis* ad *vaurdis* refert (verbi Jesu, quod dictum est ei), cum ad *Iesuis* referre debuisset (qui dixerat illi). Minus adhuc congruenter Mc. xv, 28 ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα activum eodem modo in passivum commutatum est in interpretatione *usfulluoda þata gamelido þatn qiþano.* »

II. NOMEN.

I. SUBSTANTIVUM.

§ 191. A. Appellativum.

1. De genere.

1) In gothico sermone *neutrum* etiam genus est naturale, cum nec masculinum nec femininum excludat (ut ejus nomine indicatur), sed *utrumque* amplectatur et coadunet. Jam vero neutrum non tantum occurrit ut genus proprium nonnullorum substantivorum, quæ infra *a*) et *aa*) subjecimus, sed etiam in quibusdam constructionibus, cum scilicet pronomen vel numerale ut subjectum inserviens, sed ad masculinum simul et femininum relatum, in neutro ponitur, vid. § 209, 3. *Masculinum* autem genus est princeps, agentibus proprium, dum *femininum* vocabulis derivatis et motionis capacibus peculiariter reservatur.

a) *Naturale genus.*

aa) *Neutrum* in sensu supra dicto, id est, masculinum et femininum in se continens, genus est nominis Dei, *guþ*, quod si recentius, influente christiana religione, ut masculinum usurpatum fuerit, primitive saltem neutrum est (nec attendendum est ad peculiare vocabulum *gud* pro falsis deis reservatum, propter plur. *guda* Joan. x, 34, 35, cum Gal. iv, 8 stet etiam *guþa*) et significat divinitatem, non solum ejus ideam et cogitationem, sed eam ut deum et deam exhibens, unde confirmatur Gothorum polytheismus. Eodem modo sibi effingebant *skohsl* dæmonemut riusque generis. Insuper neutra sunt *barn* filius (τέκνον) et diminutivum *barnilo* filiolus, (τεκνίον, τεκνίδιον), *fadrein* parentes (pater et mater), *gaman* comes, *þevis* minister (ancillus et ancilla); masculina autem sunt *frasts* puer, licet Cor. II, vi, 13 non ad homines peculiariter referendum sit, et *manna* homo, quia de mare præcipue cogitatur.

bb) Ut *masculina* cum eorum respondentibus *femininis* occurrunt : *vair*, raro *guma* vir — *qino* femina, *juggalauþs* adolescens — *magaþs* virgo, *magus* puer — *mavi* puella, *magula* puerulus — *mavilo* puerula, *aba* vir — *qens* mulier, *atta* et (tantum Gal. iv, 6 in exordio) *fadar* pater — *aiþei* mater, *sunus* filius — *dauhtar* filia, *broþar* frater — *swistar* soror, *megs* gener — *bruþs* nurus, *svaihra* socer — *svaihro* socrus, *bruþfaþs* sponsus, *niþjis* germanus (συγγενής) — *niþjo* germana ; *avo* avita masculinum *ava* supponit, sicut et ex *viduvo* vidua *viduva* viduus grammaticaliter præjudicandum est.

cc) Absque femininis autem respondentibus ut masculina occurrunt nomina personarum, quæ munere, ministerio quolibet, etc., funguntur : *reiks* dominator, *kindins* urbis præfectus, *þiudans* rex, *frauja* dominus, *fauramaþleis* præsul, *andbahts* minister, *skalks* servus, *asneis* mercenarius, *hairdeis* pastor, *aurtja* hortulanus, *kaaja* figulus; *gadrauhts* miles, *hunda-* et *þusundifaþs* centurio, etc., *veiha* presbyter, *staua* judex, *sakjis* pugnator, *andastaþjis* adversarius, *veitvods* testis, *bokareis* scriba, *airus* nuntius ; *vaírdus* caupo, *gasts* hospes, *gadauka* inquilinus, *gahlaiba* comes, socius, *gadaila* particeps, *gasinþa* socius itineris, *gataista* dux, *liuta* hypocrita, *þiubs* et *hliftus* latro, *hors* adulter cum feminino respondente *kalkjo* adultera, *naus* homicida ; *liuþareis* cantor, *vullareis* custos, *laisareis* magister, et alia in *-eis*, vid. § 67.

dd) Præter substantiva litteris *bb*) subjecta, *ut mobilia* adhuc occurrunt : *þius* servus cum fem. respondenti *þivi* serva, ancilla, *dauravards* janitor cum fem. *dauravarda* et *dauravardo* janitrix, *vaurstva* et *gavaurstva* operarius, cooperarius, ejus femininum *vaurstivo* operaria ex *unvaurstivo* Tim. I, v, 13 cogitandum est ; *arbja* hæres m. — *arbjo* hæres f., *garazna* vicinus — *garazno* vicina, *praufetus* propheta — *praufeteis* prophetissa ; in *unhulþa* malignus — *unhulþo* maligna femininum primitus exstitisse videtur, vid. gloss. h. v. ; neutrum *gajuko* socius Phil. iv, 7 cum masc. *gajuka*, *gaskalki* conservus Col. i, 7; iv, 7 cum *skalks* significationem diminutivam, sed amicitiæ et dilectionis more græco et latino habere videntur ; item neutrum *þevis* Col. iii, 22 ; iv, 1 cum *þius ;* contra autem neutrum *gumein* ex adjectivo *gumeins*, Tim. II, iii ; 6 etiam diminutivum est, sed in malam partem ; idem cum *qinein* Mc. x, 6 , non equidem in pravum sensum, pro *mari* et *femina* ponitur, sed *fadrein* ad hoc vix referri potest, multo minus *gaitein* Luc. xv, 29, cum hæc animali non applicari possint.

ee) *Abstracta* vel collectiva, ut populus, exercitus, ecclesia, etc. Omnia sunt feminina, ut *þiuda* populus, *hansa* turba, *filusna* et *managei* multitudo, *ïumjo* impedimenta, *gamaiņþs* ecclesia, *vriþus* et *hairda* exercitus ; *hiuhma* vero multitudo masculinum est, *tevi* turba et *aveþi* exercitus navalis neutra.

ff) E nominibus bestiarum neutra sunt generica *dius* et obscurum *biari* bestia necnon et *faihu* pecus ; inter specifica tantummodo *lamb* agnus et *svein* porcus ; masculina sunt generica, ut *fugls* avis, *fisks* piscis, *vaurms* vermis et specifica *stiur* aper, *auhsus* et *auhsa* bos, *viþrus* hircus, *gaits* caper, *fula* pullus, *asilus* asinus, *hunds* canis, *vulfs* lupus, *ulbandus* elephas (camelus), *ahaks* columba, *ara* aquila, *hana* gallus, *sparva* passer, *nadrs* vipera, et forsan *maþa* vermis ; feminina autem sunt *faulo* vulpes , *kalbo* juvenca , *gaitei* capra , *hraivadubo* turtur, *þramstei* lacerta, *malo* tinea.

Digitized by Google

b) ***Grammaticale genus.*** Hic dicendum habemus, quonam modo genus objectorum inanimatorum determinatum fuerit. Cujus ratio plerumque nos fugit, tempore quo fuit accommodatum, nimium remoto. Nonnulla tantum objecta, nunc adhuc secum generis originem præ se ferunt, nempe mythologiam; itaque, documentis ex ipsa lingua deficientibus vel non satis cognitis, ad religiones fabulasque Borealium populorum in explicando illorum genere recurremus.

aa) Eodem prope modo illustratur genus nominum solem et lunam designantium. Sed ea insignis adest discrepantia inter classicos et germanicos populos, quod priores solem masc. et lunam fem., posteriores autem viam inversam tenuerint. Gothi igitur *sunno* sol fem. et *mena* luna masc. fecerunt, quia juxta illorum populorum mythologiam luna *Mani* filius est *Mundilfœris*, solem autem *Sol* ejusdem filia et *Glenrs* sponsa. Gothus equidem pro sole etiam masculinam formam *sunna* et neutram *sauil* habet, sed præter quod fem. *sunno* communior est (Mth. v, 45; Luc. iv, 40; Eph. iv, 26; Neh. vii, 3), duæ aliæ formæ non nisi apud Marcum occurrunt (*sunnin urrinnandin* iv, 6; xvi, 2; *gasaggq sauil* i, 32, *sauil riqizeiþ* xiii, 24) et in masculinam græc. et lat. probabiliter influxerunt. Quod ad diversas radices attinet, *sunno* antiquius, *sauil* recentius nomen esse dici potest, si *Eddæ* (*Alvismal* 16, 1, 2 *sol heiter med mönnum, en sunna med goþom*, id est, *Sol* vocatur inter homines, sed *Sunna* apud deos) fides adhibenda sit; cæterum etiam a Græcis nomina objectorum qualia apud Deos vigent ut antiquiora nominibus apud homines usurpatis tradebantur (vid. Gœttling in *Hesiod. Theogon.* 831).

In veteri Borealium lingua *Sol* etiam femininum est; gothicum autem *sauil*, forma neutrum, inter *sunno* et *sunna*, ut naturale neutrum, id est, masculinum et femininum in se complectens stare posset, vid. supra 1). Non fundata naturali genere sunt insuper *tuggl* astrum, neutrum, et *stairno* stella, femininum.

bb) Ex mythologia etiam illustratur *nahts* nox fem. et *dags* dies masc., quippe cum in septentrionalibus mythis *Nott* filia est *Nörvis* et ex *Delinger* filium *Dagr* habuit. *Andanahti* autem vesper, quemadmodum aliæ temporis designationes *mel* et *þeihs* tempus, *jer* et *ataþni* annus, neutra sunt, ut potę ideæ abstractæ. An *aþns* masc. vel *aþn* neutr. sit, dubium est; nec *uhtvo* mane fem., sicut et *viko* hebdomas fem., *aivs* masc. et *ajukduþs* fem. (αἰών) non habent, quo explicentur. *Nott* alteram filiam habuit ex *Anar*, scilicet *Jörd*h, *Odini* sponsa, unde *airþa* terra fem.; *himins* autem cœlum masc. est, nescio qua ratione mythologica. Jam vero *Hal Lokis* erat filia, hinc *halja* inferus fem. Fratres ejus, ignis, aer et mare masculina sunt in gothica lingua, vel saltem *luftus* aer et *saivs* mare (nam *marei* mare fem. est); ignis masc. in *auhns* caminus, quod cum *Agni* ignis deo apud Indos collatum, vestigia reliquisse videtur. Ex his tamen elementis etiam neutra sunt: *fon* ignis et *vato* aqua. Ex mythologia masculina illustrantur: *vintrus* hiems, *vinds* ventus (*vis* autem turbo neutrum est), et probabiliter etiam *menoþs* mensis et *maurgins* mane; insuper *snaivs* nix (*rign* vero pluvia neutrum), et etiam *vegs* fluctus, *flodus* fluvius (sed *awa* est fem.), *brunna* fons; difficile autem vocabulum *milkma* nubes in solo tantum sermone gothico occurrens, explicatur. Deus tonitru et fulguris nulla equidem vestigia [fecit;] ejus saltem phenomena gothice traduntur: *lauhmuni* fulgur et *þeiwo* tonitru, utrumque fem.]

cc) In nominibus *plantarum* jam non adest relatio ad personas, earum virore (masc.) forsan vel ariditate (neutr.) tantum spectatis. Sunt saltem masculina *bagms* arbor et etiam *asts* ramus, *valus* et *vandus* virga, *tains* stipes, *laufs* folium, *bloma* flos, *þaurnus* vepres; solum *vaurts* radix femininum est. Sed contra neutra sunt *triu*, quod non solum est omnium majorum arborum nomen genericum, sed vocabulum græco δόρυ omnino respondens, germanico *Stock* (unde nom. germ. *Weinstock* goth. *veinatriu*), ordinario aridum lignum indicans (ξύλον Mc. xvi, 42, 48); *fraiv* semen, *basi* bacca, *akran* fructus (masc. *smakka* ficus peregrinum est), *ahs* spica, *kaurn* frumentum (et cætera cerealia, excepto *vaiteis* triticum masc.), *kaurno* granum frumenti; *raus* arundo, *gras* herba in genere, legumen et *havi* fœnum; sed *ahana* palea femininum est. Quoad vero nomina peculiarium plantarum *vigadeino* carduus et *aiwatundi* spinæ sunt fem.; *sinaps* autem sinapis et *svamms* fungus masc.

dd) In regno tandem inorganicorum deficit omnis relatio ad personas, nec jam determinare genus ex significatione possibile est. Metalla tantummodo sunt in genere neutra: *galþ* aurum, *silubr* argentum, *eisarn* ferrum, *aiz* æs. Ex aliis autem metallis sunt: *salt* sal neutr.; *stains* lapis, *hallus* rupis, *malma* arena, *stubjus* cinis, *svibls* sulfur, masc.; *þaho* argilla et *mulda* cinis fem.

Quod ad nomina geographica attinet, neutra sunt in genere *land* terra et *gavi* rus; feminina *fera* locus, *marka* terminus; *fairguni* mons neutr. est, *klains* collis masc.; an vallis *dal* (neutr.) vel *dals* (masc.) dicatur, incertum; *driuso* clivus et *iddaljo* descensus fem.; *vigs* via est masc.; sed dubium est an iter *gaggs* (masc.) vel *gagg* (neutr.) sit; *staiga* autem gradus fem. est; altum est *fileyri* neutr. vel *hulundi* fem.; urbs *baurgs* et vicus seu pagus *haims* fem. sunt, *veihs* autem neutr.

« Annotatio. — Sed multo difficilius determinari potest genus aliarum classium objectorum. Sic:

« 1) Ex *partibus animalis corporis* in genere: corpus *leik* et sanguis *bloþ* neutr. sunt; caro *mammo* (σάρξ) fem. et *mimz* (κρέας caro manducanda, etc.) neutr., adeps *smairþr* neutr.; lana *vulla* fem., capillus *tagl* et *skuft* (coma) neutr.; membrum *liþus* masc.; caput *haubiþ* neutr.; cranium *wairnei* fem., facies *ludja* (id est pars capitis capillis nudata, vid. Mth., vi, 17) est fem., *vlits* et *andavleizns* (facies) masc.;

Digitized by Google

hæc tria vocabula faciem significant, in quantum ea ea unus ab aliis discriminatur; abstracta *andvairþi* et *andaugi* (facies, pars antica per oppositionem ad posticam partem) neutr. sunt; oculus *augo* una cum lacrymis ex eo rorantibus *tagr* et ciliis (superciliis) hunc custodientibus *braw* neutr. est (nisi Cor, I, xv, 52 loco *brawa* legendum sit *brawai*, et vocabulum ipsum *brawa* sit et fem.), nec non et auris *auso* neutr.; gena *kinnus* fem., os (oris) *munþs* masc., os bestiarum dicitur probabiliter *mul* et neutr. est (coll. Cor. I, IX, 9 *faurmuljan auhsau* os bovis alligare); labium *vairilo* et lingua *tuggo* fem., dens *tunþus* masc., collum *hals*, cervix *halsagga*, humerus *amsa* (vel etiam *aksa*) et brachium *arms* masc. sunt; manus autem *handus* fem., sed manus mortua *lofa* et digitus *figgrs* iterum sunt masc.; sinus *barms* masc., sed pectus *brusts* est fem., quod vertitur etiam viscera, licet adsit insuper nomen neutr. plur., scilicet *hairþra;* cor *hairts* neutr.; coxa *hups* est masc., stomachus (κοιλία, στόμαχος) *qiþus* masc., sed *vamba* venter (κοιλία, γαστήρ) fem.; genu *kniu* neutr. est, pes *fotus* masc. et calx *fairzna* fem.;

« 2) Ex humanis productibus:

« *a*) *Habitatio* et ea quæ ad habitationem *pertinent :* domus, et quæ in ea sunt, gothice est *gards* masc. (hinc hoc voc. etiam de familia dicitur), habitaculum *hus* neutr., et *razn* neutr. quod designare videtur domum primitive tecto mere superposito constantem vel ex opere ligneo confectam (unde in angl. sax. *ræsen* est tabula vel contabulatum tectum), ponitur ergo pro domo ædificata, minor enim domus, casa, dicitur *hleiþra* fem.; domus tandem, in quantum est diversorium gothice est *saliþvos* plur. fem.; templum *alhs* masc. est, *gudhus* autem neutr. Murus *vaddjus* fem., nec non fundamentum et medialis murus *grundu* — et *miþgardavaddjus*, lapis angularis *vaihstastains* masc., pinnaculum *gibla* masc., tectum *hrot* neutr., id quo operitur (tegula, later) *skalja* fem., trabs *ans* masc., columna *sauls* etiam fem., palus *gairu* neutr. (? et *hnuto* fem.); porta *haurds* fem. et *daur* neutr., plurale tantum *daurons* fem. vulvas bipatentes significat; fenestra *augadauro* neutr.; aula *rohsns*, conclave *ubizva* et cubicule *heþjo* fem. sunt, cœnaculum (ἀνώγεον) vel turris (πύργος) *kelikn* neutr. est. Secundaria ædificia: horreum *banstz* masc., area *gaþrask* neutr.; stabulum *garda* masc. et peculiariter ovile *avistr* neutr.; molestrina *qairnus* masc. Græc. ἀγρός diverso modo gothice vertitur : campus, ager *haiþi* fem. per oppositionem ad urbem; *haimoþli* neutr. ut objectum possessionis, *akrs* masc. relative ad ejus scopum, *atisks* masc. vel *atisk* neutr. præsertim satum; pascuum *vinja* est fem., hortus autem *ragg* neutr. vel *vaggs* masc.; oletum *aurtigards* et vinetum *veinagards* masc., sepes *faþa*, fossa *graba* et *groba* fem. sunt. Extra domum : platea *fauradauri* neutr., quod etiam viam designat, alias *gaggs* masc. (? *gagg* neutr.), *plapja* et *gatvo* fem.; emporium *maþls* masc. est. Sepulcretum *hlaivasnos* plur. fem., sepulcrum autem *aurahi* fem. vel *hlaiv* neutr.

« *b*) *Vestimenta* (*gavaseins* vel *vastjos* utrumque fem., posterius autem plur.) conficiuntur ex lino *lein* neutr.; pannus dicitur *fana* masc. vel *plats* neutr. Nomen genericum vestimentorum erat *vasti* fem. triplicem speciem amplectens : toga (gall. *le vêtement de dessous*) *paida* fem. (peregrinæ originis), tunica (gall. *le vêtement de dessus*) *snaga* masc. et pallium *hakuls* masc.; toga cingulo *gairda* fem. retinebatur; togæ fimbria *skauts* masc. Pedibus aptabantur sandalia *suljos* fem. plur. aut calceamenta *skoh* vel *gaskoh* neutr. (? *skohs* masc.), quæ corrigiis *skaudaraip* neutr. alligabant. Inter ornamenta mulierum erat peplum *hulistr* neutr.

« *c*) *Supellectilibus* et *instrumentis* habes : lectum *ligrs* masc., *badi* neutr.; pulvinar *vaggari* neutr., sedile *sitls* et cathedra *stols* masc.; mensa *biuds* masc.; scabellum *fotubaurd* neutr.; velum *faurhah* neutr.; speculum *skuggva* masc.; lucerna *lukarn* neutr., et candelabrum *lukarnastaþa* masc.; tæda *hais* neutr. Vas in genere, imprimis terrenum, *kas* neutr., urna *aurkeis*, calix *stikls*, lebes *katils* masc. sunt; arca *arka* fem., uter *balgs* et saccus *sakkus* masc., nec non et peregrinum *spyreida* sporta, dum gothica *snorjo* corbis corticibus vel filis confecta, et *tainjo* sporta virgis texta fem. sunt, item laqueus *hlamma* et *vruggo*, vinculum *bandi*, compes *kunaveda;* sed flagellum *gazds* et crux *galga* masc. sunt; fem. sunt insuper acus *neþla*, securis *aqizi*, falcula *gilþa*, ventilabrum *vinþiskauro*, aratrum autem *hoha* est masc. et rete *nati* neutr.; navis *skip* est etiam neutr., sed ejus puppa *nota* masc. est.

« *d*) *Arma* (*sarva* et *vepna* utrumque neutr. plur.) sunt : galea *hilms*, clypeus *skildus* et gladius *hairus* masc., probabiliter etiam *mekeis* (masc.) loco *meki* (neutr.) legendum est, quippe cum in vicinis sermonibus masc. est; thorax *brunjo* et telum *arwazna* sunt fem., lancea (ex palo ferreo orta) dicitur *triu* (vid. Mc. XIV, 43).

« *e*) *Monetæ*, *mensuræ*, etc. : argenteus nummus in genere et mna in particulari *skatts* masc.; ex monetis minoribus *skilliggs* tantum gothicum est; aliæ, *drakma* scilicet drachma, *kintus* denarius et *assarjus* as peregrinæ sunt originis, et omnes masculinæ. Modius *mela* est etiam masc., sed *aleina* ulna fem. et *pund* libra neutr.

« *f*) *Cibus* (*mats* masc.) et *potus* (*dragk* neutr.) : panis *hlaifs* masc. est, farina (ex aqua subacta) *daigs* etiam masc., sed fermentum *beist* neutr.; caro vid. supra 1). Oleum *alev*, mel *miliþ* et vinum *vein* neutr. sunt; sicera *leiþus* et acetum *akeits* masc., et lac *miluks* fem. »

3) Plurima vocabula, quæ artem, munus, negotium, habitumve significant, etiam personas, quæ his arte, munere, etc. funguntur, designant, ex. gr. : *airus* legatio et legatus, *gaman* societas et socius, *fidurragineis* tetrarchia et tetrarchus (coll. ad Luc. III, 1); Luc. IX, 52 *iesus insandida airuns* (ἀγγέλους)

Digitized by Google

faura sis; XIV, 32 *insandjands airu* (πρεσβείαν) *bidjiþ gavairþjis;* Cor. II, XIII, 13 *gaman* (κοινωνία) *ahmins veihis miþ izvis;* Philem. 17 *jabai mik habais du gamana* (κοινωνόν) *andnim þana sve mik;* Luc. III, 1 *raginondin puntiau peilatau tudaiu jah fidurraginja* (sub tetrarchia) *þis galeilaias herodeis filippauzuh þan fidurraginja þis ituraias;* Rom. XI, 34 *was imma raginеis* (σύμβουλος) *vas?* Pro aliis vero, alia datur forma, ut *faurama þleis* (ἄρχων) et *fauramaþli* (ἡγεμονία); *fauragaggja* (οἰκονόμος) et *fauragaggi* (οἰκονομία); *praizbytairеis* (πρεσβύτερος) et *praizbytairei* (presbyteratus).

§ 192. II. De *numero* hoc est animadvertendum:

1) Quod *pluralia tantum* sint: *berusjos* majores, *broþrahans* fratres (ἀδελφοί); *brusts* pectus, viscera, *hairþra* viscera; *bokos* litteræ, epistola; *sarva* et *vepna* arma, *vegos* fluctus; *daurons* (vulvæ) porta, fores; *saliþvos* diversorium, *hlaivasnos* sepulcretum, *veinatriva* vinetum, *laubos* frondes. Econtrario Gothus concreta plur. græca abstractis sing. exhibet, ut *skufts* coma pro τρίχες capilli. Sententias autem, quas Græcus in plurali tantum numero exhibere studet, in singulari Gothus, nulla occasione data, convertit, ut: Mth. VIII, 11 πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν (hoc est, ex orientalibus et occidentalibus regionibus) ἥξουσι quod sic tradit: *managai þram urrunsa jah suggqa* (ab oriente et occidente) *qimand;* *inniujiþa* innovationis (restaurationis) festum ponitur apud Joan. X, 22 pro τὰ ἐγκαίνια; *mel gabaurþais* dies nativitatis Mc. VI, 21 pro τὰ γενέσια. Τὰ εὐώνυμα et τὰ τὰ δεξιά (omne quod a sinistris et a dextris est, id est, sinistrum dextrumque latus) singulariter tantum vertitur apud Mc. X, 37, etc., sinistra et dextra (manus vel latus), addito etiam *fera.* Joan. XIII, 12 ἔλαβε τὰ ἱμάτια (vestem) αὐτοῦ gothice exponitur *nam vastjos seinos*, ubi *vastja seina* suffecisset, sed tunc *vastjos* significat vestimentum (ἱματισμός, ἔνδυμα Luc. VII, 25; Tim. I, II, 9; Mth. VI, 25, 28). Vocabula autem græca tum in singulari, tum in plurali occurrentia κόλπος et κόλποι (gremium), οὐρανος et οὐρανοί (cœlum) diverso etiam numero gothice redduntur *barms* (Luc. XVI, 22) et *barmeis* (vs. 23), *himins* (Mth. V, 16) et *himinos* (vs. 18, etc.). Plurima alia vocabula in plurali frequentius ponuntur, quæ tamen non pluralia tantum sunt, ex. gr.: *aviliuda* (gratias, gratiarum actiones) pro εὐχαριστίας vid. ad Tim. I, IV, 3.

2) Nec non et vocabula abstractæ significationis in plurali poni possunt: Luc. I, 16 *garaihteins* propr. justitiæ (hic præscriptiones legales δικαιώματα); præcipue in altera ad Corinthios epistola: I, 3 *bleiþeins* misericordiæ (οἰκτιρμοί); I, 10 *dauþjus* mortes et XI, 23 *dauþeineis* mortis pericula (θάνατοι); V, 11 *miþvisseins* conscientiæ (συνειδήσεις); VII, 5 *agisa* timores (φόβοι); VIII, 14 *þarbos* inopiæ (non concretum, sed plur. abstractum gr. ὑστέρημα); XI, 27 *lausqiþreins* jejunia, id est tempus quo jejunandum est (νηστεῖαι). Item Cor. I, VII, 19 *fastubnja anabusne* (observationes præceptorum (τήρησις ἐντολῶν) ut plurale habendum est, vid. § 70, cum formatio in *-bnja* non sit probabilis, § 145 *cc*) γ). Ex constructione autem gothica explicatur, si Cor. II, I, 3 stet *guþ allaizo gaþlaihte* (omnium consolationum, hoc est, omnis consolationis θεὸς πάσης παρακλήσεως); IV, 2 *in allaim miþvisseim* (πρὸς πᾶσαν συνείδησιν); VI, 14 *wo gamainduþe* (quæ communiones, quæ communio τίς κοινωνία), vid. infra §§ 205 et 215 annot. 1. Apud Mth. VIII, 14 equidem stat *lag in heitom* (in febribus), sed hujus loco singulare *in heiton* probabiliter legendum est, cui non tantum sequentia *aflailot iza so heito* conveniunt, sed etiam parallelus locus Mc. I, 29, ubi adest *lag in brinnon*, respondet.

3) Cum loco abstracti concretum usurpatur, hoc posterius pluralem induit formam: συνοδία iter vertit Ulfilas Luc. II, 44 per *gasinþans* itineris comites, viatores; οἶκος domus Cor. I, I, 16 per *gadaukans* inquilini; τράπεζα tabula argentariorum Luc. XIX, 23 *skattjans* argentarii; μάκελλον macellum Cor. I, X, 25 *skiljans* carnifices; ἀκροβυστία incircumcisio Eph. II, 11 *unbimaitanai* incircumcisi. Hinc etiam participia et adjectiva: τὸ ἀπολωλός perditum Luc. XIX, 10 *þai fralusanans* perditi; τὸ ἴδιον proprium Joan. XV, 19 *svesai* proprii. Nec non et Joan. VI, 37 πᾶν ὁ (omne, quod) per *all þatei*, imo pro πρεσβύτεροι presbyteri Tim. I, V, 19; Tit. I, 5 *praizbytairei* (presbyterium).

§ 193. Sæpe græca et gothica sibi invicem respondent, scilicet:

1) *Infinitivi* et *substantiva: siuns* visus τὸ βλέπειν; *mats* Luc. VIII, 55 cibus φαγεῖν; *anaqal* Thess. I, IV, 11 tranquillitas ἡσυχάζειν; *liugos* Tim. I, IV, 3 matrimonium γαμεῖν. Et vice versa: *afslauþnan* stupefieri Luc. IV, 36 θάμβος; *guþ blotan* colere Deum Tim. I, II, 10 θεοσέβεια; *lausjan* separare Cor. I, VII, 27 λύσις; *du fiskon* ad piscandum Luc. V, 4 εἰς ἄγραν; *viþragamotjan* et *du gamotjan* ad contradicendum Joan. XII, 13; Thess. I, IV, 17 εἰς ὑπάντησιν; *fastan jah bidjan* jejunare et orare Cor. I, VII, 5 νηστεία καὶ προσευχή.

2) *Participia* et *substantiva:* Luc. II, 27 *siuhti* consuetudo pro τὸ εἰθισμένον (nisi Gothus τὸ ἔθος cum D hic legerit quemadmodum I, 9; II, 42); IV, 16 τὸ ἰωθός; IV, 5 *midjungards* terra (habitabilis) ἡ οἰκουμένη; VIII, 3 *aigin* facultates τὰ ὑπάρχοντα; XIV, 33; XVI, 1; XIX, 8; *aihts* res τὰ ὑπάρχοντὰ Cor. I, XIII, 3; Phil. III, 8 *ufarassus* superfluitas τὸ ὑπερέχον; Matth. VIII, 16 *daimonareis* dæmoniacus δαιμονιζόμενος, δαιμονισθείς Luc. VIII, 36, etc.; Esdr. II, 41 *liuþareis* cantator ὁ ᾄδων; Luc. XX, 17 *timrjans* agricolæ οἱ οἰκοδομοῦντες, etc. Item Luc. I, 27; II, 5 παρθένος μνηστευμένη desponsata virgo convertitur *magaþ in fragiftim;* III, 23 ἦν Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος *vas iesus sve jere þrigetigive uf gakunþai* (sub manifestatione ejus, id est, tanquam docentis, quemadmodum etiam Euthymius explicat: « ἀρχόμενος τῆς εἰς τὸν λαὸν ἀναδείξεως αὐτοῦ ἤτοι τῆς διδασκαλίας. » Et vice versa: *usguldan* Luc. XIV, 12 redditum ἀνταπόδομα; *galeikaiþ* X, 21 quod delectatur εὐδοκία

Digitized by Google

delectatio; hinc Gal. II, 15 ἡμεῖς φύσει (ex natura) Ἰουδαῖοι vertitur *veis Iudaieis visandans* (qui sumus); Rom. XI, 24 παρὰ φύσιν *aljakuns visands*; Cor. I, VII, 6 τοῦτο λέγω κατὰ σύγγνωμην *þata giþa gakunnands*; XVI, 7 ἐν παρόδῳ ἰδεῖν *þairhleiþands saiwan*; Tim. I, III, 4 τέκνα ἔχειν ἐν ὑποταγῇ *barna haban ufhausjandona*; Thess. II, III, 8 ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ *vinnands arbaidai*.

« Annotatio.—Una cum substantivis in *-nds* de quibus § 85, quæque proprie sunt participia, sed propriam habent declinationem, participia præs. etiam pro substantivis usurpantur. Sed tunc tantum discerni potest, utrum sint proprie substantiva vel participia, cum nec in nominativo sing. nec in dativo plur. occurrunt: Cor. II, IX, 7 *hlasana giband* (δότην) *frijoþ guþ*; Luc. V, 5 *qaþ du imma: talzjand* (ἐπιστατα); Luc. I, 47 *svegneid ahma meins guþa nasjand* (σωτάρι) *meinamma*; Tit. I, 3 *bi anabusnai nasjandis unsaris*; Luc. I, 58 *hausidedun bisitands* (περίοικοι); IV, 14 *gavi bisitande* (ὐ περίχωρος); VII, 17 *usiddja þata vaurd and alla Iudaia jah and allans bisitands* (περιχώρους). Item *fijands* (ἐχθρός) et *frijonds* (φίλος), vid. gloss.; *fraujinonds* (δεσπότας) non enim *fraujinond*, ut ad Luc. II, 29, adjective sumendum est, et consequenter *fraujinonds* legendum, vid. Mc. IX, 25 *ahma þu unrodjands*). Sunt autem participia ex. gr. : *airzjands* (πλάνος) deceptor, quia Cor. II, VI, 8 *airzjandans* ponitur; item *lutonds* (φρενατάπτης) Tit. I, 10; *galeikonds* (μιμητής) Thess. I, II, 24; *hatands* (ἐχθρός) Luc. VI, 27. Incerta sunt Cor. II, VI, 18 *alltvaldands* (παντοκράτωρ); Tim. I, II, 5 *midumonds* (μεσίτης); I, II, 7 *merjands* (κήρυξ); II, I, 11; Mc. XIV, 7 *drobjands* (στασιαστής). Altera nota, qua dignosci potest participium, in eo est, quod casus, quem verbum regit, sequatur : Eph. V, 1 *galeikondans guþa*; Mth. X, 25 *sa gard a valdands* (οἰκοδισπότης); Eph. VI, 12 *sa fairwu habands* (κοσμοκράτωρ). Plura duplicem habent formam, ut *daupjands* βαπτίστης, quod accusativo *daupjand* Mc. VIII, 28 substantivum, genitivo autem *daupjandins*, dativo *daupjandin* (Mth. XI, 11, 12, etc.) participium est. Quod autem hæc participia etiam substantive usurpentur, ex eorum connexione cum possessivis constat, ut Cor. I, II, 1 *galeikondans meinai*; ideo etiam *fraveitands allaize* (ἔκδικος) Thess. I, IV, 6 participium esse potest. »

3) *Adjectiva* et *substantiva*, vid. § 196, II, *d*.)

4) Participia, adjectiva, numeralia, adverbia, etc., substantive ponuntur, vid. §§ 195, IV; 196, 197.

§ 194. B. Nomen proprium.

1) De formis nominum propriorum vid. § 94 sqq.

2) *Nomina urbium*, quæ in græco sermone pluralia tantum sunt, non semper talia gothice vertuntur, sic Athenæ est equidem *aþeineis* Thess. I, III, 2 propter Ἀθῆναι, et verisimiliter etiam *lystros* Tim. II, III, 11 pro Λύστροις a Λύστρα; sed contra græc. Φίλιπποι Cor. I et II subscript. singulariter exponitur, scilicet *filippa* Mth. V, 35, etc., Ἱεροσόλυμα sing. *Iairusaulyma*, vid. Gloss. hh. vv., necnon et *saudauma* et *gaumaurra* Rom. IX, 29 quæ ut sing. fem. habenda sunt.

3) Pro nominibus urbium et regionum frequenter adhibentur nomina populorum : Luc. X, 12 *qiþa izvis þatei saudaumjam* (Sodomitis gr. Σοδομαις sodomis) *suiþo vairþiþ þau þizai baurg*; Cor. II, XI, 10 ἐν κλίμασι τῆς Ἀχαίας in terra Achaiæ goth. *in landa akaje* in terra Achaiorum. Sed XI, 32 adest *baurgs damaska* urbs Damascus, pro Δαμασκηνῶν πόλις (urbs Damascenorum, ita ut adjectivum pro genitivo sit). Et tandem horum nominum loco usurpatur compositum vel appositio, ut pro terra Judæa (Ἰουδαία χώρα) Mc. I, 5 *iudaialand*.

§ 195. Cum substantivum significat objectum antea notum vel proxime determinatum, recipit *articulum*.

I. Jam vero objectum nosci potest sive per contextum, sive per se, sive ut antea notum proponitur.

1) Objectum ex contextu nosci potest,

a) Cum scilicet de eo supra mentio facta est : Mth. V, 25 *sijais vaila hugjands andastauin* (sine articulo) *þeinamma. ibai wan atgibai þuk sa andastaua stauin jah sa staua þuk gibai andbahta*; VIII, 8 *sa hundafaþs* (scilicet vs. 6 indigitatum) *qaþ*; 15 *aflailot ija so heito*, vs. 14 *ligandein in heitom* stante; item Mc. I, 31 *so brinno* propter *in brinnon* vs. 29; Mth. VIII, 24 *þata skip gahuliþ varþ*, vs. 23 prædente *innatgaggandin in skip*; IX, 15 *ibai magun sunjus bruþfadis qainon und þata weilos þei miþ im ist bruþfaþs. iþ atgaggand dagos, þan afnimada af im sa bruþfaþs, jah þan fastand*; Mc. II, 20; Mth. IX, 22 *ganas so qino, qino bloþarinnandei* vs. 20 præeunte; 28 *duatiddjedun imma þaiblindans* (scilicet *twai blindans* de quibus vs. 27 mentio fit); XXVII, 11 *ïesus stoþ faura kindina jah frah ina so kindins*; Mc. I, 42 *þata þrutsfill aflaiþ* propter *þrutsfill habands* vs. 40. Item II, 22; III, 5; IV, 7, 27, 39; V, 33, etc., vid. in Gloss. v. *þata* 1) *a*) α);

b) Cum hoc vocabulum non equidem præcedenter memoratur, sed ad alterum ut synonymus vel ut genus ad speciem vel vice versa refertur : Mth. IX, 24 *ni gasvalt so mavi* relatum ad vs. 18 *þatei dauhtar meina gasvalt*; item Mc. V, 39 *þata barn ni gadauþnoda* relatum ad vs. 23; Mth. IX, 33 *rodida sa dumba*, vs. 32 adest *manna bauds*; Luc. VII, 20 *þai vairos qeþun*, scilicet hi *twai siponje* vs. 19, quos Joannes misit; vs. 24 dicuntur *þai airjus*; IV, 35 *sa unhulþa urrann* propter *ahma unhulþons unhrains* vs, 33; item IX, 42 et prius vs. 39; IX, 33 *þai unhulþans galiþun* propter vs. 27 *habaida unhulþons* et vs. 36 *ganas sa daimonareis* qui idem est homo, *saei habaida unhulþons*; X, 20 *þai ahmans izvis ufhausjand* relatum ad vs. 17 *unhulþons ufhausjand unsis*; XX, 10 *þai aurtjans in sandidedun*, dum vs. 9 *vaurstvjans* in genere vocantur. Alia exempla vid. in Gloss. v. *þata* 1) *a*) β);

c) Cum hoc vocabulum eadem stirpe atque præcedens oritur (verbum conjugatum est), vel similis

Digitized by Google

est significationis; Mc. XII, 7 *sa ist sa arbinumja. hirjiþ usqimam imma jah unsar vairþiþ þata arbi*; Luc. XX, 14; Mc. XIV, 56 *managai galiug veitvodidedun ana ina jah samaleikos þos veitvodiþos ni vesun*; Cor. I, VII, 18, 19 *miþ faurafillja galaþoþs varþ was, ni bimaitai. þata bimait ni vaihts ist*; Luc. VI, 49 *bistagq flodus iah suns gaäraus jah varþ so usvalteins þis raznis mikila.* Alia exempla vid. in Gloss. v. *þata* 1) *a*) γ).

2) Objectum jam cognitum præsupponi potest, ex. gr.:

a) Cum scilicet personæ vel res ita designantur, ut, licet nomen sit appellativum, tamen nihil nisi cognitum indicet, ut in Evangeliis: *þai bokarjos* Mc. I, 22; *þai fareisaieis* Mc. V, 7; *þai gudjans* Mth. XXVII, 6, id est, Judæorum summi sacerdotes; *þai sinistans* Mc. VII, 5; item *þai faurama̲þljos* Neh. V, 17; *þai siponjos* Mth. XXVII, 64, id est discipuli Jesu; *so managei* Mth. IX, 25, etc., id est multitudo ingens populi, quæ sequebatur, vel congregabatur, docente vel agente magistro; item Skeir. VII, b, c *so filusna.* Alia exempla vid. in Gloss. v. *þata f*).

b) *Nomina propria* articulo non indigent; sed quandoque occurrit *þai iudaieis*, ut Joan. VII, 1, 35; VIII, 48, 52, 57; X, 31, 33; XI, 36, quibus in locis non equidem de tota Judæorum gente quæstio est, sed de iis tantum, qui certis casibus aderant. Alia exempla articuli nominibus propriis præpositi vid. in Gloss. v. *þata* 2).

c) Alia objecta, quæ ad biblicam historiam vel ad res Christianas pertinent, articulum recipiunt in prægnanti sensu: *so baurgs* Mc. II, 19 urbs, hoc est, Jerusalem; *so alhs* Mc. XV, 29 templum, scilicet in Jerusalem; *so dulþs* Joan. XII, 20 festum, nempe Pascha; *sa sunus* Joan. VI, 40 filius, nimirum Dei; *so xristus* Mc. XV, 32 unctus, id est, Christus spectatus, promissus, etc. Hic autem memorandum est, quod tam *sa sunus mans* quam simpliciter *sunus mans*, non autem *sunus guþs* dicatur, vid. Gloss. v. *þata f*) α); *þata vaurd* Luc. I, 2 et Rom. X, 10 verbum est Dei, nempe Evangelium (ut etiam Mc. VIII, 35 *so aivaggeljo* legitur); *so vailamereins* Cor. I, I, 21 prædicatio Christi; *so laþons* Thess. II, I, 11 vocatio ad salutem; *so usstass* Luc. XX, 33 resurrectio mortuorum; *þos anabusnins* Mc. X, 19; Luc. XVIII, 20 legislatio mosaica. Ad demonstrandum stat etiam articulus in: *sa fairwus* hic mundus et *so manaseþs* Id., vid. Gloss. v. *þata f*) γ), quibus adde etiam *so libains* hæc vita Mc. IV, 19; Luc. VIII, 14; *so alds* hoc sæculum Tim. II, II, 4; *þata þeihs* hoc ævum Rom. XIII, 11; *þata mel* hoc tempus Col. IV, 5; Thess. I, V, 1.

II. Objectum determinari potest

1) Omnimodis attributis (§ 215), ut:

a) Adjectivis et participiis: Mth. XXVII, 61 *vas jainar marja magdalene jah so anþara marja*; 64 *ist so speidizei airsi þa vaírvizei þizai frumein*; Luc. III, 7 *was gataiknida izvis þliuhan faura þamma anavairþin hatiza*; Rom. VII, 17 *ni ik vaurkja þata ak so bauandei in mis fravaurhts*; Cor. II, XI, 5 *man ni vaihtas mik minnizo gataujan þaim ufar mikil visandam apaustaulum*; Eph. II, 11 *þiudos simle vesuþ namnidans unbimaitanai fram þizai namnidon bimait.* Alia exempla vid. Gloss. v. *þata c*) α) et *b*);

b) Adverbiis vel præpositionalibus expressionibus, quæ adjectivorum vices gerunt: Tim. II, IV, 10 *demas mis bilaiþ frijonds þo nu ald*; Gal. IV, 26 *so iupa iairusalem frija ist*; Mc. I, 38 *gaggam duþaim bisunjane haimom*; Col. II, 14 *afsvairbands þos ana uns vadjabokos*; Skeir. III, b *so bi guþ hrainei anabudana vas.* Alia exempla vid. Gloss. v. *þata* γ) et δ);

c) Genitivis vel pronominibus possessivis: Cor. I, I, 16 *ik daupida þans staifanaus gadaukans*; 18 *þata vaurd galgins þaim fralusnandam draliþa ist*; Phil. III, 18 *qiþa þans fijands galgins xristaus*; Skeir. IV, a *so faheds meina usfullnoda*; Joan. VIII, 13 *so veitvodiþa þeina nist sunjeina*; Mth. V, 47 *goleiþ þans frijonds izvarans*; Luc. VII, 1 *usfullida alla þo vaurda seina*; Mth. X, 25 *jabai garda valdand baiailzaibul haihaitun, und wan filu mais þans innakundans is*; IX, 4 *vitands iesus þos mitonins ize.* Alia exempla vid. Gloss. v. *þata* ε), ζ), η);

2) Per *alls* nec non et *jains*: Luc. IX, 2 *insandida ins gahailjan allans þans unhailans*; Cor. I, XVI, 16 *usþhausjaiþ allaim þaim gavaurstvam*; Neh. V. 13 *gatavidedun þata vaurd alla so managei*; Luc. IX, 25 *wo allis þaurfte gataujiþ sis manna gageigands þo manased alla*; Mth. VIII, 28 *ni mahta manna usleiþan þairh þana vig jainana.* Alia exempla vid. Gloss. v. *þata* θ) et ι);

3) Sententiis relativis sequentibus: Mc. II, 4 *insailidedun þata badi, ana þammei lag sa usliþa*; X, 39 *sveþauh þana stikl, þanei ik driggka, driggkats jah þizai daupeinai, þizaiei ik daupjada*; XII, 23 *in þizai usstassai, þan usstandand, warjamma ize vairþiþ qens?* etc., vid. Gloss. v. *þata b*);

4) Ubi hujusmodi sententia relativa facile cogitari potest: Mth. VIII, 27 *þai mans sildaleikidedun*, scilicet homines, qui in nave concomitabantur; Mc. VI, 14 *vaurkjand þos mahteis in imma*, id est, potentiam de qua fit narratio, vel cui suscitato mortuo credebant; Joan. XII, 3 *iþ sa gards fullsvarþ daunais*, nempe domus ubi erat Jesus; XIX, 2 *þai gadrauhteis usvundun vippja*, nimirum milites, quibus Pilatus Jesum vincire jusserat. Alia exempla vid. Gloss. v. *þata d*).

III. Ubi appositio determinandi causa vel explicandi post substantivum ponitur, articulum capit: Mth. XXVI, 71 *iesua þamma nazoraiau*; XXVII, 26 *marja so magdalene*; Joan. VI, 4 *pasza so dulþs iudaie*; XII, 4 *iudas seimonis sa iskariotes*; XVIII, 1 *rinuon þo kaidron*; Luc. II, 43 *iesus sa magus*; IX, 7 *herodes sa taitrarkes*; Mc. VI, 14 *iohannes sa daupjands* et alia participia nec non

Digitized by Google

adjectiva, vid. § 196, II, 2) *b*).—Mth. XXVII, 56 *marja se* Iakobis; Joan. VII, 23 *vitoþ þata mosezis*; Mc. III, 18 Iakobu *þana alfaiaus*; VI, 1 *marein þo galeilaie*.

« Annotatio.—In his autem omnibus supra laudatis exemplis articulus etiam deficere potest, in casu præcipue II, 1, *b*) : Rom. VII, 2 simpliciter *us f vaira qens*, quemadmodum etiam Cor. II, VII, 10 in cod. A *bi guþ saurya* legitur. Nec non in casu III sæpe abest articulus : Mth. XXVII, 61 *marja magdalene*; Luc. IV, 34 Iesu *nazorenu*; Joan. VI, 71 Iudan *seimonis iskariotu*, et ordinario *esaias praufetus, alaiksandrus aizasmiþa, teibairius kaisar, kustanteinus þiudans*, etc., Matth. XXVII, 2, 9 ; Mc. I, 2; Joann. XII, 38; Luc. I, 5; II, 36; III, 1 ; IV, 27; Cor. II, XI, 32 ; Tim. II, IV, 14; Calend. »

IV. Auxiliante articulo substantivi vicem gerunt :

1) *Numeralia* : Mc. VI, 7 *iesus athaihait þans tvalif* (scilicet discipulos, ut Mth. X, 1 ponitur) ; Luc. X, 17 *gavandidedun sik þai sibuntehund* (hi septuaginta [juvenes]) *miþ fahedai*; Mc. X, 41 *þai taihun dugunnun unverjan bi iakobu jah Iohannen*. Alia exempla vid. Gloss. v. *þata c*).

2) *Adverbia, præpositionales formulæ* et *sententiæ* : Mth. XXVI, 71 *qaþ du þaim jainar* (ad hos illic [stantes]); Cor. I, V, 12 *niu þans inna jus stojiþ, iþ þans uta guþ stojiþ*; Joan. VIII, 23 *jus us þaim dalaþro* (ἐκ τῶν κάτω) *sijuþ, iþ ik us þaim iupaþro* (ἐκ τῶν ἄνω) *im*; Mc. IV, 11 ; Phil. III, 14; Tim. I, III, 7; Cor. II, I, 17 *nist af mis þata ja ja jah þata ne ne*; V, 16 *fram þamma nu ni ainnohun kunnum*. — Mc. III, 8 *laistidedun afar imma þai bi tyra*; IV, 10 *frehun ina þai bi ina*; Luc. V, 9 *sildaleik dishabaida ina jah allans þans miþ imma* (qui cum eo, comites ejus) Tit. I, 10 *sind managai ungawairbai þishun þai us bimaita*; Cor. II, X, 7 *þo bi andvairþja saiwiþ*; XI, 28 *inuh þo afar þata arbaiþs meina sinteina*; Luc. XVII, 21 *lauhmoni lauhatjandei us þamma uf himina in þata uf himina skeiniþ*. — Mc. IX, 10 *wa ist þata us dauþaim usstandan ?* XII, 33 *þata du frijon newundjan sve sik silban managizo ist allaim þaim allbrunstim*; Rom. XIII, 9 *þata ni horinos, ni maurþrjais, ni hlifais, nih faihugeironjaþs in þamma vaurda usfulljada þamma frijos newundjan þeinana sve þuk silban*. Alia exempla vid. Gloss. v. *þata d*) *e*) *g*).

3) Substantive more Græco ponitur etiam neutrum plur. articuli (*þo*) cum genitivo : Mc. XII, 17 *usgibiþ þo kaisaris* (hoc ad Cæsarem [pertinens]) *kaisara jah þo guþs guþa*; Luc. II, 49 *in þaim attins meinis skulda visan*; Phil. II, 4 *ni þo seina warjisuh mitondans ak jah þo anþaraize warjisuh*. Alia exempla vid. Gloss. v. *þata f*).

V. Cum plura substantiva copulative vel adversative construuntur :

a) Unicuique articulus repetitur, ubi præcipue diversi sunt generis vel numeri : Mc. VII, 5 *frehun ina þai fareisaieis jah þai bokarjos*; XII, 13 *wis ist sa manleika jah so usfarmeleins ?* III, 33 *wo ist so aiþei meina aiþþau þai broþrjus meinai ?* Phil. III, 2 *saiwiþ þans hundans, saiwiþ þans ubilans vaurstvjans, saiwiþ þo gamaitanon*; Cor. I, XIV, 22 *razdos du bandvai sind ni þaim galaubjandam ak þaim ungalaubjandam*, et ita ordinario ;

b) Vel articulum nonnisi semel poni opus est : Joan. VI, 27 *vaurkjaiþ ni þana mat þana fralusanan ak mat þana visandan du libainai aiveinon*; Mth. XXVII, 12 *vrohiþs vas iesus fram þaim gudjam jah sinistam*; Joan. VII, 48 *sai jau ainshun þize reike galaubidedi imma aiþþau fareisaie* (in Skeir. VIII, c ubi hic locus laudatus est, legitur, articulo repetito, *þize fareisaie*) ; Mc. XIV, 43 *qam iudas jah miþ imma managei fram þaim auhumistam gudjam jah bokarjam jah sinistam*; Mth. XXVII, 12 ; Mc. X, 33 ; XI, 27 ; XII, 33 ; XIV 54 ; Luc. V, 21 ; VI, 7 ; IX, 16 ; XIX, 47 ; XX, 1, 19 ; Joan. VII, 45 ; XI, 25, etc. — Mth. VII, 14 *wan aggvu þata daur jah þraihans vigs sa brigganda*; Luc. VIII, 51 Iesus *ni fralailot ainohun inngaggan alja þana attan þizos maujos jah aiþein*; Cor. I, VII, 8 *qiþa þaim unqenidam jah viduvom*; Joan. XIV, 6 *ik im sa vigs jah sunja jah libains*; Cor. II, X, 10 *þos bokos kaurjos sind jah svinþos, iþ qums leikis lasivs jah vaurd frakunþ*;

c) Quandoque etiam articulus posteriori tantum substantivo præponitur, a priori deficiens : Luc. VIII, 24 *gasok vinda jah þamma vega vatins*; Mth. XXVII, 1; Mc. XIV, 54; tertio autem substantivo sequente, sive articulus iterum omittitur, sive etiam adhibetur : Neh. V, 17 Iudaieis *jah þai faura-maþljos·r· jah ·n· gumane jah þai qimandans at unsis ana biuda meinamma andnumanai veisun*; Joan. XVIII, 12 *þaruh hansa jah sa þusundifaþs jah andbahtos Iudaie undgripun iesu*. Propria autem sunt hæc loca : Mc. VIII, 31 *sunus mans uskusan skulds ist fram þaim sinistam jah þaim auhumistam gudjam jah bokarjam*; XIV, 53 *garunnun auhumistans gudjans allai jah þai sinistans jah bokarjos*; Luc. XIX, 47 *þai auhumistans gudjans jah bokarjos sokidedun ina usqistjan jah þai frumistans manageins*.

VI. Articulum inter et substantivum induci possunt initio sententiæ particulæ et aliæ hujusmodi determinationes : Joan. VI, 35 *so auk hlaifs guþs ist*; XVIII, 55 *sah þan siponeis vas kunþs þamma gudjin* ; Rom. X, 1 *sa raihtis vilja meinis hairtins*. — Mth. IX, 12 *þaurbun lekeis þai unhaili habandans*; Rom. VIII, 5 *þai bi leika visandans*; Cor. I, V, 3 *þana þata sva gataujandan*.

2. ADJECTIVUM.

(Graff, *Ueber die deutsche schwache Declination*, in *Neuen Jahrbuch der Berlinischen Gesellschaft für deutsche Sprache* II, 1, 1 seqq.)

§ 196. Quod in tractandis adjectivis maxime in-

Digitized by Google

terest, in eo præsertim consistit, ut præcise determinetur, in quonam differant vocalica (fortis) et consonantica (debilis) declinationes. Jam vero hoc est earum essentiale discrimen, quod scilicet vocalica declinatio indeterminata, et generalia nec non et abstracta, consonantica vero determinata, individua atque concreta significet. Sed sine ratione assertum est, consonanticam formam recentiorem esse quam vocalicam et sese non nisi posterius evolvisse; errant etiam qui putant, hanc formam addito mere articulo constare, cum articulus ex fortuito tantum casu in adjectivum incidat, scilicet ad designandum quod prius est nominatum (coll. § 195, I, 1) *a*). Multo autem rectius diceretur, hanc formam in se continere articulum, qui in antiquis sermonibus minime existens, tunc primum in eo tempore explicite apparuit, ad quod nostra gothicæ linguæ monumenta referenda sunt. Ut nt est, eadem regula etiam pro participio pass. valet, dum participium act. consonanticam tantum formam præter masc. habet.

I. Vocalica forma in positivo et superlativo gradibus :

a) Tam attributiva : Rom. VII, 24 *vainans ik wanna*, ego infelix homo; Mc. XVI, 5 *juggalauþ bivaibidana vastjai weitai*, veste candida; Skeir. III, c *vitoþ raidida aigon kalbons gabrannidaizos* (subnigra vacca) *utana bidaurgeinais. ufaruh þan þo in vato vairpandans hrain* (pura aqua) *jah vulla raudai* (rubris fluctibus) *ufartrusnjandans;* VI, b *Iohannes manniskaim vaurdam* (humanis verbis) *veitvodida*; VIII, a *ist magula ains her, saei habaiþ • e • hlaibans barizeinans;* Mth. III, 11 *sah daupeiþ in ahmin vethamma*; VII, 17 *all bagme godaize akrana goda gataujiþ;* Thess. II, II, 16 *guþ atgaf gaþlaih aiveina jah ven goda in anstai;* quam prædicativa : Rom. VII, 12 *vitoþ veihata jah anabusna veiha jah garaihta jah þiuþeiga;* Cor. I, IV, 11 *veis dvalai iþ jus frodai;* Luc. X, 23 *audaga sind augona;* Joan. IX, 39 *þai saiwandans blindai vairþand;* Luc. VII, 10 *bigetun þana siukan skalk hailana;* Mc. I, 3 *raihtos vaurkeiþ staigos guþs unsaris; Skeir.* IV, c *Iohannes Iesu himinakundana jah iupaþro qumana qaþ;*

b) Semper in vocabulis *fulls, halbs, alls, ganohs, midjis, svaleiks, ains, anþar, sums* et in possessivis pronominibus : Eph. IV, 13 *garinnam du vaira fullamma;* Calendar. goth. *batvins bilaifs aikklesjons fullaizos* (catholica ecclesia); Mc. VI, 23 *piswah þei bidjais mik, giba þus und halba þiudangardja meina;* Neh. VI, 16 *hausiðedun fiands unsarai allai jah ohtedun allos þiudos;* Mc. X, 46 *usiddja miþ managein ganohai;* Joan. XVII, 3 *ei kunneina þuk ainana* (τὸν μόνον) *sunja guþ;* Mc. II, 7 *was mag afletan fravaurhtins niba ains guþ* (unicus Deus); 26 *hlaibans faurlageinais ni skuld ist matjan niba ainaim gudjam;* Skeir. VII, c *ni ana þaim hlaibam ainaim mahtais fitusna ustaiknida;* Mc. IX, 36 *gasatida barn in midjaim im* (in mediis iis); Joan. VII, 14 *ana midjai dulþ usstaig Iesus in alh;* Mth. IX, 8 *guþ gaf valdufni svaleikata mannam;* Mc. VI, 2 *mahteis svaletkos þairh handuns is vairþand;* Cor. II, VIII, 4 *sa qimanda anþarana Iesu mereiþ;* 8, *anþaros aikklesjons birauboda;* Mc. XIV, 51 *ains sums juggalauþs laistida afar imma.* Nec non et his vocabulis substantive usurpatis, forma remanet vocalica: Mth. V, 18 *allata* (omne) *vairþiþ;* VII, 33 *gataihun all bi þans daimonarjans;* Mc. I, 27 *sildaleikidedun allai* (omnes); Skeir. VI, d *sumai* (quidam) *jah stibna is qahausidedun, sumai þan is sinn sewun;* Luc. IX, 19 *anþarai* (alii) *qiþand þuk heleian, sumai þan þatei profetus usstoþ;* Mc. XIV, 60 *usstoþ sa auhumista gudja in midjaim* (in mediis [eorum]). Imo et post articulum : Mth. XXVII, 49 *þai anþarai qeþun;* Cor. I, IX, 5; Joan. XVIII, 16 *sa sivoneis anþar;* Mth. V, 39; Cor. II, X, 11 *þata þagkjai sa svaleike;* Cor. I; VII, 15 *nist gaþivaids broþar aiþþau svistar in þaim svaleikaim;* Cor. II, XII, 2; Gal. V, 21, 23; VI, 1; Cor. II, XI, 15 *þai svaleikai galiugaapaustauleis;* Cor. I, XII, 12 *liþjus allai us leika þamma ainamma;* 19 *sind þo alla ains liþus;* Luc. XV, 32 *þata mein þein ist.* Hinc Gothus formulam τὸ λοιπόν (de cætero) per *þata anþar* convertit Cor. I, I, 16; Cor. II, XIII, 11; Eph. VI, 10, etc.

« Annotatio 1. — *Allans* in consonantica forma pro *allai* in solo loco Neh. VI, 16 falsum est, vid. annot. ad h. l. »

II. Consonantica forma. Hæc forma adhibetur, ubi adjectivum ad objectum determinatum refertur, id est, in concreto sensu, qui græce articulo exprimitur, et in ordinalibus vocabulis. Adest insuper, judice Gotho, fundamentalis determinatio in comparationibus, quapropter comparativi hac tantummodo induuntur forma, ubi etiam comparatio vel sententia adversativa cogitari potest. Nec non et ubi adjectiva pro personis vel individuis substantive ponuntur, ordinario et in vocativo semper consonanticam formam sumunt.

1) Sine articulo :

a) Determinatum, cum in græco textu sit articulus : Mth. XXVII, 62 *iftumin daga gaqemun auhumistans gudjans* (οἱ ἀρχιερεῖς), sed Joan. XVIII, 13 *annas vas auhumists veiha* (ἀρχιερεύς) *þis ataþjis;* Joan. VII, 37 *in spedistin daga* (ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ) *dulþais stoþþesus;* Mc. III, 11 *ahmans unhrainjans* (τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα) *drusun du imma;* Joan. XVIII, 10 *afmaimait imma auso taihsvo* (τὸ ὠτίον τὸ δεξιόν, cujus loco in parallelo Mc. XIV, 47 *auso þata taihsvo* addito articulo, vid. infra 2) *b*); Mth. V, 30 *jabai taihsvo þeina handus* (ἡ δεξιά σου χειρ) *marsjai þuk;* 39 *jabai was þuk stautai bi þaihsvon þeina kinnu* (τὴν δεξιάν σου σιαγόνα) *vandei imma jah þo anþara;* Cor. II, VI, 7 *in mahtai guþs þairh vepna garaihteins taihsvona jah hleidumona* (τῶν ὅπλων — τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν); Cor. I, XVI, 19 *goleiþ izvis priska miþ ingardjon* (τῇ κατ' οἶκον) *seinai aikklesjon;* Cor. II, IV, 4 *xristus ist frisahts guþs unga saiwanins* (τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου); quapropter

Digitized by Google

etiam Col. I, 15 *ungasaiwānis* loco *ungasaiwanis* legendum est, coll. tamen annot. 5 *c*). Skeir. III, b *ni þmaseiþs judaiviskom ufarranneineinim* (Judaicæ purificationes [in lege mosaica institutæ]) *brukjand;* Mc. XI, 1 *newa vesun at fairgunja alevjin* (τὸ ὄρος τῶν loc. τὸ ἐλαιῶν, hoc est, mons olivarum prope Jerusalem, dum mons oleis plantatus generaliter diceretur *fairguni alevi*); Joan. V, 55 *jains vas lukarn brinnando jah liuhtjando* (ὁ καιόμενος). Quin imo consonantica forma tum etiam usurpatur, cum in græco textu deficit articulus, ut in *libains aiveino* (ζωὴ αἰώνιος, vita æterna, per oppositionem ad terrestrem vitam) Mc. X, 17, 30; Luc. X, 25; XVIII, 18, 30; Joan. VI, 27, 40, 47, 54, 68; X, 28; XII, 25; XVII, 2; Rom. VI, 23; Gal. VI, 8; Tim. I, I, 16; VI, 12; Tit. I, 2; Mth. XXV, 46 ubi etiam opponitur *balveins aiveino*, quemadmodum Thess. II, I, 9 *fralusts aiveino* (alias autem adhibetur forma fortis [vocalica], ex. gr.: *vulþus aiveins* Cor. II, IV, 17; Tim. II, II, 10, 11).

b) Comparativum: Mth. IX, 16 *vairsiza* (χεῖρον) *gataura vairþiþ;* Luc. I, 18 *qens meina fram aldrozei* (προβεβηκυῖα, scilicet ætate provecta) in *dagam seinaim;* XVI, 8 *þai sunjus þis aivis frodazans sumum liuhadis sind;* Cor. I, IX, 19 *ei managizans gagei-gaidedjau;* Cor. II, VIII, 17 *usdaudoza visands galeiþ du izvis;* Gal. IV, 1 *arbinumja niuklahs ni und vaiht iusiza ist skalka;* Skeir. VI, c *hardiso þise ungalaubjandane varþ hairto;* Luc. V, 39 *vein fairni batizo ist;* Luc. XVIII, 14 *aiddja motarein garaihtoza gataihans du garda seinamma þau jains.*

Partim ex forma quam induunt, partim ex ipsorum significatione ut comparativa habenda sunt *auhuma* altior, superior, *aftuma* posterior, *fruma* prior, *innuma* interior, *hleiduma* lævus per oppositionem ad dextrum, *iftuma* sequens qui præcedentem supponit, et tandem *fairna* superior, quod propter significationem huc pertinet et consonantice tantum occurrit. Hic autem Gothus generaliter exactior fere est quam Græcus: Phil. III, 3 *anþar anþarana munands sis auhuman* (ὑπερέχοντα, altiorem, præstantiorem); Mc. X, 31 *managei vairþand frumans aftumans jah aftumans frumans*, in græco textu est πρῶτοι et ἔσχατοι, cum significatio comparativa ex allegatis duobus extremis pateat; hinc pronuntur *fruma* et *frumei* in inscriptione prioris epistolæ ad Timotheum et in subscriptionibus prioris ad Corinthios et alterius ad Thessalonicenses epistolæ, quia duæ sunt; hinc etiam in Calendario goth. november *fruma iuleis* dicitur, altero Julii mense existente; quapropter Gothus non solum comparativum πρότερος Gal. IV, 13; Eph. IV, 22 per *fruma* convertit, sed etiam, et equidem correcte, superlativum πρῶτος Mth. XXVII, 64 (ubi prior erroni alteri respondet); Joan. XV, 18 (prius quam vos); Cor. I, XV, 47 (ubi τῷ *fruma manna* — *anþar* respondet); Tim. I, II, 13 (ubi Eva ad Adam prius creatum objicitur); Cor. II, IV, 16 *sa innuma manna ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος*, ut qui ad *sa lutana manna* supplendum opponitur; Rom. VII, 22; Eph. III, 16; Mth. VI, 3 *ni vili hleiduma þeina, wa taujiþ taihsvo þeina;* Cor. II, VI, 7, etc.; Mth. XXVII, 62 *iftumin daga*, τῇ ἐπαύριον, sequente die, præcedenti opposito; item Mc. XI, 12; Joan. VI, 22; XII, 12. Hinc consonantica forma stat etiam in formula *af* vel *fram fairnin jera* Cor. II, VIII, 10; IX, 2 *ἀπὸ πέρυσι* superiore anno.

« Annotatio 2. — Ex his formis comparativis oriuntur superlativæ *auhumists*, *aftumists*, *frumists* et ex *hindumists* et *spedumists* formæ *hinduma* posterior (per oppositionem ad anteriorem) et *speduma* recentior (per oppositionem ad maturiorem) cogitari possunt. »

c) Ordinales numeri (exceptis *frumists* et *anþar*, quæ ex cardinalibus non derivantur): Mc. IX, 31 *usqistiþs þridjin* (τῇ τρίτῃ) *daga usstandiþ;* Luc. IX, 22; XVIII, 33; Cor. I, XV, 4; Mc. XV, 25 *vasuh þan weila þridjo* (τρίτῃ); Cor. II, XII, 2 *fravulvans und þridjan* (τρίτου) *himin;* Mth. XXVII, 45 *fram saihston* (ἕκτης) *weilai varþ riqis ufar allai airþai und weila niundon* (ἐνάτης); Mth. XXVII, 46 *bi weila niundon ufhropida Iesus;* Mc. XV, 33 *biþe varþ weila saihsta, riqis varþ;* Luc. I, 26 *in menoþ saihstin* (τῷ ἕκτῳ) *insandiþs vas aggilus gabriel;* I, 36 *jah sa* (οὗτος) *menoþs saihsta ist izai;* I, 59 *varþ in daga ahtudin* (τῇ ὀγδόῃ) *qemun bimaitan þata barn;* XVIII, 12 *afdailja taihundon dail, þizo gastalda;* III, 1 *in jera fimtaihundin* (πεντεκαιδεκάτῳ) *þiudinassaus teibairiaus varþ vaurd guþs at Iohannen.*

d) Substantive: *blinda* cæcus Mc. X, 46 (ὁ τυφλός); VIII, 22 (τυφλός), hinc etiam *blinda sums* Luc. XVIII, 35; *twai blindans* Mth. IX, 27; sed Mth. XI, 5 *blindai ussaiwand*, ubi equidem adjectivum substantive usurpatur, non autem de quibusdam cæcis, sed de omnibus in genere qui cæci sunt; Cor. I, XV, 29 *wa vaurkjand þai daupjandans faur daupans* (τῶν νεκρῶν), *jabai allis daupans ni urreisand*, mortui scilicet qui sine baptismo mortui sunt et pro quibus baptizantur, coll. contra Mth. VIII, 22, in formula *us daupaim urreisan* Mth. XI, 5; XXVII, 64; Mc. VI, 14, 16, etc. de resurrectione mortuorum: hinc *þarbans* Joan. XII, 5 (πτωχοί) mendici, sed *unleds* eamdem habens significationem (πτωχός, ὁ πένης), in vocalica tantum forma occurrit: Mth. XI, 5; Luc. XVI, 20; XVIII, 22; Cor. II, IX, 9. Item in neutro *nih andvairþo nih anavairþo* Rom. VIII, 38 neque præsens neque futurum (οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα); et ubi neutra substantivis græcis respondent: Luc. IV, 29 *brahtedun ina und aukmisto* (ἕως [τῆς] ὀφρύος) *þis fairgunjis;* Rom. XIII, 7 *usgibiþ nu allaim skuldo* (τὰς ὀφειλάς); coll. Eph. IV, 9 *undaraistō airþos* (τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς).

Hinc plurima adjectiva etiam consonantice ponuntur, ubi prædicati vicem gerunt, nec non absolute usurpantur: Mc. VII, 18 *jah jus unveitans* (ἀσύνετοι, non inscios, sed insecientia) *sijuþ;* Cor. II, XII, 6, 11; Phil. III, 15 *sijum fullaveitans;* Col. I, 28; IV, 12; Gal. III, 3 *sva unfroþans* (ἀνόητοι) *sijuþ* (e contra Cor. II, XI, 16 *qiþa ibai was mik muni unfrodana;* Eph.

Digitized by Google

v, 17 *ni vairþaiþ unfrodai, ak fraþjandans*); Mc. xii, 3 *insandidedun ina laushandjan*; Tim. I, iii, 6 *niuja satiþs* (νεόφυτος); Luc. vii, 2 *skalks siukands sculdavairþja* scilicet *vas* (ἔμελλε τελευτᾶν); Mc. iv, 15 *gahausjand unkarjans* (ἀμελοῦντες); Luc. vi, 35 *leiwaid ni vaihtais usvenans* (ἀπελπίζοντες); Cor. II, xi, 8 *ushaista* (ὑστερηθείς) *ni ainnohun kaurida*; 23 *svasve unvita* (παραφρονῶν) *qiþa*. Hinc cum *vairþan* et *visan* pro circumscribendis verbis græcis: *usfilma vairþan* (ἐκπλήττεσθαι) Mc. I, 22; Luc. IX, 43; *alaþarba vairþan* (ὑστερεῖσθαι) Luc. IV, 14; *vairþan usgrudja* Luc. XVIII, 1, etc.; *visan unkarja* (ἀμελεῖν) Tim. I, IV, 14; *gamainja visan* (κοινωνεῖν) V, 22; *unvita visan* (ἀγνοεῖν) Cor. I, X, 1, *gavilja visan* (συνευδοκεῖν) VII, 13 (ubi vs. 12 loco *gavilja* legendum est *gaviljo*).

« Annotatio 3. — Plurima vocabula diversam formam pro diversa significatione habent, ex. gr.: *ibns* planus: Luc. VI, 17 *gastoþ ana stada ibnamma*; *ibna* autem idem: Luc. XX, 36 *ibnans aggilum sind*; Skeir. I, a *qam nasjands ni ibna nih galeiks unsarai garaihtein ak silba garaihtei visands*; V, d *ni ibnon ak galeika sveriþa usgiban sunau uns laiseiþ*. »

e) In vocativo: Luc. XIX, 17 *vaila goda skalk!* Joan. XVII, 25 *atta garaihta!* 11 *atta veiha!* Mc. X, 17 *laisari þiu þeiga!* Luc. XVIII, 18; Luc. XIX, 22 *unselja skalk jah lata!* Mc. I, 25 *ahma unhrainja!* V, 8; Cor. I, XV, 58 *broþrjus meinai liubans!* Gal. III, 1 *o unfrodans galateis!* Luc. IX, 41 *o kuni ungalaubjando!* Cor. II, VII, 1 *liubans, hrainjam unsis!* Mth. V, 22 *saei qiþiþ dvala! skula vairþiþ in gaiainnan*.

« Annotatio 4. — Non ut exceptiones habendi sunt casus: Mc. IX, 25 *þu ahma þu unrodjands jah baubs, ik þus anabiuda!* XV, 29 *o sa gatairands þo alh jah bi þrins dagans gatimrjands þo, nasei þuk silban*, cum hic non equidem vocativus, sed nominativus more græco stet; conspicuum est autem Luc. I, 28 *fagino anstai audahafta, frauja miþ þus, þiu þido þu in qinom*, ubi *audahafto* spectares. Eodem modo ponitur participium *þiuþida* (masc.) et *þiuþido* benedicta! Item Mc. XI, 9, 10; Luc. XIX, 38; Joan. XII, 13; sed Mc. XV, 18 legitur *hails þiudan iudaie*.

« Annotatio 5. — A regulis *a*) et *b*) raro deflectitur; scilicet quandoque fit *a*) ut adjectivum articuli expers etiam debilem formam induat: Col. I, 7 *aipafras ist trigǥva* (πιστός) *faur izvis andbahts iesuis*, hac formula alibi semper cum articulo occurrente (*sa triggva andbahts*, vid. infra 2) *a*): permutata est autem utraque forma Rom. IX, 2, *saurga mis ist mikila* (vocal.) *jah unweilo* (conson. ἀδιάλειπτος) *aglo*; Mth. V, 19 *saei laisjai sva mans sah minnista* (conson. ἐλάχιστος) *haitada*. iþ *saei taujiþ jah laisjai sva sah mikils* (vocal. μέγας) *haitada*; — *b*) ut adjectivo græco articulum habente forma fortis gothice adhibeatur: Joan. X, 11 *ik im hairdja gods* (ὁ καλός); Thess. II, I, 5 *taikn garaihtaizos* (τῆς δικαίας) *stauos guþs* (sed Joan. VII, 24 *τὴν δικαίαν κρίσιν* regulariter vertitur *þo garaihton staua*); Col. III, 10 *gahamoþ niujamma* (τὸν νέον) scilicet *mann*; Luc. I, 70 *rodida þairh munþ veihaize* (τῶν ἁγίων) *þize fram anastodeinai aive praufete seinaize* ubi *veihaize* animadversu dignum est, si, ut probabile est, substantive ponitur; — *c*) ut etiam cum substantivo sensu adjectiva vocalicam formam recipiunt et usurpantur: Mc. VII, 32 *berun du imma baudana* (surdus); XVI, 5 *gasewun juggalauþ sitandan in taihsvai* (ἐν τοῖς δεξιοῖς, in dextris); III, 27 *ni manna mag kasa svinþis* (τοῦ ἰσχυροῦ, fortis) *vilvan*; Luc. XV, 7 *faheds vairþiþ in himina in ainis fravaurhtis idreigondins þau in niuntehundis jah niune garaihtaize*; Rom. XIV, 1 *unmahteigana* (τὸν ἀσθενοῦντα, debilem) *galaubeinai andnimaiþ*; Luc. V, 31 *ni þaurbun hailai* (οἱ ὑγιαίνοντες, sanati) *leikeis ak þai unhailans*; Mc. IV, 5 *anþar gadraus ana stainahamma* (τὸ πετρῶδες, lapidosum).

2) Cum articulo, qui adjectivo naturaliter conjungendus est, ubique *sa* pro οὗτος usurpatur.

a) Hic porro articulus proxime quidem ponitur, non autem in gratiam adjectivi, sed juxta regulam, ubi ad substantivum refertur (vid. § 195, 1); cum scilicet hoc substantivum repetitur, vel quodam modo determinatur, ex. gr. genitivo, pronomine possessivo, etc., cum insuper prægnantem vel peculiarem significationem habet et in quibusdam formulis: Mc. XIV, 54, 55 *qam in garda þis auhumistins gudjins* (τοῦ ἀρχιερέως) — *iþ þai auhumistans gudjans* (οἱ ἀρχιερεῖς) *sokidedun ana iesu veitvodiþa*; vs. 53 prima vice vocatur tantum *du auhumistin gudjin* — *auhumistans gudjans* (τὸν ἀρχιερέα — οἱ ἀρχιερεῖς), quo in casu semper cum articulo ponitur 60, 61, 63; XV, 1; item Joan. XVIII, 19 propter vs. 14 sqq., quandoque etiam occurrit *þai auhumistans gudjans* pariter cum articulo (Joan. XI, 47), quia Judæorum summos sacerdotes designat; Luc. V, 37 *distairid þata niujo vein þans balgins*, præcedente *vein niujata*; 39 *þata fairnjo* (*vein*) *batizo ist*, præeunte *ainshun drigkandane fairni* (*vein*) *ni suns vili jugg*; vs. 36; VII, 10 *bigetun þana siukan skalk hailana* (vid. vs. 2); VIII, 15 *þata ana þizai godon airþai* (vid. vs. 8); Mc. IV, 20 ejus loco adest *ana airþai þizai godon*, vid. infra *b*); Joan. X, 11 *ik im hairdeis gods, hairdeis sa goda saivala seina lagjiþ faur lamba*; XVII, 2, 3, *gibai im libain aiveinon. soh þan ist so aiveino libains*; XIX, 5 *usiddja iesus bairands þana þaurneinan vaip jah þo paurpurodon vastja* (vid. vs. 2); Mc. XII, 20, 21 *sibun broþrahans vesum ja sa fruma* (scilicet *broþar* ex *broþrahans*) *nam qen* — *jah anþar* — *jah sa þridja* (scilicet *broþar*); Luc. XX, 29 — 31; Mth. XXVII, 64 *hait nu vitan hlaiva und þana þridjan dag* (vs. 63 *þrins dagans*); Cor. I, XV, 48 *vileiks sa muldeina* (scilicet *manna*) *svaleikai jah þai muldeinans* (scilicet *mans*, præcedente vs. 47 *muldeins*); item pariter *sa ufarhiminakunda* et vs. 49 *þis airþeinins*; Mth. VII, 17 *sa ubila bagms akrana ubila taujiþ* (propter præcedens *all bagme*); Cor. I, V, 7 *ushraineiþ þata fairnjo beist* (vid. vs. 6), Joan. VII, 24 *þo garaihton staua stojaiþ* (præeunte *ni stojaiþ*); Tim.

Digitized by Google

I, 1, 10 *þizai tailon laiseinai andstandan* (propter *vitoþalaisarjos* vs. 7 vel *god ist vitoþ* vs. 8); Skeir. II, b *ïupaþro qaþ þo veihon jah himinakundon gabaurþ anþara þairh þrahl usþulan* (propter præcedens *ïupaþro gabairada*); ibid. *þoleikeinon us vambai munands gabaurþ* (propter *ïn vamba aiþeins aftra galeiþan jag-gabairaidau*); Mth. XI, 20 *in baurgim vaurþun þos managistons mahteis ïs* (propter *ïs* vid. § 195, II, *c*); Skeir. II, d *nasjands þana anavairþan dom ïs gasaw*; III, 6 *frauja þo ahmeinon anafalh daupein*; Eph. I, 6 *ansteigs vas uns ïn þamma liubin sunau seinamma* (propter pronomen possess.); Mth. V, 35 *ïairusaulyma baurgs ïst þis mikilins þiudanis* (regis Judæorum); XXVII, 53 *ïnnatïddjedun ïn þo veihon baurg* (*so baurgs* est urbs princeps); Mth. V, 26 *ni usgaggis jainþro, unte usgibis þan̈a minnistan kintu* et Joan. VI, 44 *urraisja ïna ïn þamma spedistin daga* formulæ sunt (alias occurrit *ïn spedistin daga* VII, 37); Luc. XIX, 30 *gaggats ïn þo viþravairþon haim* δειχτικῶς dictum est, alibi autem adest *haim þo viþravairþon* vid. *b*). Item etiam *sa haitana*... hic vocatus Mc. XV, 7, quod personam cognitam exhibet. Nec non et participio pass. consociatur articulus, ut Luc. I, 1 *ïnsaht bi þos gafullaveisidons ïn uns vaihtins*. Congruenter Luc. XV, 4 fert *gaggiþ afar þamma fralusanin* scilicet *lamba*, quia supra *fraliusands ainamma lamba* legitur.

In posteriori tempore, quo *sa* articulus evasit, epistolarum interpretes primum eo ita usurpaverunt, ut, præeunte Græco, ad substantivum antea expressum non relatus fuerit: Cor. I, VII, 26 *man ïu þata goþ visun ïn þizos andvairþons þaurftais* (διὰ τὴν ἐνεστῶτα ἀνάγκην); VIII, 11 *sa unmahteiga ana þeinamma vitubnja broþar*; XI, 25 *sa stikls so niujo triggva* (ἡ καινὴ διαθήκη) *ïst*; Cor. II, III, 14 *anakunnains þizos fairnjons triggvos*; VIII, 2 *þata diupo unledi* (ἡ κατὰ βάθους πτωχεῖα) *ïze usmanagnoda du gabein ainfalþeins ïze*; Eph. II, 4 *guþ gabeigs visands ïk armahairtein ïn þizos managons frijaþvos* (διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην), *ïn þizaiei frijoda uns* (hic vero articulus spectari potest ut sequenti relativo requisitus, vid. § 195 II, 3); III, 10 *so managfalþo handugei guþs*; III, 19 *þo ufarassau mikilon þis kunþjis friaþva*; IV, 24 *gahamoþ þamma niujin mann*; 30 *þana veihan ahman guþs*; VI, 21 *tukeikus sa liuba broþar jah triggva andbahts*; item Col. IV, 7, 9 et Col. I, 7 *aipafrin þamma liubin gaskulkja*; Eph. IV, 22 *aflagjaiþ bi frumin usmeta þana fairnjan mannan, þana riurjan bi lustum*; Col. III, 9; Col. IV, 15 *goleiþ nymfan jah þo ïngardjon ïs aikklesjon* (Cor. I, XVI, 19 autem abest articulus); Tim. I, I, 11 *vutþus þis audagins guþs*; 18 *driugais ïn þaim þata godo drauhtivitoþ*; Skeir. II, d *tvos ganamnida vaihts, jah þata raihtis anasiunjo vato jah þana andaþahtan ahman*; Eph. III, 8 *vailamerjan þo unfairlaistidon gabein*.

b) Adjectivum contra articulum proxime advocat, cum scilicet substantivo ipsum postponitur, vel ut appositio stat: Mth. V, 29 *augo þata taihsvo*; VI, 11 *hlaif þana sinteinan*; VIII, 12 *riqis þata hindumiste*; Mc. I, 26 *ahma sa unhrainja*; I, 27; V, 13; IX, 25; Luc. VIII, 29; Mc. I, 27 *so laiseino so niujo*; IV, 20 *airþai þizai godon*; V, 7 *guþs þis hauhistins*; VIII, 38 *aggilum þaim veiham*; IX, 7 *sunus meins sa liuba*; Luc. III, 22; IX, 35; XX. 13; X, 30 *ïn aiva þamma anavairþin*; XI, 2 *ïn haim þo viþravairþon*; XIV, 58 *alh þo handuvaurhton*; Luc. III, 22 *ahma sa veiha*; III, 26; Joan. VII, 39; XIV, 26; Eph. I, 13; Luc. VI, 6 *handus ïs so taihsvo*; VII, 47 *fravaurhteis þos managons*; Joan. VI, 13 *hlaibam þaim barizeinam*; 32 *hlaif þana sunjeinan*; VII, 37 *ïn spedistin daga þamma mikilin dulþais*; XV, 1 *veinatriu þata sunjeino*; Cor. II, I, 6 *þreihanda ïn naseinais þizos vaurstveigons*; XI, 32 *atta sa þiuþeiga*; Eph. III, 9 *fauragaggi runos þizos gafulginons*; Col. IV, 14 *leikeis sa liuba*.—Mth. VII, 13 *vigs sa briggandа*; Joan. VI, 14 *praufetus sa qimanda*; 51 *hlaifs sa libanda*; XV, 25 *vaurd þata gamelido*; Mc. IV, 15 *vaurd þata ïnsaiano*; Luc. II, 15 *vaurd þata vaurþano*; Mth. XI, 21 *mahteis þos vaurþanons*; XI, 23; XXVII, 44 *þai vaidedjans þai miþushramidans*; Mc. VI, 2 *so handugeino so gibano*; Luc. VI, 15 *seimon þana haitunan zeloten*; XV, 6 *lamb þata fralusano*; Joan. VI, 27 *þana mat þana fralusanan*; Cor. II, I, 8 *aglon þo vaurþanon*; VIII, 1 *anst þo gibanon*; Gal. II, 9; Eph. III, 7 *bi gibai anstais guþs þizai gibanon mis*; Mth. XXV, 41 *ïn fon þata aiveino þata manvido*; Eph. IV, 22 *þanima niujin mann þamma gaskapanin*; Col. III, 10. Sed ante adjectivum etiam prætermitti potest articulus, ubi jam substantivo præponitur: Eph. VI, 13 *ïn þamma daga ubilin* (ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ).

c) Necnon et articulus ordinario ponitur, ubi adjectiva et participia substantive usurpantur.

aa) Proxime quidem modi de quo 2) *a*) quæstio fuit: Mth. IX, 27, 28 *laistidedun afar ïmma tvai blindans* (duo cæci) — *qimandin þan ïn garda duatïddjedun ïmma þai blindans* (hi cæci); Mth. VIII, 22, 23 *berunduïmma blindan* (cæcum quemdam) — *fairgreipands handu þis blindins* (hujus cæci) *ustauh ïna*; Mc. III, 27 *kasa svinþis vilvan, niba faurþis þana svinþan bindiþ*; Joan. X, 5 *framaþjana ni laistjand, unte ni kunnun þize framaþjane stibna*; Luc. XVI, 10 *sa in leitilamma untriggva*, quia præcedit *saei triggvs ïst*; 22 *varþ þan gasviltan þamma unledin* — *gasvalt jah sa gabeiga* (vid. vs. 19 et 20); Mth. IX, 33 *rodida sa dumba* (vs. 32 synonymus est *manna bauds*); Mc. V, 15 *gasaiwand þana vodan sitandan* (dæmoniacum de quo supra fuit mentio); XV, 32 *þai miþushramidans ïmma* (vs. 27 *jah miþ ïmma ushramidodun tvans vaidedjans*); Joan. XII, 5, 6 *duwe ni fradailiþ ïst þarbam* (egenis). *þata qaþ ui þeei ïna þize*

Digitized by Google

þarbaṇe (egenorum) *kara vesi*; Cor. I, I, 19 *fraqistja snutrein þize snutrane jah frodein þize frodane uskusa*; et etiam

bb) Quamvis vocabulum non antea nominetur, ad morem græcum et instar : Mth. V, 8 *audagai þai hrainjahairtans* (οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ); 21 *hausideduþ þatei qiþan ist þai mairizam* (τοῖς ἀρχαίοις)· *ni maurþrjais*; 39 *ik qiþa izvis ni anstandan allis þamma unseljin* (τῷ πονηρῷ); Joan. XVII, 15; Mth. XXV, 46 *þai garaihtans* (οἱ δίκαιοι) *in libain aiveinon*; Mc. X, 42 *þai mikilans* (οἱ μεγάλοι) *ize gavaldand im*; XIII, 17 *vai þaim qiþuhaftom*; XIV, 61 *þu is xristus, sa sunus þis þiuþeigins* (τοῦ εὐλογητοῦ); Luc. I, 24 *kann þuk, was þu is sa veiha* (ὁ ἅγιος) *guþs*; IV, 34; VI, 24 *vai izvis þaim gabeigam*; Cor. II, XIII, 12 *goljand izvis þai veikans* (οἱ ἅγιοι) *allai*; Eph. I, 1; III, 18, etc.; Joan. XI, 39 *svistar þis dauþins* (τοῦ τεθνηκότος); 44; XII, 1; Luc. I, 49 *gatavida mis mikilein sa mahteiga* (ὁ δυνατός); Eph. III, 20; Cor. I, V, 10 *ni blandaiþ izvis þaim faihufrikam jah vilvam*; Luc. VI, 35 *gods ist þaim unfagram jah unseljam*; Cor. I, VIII, 9 [*valdufni izvar bistugq*] *vairþai þaim unmahteigam* (τοῖς ἀσθενέσι); 11; IX, 22; IX, 21 *varþ þaim vitodalausam* (τοῖς ἀνόμοις) *sve vitodalaus*; item X, 33 *ni sokja þatei mis kruk sijei ak þatei þaim managam* (τοῖς πολλοῖς); 17; V, 13 *usnimiþ þana ubilan*; Gal. II, 10 *þize unledane gamunan*; Joan. XIII, 29; Gal. IV, 27 *managa barna þizos auþjons* (τῆς ἐρήμου); VI, 1 *jus þai ahmeinans gaþvastjaiþ þana svaleikana*; Neh. VI, 17 *managai vesun þize reikjane* (ἐντιμῶν) *iudaie, þatei sandidedun aipistulans*; Skeir. V, a *þize anavair þane airsein*; Mth. XI, 11 *sa minniza in þiudangardjai himine maiza imma ist*. Pariter in neutro : Mth. V, 37 *þata managizo* (τὸ περισσόν) *þaim us þamma ubilin* (τοῦ πονηροῦ) *ist*; Luc. III, 5 *vairþiþ þata vraiqo* (τὰ σκολιά) *du raihtamma*; XVI, 11 *þata sunjeino was izvis galaubeiþ*; 12 *in þamma framaþjin triggvai*; 15 *þata hauho in mannam*; XVIII, 27 *þata unmahteigo* (τὰ ἀδύνατα); Rom. VIII, 3; IX, 22 *þata mahteigo* (τὸ δυνατόν); Joan. XVI, 13 *þata anavair þo* (τὰ ἐρχόμενα) *gateihiþ izvis*; Col. II, 17; Rom. VII, 13 *þata þiuþeigo varþ mis dauþus?* IX, 25 *haita, þo unliubona liubona* [1]; Cor. I, XIV, 25 *þo analaugnjona hairtins is svikunþa vairþand*; XV, 53 *skuld* (ita enim loco *skula* legendum est) *ist þata riurjo gahamon unriurein jah þata divano gahamon undivanein*; Cor. II, III, 10 *þata vulþago*; V, 17 *þo alþjona*; XIII, 7 *þata godo*; Gal. VI, 9; Gal. II, 7 *þata viþravairþo*; V, 21 *þata galeiko*; Eph. VI, 12 *þo ahmeirona*.

cc) Participium activi : Rom. VIII, 37 *jiuhum þairh þana frijondan* (eum, qui amat, amans) *uns*; IX, 20 *ibai qiþiþ gadikis du þamma digandin* (ad hunc fingentem) *wa mik gatavides sva?* Eph. I, 23 *fullo þis alla in allaim usfulljandins*; Mth. VII, 14 *favai sind þai bigitandans vig*; XXVII, 54 *hundafaþs jah þai miþ imma vitandans iesua ohtedun*; Mc. X, 23 *agluba þai faihu gahabandans in þiudangardja guþs gateiþand*; Rom. VIII, 4 *garaihtei vitodis usfulljada in uns þaim ni bi leika gaggandam*; X, 15 *skaunisai fotjus þize spillondane gavairþi, þize spillendane þiuþ*; XII, 14 *þiuþjaiþ þans vrikandans izvis*. Sic participium præsens consonanticam formam in omnibus casibus induit, excepto tantum nominativo sing., qui vocalicam assumit : Mth. VII, 21 *inngaleiþiþ in þiudangardja himine sa taujands viljan guþs*; X, 40 *sa andnimands izvis andnimiþ mik*; Mc. IV, 3 *urrann sa saiands saian fraiva*; XIV, 42 *sa levjands mik atnevida*; Luc. III, 11; VI, 49; Joan. VIII, 47; Rom. IX, 33; XI, 26; XII, 8; XIII, 2; XIV, 3; XV, 12; Cor. I, VII, 15; Cor. II, IV, 14; IX, 10; X, 17; Gal. V, 10; Thess. I, III, 3. Consonantice ponitur tantum *sa qimanda* Mc. XI, 9; Luc. VII, 19, 20; XIX, 38; Joan. XII, 13; Cor. II, XI, 4, consequenter etiam Joan. III, 31 (Skeir. IV, b) pro *sa inþaþro qimands* legi potuit *qimanda*, quod sine dubio cum *sa gagganda* Mth. III, 11 (Skeir. III, d) et etiam *sa inngaggands* Joan. X, 2 occurrit. Femininum econtra semper habet consonanticam formam, quæ hic in *ei* desinit : Luc. I, 45 *so galaubjandei*; Gal. IV, 27 *so ni fitandei*.

dd) Participium passivi : Joan. VI, 51 *so qumana*; Cor. II, VII, 12 *molida ni in þis anamahtjandins, ni in þis anamahtidins*; Mc. IV, 16, 18 *þai saianans*; XIII, 27 *þans gavalidans*; Luc VI, 18 *þai anahabaidans*; VII, 10 *þai insandidans*; Cor. I, VII, 8 *þaim unqenidam*; Col. IV, 10 *sa miþfrakunþana*; Philem. 23. In neutro : Mc. VII, 18 *þata utaþro inngaggando in mannan ni mag ina gamainjan*; VII, 20 *þata us mann usgaggando gamainiþ mannan*; Luc. VIII, 14 *þata in þaurnuns gadrusando*; Tim. I, V, 15 *svikunþa sind þo aljaleikos sik habandona*; Mth. VIII, 17 *ei usfulinodedi þata gamelido þairh esaian*; XXVII, 9 *usfulnoda þata qiþano þairh ieiraimian*; Luc. I, 45 *ustauhts þize rodidane*; Mc. V, 14 *þata vaurþano*; Mth. XXVII, 54 *þo vaurþanona*; Luc. XVII, 16 *þo anabudanona*; Jean. XII, 6 *þata innvaurpano*; Cor. II, IV, 18 *þo gasaivanona*. Alia participiorum exempla vid. Gloss. v. *þata* 3) *b*).

« Annotatio 6. — Quod hic etiam vocalica forma quandoque adhibeatur, ex falsis lectionibus crediderunt, nempe Luc. XX, 13 *sunu meinana þana liubana*; Cor. I, XV, 47 *sa frumo manna*; Mc. V, 13 *unmahteigs*; XIV, 25. Cæterum huic feminino conferri potest Phil. III, 2 ubi Gothus βλέπετε τὴν κατατομήν per *saiwiþ þo gamaitanon* (videte hanc concisam) convertit. Nonne hic femininum, ut *managein* vel simile aliquid, supplendum esset?

[1] Juxta græcum textum adesse deberet *þo liubon tin ὑγαπημένην*, quippe cum valde obscurum videatur, ad quodnam nomen hoc neutrum plur. referendum sit; insolens est hæc forma consonantica prædicato, quæ vocalice esse deberet *liuba*, quemadmodum Cor. I, IX, 22 *vas þaim unmahteigam sve*

Digitized by Google

ahmans þai unhrainſaí. Hæ autem formæ emendatæ in *liuban* (juxta rectiorem vocabuli partitionem), *fruma* (juxta codicis lectionem) et *unhrainjans* (etiam juxta codicem) nunc ab omnibus receptæ sunt, excepto solo Graff, qui de ultima emendatione se persuasum esse non voluit, alium corrigendi modum conjiciens *Sprachsch.* V, 36. Legitur insuper Rom. XI, 24 *þiz vilþeis alevabagmis*, quod non equidem emendaretur, forte mutatum in *vilþeins*, cum vera forma esset *vilþjins*; insuper Skeir. I, c *þata gadob* (cujus forma consonantica exstitisse non videtur) et Rom. X, 11 *qiþiþ auk þata gameliþ* (cujus loco *þata gamelido* difficile scriberetur).

« Annotatio 7. — Quamvis Gothus neutro plur. adjectivorum et participiorum ad designanda abstracta adhibito morem græcum imitari videatur : Cor. II, VIII, 21 *garedandans goda* (καλά); V, 17 *þo alþjona* (τὰ ἀρχαῖα, hæc vetusta) *usliþun, sai vaurþun niuja alla* (τὰ πάντα, omnia); item *alla* et *þo alla* vid. § 295 V, 1; Cor. II, IV, 18 *ni fairveitjands þisei gasaiwanane ak þizei ungasaiwanane, unte þo gasaiwanona riurja sind iþ þo ungasaiwanona aiveina* (τὰ βλεπόμενα — τὰ μὴ βλεπόμενα, visibilia — invisibilia); singularem tamen casum etiam usurpat, more germanico : Gal. V, 21 *vaurstva leikis sind horinassus, kalkinassus — — jah þata galeiko þaim* (germ. *das Gleiche* gr. τὰ ὅμοια, similia); Luc. XVII, 25 *skal manag* (germ. *Viel*, gr. πολλά, multa) *gaþulan;* Mc. IV, 34 *sundro siponjam seinaim andband allata* (germ. *Alles* gr. πάντα, omnia); XIII, 23; Luc. II, 39; Cor. II, VII, 14; Mc. VII, 8 *daupeinins aurkje jah stikle jah anþar galeik svaleikata manag* (gr. ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλά) *taujiþ;* Luc. VI, 30 *af þamma nimandin þein* (τὰ σά) *ni lausei;* Mc. VII, 15 *þata utgaggando* (ἐκπορευόμενα) *us munn þata ist þata gamainjando* (τὰ κοινοῦντα) *mannan.* »

§ 197. I. Comparativus. 1) Comparativus formam consonanticam semper induit, vid. § 196 II, 1) *b*).

2) Loco comparativi *mais*, magis, cum positivo haud infrequenter usurpatur : Mc. IX, 42 *goþ ist imma mais* (καλὸν — μᾶλλον); Skeir. I, c *gadob ves mais þans ufhausjandans diabulau gaqisans vairþan nasjandis laiseinai;* coll. Gal. IV, 12 *managa barna þizos auþjons mais þau þizos aigandeins aban.*

« Annotatio 1. — Imo etiam *mais* corroborativum comparativo ipso conjungitur : Mth. VI, 26 *niu jus mais vulþrizans*[1] *sijuþ* (μᾶλλον διαφέρετε) *þaim?* Cor. II, VIII, 22 *broþar gakausidedum filaus mais usdaudozan* (simpliciter πολὺ σπουδαιότερον); Phil. I, 23 *lustu haba miþ xristau visan, und filu mais batizo* (μᾶλλον κρεῖσσον) *ist.* E contrario dicitur Mc. V, 26 *ni vaihtai botida mais vairs habaida* non quoquam sanata, sed potius pejus habens. Cæterum Ulfilas pleonasmo paululum abhorret, quippe qui Mth. V, 20 περισσεύσῃ ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων per *managizo vairþiþ garaihteins izvaraizos þau þize bokarje* convertat. »

[1] Quod hæc præferenda sit lectio pro ea consueta, a Schmellerio (*Gloss. Hell.* v. *uhta*), licet posterius, et Halbersma conjecta, ad Mth. VI, 26; Gal. II, 6 diximus.

3) Determinationes comparativæ sunt *filu, filaus, und filu* multum, *wan, wan filu, und wan filu* quantum, *þamma* tantum, *þe* adeo : Mc. X, 49 *is filu* (πολλῶ) *mais hropida;* Cor. I, XII, 22 *iggqara ni þarf ak mais filu þoei þugkjand liþive leikis lasivostas visan;* Skeir. VII, d; Luc. XVIII, 39 *is und filu mais hropida;* Cor. II, III, 9; Phil. I, 23; Cor. II, VII, 13 *ana gaþrafsteinai unsarai filaus mais faginodedum;* VIII, 22; Skeir. III, d *ist dauþeins iohannes ana midumai tvaddje ligandei, ufarþeihandei raihtis vitodis hraincin iþ minnizei filaus aivaggeljons daupeinai;* V, c; VII, c; Rom. XI, 12 *wan mais fullo ize?* Tim. II, I, 18 *wan filu mais in aifaison andbahtida mis, vaila þu kant;* Rom. XI, 24; Mth. X, 25 *jabai garda valdand baiailzaibul haihaitun, und wan filu mais þans innakundans is?* Mc. VII, 36 *wan filu is im anabauþ, mais þamma eis meridedun;* Skeir. IV, d *þauhjabai us himina ana airþai in manne garehsnais gam, akei ni þe kaldis airþeins vas nih us alrþai rodjands.*

4) *Quam* post comparativum dicitur *þau* vel dativo comparati nominis exprimitur, vid. infra § 250. *Plus quam* (ὑπέρ, παρά) præpositione *ufar* cum accusativo vertitur : Mth. X, 37 *saei frijoþ attan aiþþau aiþein ufar mik* (super me, id est, plus quam me) *nist meina vairþs;* alia exempla vid. Gloss. h. v. Hanc tamen exprimendi rationem exemplari propriam Gothus quandoque prætermittit, dativum sibi consuetum usurpans : Luc. XVI, 8 *þai sunjos þis aivis frodosans sunum liuhadis sind* prudentiores filiis (φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱούς).

« Annotatio 2. — Comparativo autem absolute posito, vel sententia altera cum *quam* ex contextu suppleuda est, vel adhibitis quibusdam determinativis vocabulis, ut *solito, æquo, forsan* et similibus, convertendum : Phil. II, 28 *sniumundos* (σπουδαιοτέρως, festinantius solito, æquo) *insandida aipaſraudeitu ei ſaſaiwandans ina eſtra faginoþ jah ik hlasoza* (ἀλυπότερος, hilarior forsan) *sijau.* Sed sæpe Gothus in eo casu positivum pro græco comparativo adhibet : Tim. II, I, 18 *vaila þu kant*, bene tu scis, gr. βέλτιον magis (quam ut tibi dicere opus habeam); τάχιον citius Joan. XIII, 27; Tim. I, III, 14 *per sprauto* subito, cito. Græcum autem imitatur, cum scilicet post positivum prægnante significatione gaudentem ï ponitur : Mc. IX, 43 *goþ* (καλὸν loco βέλτιον) *þus ist hausamma in libain galeiþan þau tvos handuns habandin galeiþan in gaisinnan.* »

II. Superlativus. 1) Superlativus vocalicam simul et consonanticam formam induit, quæ eodem modo hic inter se discrepant atque in positivo, qua de re vid. § 196.

2) Jam vero Gothus comparativum et superlativum accuratius strictiusque Græco distinguit, hinc sæpe comparativum pro græco superlativo et vice versa usurpat; huc ergo veniant præter comparativa *fruma* et *aftuma* § 196, II, 1) *b*) laudata, et se-

Digitized by Google

quentia : Mth. XXVII, 64 *ïst so speidizei* (posterior, gr. ὑ ἐσχάτη) *airziþa vairsizei þizai frumein;* Mc. IX, 34 *du sis misso andrunnun, warjis maists* (maximus, gr. μείζων) *vesi;* Luc. IX, 46; Mc. IV, 31, 32 *kaurno sinavis minnist allaize fraive* (minimum inter semina, gr. μικρότερον, minus quam omnia semina) *ist, jah þan saiada, urrinniþ jah vairþiþ allaize grase maist* (μείζων); Luc. IX, 48 *sa minnista* (μικροτερος) *visands in allaim sa vairþiþ mikils;* Mth. VIII, 12 *usvairpanda in riqis þata hindumisto* (ἐξώτερον); Cor. I, XV, 19 *jabai in þizai libainai ainai in xristau venjandans sijum, armostai* (miserrimi, gr. ἐλεεινότεροι) *sium allaize manne;* Luc. XX, 32 *spedista* (ultima, gr. ὕστερον) *allaize gadauþnoda jah so qens;* Tim. I, IV, 1 *ahma svikunþaba qiþiþ þatei in spedistaim* (ὑστέροις) *dagam afstandandâ sumai.* In his omnibus locis usque ad Mc. IV, 32, etiam Lutherus superlativo usus est.

« Annotatio 1. — Superlativus adhibito *filu* circumscribitur : Cor. II, XII, 9 *filu gabaurjaba* (ἥδιστα) *nu mais wopa in siukeim meinaim.*

« Annotatio 2. — Non semel in locum superlativi positivus inducitur : Luc. XVI, 10 *saei triggvs ist in leitilamma* (ἐλαχίστῳ), *jah in managamma triggvs ist,* probabiliter ut sermo concisior evadat, item etiam XIX, 17. »

3. NUMERALE.

§ 198. I. Vocabula quantitatem numericam in genere designantia, ut : *manags* multum, *leitils, favs* parum, *halbs* dimidium, *alls* totum, adjectiva sunt et ut adjectiva tractanda, vid. § 196. Substantiva autem, quæ certum objectorum numerum significant, ut : duodecim (gall. *une douzaine*, germ. *dutzend*), sexaginta (gall. *une soixantaine*, germ. *schock*), etc., in nostris fragmentis nusquam occurrunt, excepto *tevi*, quinquaginta (gall. *une cinquantaine*), vid. ad Cor. I, XV, 6.

II. Cardinalia. 1) De ipsorum *flexibilitate* vid. § 104.

2) Cardinalia notis numeralibus sæpissime exprimuntur, vid. § 14; sæpe etiam vocabula et signa numerica commiscentur.

3) Jam vero vocabula et signa numerum complexum compositura, ita sunt inter se ordinata, ut major numerus incipiat, sequente minori; decadibus insuper et unitatibus, et in genere duobus posterioribus numeris, nec non et ubi centuriæ et decades conjunguntur, *jah* interponitur, eadem copula pro numeralibus notis, præcipue pro majoribus, minime necessaria. Novem (et forte etiam octo) cum decade per decadem proxime superiorem, uno vel duobus subtractis exprimitur (*ainamma* vel *tvaim vans*) : Esdr. II, 9, 10 *sunjus zaxxaiaus ·w· j· sunive banauis ·x· m· b·*; II, 36 *niunhunda ·u· g·*; Neh. VI, 15 *·n· dage j a h ·b·*; Luc. II, 37 *ahtautehund j a h fidvor.*; XV, 4 *niuntehund j a h niun*; Esdr. II, 16 *niuntehund j a h ·h·*; Neh. V, 17 *·r· j a h ·n·*; Esdr. II, 12 *þusundi ·w· u· q·*; 37 *þusundi ·n· b·*; 39 *þusundi ·g·*; 15 *tva tusundja ·j· q·*; Mc. V, 13 *twos þusundjos*[1]; Esdr, II, 35 *·g· þusundjos ·k· l·*; Joan. VI, 10 *fimf þusundjos*; Cor. II, XI, 24 *fram iudaium fidvortiguns ainamma vanans* (id est 40 — 1 = 39) *nam.*

« Annotatio 1. — Insolens est Gothis hic locus recentem germanicam linguam sapiens Neh. VI, 15 *·e· jah ·k·* et Gal. II, 1 cod. B (quatuordecim), cujus loco cod. A Cor. II, XII, 2 rectius habet. »

4) Cæterum numeralia vocabula substantivo sive præponuntur sive postmittuntur : Mth. VI, 24 *ni manna mag tvaim fraujam skalkinon*; Luc. IX, 31 *vairos tvai miþrodidedun imma.*

5) Cardinalia autem vel usurpantur *a*) Adjective, ut Mth. VIII, 19 *ains bokareis*; Mc. VI, 9 *ni vasjaiþ tvaim paidom*; XXVII, 63 *afar þrins dagans urreisa*; Joan. XI, 17 *juþan fidvor dagans habaida in hlaiva*; Luc. VIII, 2 *usiddjedun unkulþons sibun*; XVII, 12 *taihun þrutsfillai mans*; Mc. VIII, 9 *vesun sve fidvor þusundjos*, etc.; vel habent *b*) Genitivum partitivum post se : Luc. V, 17 *varþ in ainamma dage*; Mth. V, 19; Mc. VIII, 28 etc.; Mc. XI, 1 *insandida tvans siponje*; Joan. VI, 19 *farjan sve spaurde ·k· jah ·e·*; Mth. XXVII, 3 *þrinstiguns silubrinaize*; *skeir.* VII, d *in auþidai ·m· jere attans fodida*; Joan. VIII, 57 *fimftiguns jere nauh ni habais*; Luc. XV, 4 *taihuntehund lambe*; Joan. VI, 7 *tvaim hundam skatte hlaibos ni ganohai sind*; Luc. VII, 41 *ains skulda skatte fimfhunda*; IX, 14 *vesun sve fimf þusundjos vaire*; XIV, 31 *miþ taihun þusundjom — miþ tvaim tigum þusundjo.*

III Ordinalia. 1) Consonantice semper occurrunt vid. § 196, II, 1) *c*).

2) Apud Nehemiam etiam notis numeralibus scribuntur : V, 14 *fram jera ·k· und jer ·l·*; VI, 15 *ustauhana varþ so baurgsvaddjus ·e· jah ·k· daga menoþs ailulis.*

« Annotatio 2. — De duobus prioribus numeris hoc est animadvertendum :

« *a*) Quod forma *ainaha*, fem. *ainoho* ab *ains* derivata, germanico *einig, einzig*, lat. unico respondeat, et consonantice semper flectaitur : *sunus ainaha* (filius unicus) Luc. VII, 12; IX, 38 et *dauhtar ainoho* VIII, 42.

« *b*) Unus, εἷς, ubi non sub respectu numerali occurrit, sed tantummodo identitatem duorum in uno indicat, gothice dicitur *sama* (idem) : Mc. X, 8 *sijaina þo tva du leika samin* (sint hæc duo ad corpus idem); Luc. XVII, 34 *þizainaht tvai vairþand ana ligra samin*; Eph. II, 14 *gatavida þo ba du samin.* Hinc etiam Eph. VI, 9 *ïm jah ïzvis sama frauja ist*, ubi Græcus ὁ κύριος cum articulo habet.

« *c*) Ad *duo* referuntur etiam *ambo*, pro *quibus* Gothi duplicem habent formam, *bai* scilicet et *bajoþs*, quæ eodem modo inter se discrepant atque latine *uterque* et *utrique*, nempe *bai* ponitur ubi quæstio est de duobus tantum objectis, quæ ut quodammodo inter se

[1] De *þusundja* et *þusundjos* genere discrepantibus vid. ad Esdr. II, 15.

Digitized by Google

conjuncta, nec non in unum coadunata habentur vel cogitantur, *bajoþs* vero, ubi de objectis diversi generis vel duabus partibus agitur. Quod discrimen Gothus stricte servat, licet in græco textu ἀμφότεροι pro utroque casu inveniat : Luc. I, 6 *vesun garaihta ba*, scilicet Zacharias et Elisabeth ; item vs. 7; V, 7 *gafullidedun ba þo skipa* utraque navis; VI, 39 *ibai mag blinds blindana tiuhan. niu b a i in dal gadriusand;* VII, 41 *ains skulda skatte fimfhunda, iþ anþar fimftiguns.* 42 *ni habandam þan, waþro usgebeina, b a i m fragaf* utrique, id est, ambobus debitoribus per oppositionem ad creditorem ; Eph. II, 14 *gatavida þo ba du samin ;* 16 *gafriþoda þans b a n s in ainamma leika guþa.* E contrario Mth. IX, 17 et Luc. V, 38 *giutand vein juggata in balgins niujans jah b a j o þ u m* (vinum scilicet et utres) *gabairgada;* Eph. II, 17, 18 *gavairþi izvis juzei fairra jah gavairþi þaim izei newa unte þairh ina habam atgagg b a j o þ s* (nempe vos et nos ex diversa parte) *du attin;* Skeir, II, d *tvos ganamnida vaihts svesa b a j o þ u m* (nimirum corpus et anima) *du daupeinais garehsnai;* III, a *b a j o þ u m* (scilicet Joannes et Christus, qui sub respectu baptismatis hic opponuntur) *daupjandam jah ainwaþarammeh seina anafilhandam daupein miþ sis misso sik adrunnun sumai.*

« *d*) Quoad usum vocabulorum *ains* et *anþar* in sententiis coordinatis (*ains — anþar, anþar — anþar*, etc., unus — alter, etc.) vid. ubi de sententia composita tractatur. »

IV. Distributiva. Si *tveihnai* duo (ἀνὰ δύο) excipias, distributiva gothice non occurrunt, sed per *waxuh* et *warjizuh* quisque, et *bi* (κατά) circumscribuntur : Luc. IX, 3 *ni vaiht nimaiþ in vig, nih t v e i h n o s* (ἀνὰ δύο) *paidos ;* Mc. VII, 31 *qam at marein galeilaie miþ t v e i h n a i m markom* (ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων) ; Mc. VI, 7 *dugann iesus þans tvalif insandjan t v a n s w a n z u h* (ἀνὰ δύο) ; Luc. X, 1, IX, 14 *gavaurkeiþ im anakumbjan kubituns a n a w a r j a n o h f i m f t i g u n s* (in quemque quinquaginta, gall. *cinquante par cinquante*, ἀνὰ πεντήκοντα), coll. Mth. XXVII, 15 ; Mc. XV, 6 ; Cor. I, XIV, 27 *jaþþe razdai was rodjai, b i t v a n s aiþþau maist þ r i n s* (κατὰ δύο, secundum duos aut maxime tres). Singuli (καθ' εἷς) dicitur *ainwarjizuh* Rom. XII, 5.

V. Multiplicativa et proportionalia *ainfalþs* simplex, *fidurfalþs* quadruplex, *taihuntaihundfalþs* centuplex, *managfalþs* multiplex, etc., ut adjectiva spectanda sunt.

VI. Iterativa semel, bis, etc., quæ in aliis sermonibus adverbiis exprimuntur, gothice redduntur eo modo : una vice, duabus vicibus, etc. : Cor. II, XI, 24, 25 *fram iudaium f i m f s i n þ a m* (πεντάκις) *nam, þ r i m s i n þ a m* (τρίς) *vandum usbluggvans vas, a i n a m m a s i n þ a* (ἅπαξ) *stainiþs vas;* Mc. XIV, 72 *a n þ a r a m m a s i n þ a* (ἐκ δευτέρου) *hana vopida. jah gamunda paitrus þata vaurd sve qaþ imma iesus, þatei faurþize hana hrukjai t v a i m s i n þ a m* (δίς), *inviais mik þ r i m s i n þ a m ;* Luc. XVII, 4 *jabai s i b u n s i n þ a m* (ἑπτάκις) *ana dag fravaurkjai du þus jah s i b u n s i n þ a m ana dag gavandjai sik.* Alia exempla vid. Gloss. v. *sinþ.*

Cum ordinalibus prima, secunda, tertia vice neutrum in accusativo ponitur : Cor. II, XII, 14 *sai þ r i d j o þ a t a* (τρίτον) *manvus im qiman.* Coll. *frumist* (πρῶτον) primum et *þata anþar* (τὸ λοιπόν) cæterum.

4. PRONOMEN.

A. Pronomen personale.

§ 199. 1) Pronomina personalia sunt : pro prima persona *ik* ego, *veis* nos ; pro secunda *þu* tu, *jus* vos ; pro tertia, quæ diversi generis est, *is* is, *si* ea, plur. *eis* ii ; *sa* hic, *so* hæc, plur. *þai* hi, et pronomen reflexivum *sik* se.

« Annotatio 1.— *Is* idem est atque græcum αὐτὸς, ὁ (gall, *il*), sed adjective sumi non potest pro : hic, ille ; *sa* autem æquivalet græc. αὐτὸς et οὗτος et consequenter est etiam adjectivum ; de horum pronominum discrimine vid. § 202, I. »

2) Cum pronomen personale subjectum est, peculiariter non exprimitur, quia jam in terminatione verbi implicite continetur. Verum tamen explicite adest

— *a*) Pronomen primæ et secundæ personæ, cum scilicet quædam emphasis in eo jacet, cum præsertim ad aliud opponitur : Joan. VI, 20 *ohtedun sis, þaruh qaþ iesus : ik im, ni ogeiþ izvis ;* Luc. X, 24 *managai praufeteis jah þiudanos vildedun saiwan, þatei j u s saiwiþ ;* Joan. XV, 3 *j u s* (non opus habetis ut mundemini , nam) *hrainjai sijuþ ;* Cor. II, V, 21 *xristus faur uns gatavida fravaurht, ei v e i s vaurþeima garaihtei guþs ;* I, 23 *aþþan ik veitvod guþ anahaita ana meinai saivalai ;* Luc., I, 18 *ik im sineigs jah qens meina framaldrozei in dagam seinaim ;* Mth. III, 11 *aþþan ik in vatin izvis daupja, iþ sa afar mis gagganda svinþoza mis ist ;* V, 21, 22 *hausideduþ þatei qiþan ist þaim airizam ni· maurþjais. aþþan ik qiþa izvis* — VI, 12 *afiet uns þatei skulans sijaima, svasve jah v e i s afletam þaim skulam unsaraim ;* item, præcedente *jah*, X, 32, 33 ; Cor. II, I, 6 ; Joan. VIII, 15 *j u s bi leika stojiþ, iþ ik ni stoja ainnohun :* 21 *þadei ikgagga, j u s ni maguþ qiman ;* 23 *j u s us þaim dalaþro sijuþ, iþ ik us þaim iupaþro im ;* Cor. II, XIII, 9 *faginom, þan v e i s siukam, iþ j u s svinþai sijuþ ;* Cor. I, V, 12 *nist þans inna j u s stojiþ , iþ þans uta guþ stojiþ ;* VII, 12 *þaim anþaraim ik qiþa, ni frauja ;* Rom. XI, 18 *ni þ u þo vaurts bairis ak so vaurts bairiþ þuk ;* Gal. II, 10 *nis ni þanaseiþs ik, iþ libaiþ in mis xristus.* In his et pluribus aliis casibus personale pronomen Gothus adhibet, præeunte Græco, cujus etiam exemplum sequitur et in sequentibus : Cor. II, I, 4 *ei mageima v e i s gaþraf s t j a n* (εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν); Eph. I, 4, 12, 18 ; IV, 22. Rarius autem pronomen absolute usurpatur, ut Mth. V, 17 *ni hugjaiþ ei ik qemjau,* quod aliunde non requiritur, cum X, 34 legitur simpliciter, prætermisso pronomine, *ni agjaiþ þatei qemjau.* Econtrario Gothus frequenter inducit

b) Pronomen tertiæ personæ, ubi Græcus eo non

Digitized by Google

utitur : Mth. xi, 23 *jabai in saudaumjam vaurþeina mahteis þos vaurþanons in izvis, aiþþau eis veseina* (ἔμειναν) *und hina dag;* Mc. xv, 44 *peilatus sildaleikida, ei is juþan gasvalt* (τέθνηκε) ; Cor. I, xvi, 12 *ina bad, ei is qemi* (ἔλθῃ) *at izvis*, sæpe imprimis apud Lucam (i, 63 ; vii, 15 ; xiv, 14 ; xviii, 38) et Joannem (vi, 21 ; ix, 8, 12, 18 ; xi, 13 ; xiv, 17 ; xviii, 28, 40); xviii, 38 pronomen etiam adest, ubi subjectum tamen subsequitur : *iþ eis qeþun du imma iudaieis*, vid. ad h. l.

« Annotatio 2.—Post constructionem participialem, quæ a verbo pendet (et consequenter non est absoluta) et initio sententiæ ante verbum ponitur, pronomen, equidem tum redundans, sed præeunte Græco, in objectali casu flexum repetitur : Eph. ii, 5 *visandans uns daupans fravaurhtim miþgaqivida uns xristau ;* Mth. xxvi, 71 *usgaggandan ina in daur gasaw ina anþara þivi ;* Mc. v, 18 *inngaggandan ina in skip baþ ina saei vas veds ;* ix, 28 *galeiþandan ina in gard siponjos is frekun ina ;* Mc. ix, 9 *dalaþ atgaggandam im af fairgunja anabeud im ;* Mth. viii, 5 *innutgaggandin imma in kafarnaum duatiddja imma hundafaþs ;* 23 *innatgaggandin imma in skip afariddjedun imma siponjos is ;* 28 ; Mc. v, 2 ; Luc. vi, 29 ; xvii, 12 ; Joan. viii, 50 ; xii, 37. Deficit tamen prius pronomen in constructione participiali, et verbo tantum postponitur apud Mth. ix, 28 *qimandin in garda duatiddjedun imma þai blindans.* Magis autem absoluta videtur participialis constructio, ubi verbum construitur cum præpositione, quæ repetito pronomini præponitur : Mth. ix, 27 *warbondin iesua jainþro laistidedun afar imma tuai blindans* abeunte Jesu illinc, secuti sunt post eum duo cæci ; viii, 1 *dalaþ atgaggandin imma af fairgunja laistidedun afar imma iumjons managos ;* xxvii, 19 *sitandin imma ana stauastola insandida du imma qens ;* Mc. v, 21 ; xi, 27 ; Luc. vii, 6 ; Skeir. IV, a ; alias autem præpositio etiam ante constructionem participialem stare debet, ut Luc. xix, 26 *af þamma unhabandin jah þatei habaiþ afnimada af imma.* Item etiam post relativum : Mc. iv, 25 *þiswammeh saei habaiþ, gibada imma.* Coll. § 202 annot. 4.

« Annotatio 3. — Quando post impersonalia græca pronomen in sententia subordinata sequitur, Gothus, ubi pro impersonali personale verbum usurpat, hoc pronomen personale prætermittit. Quod pariter facit, cum ad circumscribendam infinitivam sententiam verbo finito loco infinitivi utitur : Luc. xvii, 15 *skal* (gall. *il doit*, germ. *er muss*, gr. δεῖ αὐτὸν oportet eum) *manag gaþulan ;* xix, 11 *bi þatei newa iairusalem vas* (διὰ τὸ—αὐτὸν εἶναι); 15 *biþe atgandida sik* (ἐν τῷ ἐπανελθεῖν αὐτόν) ; Joan. xii, 18 *hausidedun ei gatavidedi* (acc. cum inf. αὐτὸν πεποιηκέναι) *þo taikn ;* Eph. iv, 17 *veitvodja in fraujin ei þanaseiþs ni gaggaiþ* (acc. cum inf. ὑμᾶς περιπατεῖν); Cor. II, viii, 6 *svaei bedeima* (εἰς τὸ παρακαλέσαι ὑμᾶς) *teitaun.* Raro autem pronomen postponitur : Luc. xviii, 35 *miþþanei newa vas is laireikon ;* attamen interpres epistolæ ad Ephesios sæpe hoc eo modo habet : Eph. i, 12 *ei sijaima vei ;* (εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς) *du hazeinai ;* 18 ; iv, 22 ; i, 4 vero cod. A pronomen *veis* more linguæ consueto prætermittitur.

« Annotatio 4.— Loco pronominis tertiæ personæ substantivum (cujus sedem tenet) repetitur : Cor. I, vii, 12 *jabai was broþar qen aigi ungalaubjandein jah so gavilja ist bauan miþ imma, ni afletai þo qen* (hanc mulierem, gr. omn. αὐτήν); item vi, 13 *ni afletai þana aban* (hunc virum, gr. αὐτόν), ubi forsan interpres cum codicibus τὸν ἄνδρα legit, ita ut parallelismi causa etiam præcedenter *þo qen* pro *ija* posuerit. »

3) Pronomen secundæ personæ ante allocutionem vel etiam in appositione allocutionis ponitur : Luc. iv, 23 *þu leiki* (ἰατρέ) *hailei þuk silban ;* Cor. I, vii, 16 *wa nu kannt, þu qinon* (γύναι); Eph. v, 25 *jus vairos* (οἱ ἄνδρες) *frijoþ qenins izvaros ;* vi, 9 *jus fraujans* (οἱ κύριοι) *þata samo taujaiþ* (punctione nostræ interpretationis paululum mutata legendum est : et vos domini) ; Col. iii, 18 *jus qinons* (αἱ γυναῖκες) *ufhausjaiþ vairam izvaraim ;* 21 ; iv, 1 ; Gal. iv, 21 *giþiþ mis jus uf vilioda viljandans visan* (οἱ — θέλοντες) *þata viloþ niu hauseiþ ;* Mth. xxv, 41 *gaggaiþ fairra mis jus þaqi þanaus* (οἱ κατηραμένοι)]; Luc. vi, 25 *vai izvis jus sadans nu* (οἱ ἐμπεπλησμένοι). — Mc. ix, 25 *þu ahma þu unrodjands* (τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον) *ik þus anabiuda usgagg ;* Luc. x, 15 *jah þu kafarnaum þu und himin ushauhido* (καὶ σὺ κ. ὁ ἕως οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα) *gadrausjana ;* Mth. vi, 9 *atta unsar þu in himinam* (ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς).

« Annotatio 5.—Nec non et pronomen primæ personæ pari modo in appositione ponitur loco articuli : Phil. iii, 3 *veis sijum bimait vei is ahmin guþa skalkinondans* (οἱ—λατρεύοντες). »

4) In gothica lingua nusquam duæ negationes in eadem sententia positæ se ipsas invicem destruunt; e contrario præter negationem generalem sententiæ, occurrit etiam particularis in pronominibus negativis *ni vaiht* et *ni ainshun*: Mc. vii, 12 *ni* (οὐκ) *fraleiþ ïna ni vaiht* (οὐδέν) *taujan*; xv, 4 *niu* (οὐκ) *andhafjis ni vaiht* (οὐδέν); Luc. ix, 36 *mann ni* (οὐδενί); *gataihun ni vaiht* (οὐδέν), *þizei gasewun*; xx, 40 *niþ-þan þanaseiþs* (οὐκέτι) *gadaursteduu fraihnan ïna ni vaihtais* (οὐδέν); Joan. ix, 33; xv, 5; xvi, 24; Joan. v, 22 *nih þan* (οὐδέ) *atta ni stojiþ ainohun* (οὐδένα); Mch. xxvii, 14 *ni* (οὐκ) *andhof ïmma viþra ni* (οὐδέ) *ainhun vaurde*; Mc. iii, 20 *svasve ni* (μή) *mahteduu nih* (μηδέ) *hlaif matjan*; Luc. xviii, 13 *ni* (οὐ) *vilda nih* (οὐδέ) *augona seina ushafjan*.

In locis supra laudatis Gothus duas negationes cum Græco communes habet; eas tamen, etiam non præeunte Græco, adhibet: Joan. viii, 42 *ſram guþa qam*, *nih þan* (οὐδέ) *auk ſram mis silbin ni qam* (ἐλήλυθα); xvi, 21 *biþe gabauran ïst barn*, *ni þanseiþ ni gaman* (οὐκέτι μνημονεύει) *þizos aglons ſaura ſahedai*; Cor. ii, v, 16 *nu ni þanaseiþs ni kunnum* (οὐκέτι γινώσκομεν) *ïna*, superius *ni ainnohun kunnum* simpliciter stante; Gal. vi, 14 *mis ni sijai wopan ïn ni vaihtai niba ïn galgin ſraujins*, in Græco textu *ïn ni vaihtai* omnino deest; vel una tantum negatione, ubi Græcus duabus utitur: Mc. i, 44 *saiw ei manna ni* (μηδενί) *qiþais vaihi* (μηδέν); xii, 14 *ni* (οὐ) *karo þuk manshun* (οὐδενός); 54 *ainshun þanaseiþs ni* (οὐδείς οὐκέτι) *gadaursta ïna fraihnan*; xiv 60 *niu* (οὐκ) *andhafjis vaiht* (οὐδέν); xvi, 8 *ni qeþun mannhun vaiht* (οὐδενὶ οὐδέν); Luc. iv, 2; viii, 43, 51; Joan. vi, 63; xii, 19; xiv, 30; xvi, 23; xix, 11; Rom. xiii, 8; in Cor. ii, xi, 8 cum constructio *ni ainnohun kaurida* a græca οὐ κατενάρκησα οὐδενός diversa esset, negationem geminare opus non erat.

Digitized by Google

5) De negatione continua (neque —, neque —) vid. ubi de sententia composita agitur.

INTERROGATIO.

§ 214. Cum loquens de aliqua re sciscitatur, hoc *interrogando* facit. Atqui interrogatur communiter in indicativo, non autem in conjunctivo nisi de futuro. Cæterum vocabula sententiæ interrogatione sedem non permutant. Jam vero ex interrogationibus distinguenda sunt :

1) Interrogatio *positive* facta, quæ

a) sine interrogativo vocabulo exprimitur : Joan. XVI, 31 *nu galaubeiþ ?* Cor. I, I, 13 *disdailiþs ist xristus ?* Luc. VII, 44 *gasaiwis þo qinon ?* Mth. XXVII, 11 *þu is þiudans iudaie ?* Cor. II, X, 7 *þo bi andvairþja saiwiþ ?* Gal. IV. 10 *dagam vitaiþ jah menoþum jah melam ?* III, 3 *sva unfroþans sijuþ ? anastodjandans ahmin nu leika ustiuhiþ ? sva filu gavunnuþ svare ?* Rom. VII, 13 *þata nu þiuþeigo mis varþ dauþus ?*

b) Per encliticum *-u* indicatur ; hoc vero ad primum sententiæ interrogativæ vocabulum affigitur, et ubi hoc vocabulum compositum est, post syllabam compositionis inducitur ; in præpositionibus autem et nominibus (compositis) præpositioni appendet : Mc. X, 38 *magutsu* (δύνασθε) *driggkan stikl, þanei ik driggka ?* Joan. XIII, 12 *vitudu, wa gatavida izvis ?* XVIII, 39 *vileidu nu ei fraletau izvis þana þiudan iudaie ?* Luc. IX, 54 *frauja, vileizu ei qiþaima fon atgaggai us himina ?* Joan. XVIII, 22 *svau andhafjis þamma reikistin gudjin ?* Mth, IX, 28 *gaulaubjats þatei magjau þata taujan ?* Joan. IX, 35 *þu gaulaubeis du sunau guþs ?* Luc. XVIII, 8 *sunus mans qimands, biugitai galaubein ?* Joan. XVIII, 34 *abu þus silbin þu þata qiþis ?* Alia exempla vid. gloss. v. *-u*.

c) Ubi relative ad aliquid præteritum interrogatur, *an* (καί, οὖν) interrogativo præponitur ; quæ particula, vet. germ. *eno, inu*, etiam adhuc in recenti plebis germanico (*en, enne*) occurrit : Luc. X, 29 *an* (καί, et, num)‖ *was ist mis newundja ;* XVIII, 26 *an* (καί) *was mag ganisan ;* Joan. IX, 36 *an* (καί) *was ist, frauja, ei galaubjau du imma ?* Luc. III, 10 *an* (οὖν) *wa taujaima ?* Joan. XVIII, 37 *an nuh* (οὐκοῦν, sic igitur) *þiudans is þu ?*

2) Interrogatio *negative* facta, quæ

a) Nuda negatione *ni* et indicativo aut *ne* (*nei*) et conjunctivo exprimitur : Luc. XVII, 18 *þai niun war ? ni* (οὐ) *bigitanai vaurþun gavandjandans giban vulþa guþa ?* Mc. XII, 10 *nih* (οὐδέ) *þata gamelido ussuggvuþ ;* Skeir. I, c *ne auk þuhtedi þau in garaihteins gaaggvein ufargaggan þo garehsn ?* Cor. II, III, 8 *waiva nei mais andbahti ahmins vairþai in vulþau* ; vel fit

b) Per *niu*, ubi scilicet negative interroganti responsum affirmativum spectatur, vel jam in interrogatione insinuatur : Mc. XIV, 60 *niu* (οὐκ) *andhafjis vaiht ?* Luc. IV, 22 *niu* (οὐ) *sa ist sunus iosefis ?* Joan. XVIII, 25 *niu* (μή) *jah þu þize siponje þis is ?* XVIII, 11 *niu* (οὐ μή) *drigkau stikl ?* Alia exempla vid. gloss. v. *Niu*.

c) Per *ibai* (forsan ? nonne forte) ubi responsum negativum spectatur, aut aliquid negativum, inauditum etc. interrogatione indicandum est : Mth. IX, 15 *ibai* (μή) *magun sunjus bruþfadis qainon und þata veilos þei miþ im ist bruþfads ?* VII, 16 *ibai* (μήτι) *lisanda af þaurnum veinabasja ?* Joan. IX, 27 *ibai jah jus vileiþ þamma siponjos vairþan ?* 40 *ibai jah veis blindai sijum ?* Discrimen inter *ibai* et *niu* patet præcipue ex Luc. VI, 39 *ibai mag blinds blindana tiuhan ? niu bai in dal gadriusand ?* Alia exempla vid. gloss. v. *Ibai*.

Ubi post *ibai* altera stat negatio (*ibai ni*, μή οὐ, num non), hæc negatio ad verbum pertinet et responsum affirmativum spectandum est : Rom. X, 18 *ibai ni* (μὴ οὐ) *hausidedun ? ibai israel ni fanþ ?* Cor. I, IX, 4 *ibai ni habam valdufni matjan jah driggkan ?* IX, 5 ; XI, 22.

E contrario adhibentur *nibai* et conjunctivus ubi ironice et amare interrogatur, nonne forsan ! Joan. VII, 35 *nibai* (μή) *in distahein þiudo skuli gaggan ;* VIII, 22 *nibai* (μήτι) *useimai sis silbin ?*

3) De pronominibus et adverbiis interrogativis vid. §§ 164, 3 et 204.

4) De duplicibus interrogationibus vid. ubi de sententia composita.

5) Simpliciter respondent particulæ *ja* est (utique), *jai* ita, profecto, et *ne* non, vid. Mth. V, 37 ; IX, 28 ; Cor. II, I, 17 sqq. ; Luc. I, 60 ; Joan VII, 12. Attamen hæ particulæ quia probabiliter Græco non sunt assuetæ, non sæpe ut tales occurrunt, sed verbo interroganti conjunguntur, vel hoc solum usurpatur, vel alias responsum exprimitur, ut Joan. XVIII, 25 *niu jah þu þize siponje þis is ? iþ is afaiaik jah qaþ· ne, ni im* (gr. simpliciter οὐκ εἰμί) ; XI, 27 *galaubeis þata ? qaþ imma· jai, frauja, ik galaubida ;* XVIII, 17 *ibai jah þu þize siponje is þis mans ? iþ is qaþ· ni im* (οὐκ εἰμι) : Rom. XI, 1 *ibai afskauf guþ managein seinamma ? nis-sijai* (μὴ γένοιτο) ; Mth. XXVII, 11 *frah ina kindins· þu is þiudans iudaie ? iþ iesus qaþ þu imma· þu qiþis* (σὺ λέγεις) ; *Joan.* XVIII, 37 *qaþ imma peilatus· an nuh þiudans is þu ? andhafjands iesus· þu qiþis ei þiudans im ik.*

RELATIO ATTRIBUTIVA SEU DE ATTRIBUTO.

§ 215. Ubi sententia simplex amplificatur, hæc amplificatio in eo consistit, quod subjectum et, si substantivum est, prædicatum quodam vocabulo propius determinetur ; hoc porro vocabulum vocatur *attributum*. Jam vero attributum esse potest

I. Nomen concordans, scilicet

1) *Adjectivum* vel *participium*, quod in eo casu semper vocabulo determinato in genere, numero et casu congruere debet. Hic vero duo sunt haud negligenda : nempe primo discrimen inter formam

Digitized by Google

consonanticam et vocalicam horum attributorum; secundo ipsorum sedes. Sub hoc ultimo respectu animadvertas, quod attributa communiter vocabulum determinatum sequantur, præcedant vero, ubi in eis jacet emphasis. De utroque § 196 legendus est. Quod autem superlativus substantivo non congruat, sed hunc partitivum secum habeat, vid. § 216 1) *b*) *bb*);

2) *Numerale*, vid. § 198.

3) *Pronomen*, vid. § 199 sqq.

« Annotatio 1. — Quod numeralia sæpe et indefinita propter eorum substantivam naturam semper a regula concordantiæ deflectant, scilicet substantivum in partitivo attrahendo, vid. §§ 198, II, 5) *b*) et 205. Quo etiam modo *alls* significans *quisque* construatur (§ 205, V), sed significans *omnis*, *totus*, adjective usurpetur et substantivo conveniat, vid. § 196 annot. 12.

« Annotatio 2. — Quod pronomen possessivum substantivum præcedat vel sequatur, vid. § 201. Libere et plerumque præeunte Græco, construitur ubi adjectivum et pronomen possessivum vel numerale ad substantivum refertur : Luc. I, 72 *gamunan triggvos veihaizos seinaizos*; Cor. I, XV, 58 *broþrjus meinai liubans*; II, XI, 28; Tim. II, II, 1; Luc. VII, 35 *barnam seinaim allaim*; VII, 1 *alla þo vaurda seina*; VIII, 43; Eph. I, 6 *in þamma liubin sunau seinamma*; Phil. IV, 3 *anþaraim gavaurstvam seinaim*; Cor. I, XVI, 19 *miþ ingardjon seinai aikklesjon*; Tim. II, IV, 16; Skeir. VII, a · *e* · *klaibans barizeinans*.

« Annotatio 3. — Ubi attributum ad plura substantiva ejusdem generis et numeri refertur, semel tantum ponitur : Phil. I, 25 *du izvarai framgahtai jah fahedai*; Luc. I, 6 *in allaim anabusnim jah garaihteim*; ad duo substantiva relatum, in plurali adhibetur : Phil. I, 20 *bi usbeisnai jah venai meinaim*. Raro autem construitur ut Mth. IX, 35 *baurgs allos jah haimos*. Quod si substantiva diversi sunt generis, vel etiam numeri, attributum suum cuique proprium concordat et reperitur : Skeir, V, b *svesamma viljin jah svesai mahtai*; Mth. VII, 10 *sverai attan þeinana jah aiþein þeina*; Luc. VIII, 10 *aiþei meina jah broþrjus meinai*; Mc. III, 32, 33; VI, 4; X, 7; attamen in his casibus quandoque semel ponitur attributum, ubi scilicet substantiva eodem numero concordant; tunc vero attributum primo conjungitur : Mc. III, 5 *broþar meins jah svistar jah aiþei*; Thess. I, II, 12 *seinai þiudaugardjai jah vulþau*; Skeir. I, c *mahtai gudiskai jah valdufnja*.

« Ubi plura attributa copulative aut adversative connexa ad substantivum referuntur, hoc substantivum præcedunt : Skeir. II, b *þo veihon jah himinakundon gabaurþ*; V, c *ni ibnon ak galeika sveriþa*; sed etiam ibid. *ni ibnaleika friaþva ak galeika*, attributis separatis.

« Annotatio 4. — Etiam adverbia loco adjectivorum in modum attributi ponuntur, præcipue *filu* : Luc. V, 6 *galukun managein fiske filu*, quod etiam substantive adest : Luc. IX, 37 *gamotida imma manageins filu*, sicut et *leitil* : Tim. I, V, 23 *veinis leitil* (οἴνῳ ὀλίγῳ) *brukjais*, coll. § 216 1) *b*). Si Skeir. III, b *sinteino daupeinim brukjan* correctum est, huc etiam referendum est, quippe cum ex contextu *sinteino* ad *brukjan* referri non potest.

« Annotatio 5. — Adjectiva loci, temporis, magnitudinis, multitudinis, et alia similia, more classico, ut attributa substantivis conjunguntur, ubi Germani et Galli adverbium usurparent : Luc II, 46 *sat in midjaim laisarjam* (in mediis doctoribus, germ. autem *mitten unter*, gall. *au milieu des docteurs*); Joan. VII, 14 *ana midjai dulþ usstaig Iesus in alh*; Mc. II, 7 *was mag afletan fravaurhtins niba ains guþ* (nisi solus Deus, germ. *Gott allein*); Luc. IV, 4 *ni bi hlaib ainana libaid manna*; Tim. I, I, 16 *in mis frumistamma alaugida Iesus alla usbeisnein*; II, 15 *adam fruma gadigans varþ*; Philem. 15 *afgaf sik duweilai, ei aiveinana ina andnimais*, etc. Attamen legitur apud Luc. VIII, 7 *sum gadraus in midumaï þaurnive* (in medium spinarum).

« Annotatio 6. — Quandoque etiam substantivum alterius attributum est, quod tamen proprie ad appositionem pertinet, ut Luc. IV, 26 *qino viduvo* (mulier vidua); Skeir. V, d *ainabaur sunus* (filius unigenitus); Mc. I, 5 *iudaia land*; Luc. III, 1 *trakauneitidaus landis*; Joan. XII, 3 *balsan nardus*; Luc. II, 41, *dulþ paska*.

« Annotatio 7. — Ubi participia attributi vices gerunt, sæpe per particulas relativas, copulativas, causales, hypotheticas vel temporales, et si sint negativa, per particulas negationes includentes converti possunt et in propriam sententiam redigi : Mth. VIII, 9 *ik manna im habands* (qui habet) *uf valdufnja meinamma gadrauhtins*; Luc. XX, 29 *sa frumista nimands qen* (qui duxit mulierem) *gadauþnoda unbarnahs*; Mth. VIII, 10 *gahausjands Iesus* (cum Jesus hoc audiisset) *sildaleikida*; Thess. I, III, 5 *duþþe jah ik ju ni usþulands* (quia non sustineo) *insandida du uskunnan galaubein izvara*; Rom. VII, 3 *jabai gasviltiþ vair, qens frija ist þis vitodis, ei ni sijai horinondei vaurþana* (si facta fuerit) *abin anþaramma*; Luc. XVIII, 7 *guþ niu gavrikai þans gavalidans Seinans þans vopjandans* (quamvis clament, vel qui clamant) *du sis dagam jah nahtam*; IV, 35 *sa unhulþa urrann af imma ni vaihtai gaskaþjands* (nec illi nocuit, gall. *sans lui faire de mal*) *imma*. »

§ 216. II. Genitivus, et equidem

1) *Genitivus subjectivus* [1]

a) Qui originem, causam, proximam in genere determinationem, possessorem, auctorem, etc. exhibet, ut Luc. IV, 4 *vaurd guþs*; III, 6 *naseins guþs*; XIV, 17 *bokos esaeiins*; XIX, 30 *fula asilaus*; II, 24

[1] Genitivus subjectivus seu activus dicitur, cum vocabulum in genitivo positum *subiectum* est actionis vocabulo regente expressæ, ex. gr. : providentia Dei, id est, qua Deus providet. *Interpr.*

Digitized by Google

twos juggons ahans; XX, 17 *haubid valhstins*; III, 9 *vaurteis bagme*; Joan. XII, 13 *astos peikabagme*; Luc. XVIII, 6 *staua invindiþos*; VIII, 14 *saurgos þizos libainais*; IX, 51 *dagos andanumtais*; IV, 8 *gard seimonis*; XVI, 21 *biads þis gabigins*; XX, 20 *valdufni kindinis*; X, 2 *fraujo asanais*.

b) Partitivus :

aa) Partim indefinitis et numeralibus adjunctus, vid. § 215, annot. 1;

bb) Partim superlativis : Mc. IV, 31 *minnist allaize fraive*; 32 *allaize grase maist*; XII, 28 *allaizo anabusne frumista* (etiam 29 *frumista allaizo anabusns*); Cor. I, XV, 9 *sa smalista apaustaule*, etc.;

cc) Partim aliis substantivis et etiam pronominibus et adjectivis neutris substantivi vices gerentibus : Luc. V, 6 *galukun managein fiske*; Mc. V, 11 *vas jainar hairda sveine haldana*; Luc. XIV, 19 *juka auhsne usbauhta fimf*; II, 24 *gajuk hraivadubono*; XVI, 7 *taihuntaihund mitade kaurnis*; Joan. XII, 3 *pund balsamis*; Neb. V, 15 *nemun silubris sikle · m ·*; Mc. XIV, 13 *kas vatins*; Mth. X, 42 *stikls kaldis vatins*; Luc. VII, 37 *alabastraun balsanis*; Luc. IV, 5 *stiks meliz*; II, 44 *dagis vigs*; Skeir. VII, c *ni vaiht mikilis*; Cor. I, V, 6 *leitil beistis*; coll. § 218 annot. 4;

c) Constructiones, in quibus attributum ut pleno gaudeat sensu adjectivo vel numerali insuper opus habet, Gothus ex Latinis imitatus est : Tim. II, III, 16 *all boko gudiskaizos ahmateinais* (θεόπνευστος, divinitus inspirata). Insuper Luc. VIII, 42 *dauhtar vas imma vintrive tvalibe*; II, 37 *viduvo jere · e · jah · d ·*.

2) *Genitivus objectivus* [1], ad quem etiam *passivus* pertinet : Mc. I, 14 *aivaggeljo þiudangardjos* evangelium regni cœlorum; Cor. II, V, 19 *vaurd gafriþonais*; Mc. I, 28 *meriþa* is fama ejus, de eo; Luc. III, 3 *daupeins idreigos* baptismum pœnitentiæ, ad pœnitentiam; Mc. VI, 7 *valdufni ahmane unhrainjaize* potestatem spirituum, in spiritus; Cor. II, X, 5 *ufarkauseins xristaus* obedientiam Christi, ad Christum; Rom. X, 2 *aljan guþs* æmulationem Dei, pro Deo.

Luc. V, 9 *gafah þize fiske* (capturam horum piscium); V, 10 *nutans manne*; X, 25 *arbja libainais aiveinons*; III, 3 *aflet fravaurhte*; Mc. XI, 22 *galaubeins guþs* fides Dei, in Deum; Joan. VII, 13 *agis iudaie* timor Judæorum, a Judæis; Luc. XVI, 2 *raþjo fauragaggjis* rationem villicationis, de villicatione; Cor. II, X, 5 *kunþi guþs* cognitio Dei, de Deo; Rom. VIII, 35 *friaþva xristaus* charitas Christi, pro Christo; Tim. II, I, 5 *gamaudeins galaubeinais* memoria fidei [2].

« Annotatio 1 [3]. — Loco substantivi et attributivi genitivi Germani composito sæpe utuntur : Mc. XI, 17 *razn biao* et Luc. XIX, 45 *garde bido* germ. *Bethaus* (domus precum); Mc. XV, 22 *wairneins staþs* germ. *Schädelstätte* (calvarii locus); IV, 31 *kaurno sinapis* germ. *Senfkorn* (granum sinapis); V, 25 *runs bloþis* germ. *Blutfluss* (fluxus sanguinis); Luc. XIX, 37 *fairguni alevabagme* germ. *Oel(-baum-)berg* (mons Olivarum); Mth. XXVI, 75 *hanins hruk* germ. *Hahnenruf* (galli cantus); Cor. I, XV, 52 *brunn augins* germ. *Augenblick* (ictus oculi).

« Plurima græca composita eo modo gothice circumscribuntur : Gal. V, 20 *eiδωλολατρία galiugagudê skalkinassus* servitus idolorum (germ. *Götzendienst*); Eph. I, 5 *νιοθεσία sunive gadeds*; Tim. II, II, 6 *γεωργὸς airþos vaurstrja* agricola (germ. *Erdarbeiter, Landbauer*); Mth. V, 31 *ἀποστάσιον afstassais bokos* libellus repudii (germ. *Scheidebrief*); Cor. II, XI, 32 *ἐθνάρχης fauramaþleis þiudos*; Luc. VII, 41 *χρεωφειλέτης dulgis skula*, pro quo etiam compositum *faihuskula* occurrit.

« Annotatio 2. — Quandoque etiam Gothus attributum adjectivum per substantivum in genitivo vertit Cor. II, III, 1 *συστατικὴ ἐπιστολή* commendationis litteræ (germ. *Empfehlungsbrief*) *bokos anafilkis* (germ. *Brief der Empfehlung*); Luc. III, 22 *σωματικῷ εἴδει* (in corporali specie) *leikis siunai* (in corporis specie); Tim. I, IV, 7 *γραώδεις μῦθοι usalþanaizo spilla*; Cor. II, III, 10 *ὑπερβάλλουσα δόξα ufarassus vulþaus*, et sic *ὑπερβάλλων* semper IX, 14; Eph. I, 19; II, 7. Econtra *ἡμῶν τῆς βασιλείας* Mc. VI, 23 vertitur *halba þiudangardi* (quamvis Luc. XIX, 8 *halbata aiginis* dicatur); Luc. I, 78 *σπλάγχνα ἐλέους insleinaidei armahairtei*; Joan. XII, 43 *δόξα τῶν ἀνθρώπων hauhei manniska* (cum *hauhei guþs*).

« Annotatio 3. — Plures genitivi etiam alii ab aliis dependere possunt : Tim. I, IV, 15 *analageins handive praisbytaireis*; Rom. XI, 33 *diupiþa gabeins handugeins jah vitubnjis guþs*, etc.

« Annotatio 4. — Possessivus sæpe etiam per dativum gothice exprimitur, vid. § 227 annot., coll. § 230 annot.

« Annotatio 5. — Genitivus vocabulum regens regulariter sequitur, Gothice tamen licet eum etiam anteponere, sed in eo tantum casu, quo Græcus ipse hanc constructionem sive in parathesi sive in compositione adhibuit, vid. annot. 1 et 2, et Luc. II, 44 *dagis vigs*; III, 2 *zaxariins sunus*; Joan. VIII, 17 *twaddje manne veitvodiþa*; X, 5 *þize framaþjane ƕilna*; XVIII, 3 *fareisaie andbahtos*; 10 *þis aukumistins gudjins skalks*; Rom. IX, 9, *gahaitis vaurd*; XIII, 2 *guþs gareideins*; 4 *guþs andbahts*. Hæc constructio in Skeireins potissimum usurpatur, probabiliter influxu romano,

[1] Genitivus objectivus seu passivus dicitur, cum vocabulum in genitivo positum *objectum* est affectionis vocabulo regente expressæ, ex. gr. : amor Dei, id est, quo Deus amatur, qui ad Deum dirigitur. *Interpr.*

[2] Hi omnes genitivi reipsa in passivum verti possunt : capiuntur pisces, in Deum creditur, metuuntur Judæi, etc. *Interpr.*

[3] Hanc annotationem, licet ad solos Germanos pertineat, integre vertimus, sive quia grammaticam Gothicam vel minima parte defraudari noluimus, sive quia eis, quibus collatio linguarum placet, rem haud ingratam fecisse putavimus. *Interpr.*

Digitized by Google

ex. gr. in ipso primo folio : a *dauþaus staua — allaize nasjands, allaize fravaurhtins — þizos managedais ussaunein;* b *mans leik — diabulaus anamahtai — garaihteins garehsns;* c *garaihteins gaaggvei — nasjandins ussinai;* d *sunjos kunþi — vitodis gaaggveinai*, etc.

« Annotatio 6. — Loco partitivi etiam præpositio *us* adhibetur : Mth. XXVII, 48 *ains us ins;* Mc. IX, 17 *ains us þizai managein;* Joan. XVI, 5 *ainshun us izvis;* XVII, 12 *ainshun us im;* Rom. XI, 14 *sumans us im;* Joan. XII, 42 *us þaim reikam managai.* Semel etiam *af* : Tim. I, 1, 6 *af þaimei* (ὧν) *sumai.*

Annotatio 7. — Quandoque, præeunte Græco, vocabulum regens genitivum prætermittitur : *a*) ubi scilicet substantiva regentia articulo supplentur, de quibus § 195, IV, 3) dictum est; *b*) ubi vocabulo *filio* omisso, simplex articulus adhibetur : Mc. I, 19 *gasaw iakobu þana zaibaidaiaus;* II, 14; III, 17, 18; Luc. VI, 15; etiam sine articulo apud Joan. VI, 71 *iudas seimonis* et Luc. VI, 16 *iudan iakobaus;* c) ubi vocabulum *domus* subauditur, ut Luc. XIX, 7 *du fravaurhtis mans* (παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρί) *galaiþ in gard, in gard* explicante *du* in textu; *d*) ubi *regio* in genitivo ponitur post nomen urbis, quæ in ea sita est : Mc. I, 9 *iesus qam fram nazaraiþ galeilaias;* Luc. IV, 26 *insandiþs vas in saraipta seidonais;* Cor. 2 subscript. cod. A *us filippai makidonais;* etiam Joan. XII, 21 *atiddjedun du filippau þamma fram beþsaīda galeilaie;* hic verisimiliter *baurg* supplendum est, quemadmodum etiam Luc. IV, 31 *in kafarnaum baurg galeilaias* adest. »

§217. III. Appositio.

1) Appositio, id est, nomen substantivo vel pronomini ad ea strictius determinanda appositum, substantivo determinando semper in casu, communiter autem et in numero convenit. Jam vero vocabulum illustrandum congruenter sequitur, et sæpe tunc articulum recipit, verumtamen in gothico sermone etiam ante vocabulum sedem eam aliquando jam obtinet, quam in germanico solemniter habet :

Luc. II, 11 *gabaurans ist izvis nasjands, saei ist xristus frauja;* I, 5 *in dagam herodes þiudanis iudaias;* III, 1 *in jera fimftaihundin þiudinassaus teibairiaus kaisaris,* IV, 17 *bokos eisaeiins praufetus;* Tim. II, IV, 14 *alaiksandrus aizasmiþa;* Luc. II, 36 *vas anna praufeteis, dauhtar fanuelis;* Calend. *kustanteinus þiudanis* scilicet *dags;* ibid. *dauriþaius aipiskaupaus;* Luc. I, 24 *inkilþo varþ aileisabaiþ, qens is;* III, 1 *fidurraginja þis galeilaias herodeis filippauzuh þan brobrs is;* IV, 41 *iesus sunus guþs;* 31 *galaiþ in kafarnaum, baurg galeilaias;* I, 47 *svegneid ahma meins du gaþa, nasjand unsaramma;* 54 *hleibida israela, þiumagu seinamma;* Col. IV, 10 *goleiþ izvis markus, gad illigs barnabins;* Cor. II, VIII, 23 *brobrjus unsarai, apaustauleis aikklesjono, vulþus xristaus;* Luc. XVIII, 13 *guþ hulþs sijais mis fravaurhtamma;* Mth. XXVII, 56 *maria so magdalene;* Luc. III, 19 *herodes sa taitrarkes;* IV, 27 *naiman sa saur;* Joan. XII, 4 *iudas simonissa iskariotes;* VI, 4 *pasxa so dulþs iudaie;* Luc. VII, 20 *iohannes sa daupjands;* Mth. XXVII, 3 *iudas sa galevjands;* Mc. V, 8 *iesu sunau guþs þis hauhistins;* II, 15 *þai mans þai hairdjos qeþun du sis;* VI, 24 *vai izvis þaim gabeigam;* Rom. XI, 15 *izvisqiþa þasm þiudom.*

Mc. VI, 14 *þiudans herodes;* Luc. II, 1 *kaisar agustus;* I, 26 *aggilus gabriel;* II, 4 *baurgs nazaraiþ;* V, 1 *saivs gainnesaraiþ;* Docum. aret. *hugsis kaballarja;* Luc. I, 13 *qens þeina ailisabaiþ gabairid sunu;* II, 32 *vulþu managein þeinai israela;* Mc. X, 47 *sunau daveidis iesu!* Joan. VII, 2 *dulþs iudaie so hleþrastakeins.*

Mc. VI, 16 *þammei ik haubiþ afmaimait, iohanne, sa ist sah urrais us dauþaim;* Luc. IX, 17 *ushafan varþ þatei afliſnoda im gabruko, tainjons tvalif;* Phil. IV, 13 *all mag in þamma insvinþjandin mik, xristau;* Mc. V, 11 *vas jainar haírda sveine haldana, in þamma fairgunja.*

2) Appositio, quæ ad duo vel plura objecta connexa refertur, in plurali ponitur : Luc. IX, 54 *gasaiwandans siponjos is, iakobus jah iohannes, qeþun;* V, 10 *sildaleik dishabaida iakobau jah iohannen, sununs zaibaidaiaus.*

« Annotatio 1. — Loco simplicis appositionis sententia relativa vel participium usurpatur : Luc. VIII, 41 *qam vair þizei namo iaeirus,* scilicet *vas;* VIII, 2 *marja sei haitana vas magdalene;* VII, 11 *iddja in baurg namnida naen;* IX, 10 *afiddja ana staþ auþjana baurgs namnidaizos baitsaidan;* XIX, 2 *guma namin haitans zakkaius,* et simpliciter cum *namin* (cum nomine) : Mc. V, 22 *qimiþ ains þize synagogaſade namin jaeirus;* Luc. I, 5; V, 27.

« Annotatio 2.— Huc arcessendus est etiam casus, ubi aliquis individuus duobus nominibus appellatur, quæ nomina eumdem casum recipiunt : Luc. V, 8 *seimon paitrus draus du knivam iesuis;* III, 1 *raginondin pauntiau peilatau iudaia;* Eph. I, 1 *þaulus apaustaulus xristaus iesuis.* Etiam dicitur Mth. XXVII, 61 *maria magdalene* pro *so magdalene.* »

III. RELATIO OBJECTIVA SEU DE OBJECTO.

§ 218. Id circa quod versatur subjecti actio, *objectum* est. Jam vero objectum esse potest sive nomen sive verbum. Sed hac appellatione non tantum donatur id, *ad* quod operatio mediate vel immediate refertur (*accusativum, dativum, genitivum*), sed id etiam, *cum* quo vel *per* quod fit operatio (*instrumentale*); insuper causa seu ratio, *propter* quam vel *ex* qua (causale), necnon modus, *quo* vel *in* quem subjectum

Digitized by Google

agit (*modale*), denique *locus*, *tempus* et *mensura* actionis, hæc omnia in objectum cadere possunt. Porro casus, quibus diversæ subjecti ad objectum relationes exprimuntur, dicuntur *casus obliqui* per oppositionem ad *casum rectum*, qui subjecti casus est. Cum autem lingua gothica ad omnes relationes designandas formis non gaudeat, hinc plures iisdem casibus indicari necessum fuit; sunt insuper peculiaria vocabula inter quæ eminent *præpositiones*, sive ad hanc casuum penuriam supplendam, sive et præsertim ad subtiliores illarum relationum gradus apprime exhibeudas. Quisnam vero casus eligendus sit, ex verbo pendet; hinc verbo attribuitur *rectio*, casui contra *dependentia*, id est, verbum est *regens*, casus autem *rectus*. Quod objectum verbale communiter in *infinitivo* ponitur, quandoque tamen et in *participio*.

.. OBJECTUM NOMINALE.

A. Accusativus.

§ 219. Objectum, ad quod actio subjecti proxime refertur, in *accusativo* ponitur; quem casum regunt pleraque transitiva. Atqui actio est vel physica vel metaphysica.

1) Transitiva, quæ actionem physicam designant et accusativum regunt, habita ratione nostræ fundamentalis divisionis ordinavimus, ut sequitur:

a) Verba-stirpes formæ fortis, pauca in *an* et *on* debilis formæ et nonnulla anomala: *aigan* possidere (Luc. IX, 58 *fauhons grobos aigun jah fuglos himinis sitlans*); *haban* habere, *gahaban* retinere, *afhaban* detinere, *dishaban* continere, occupare; *skulan* debere, *letan* scilicet in prægnantibus significationibus sinendi (Mc. V, 19), demittendi (Mc. XI, 6), sinendi in sensu gall. *laisser faire* (Mc. XIV, 6; Joan. XII, 7), emittendi (Mc. XV, 37 *stibna mikila* vocem magnam), relinquendi, gall. *laisser debout* (Luc. XIX, 44), *afletan* relinquere (legendum est igitur apud Luc. V, 11 *afleitandans* loco *afleiþandans*, quod significat deficiens et semper est intransitivum); *fahan* et *gafahan* capere, *ushinþan* et *frahinþan* capere, *undgreipan* et *fairgreipan* arripere; *gajukan* pugnare, *gageigan* lucrari;

Giban dare, *atgiban* dare, attribuere, *fragiban* dare, concedere, *afgiban* secedere, *usgiban* reddere; *ana-* et *biaukan* addere; *niman* tollere, capere, *andniman* accipere, *atniman* attollere, accipere, *afniman* auferre, *ganiman* assumere, *disniman* continere; *usniman* auferre, *franiman* accipere; *vilvan* et *fravilvan* rapere, *disvilvan* arripere; *biraubon* furari;

Bairan ferre, *atbairan* afferre, offerre, *innatbairan* inferre, *þairhbairan* transferre, *us-* et *utbairan* auferre, efferre, *frabairan* ferre; *briggan* ducere; *tiuhan* trahere, ducere, *attiuhan* adducere, *innattiuhan* inducere, *aftiuhan* reducere, *bitiuhan* circumducere, *gatiuhan* abducere, *usliuhan* educere; *atþinsan* attrahere; *dreiban* pellere, *usdreiban* expellere (cum accusativo et dativo, vid. § 229, 1); *vairpan* et *gavairpan* jacere, *at-* et *usvairpan* jacere, ejicere (posterius cum accusativo et dativo, vid. § 229, 1); *vrikan* et *gavrikan* persequi; *þreihan* premere;

Saian seminare, *sneiþan* metere, *galisan* colligere; *rikan* accumulare, *gintan* fundere, *þvahan* et *usþvahan* lavare, *hrainjan* et *gahrainjan* mundare, *afhrainjan* purificare (*fravaurhtins* Skeir. I, a); *afsvairban* obliterare, *salbon* et *gasalbon* ungere; *drigkan* bibere, *fraïtan* devorare;

Gaskapjan creare; *bairan* et *gabairan* parere; *liugan* et *galiugan* ducere (uxorem), nubere;

Filhan et *gafilhan* abscondere, sepelire, *affilhan* abscondere, *usfilhan* sepelire, *anafilhan* relinquere; *galukan* claudere, *uslukan* aperire; *usgraban* effodere, *bigraban* circumfodere; *ushulon* excidere; *falþan* plicare; *bindan* et *gabindan* ligare, *andbindan* deligare, solvere; *bivindan* circumvolvere; *gavindan* colligere; *skaidan* dividere; *brikan* frangere, *gabrikan* confringere, frangere (præsertim κλᾶν, unde goth. *hlaibans*, frangere panem); *dishniupan* disrumpere (Luc. VIII, 29 *bandjos*), *disskreitan* scindere; *distairan* scindere, *gatairan* dissolvere, destruere; *usstiggan* expungere, eruere; *usfsneiþan* dissecare, immolare; *maitan*, *af-* et *usmaitan* abscindere, *bimaitan* circumcidere; *slahan* verberare, *afslahan* percutere, cædere; *stautan* pulsare, *bliggvan* et *usbliggvan* percutere; *gavundon* vulnerare; *holon* fraudare; *kriustan* stridere (Gall. *presser l'un contre l'autre*, *tunþans* dentibus stridere Mc. IX, 18).

b) Plurima verba quæ per compositionem fiunt transitiva, ut: *bistandan* sistere-circum (Luc. XIX, 43), *dissitan* apprehendere, *bisitan* habitare-circum (Luc. I, 65); *birinnan* circumdare (Joan. X, 24); *disdriusan* capere (Luc. I, 12); *anaqiman* supervenire (venire-super Luc. II, 9), *biqiman* supervenire (Thess. I, V, 3, ubi *biqimiþ* loco *blissoþ* legendum est); *bitiuhan* circumire, percurrere (Mth. IX, 35; Mc. VI, 6 regionem, ab intransitivo *tiuhan* iter facere, ire); *biwairban* circumire, circumsistere, circumdare (Luc. VIII, 45); *þairhhleiþan* transire, ire per—(Luc. XVIII, 43); *þairhgaggan* pertransire, *ufargaggan* præterire (Luc. XV, 29 *anabusn*), *viþragaggan* obviamire (Joan. XI, 20); *bispeivan* conspuere (Mc. XV, 19; Luc. XVIII, 32, simplice *speivan* cum *ana* constructo); *biskeinan* circumfulgere, illuminare (Luc. II, 9); *bilaigon* lambere (Luc. XVI, 21); *gatilon* pati, sufferre (Tim. II, II, 10).

c) Verba derivata in *-jan* cum factitiva significatione:

aa) E verbis: *satjan* et *gasatjan* ponere, locare (gall. *faire asseoir*), *atsatjan* apponere, *afsatjan* amovere, *bisatjan* circumdare, obsidere, *miþsatjan* transponere, *ussatjan* imponere, componere; *lagjan* et *galagjan* jacere, ponere (jacere facere), *at-* et *analagjan* superponere, imponere, *aflagjan* deponere, *uslagjan* ponere, *faurlagjan* proponere;

Sandjan mittere (gall. *faire aller*), *insandjan* mittere, *gasandjan* deducere, *ussandjan* ejicere, demittere; *draibjan* compellere; *usdraibjan* expellere; *ushafjan* efferre, *ufarhafjan* extollere, *athafjan* detollere;

raisjan excitare, expergefacere, *urraisjan* suscitare, excitare ; *hnaivjan* et *gahnaivjan* humiliare, *ufhnaivjan* subjicere, *anahnaivjan* reclinare (de dormiente, caput suum reclinare); *ufrakjan* extendere ; *uſþanjan* producere ; *urranjan* oriri facere ; *vandjan* et *gavandjan* vertere, *atvandjan* revertere, convertere, *afvandjan*, *bivandjan* circumvertere, vitare, effugere, *invandjan* pervertere; *af-* et *ushrisjan* quassare, tremefacere; *usvaltjan* convolvere; *atvalvjan* obvolvere, *afvalvjan* devolvere, *faurvalvjan* præcludere (hoc est, volvere ex. gr. saxum ante ostium sepulcri); *ga-* et *afdrausjan* rejicere, dejicere; *vagjan* et *gavagjan* movere, agitare, *in-* et *usvagjan* commovere, exagitare ; *drobjan* turbare, perturbare; *tahjan* lacerare, *distahjan* dilacerare; *gastagqjan* offendere (*fotu* Luc. IV, 11) ;

Gadragkjan potu-recreare ; *gasoþjan* satiare ; *daupjan* baptizare, mergere, *ufdaupjan* immergere; *bugjan* vendere, *usbugjan* emere, *frabugjan* vendere (cui etiam instrumentalis casus adjungitur, vid. § 240, 3); *huljan* et *gahuljan* velare, *dishuljan* abscondere, operire, *andhuljan* revelare ; *tandjan* accendere, *intandjan* incendere; *raupjan* evellere; *afwapjan* suffocare, exstinguere ;

Taujan et *gataujan* facere; *vaurkjan* et *gavaurkjan* operari, agere, facere, *fairvaurkjan* efficere; *baidjan* et *gabaidjan* cogere; *nasjan* et *ganasjan* salvum facere, sanare;

bb) Ex nominibus, scilicet :

α) Adjectivis, quæ tunc ut prædicatæ in verbo jacent : *mikiljan* (a *mikils* magnus) magnificare, ampliare; *gamaurgjan* (a *MAURGS ?* coll. Gf. II, 851) abbreviare, *blauþjan* et *gablauþjan* (a *BLAUþS* debilis, hebes, coll. Gf. III, 251) debilitare, extenuare, delere, *hauhjan* et *ushauhjan* (a *hauhs* altus) exaltare, altum facere; *haunjan* et *gahaunjan* inclinare; *gatamjam* (a *TAMS* domitus, mansuetus) domare, sicurare, *gamainjan* commune reddere, participare, communicare; *manvjan* et *gamanvjan* præparare, *gahrainjan* purificare, *hailjan* et *gahailjan* salvum facere; *lausjan* et *galausjan* solvere, liberare, *uslausjan*, evacuare, liberare; *afdauþjan* interficere; *fulljan* et *gafulljan* implere, *usfulljan* explere, *natjan* et *ganatjan* irrigare; *tulgjan* et *gatulgjan* corroborare, fortificare; *gaþvastjan* fortificare; *gaibnjan* æquare, *gahardjan* indurare, *gablindjan* cæcare, *maidjan* corrumpere, *inmaidjan* immutare; *garaihtjan* rectificare, rectum facere;

β) Substantivis, quæ hic instrumentalia sunt : *nauþjan* (a *nauþs* necessitas, coactio) coactione obtinere, cogere; *taiknjan* (a *taikns* signum) signo indicare, ostendere; *ustaiknjan* exponere, designare; *bandvjan* innuere, significare; *faurvaipjan* (a *vaips* corona sertum, vinculum) corona circumdare, coronare, ligare; *ganagljan* affigere (clavo), *gasleiþjan* lædere (damno), *gabotjan* reficere (bono), *laistjan* et *galaistjan* sequi; *sigljan* et *gasigljan* sigillare, *faursigljan* signare; *insailjan* illaqueare, *kaupatjan* colaphizare, *fodjan* nutrire, alere, *matjan* manducare, *vasjan* et *gavasjan* vestire, induere, *andvasjan* exuere, spoliare; *fravardjan* corrumpere, *disvinþjan* conquassare, *levjan* et *galevjan* tradere, *ushramjan* crucifigere; *disdailjan* dividere, partiri, *afdailjan* dividere; *anamahtjan* vim inferre; *timrjan* et *gatimrjan* ædificare, *siujan* suere.

2) Transitiva, quæ metaphysicam actionem significant, et ad quæ verba sensuum, affectuum et dicendi pertinent :

Hausjan et *gahausjan* audire; *saiwan* et *gasaiwan*, videre, adspicere;

Miton putare, cogitare, *biþagkjan* cogitare, putare; *domjan* et *gadomjan* judicare, dijudicare, discernere; aliquando *gamunan* cogitare (vid. § 258 annot. 4); *gakaran* curare, providere; *fauragaredan* prædestinare; *kunnan* cognoscere (Luc. I, 34; XVI, 15), *gakunnan* cognoscere, *ufkunnan* nosse, scire, *witan* scire, *biniuhsjan* exquirere, *andhruskan* inquirere, *fraisan* tentare, *sokjan* quærere, *ussokjan* exquirere ;

Venjan sperare, spectare (aliquid), *usbeidan* exspectare (aliquem), *ogan* timere, timere de—, *vinnan* et *gavinnan* pati, *þulan* ferre, tolerare, *usþulan* sufferre ;

Aistan et *gaaistan* æstimare, venerare, *sveran* honorare, *unsveran* inhonorare, *andvitan* diffamare, *fastan* et *gafastan* considerare, spectare, *inveitan* adorare, *blotan* (sacrificiis) adorare, *veihan* et *gaveihan* sanctificare ; *idveitjan* exprobrare (vid. § 229, 1), *bilaikan* saltare, *bihlahjan* irridere, *gaaiviskon* improbare ;

Frijon diligere, *arman* et *gaarman* misereri, *hatan* (Rom. VII, 15) et *fijan* odisse, *gaurjan* contristare, *marzjan* et *gamarzjan* scandalizare, *airzjan* seducere, *afhugjan* obcæcare, *tveifljan* dubitare (Skeir. VI, b), *hahan* suspensum tenere, anxium tollere (Joan. X, 24), *inaljanon* æmulationem provocare, *usluton* decipere, *andstaurran* murmurare, *fraveitan* vindicare, ulcisci ;

Laisjan docere (potissimum scientiam, διδάσκειν), *talzjan* educare, instruere, edocere (potissimum doctrinam vitæ, παιδεύειν, νουθετεῖν), *usgiggvan* eligere, *usqiþan* explicare (illustratione evolvere), *merjan* animadvertere, *spillon* et *gaspillon* narrare, evolvere, *fraihnan* interrogare, *invidan* et *afaikan* negare, *bisvaran* affirmare, jurare, *bidjan* precari; *namnjan* nominare, *haitan* (καλεῖν) vocare, nominare (vid. § 220, 2), clamare, *anahaitan* acclamare (vid. § 229, 2), *athaitan* advocare, *gahaitan* conclamare, agnoscere, *fairhaitan* agnoscere; *anabiudan* imperare, mandare, determinare (Mth. VIII, 4 *atbair giba þoei anabauþ moses;* Mc. I, 44; Luc. V, 14), *vopjan* clamare (φωνεῖν, βοᾶν), *atvopjan* advocare, *laþon* et *galaþon* vocare, advocare; *gavaljan* eligere, *goljan* salutare, *hazjan* laudare, *andbeitan* vituperare, *gasakan* imputare, accusare (vid. § 229, 2), *vajamerjan* calumniare, *þiuþjan* et *gaþiuþjan* benedicere (vid. § 229, 1), *þrafstjan* et *gaþrafstjan* consolari, *anaþrafstjan* recreare, confortare, *fullaveitsjan* convincere, arguere, *bairhtjan*, *at-* et *gabairhtjan* revelare, manifestare, *gasvikunþjan* manifestare; *vrohjan* accusare, *stojan* et

Digitized by Google

gastojan judicare, *afdomjan* condemnare; *meljan* et *gameljan* scribere.

3) Accusativum personæ regunt etiam impersonalia *huggreiþ* et *gredoþ* esurit, *þaurseiþ* sitit: Joan. VI, 35 *þana gaggandan du mis ni huggreiþ* (ὁ ἐρχόμενος — πεινάσῃ) *jah þana galaubjandan du mis ni þaurseiþ*; Rom. XII, 20 *jabai gredo fijand þeinana* (πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου), *mat gif imma · iþ jabai þaursjai, dragkei ina*. Necnon et cum *karist* sollicitat (vid. § 238, 3 not.), accusativus personæ et genitivus rei ponitur, vid. § 238, 3.

4) Verba, quæ præter suum accusativum etiam dativum vel genitivum regunt, vid. §§ 227, 237, 238.

§ 220. Alter accusativus, qui scilicet præter accusativum objecti effectum actionis indicat, vel ut prædicatum objecti ponitur et in germanico sermone per *als* ut, *für* pro, *zu* in [1] vertitur, etiam simplici accusativo exprimitur; jan vero hunc regunt verba:

1) *Faciendi, advocandi, illustrandi, ponendi, ostendendi, capiendi, dandi*, etc.: Joan. VIII, 53 *wana þuk silban taujiþu?* Quem te ipsum facis tu? XIX, 7. *sik silban guþs sunu gatavida*; Mc. I. 3 *raihtos vaurkeiþ staigos guþs* rectas facite semitas Dei; Rom. IX, 24 *kasa armaions guþ laþoda uns*; Col. I, 22 *gafriþodai sijuþ in leika þairh dauþu du atsatjan izvis veihans jah unvammans*; Cor. II, II, 14 *guþa aviliud þamma ustaiknjandin hroþeigans uns in xristau*; Phil. IV, 14 *vaila gatavideduþ gamainja briggandans meina aglon*; Tim. II, II, 15 *usdaudei þuk silban gakusana usgiban guþa, vaurstvjan unaiviskana*; Luc. XX, 43 *galagja fijands þeinans fotubaurd fotive þeinaize* ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; I, 53 *gabignandans insandida lausans*; XX, 10; VII, 10 *bigetun þana siukan skalk hailana*; Mth. XXV, 38 *wan þuk sewum gast?* Luc. XVIII, 24; X, 18 *gasaw satana sve laukmunja driusandan us himina*; Philem. 15 *austo duþe atgaf sik du weilai, ei aiveinana ina andnimais*; Luc, XV, 27; Joan. XIV, 18 *ni leta izvis viduvairnans*; Tim. I, V, 23 *þuk silban sviknana fastais*; Cor. II, XI, 16 *sve unfrodana nimiþ mik*; I, 23 *veitvod guþ anakaita ana meinai saivalai*; I, 22 *guþ gibiþ vadi ahman in hairtona unsara*; Eph. IV, 11; Tim. I, II, 6; Eph. V, 2 *xristus atgaf sik silban faur uns hunsl jah sauþ*; Cor. I, IX, 5 *habam valdufni svistar qinon bitiuhan*; Luc. III, 8 *attan aigum abraham*; X, 18 *habai mik faurqiþanana*; Phil. II, 29; III, 17;

2) *Vocandi, nominandi*, etc.: Luc VI, 13 *iesus gavalida us im tvalib, þanzei jah apaustauluns namnida, seimona, þanei jah namnida paitru*; I, 3 *haitais namo is iohannen*; 31, 59; XX, 44; Rom. IX, 25; Mc. X, 18 *wa mik qiþis þiuþeigana?* XII, 37; Skeir. IV, c; Joan. IX, 22 *jabai was iesu andhaihaiti xristu, utana synagogais vairþai*;

3) *Tenendi* (*habendi*), *numerandi*, etc.: Luc. VII, 7 *ni mik silban vairþana rahnido at þus qiman*; Tim. I, VI, 1; Cor. ..., XI, 16 *aftra qiþa, ibai was mik munai unfrodana*; Phil. II, 3; Tim. I, I, 12 *galaubjandan mik gahugida gasatjands in andbahtja*; Luc. VII, 29 *motarjos garaihtana domidedun guþ*; Joan. XVII, 3 *so ist so aiveino libainis, ei kunneina þuk ainana sunja guþ*.

« Annotatio 1. — Quemadmodum præsentibus *visan* et *vairþan* (§ 209, 5) prædicatum vel effectus (actionis) per *du* aliquando exprimitur, ita etiam præsentibus verbis n. 1 et 2) subjectis: Joan. X, 33 *stainjam þuk, þatei taujis þuk silban du guþa* (θεόν); Mc. XI, 17 *jus gatavideduþ razn mein du filigrja* (σπήλαιον) *vaidedjane*; Eph. II, 15 *þans gaskop in sis silbin du ainamma* (εἰς ἕνα) *niujamma mann*; Neh. VI, 18 *tobeias nam dauhtar maisullamis du qenai* (εἰς γυναῖκα); Mc. XII, 23 *sibun aihtedun þo du qenai* (γυναῖκα); Philem. 17 *nu mik habais du gamana* (κοινωνόν). Alia exempla vid. Gloss. v. *Du* b).

« Annotatio 2. — Quemadmodum verba supra laudata, ubi in activo ponuntur, duplicem accusativum regunt, ita ubi in passivo construuntur, duplici nominativo gaudent: Luc. VIII, 2 *marja, sei haitana vas magdalêne*; I, 32 *sunus þeins vairþiþ mikils jah sunus hauhistins haitada*; II, 21 *haitan ras namo is iesus*; Eph. I, 11 *in xristau hlauts gasatidai vesum*; Luc. IX, 36 *bigitans varþ iesus ains*; Cor. II, XIII, 7 *ni vaiht ubilis taujaiþ, ni ei veis gakusanai þugkjaima* (videamur), *ak ei jus þata godo taujaiþ*. Sed ante alterum nominativum etiam *sve* induci potest: Rom. VIII, 36 *rahnidai vesum sve* (ὡς) *lamba slauhtais*. Ubi autem passivum in participio et equidem in accusativo construitur, prædicatum etiam in accusativo congruenter ponitur: Mth. IX, 9 *iesus gasaw mannan sitandan at motai maþþaiu haitanana*.

« Annotatio 3. — Ex hac vero regula excipitur *casus tituli* dictus, quippe cum post *vopjan*, titulus qui datur alicui, in nominativo ponitur: Joan. XIII, 13 *jus vopeid mik · laisareis jah frauja*. Sic etiam adest Mc. III, 16 *gasatida seimona namo paitrus*. »

4) Duplex accusativus, qui scilicet personam et rem exprimit, in gothica lingua non nisi raro occurrit; ut tales sequentes tantum affirmari possunt: Mc. X, 35 *vileima, ei þatei þuk bidjos, taujais uggkis*, quemadmodum germanice diceretur: *was wir dich bitten*, et gallice: *ce que nous vous demandons*. Probabilissime etiam Joan. XIV, 26 *izvis laiseiþ allata*, izvis in accusativo est, cum verbum *laisjan* eodem modo etiam germanice construatur (vid. ex. gr. *vom Althochdeutschen* Gf. II, 256). infrequentissime ponitur Joan. XVII, 26 *frijaþva þoei* (ἣν) *frifodes mik*, sed alibi in talibus constructionibus instrumentalis casus gothice usurpatur, ut Mc. X, 38 *daupeinai þizaiei* (ὃ) *ik daupjada* (vid. Luc. VII, 29); Mc. IX, 41 *gadragkjai izvis stikla* (ποτήριον); XV, 17 *gavasidedun ina vaurpurai* (πορφύραν); vel alia constructio,

[1] Aliquando eo modo, aliquando simplici accusativo latine exprimitur. *Interpr.*

Digitized by Google

ut interrogare aliquem de aliquo (genit.) Mc. IV, 10; aliquem memorem facere de aliquo (genit.) Joan. XIV, 26; obtestari aliquem ob (in cum dat. vel *bi* cum dat.) Thess. I, V, 27, etc.

In loco Mc. XII, 4 *haubiþ wundan brahtedun* constructio ut objectum propter *wundan* sumenda et *haubiþ* capite (gall. *à la tête*) vertenda, licet consonantica forma verbi *wundan* hic difficile explicari possit (Heliand 149, 1 dixit, more Germanico: *he ward an that hobid wund*); cæterum accusativus *haubiþ* ex locis, ubi accusativus construitur cum passivis, quæ in activo accusativum regunt, illustrandus est: Joan. XI, *ak urrann sa dauþa gabundans handuns jah fotuns faskjam;* Eph. VI, 14 *standaiþ ufgaurdanai hupins izwarans sunjai*, quemadmodum germanice dicitur: *die Hände und Füsse gebunden, die Hüften gegürtet*, et gallice: *pieds et mains liés, les reins ceints*, coll. Luc. IV, 18 *blind stun;* Phil. III, 5 *bimait ahtaudoga.* Græco autem omnino congruit Cor. II, III, 18 *þo samon frisahi ingaleikonda.*

« Annotatio 4. — Sed hic etiam modalis tum usurpatur, vid. § 243, tum constructio mutatur: Gal. II, 7 πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον gothice *gatrauaida vas mis aivaggelja* (creditum fuit mihi evangelium), item Tit. I, 3; vel Tim. I, IV, 2 κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν gothice *galandida habandans swesa mißvissein.* »

§ 221. Accusativi absoluto modo frequenter equidem construuntur, sed sola pronominalia neutra ut tales accusativi occurrunt: Cor. I, X, 33 *ik allaim all* (πάντα in omnibus) *leika;* Eph. IV, 15 *vahsjaima in ina þo alla* (τὰ πάντα); Cor. II, XII, 18 *ibai wa* (τι aliquid) *bifaihoda izvis leitus?* Tim. I, I, 10; Gal. IV, 12 *ni vaiht mis gaskoþuþ.* Huc pertinet interrogativum *wa* (τί) quid? Mth. VI, 28; VIII, 26, etc.; insuper *þata anþar* (τὸ λοιπόν) cæterum, de cætero Cor. I, I, 16; II, XIII, 11, etc.; *þata andaneiþo* (τοὐναντίον) in adverso Cor. II, II, 7. Quandoque etiam loco accusativi absoluti adhibetur in cum dativo: Eph. VI, 13 *maguþ in allamma* (πάντα) *usvaurkjandans standan;* vel dativus simpl.: Luc. IV, 25 *ni vaihtai gaskaþjands imma.*

§ 222. De accusativo ad determinanda *locum*, *tempus* et *modum*, vid. §§ 246, 249, 250.

B. Dativus.

(Silber, *Versuch über den gothischen Dativ. Naumburg* 1845.)

§ 223. In quonam respectu duo objecta exterius et fortuito connectantur, necnon et in quanam proximiæ relatione subjectum inveniatur vel inveniri studeat, atque etiam quodnam efficacitatis suæ objectum indirecte habeat vel habere cupiat, imo quonam objecto directe gaudeat vel gaudere studeat, hæc omnia Dativus significat; igitur et paucis verbis duorum objectorum proximitas atque pertinentia simultanea, et fortuita, unde relationes partim similitudinis et communitatis, partim superioritatis et inferioritatis oriuntur, denique relatio objecti ad effectus agentis dativo casu exprimuntur. Porro objectum quod dativus exprimit, plerumque est persona; cæterum in gothica lingua non pauca supersunt vestigia, ex quibus dativum et accusativum ut casus directa vel indirecta actionis objecta significantes, spectare licet, nempe partim sub respectu formæ, ex eo quod ex. gr. utriusque casus formæ in plurali pronominis substantivi (*izvis, uns, unsis*) atque in singulari anomalorum vocalicæ (§§ 86, 87) et femininorum consonanticæ declinationis (§§ 91, 92) eædem sint et in tertia vocalica declinatione in *an* et *u* promiscue incipiant (coll. § 29, 3); partim sub respectu significationis, ex eo quod plurima verba alterutrum casum cum eadem significatione regere possint.

§ 224. 1) Quo corporalior est relatio, eo magis verbum dativum regens aliquid externum indicat; primo *sves visan*, pertinere, proprium esse (Skeir. II, d) dein *ibna visan* similem esse (Luc. XX, 36 *ibnans aggilum sind*), *gaibnjan* assimilare (Luc. XIX, 44 *airþai þuk gaibnjand*); *galeiks visan* similem esse (Skeir. I, a *ni ibnih galeiks unsarai garaihteins ak silba garaihtei vas*), *galeikan* conformare (Rom. XII, 2 *ni galeikoþ izvis þamma aiva*), comparare (Mth. VII, 24 *galeiko ina vaira frodamma*), imitari (Mth. VI, 8 *ni galeikoþ þaim*); *ibnaskauns* conformatum (Phil. III, 21 *inmaideiþ leika hauneinais unsaraisos du ibnaskaunjamma leika vulþaus seinis*); huc pertinet etiam *sa sama* sicut, quemadmodum (Cor. I, XI, 5 *ain ist jah þata samo þizai biskabanon*);

Gamains vairþan participem fieri (Rom. XI, 17 *gamains þizai vaurteai jah smairþra alevabagmis varst*), *gamainjan* participare (Cor. I, X, 18 *niu þai matjandans hunsla gamainjandans hunslastada sind*); *gamotjan* occurrere (Mth. VIII, 28, etc.), *afarlaistjan* sequi (Luc. VII, 9; I, 3; Tim. I, V, 10, dum *laistjan* et *galaistjan* accusativum regunt, vid. § 219, 1) *c*) *bb*) β); *haftjan* adhærere (Rom. XII, 9, 12; Tim. I, III, 8), *gahaftjan sik* dare se (Luc. XV, 15 *gahaftida sik ainamma baurgjane*), *gahaftnan* adhærere (Luc. X, 11), *anditon* adhærere (Luc. XVI, 13), se accommodare (Skeir. VII, a); *gabundans visan* conjungi (Cor. I, VII, 27; Rom. VII, 2), *gavadjon* despondere (Cor. II, XI, 2), *liugan* in medio, nubere, de muliere (Mc. X, 12, etc., § 178, 1), *blandan* commiscere (Cor. I, V, 9 *ni blandaiþ izvis horam*), *gahorinon* meechari-cum (Mth. V, 28 *wazuh saei saiwiþ qinon du lustin izos ja gahorinoda iz ai*). Item in sensu contrario: *galausiþs visan* separari, solvi (Cor. I, VII, 27 *galausiþs is qenai*), *skaidan* separare, dividere (Mc. X, 9); *usvandjan sik* discedere, averti (Mth. V, 42), *afskiuban* depellere (Rom. XI, 1 *ibai afskauf guþ managein seinamma;* Tim. I, I, 19), *afstandan* abstare, deficere (Cor. II, IV, 2 *afstoþum þaim analaugnjam aiviskjis;* Tim. I, IV, 1 *afstandand sumai galaubeinai*); *tvisstandan* separare se, valedicere (Cor. II, II, 13 *tvistandands imma galaiþ in makidonja*);

« Annotatio 1. — Horum verborum plura etiam aliter construuntur: Thess. II, III, 14 *ni blandaiþ izvis miþ imma;* Mc. X, 11 *saei afletiþ qen seina*

Digitized by Google

jah liugaiþ anþara, horinoþ du þizai; Rom. VII, 2 *jabai gasviltiþ aba, galausjada qens af þamma vitoda*; Mth. X, 35 *qam skaidan mannan viþra attan*; Luc. IV, 13 *diabulus afstoþ fairra imma*; Cor. II, XII, 8 *fraujan baþ ei afstoþi af mis*; Tim. II, II, 19. De *laus visan*, *lausjan* et *galausjan* vid. § 237, 4) et annot. 2. Post *liugan* in activo positum, de viro (mulierem ducere), accusativus usurpatur. »

Vitan vigilare (Luc. II, 8 *hairdjos vesun vitandans hairdai*; Mth. XXVII, 64 *hait vitan þamma hlaiva* etc.), *bairgan* servare, præservare (Joan XII, 25 *saei fiaiþ saivala seina in þamma fairwau, in libainai aiveinon bairgiþ izai*); in sensu contrario : *fraliusan* perdere (Luc. XV, 8 *saei fraliusiþ drakmin ainamma, sokeiþ unte bigitiþ*, etc. in eodem capite); *fraqiman* impendere (Luc. VIII, 43 *in lekjans fraqam allamma aigina seinamma*), perdere, destruere (Luc. IX, 54 *qiþaima, fon atgaggai us himina jah fraqimai im?*); *fravisan* destruere (Luc. XV, 14); *biniman* auferre (Mth. XXVII, 64 *ibai aufto siponjos is binimaina imma*);

Tekan tangere (Luc. VIII, 45, 46 *was sa tekands mis? taitok mis sums*), solemnius *attekan* (Mth. VIII, 3 *attaitok imma*; IX, 21 *jabai atteka vastjai is, ganisa*, etc.), *gaþlaihan* amplecti (Mc. X, 16 *gaþlaihands barnam þiuþida im*; Cor. II, VII, 6); *kukjan* osculari (Luc. VII, 45 *ni kukides mis*; 38 *kukida fotum is*).

a) In (interroganti *ubi?*), principaliter usurpatur *in* cum dativo: Mth. X, 32 *atta meins, saei in himinam ist;* VIII, 6 *þiumagus meins ligiþ in garda;* Cor. II, I, 8 *aglo unsara so vaurþano uns in asiai;* I, 1 *aikklesjo guþs so visandei in kaurinþon;* Rom. VII, 18 *ni bauiþ in mis, þat-ist in leika meinamma þiuþ;* Luc. III, 4 *gameliþ ist in bokom vaurde esaeiins.* Hinc etiam ad exprimendam existentiam in medio, *inter:* Mth. VIII, 10 *ni in israela svelauda galaubein bigat;* XI, 11 *ni urrais in baurim qinono maiza iohanne;* XXVII, 56 *in im vas marja.* Alia exempla vid. Gloss. *In* B) 1).

Ad existentiam in loco accedit existentia, in super, quæ per *ana* cum dativo redditur: Mc. I, 45 *uta ana auþjaim stadim vas;* IV, 31 *kaurno sinapis minnist allaize fraive ist þize ana airþai;* II, 25 *ahma veihs vas ana imma,* vid. Gloss. *Ana* B) 1).

In medio super (inter) gothice est *miþ:* Mc. VII, 31 *qam at marein galeilaie miþ þveihnaimmarkom* (inter utrosque limites) *daikapaulaios.*

Contrarium vero existentiæ in loco, id est, absentia a loco, per *utana* cum genitivo exhibetur: Skeir. III, b *vitoþ garaidida azgon kalbons gabrannidaizos utana bibaurgeinais.*

b) Juxta, ad, adhibetur *at* cum dativo: Mth. IX, 9 *Iesus gasaw mannan sitandan at motai;* V, 2 *ita skipa standandona at þamma saiva;* Cor. I, XVI

Digitized by Google

6 *at izvis vaitei salja*, etc., vid. Gloss. *At* B) 1).

Raro autem usurpatur *bi* cum dativo, nam *undgreipan bi handau* (Mc. v, 41 ; ix, 27) jam est expressio figurata; in sensu magis proprio adhibetur post verba jurandi, et precandi, ut Mth. v, 34, 35, 36; v, 7; Cor. II, x, 1.

Relatio vicinitæ per *newa* cum dativo exprimitur : Joan. xi, 18 *vas beþania newa Iairusaulymiam;* Rom. x, 8 *newa þus þata raurd ist.* Sed prope, ante, per *faur* cum accusativo : Mc. 10, 46 *blinda sat faur vig du aihtron;* Luc. xviii, 35.

Ad existentiam ad (relationem proximitatis) pertinet existentia cum (relatio communitatis), licet hæc relatio propter personam quæ in communione est, non localis sit; ut ut est, semper redditur per *miþ* cum dativo : Mth. xxvi, 69 *jah þu vast miþ Iesua;* Luc. ii, 36 *anna libaida miþ abin jera sibun;* Mth. v, 41 *jabai was þuk ananauþjai rasta aina, gaggais miþ imma tvos.* Alia exempla vid. gloss. *Miþ* I. 1). Ubi autem hæc relatio communitatis in sensu metaphysico sumitur, scilicet auxilii vel colloquii, tunc ordinario *du* (§ 246, 3) *b*) potissimum usurpatur.

Contrarium præcedentis, sine, per *inuh* cum accusativo vertitur : Joan. xv, 5 *inuh mik ni magub taujan ni vaiht;* Rom. x, 14 *waiva hausjand inu merjandan* etc., vid. gloss. *Inuh.*

c) Ante, coram, per *faura* cum dativo exhibitur : Rom. xiv, 10 *allai gasatjanda faura stauastola xristaus;* Mth. xi, 10 *aggilus gamanveiþ vig þeinana faura þus;* vid. gloss. *Faura* A) *a*)

Contrarium præcedentis, post, retro, per *afar* cum dativo : Luc. ix, 23 *jabai was vili afar mis gaggan, afaikai sik silban;* xix, 14 *baurgjans insandidedun airu afar imma.* Utraque præpositio etiam in sensu metaphysico usurpantur.

d) Trans, gr. πέραν, gothice dicitur *hindar*, quod tamen germanico *hinter* omnino respondet : Joan. iii, 26 *rabbei, saei vas miþ þus hindar jaurdanau, sa daupeiþ;* vi, 22 *managei stoþ hindar marein;* vid. Gloss. *Hindar* II, 1).

e) Super, in, per *ufar* cum dativo exhibitur : Mth. xxvii, 25 *varþ riqiz ufar allai airþai;* vi, 14 *atta izvar sa ufar himinam;* vel per *ufaro* cum genitivo : Luc. x, 19 *gaf izvis valdufni trudan ufaro vaurme jah skaurpjono;* alibi etiam figurative : Eph. i, 21 *guþ gasatida Iesu in taihsvon seinai in himinam ufaro allaize reikje jah valdufnje jah mahte* etc., sicut et *ufaro* cum dativo : Luc. xix, 19 *þu sijais ufaro fimf baurgim;* vid. gloss. *Ufar.*

Contrarium præcedentis, sub, subter, per *uf* cum dativo vertitur : Mc. iv, 32 *magun uf skadau bagmis fuglos himinis gabauan;* Cor. I, x, 1 *attans unsarai uf milkmin vesun*, vid. Gloss. *Uf* B) 1); per *undaro* cum dativo : Mc. vi, 11 *mulda undaro fotum;* vii, 28 *hundos undaro biuda.* Porro hoc est inter *uf* et *undar* discrimen, quod *uf* indicet objectum alii majori subjectum et ab eo coopertum esse et protectum; *undar* vero ostendat obiectum sub alio quidem positum, sed ita, ut utrumque se invicem protegant et cooperiant. Cæterum *uf*, sicut et *ufar* in sensu metaphorico sumi possunt, ut Gal. iv, 21 *uf vitoda visan*, etc., vid. gloss.

f) Contra, adversus, per *viþra* cum accusativo redditur : Mc. iv, 1 *managei viþra marein ana staþa vas;* 15 *þai viþra vig ;* Cor. I, xiii, 12 *andvairþi viþra andvairþi;* Luc. i, 73 *guþ aiþ svor viþra abraham a* (quod proprie dativi est forma, probabiliter in *abraham* immutanda, quippe cum *a* finale propter *a* initiale sequentis vocabuli sine dubio irrepserit); vel per *andvairþis* cum dativo : Mth. xxvii, 61 *vas jainar marja magdalene jah so anþara marja sitandeins andvairþis klaiva.*

§ 245. II. In quæstione UNDE?

1) Huc veniunt adverbia loci : Mc. v, 27 *qens atgaggandei in managein aftana* (retro, gall. *de derrière*) *attaitok vastjai Iesuis*, cujus loco reperitur in parallelis Mth. ix, 20 et Luc. viii, 44 locis *aftaro* ; Joan. viii, 23 *jus us þaim dalaþro* (deorsum) *sijuþ, iþ ik us þaim iupaþro* (superne, desuper) *im*, et cum eo *iupana*, quod significationem magis temporalem, de novo, præ se fert (Gal. iv, 9); Mc. vii, 21 *innaþro* (intrinsecus) *us hairtin, manne mitoneis ubilos usgaggand;* 18 *all þata utraþro* (extrinsecus) *inngaggando in mannan ni mag ina gamainjan ;* Cor. II, vii, 5 *utana vaihjons, innana agisa ;* Mth. xxvii, 55 *vesun jainar qinons managos fairraþro saiwandeins;* item *aljaþro* aliunde, *waþro* unde? *þaþro* inde, hac, *jainþro* illac, *allaþro* undique, vid. gloss. hh. vv.

2) Inter præpositiones et adverbia animadvertes :

a) Ad designandum motum a loco :

aa) *Af* cum dativo, proprie designans a loco superiori motum : Luc. xvi, 21 *gairnida saþ ütan drauhsno þize driusandeino af biuda þis gabeigins ;* Mth. vii, 16 *ibai lisanda af þaurnum veinabusja?* Luc. vi, 29 *þamma nimandin af þus vastja jah paida ni varjais ;* Mc. xv, 21 *undgripun seimona kyreinaiu qimandan af akra;* xvi, 8 *usgaggandeins af þamma klaiva gaþlauhun;* Phil. iv, 15 *usiddju af makidonai;* vid. gloss. *Af* I. 1) ;

bb) *Fram* cum dativo, proprie indicans simpliciter motum a loco : Mth. viii, 11 *managai fram urrunsa jah saggqa qimand;* xxvii, 55 *laistidedun afar Iesua fram galeilaia;* Joan. viii, 42 *ik fram guþa urrann ;* vid. gloss. *Fram* I. 1).

« Annotatio 1. — Post verba accipiendi, audiendi, videndi et similia, persona a qua accipitur, auditur, videtur, etc., quandoque cum *at* (apud) construitur, ita ut apud eam accipi, audiri, videri aliquid dicatur. Quemadmodum igitur adest Joan. viii, 40 *sunja hausida fram guþa*, ita in Skeir. IV, d *anafalh fulhsnja þoei gasaw jah gahausida at attin;* insuper Mc. xii, 2 *insandida skalk ei at þaim vaurstvjam nemi akranis*, ubi *niman af* sumere aliquid ab aliquo potius significat (Luc. vi, 29; xix, 24, etc.). Alia exempla vid. gloss. v. *At* B) 1) *c*); coll. *Af* I. 1) *b*).

« Annotatio 2. — Si quandoque *af* et *fram* cum genitivo construuntur : Mth. xxvii, 57 *manna qabias af*

Digitized by Google

areimaþaias; Mc. xv, 43; Joan. xi, 1 *lazarus af beþanias*; Luc. viii, 49 *gaggiþ sums manne fram þis fauramaþleis*, hoc in priori casu ex eo venit, quod interpres male intelligens formam græcam imitatus sit, cum Joan. xii, 21 verterit *filippus sa fram beþsaeida*, et in posteriori mendum adsit, nisi ad ellipsim recurratur (coll. § 216, annot. 7). »

cc) *Us* cum dativo, proprie significans ex loco superiori motum : Mc. i, 11 *stibna qam us himina*; Joan. vi, 23 *skipa qemun us tibairiadau*; Luc. iv, 22 *vaurda usgaggandona us munþa*; i, 78 *urruns us hauhiþai*; 74 *us handau fijande unsaraize galausidai*; vi, 44 *ni us þaurnum lisanda smakkans*; Mth. xxvii, 64 *urrais us dauþaim*; Neh. v, 17 *þai qimandans at unsis us þiudom ana biuda meinamma andnumanai vesun*; Joan. vii, 52 *þu us galeilaia is*; Rom. subscript. *du rumonim gameliþ ist us kaurinþon*; Joan. viii, 44 *jus us attin diabaulau sijuþ*.

« Annotatio 3. — In genere tres supradictæ præpositiones, *fram* scilicet, *af* et *us*, in metapherico sensu usurpatæ significant originem, unde aliquid prodit, et *fram* in particulari passivis verbis conjungitur, ut objectum, a quo quid efficitur, indicet. Quod si Germani præpositione *von* post verba dicendi, narrandi utuntur, hoc etiam apud Gothos jam in usu erat, siquidem cum *þi* communiter adhibito (§ 246 3) *c*) etiam *fram* usurpant, vid. gloss. hh. vv. »

Huc adducenda sunt adverbia *utana*, *utaþro* cum genitivo, ex, extra : Mc. viii, 23 *ustauh þana blin dan utana veihsis*; viii, 15 *ni veihts ist utaþro mans innggaggando in ina þatei magi ina gamainjan*.

b) Longe a, *fairra* cum dativo : Mth. vii, 23 *afleiþiþ fairra mis*; Luc. ii, 37 *ni afiddja fairra ath*; vid. gloss. v. *Fairra*.

c) (Ex) ultra, *hindana* cum genitivo : Mc. iii, 7, 8 *filu manageins us galeilaia laistidedun afar imma jah us iudaia jah us iairusaulymim jah hindana iaurdanaus*.

d) De, *and* cum accusativo : Mth. viii, 32 *run gavaurhtedun sis alla so hairda and driusan in marein*; Cor. II, xi, 33 *þairh augadauro in snorjon athahans vas and baurgsvaddjau*.

§ 246. III. In quæstione quo?

1) Nonnulla tantum loca sunt, in quibus simplex genitivus usurpatur : Mc. iv, 35 *usleiþam jainis stadis* (εἰς τὸ πέραν) ; Luc. xv, 15 *baurgja insandida ina haiþjos seinaizos* (εἰς τὸν ἀγρόν) *haldan sveina*; xix, 12 *gaggida landis* (εἰς χώραν μακράν); Tim. I, i, 3 *baþ þuk saljan in aifaison galeiþands makidonais* (εἰς Μακεδονίαν). Singulariter animadvertendum est, quod Gothus in hac construenda quæstione a Græco prorsus abhorret, quippe cum Luc. xix, 4 ἐκείνης ἤμελλε διέρχεσθαι non *jainis* sed *and þata* convertat. Quam constructionem qui explicare tentaret interpretando : ex hoc loco, ex hac regione, gratuito prorsus conjiceret, cum ex una parte non hic de motu ab, sed de motu ad agatur, et ex altera, genitivus ipse unquam motum ab non habeat.

2) Adverbia loci : Mc. ix, 25 *atgaggands in n* (in) *habaida handu maujos*; Joan. xix, 4 *attiuha* ἔξω ins ut (foras); Rom. x, 6, 7 *was usstaigiþ in himin, þatist xristu dalaþ* (de) *attiuhan. aiþþau was gastaigiþ in afgrundiþa, þatist xristu us dauþaim* ἐκ νεκρῶν *usstiuhan*; Joan. viii, 14 *vait waþro qam jah waþ* (quo) *galeiþa*; vii, 35 *qeþun iudaieis wadre* (quonam) *sa skuli gaggan*; Mc. xi, 3 *sunsaiv fulan insandeiþ hidre* (huc); Joan. xi, 8 *aftra gaggis jainþ* (illuc); Luc. xvii, 37 *þarei leik, jainþdre* (illuc) *galisand sik arans*; Joan. xviii, 3 *iudas nam hansa iddjuh jaindvairþs*; *framis* præ, ad respondendum græco πρό in compositis vid. Mc. i, 19; Rom. xiii, 12.

3) Inter præpositiones et adverbia animadvertes:

a) Ad exprimendum motum in, ad (urbes et regiones), inter (multitudinem), *in* cum accusativo : Mth. ix, 7 *usliþa urreisands galaiþ in gard seinana*; Joan. xviii, 11 *lagei þana hairu in fodr*; Luc. ii, 39 *iosef jah maria gavandidedun sik in galeilaian in baurg seina nasareiþ*; Cor. II, i, 16 *vilda galeiþan in makidonja*; Luc. x, 29 *manna galaiþ af iairusalem in iaireikon jah in vaidedjans frarann*; vid. gloss. *In* I. A) 1).

Item adverbium *innana* cum genitivo, intus cum motu : Mc. xv, 16 *gadrahtidis gatauhun iesu innana gardis*.

Huc pertinent verba : tendere ad, ire ad, *in* et *ana* cum accusativo : Luc. xiv, 21 *usgagg in gatvons jah staigos baurgs jah unledans atliuh hidre*; vi, 12 *usiddja iesus in fairguni bidjan*; Joan. vi, 21 *skip varþ ana airþai, ana þoei iddjedun*; Luc. iv, 5 *ustauh iesu diabulus ana fairguni hauhata*; Mth. x, 34 *ni qam lagjan gawairþi ana airþa*; Mc. iv, 21 *tukarn qimiþ duþe ei ana lukarnastaþan satjaidau*; vid. gloss. *Ana* I. A) 1). Hinc in scopum etiam indicat, et *in* et *ana* erga, ad, in, metaphorice significant, scilicet *in* in bonam malamve partem, *ana* in malam tantum partem, hoc posteriori etiam cum dativo constructo; vid. gloss. hh. vv.

Ad, juxta dicitur *faur* cum accusativo : Mc. i, 16 *iesus warbonds faur marein galeilaias gasaw seimonu*; ii, 13 *galaiþ aftra faur marein*; iv, 4 *fraiv gadraus faur vig*; vid. gloss. *Fram* I. A) *a*). Secus, *and* cum accusativo : Luc. xiv, 23 *usgagg and vigans jah faþos jah nauþei innatgaggan*.

« Annotatio 1. — Gothicæ linguæ proprium est, quod verbum *qiman* (venire) semper ut verbum quietis valeat et spectetur, semperque cum *in* vel *ana* et sequente dativo construatur : Tim. II, i, 16 *qimands in rumai auneiseifaurus sokida mik*; I, i, 15 *iesus qam in þamma fairwau fravaurhtans nasjan*; Eph. v, 6 *þairh lausa vaurda qimiþ hatis guþs ana sunum ungalaubeinais*; solummodo apud Joan. vi, 14, 22; xi, 27 *in* adest cum accusativo. Communiter etiam cum dativo construitur *in* post *lagjan*, *satjan* et *briggan* : Mth. xxvii, 60 *iosef galagida leik iesuis in niujamma seinamma klaiva*; Cor. I, xii, 18 *guþ gasatida liþuns ainwarjanoh in leika svasve vilda*; Skeir. II, a *sa iupa brigganda in þiudangardjai guþs vig*. Necnon et quandoque post alia intransitiva, vid. gloss. hh. vv.

Digitized by Google

« Annotatio 2.—Cum verbo pulsandi usurpatur *bi* et dativus : Luc. IV, 11; VI, 48; etiam *du* : Rom. IX, 32. »

b) Ad, *du* cum dativo : Eph. IV, 13 *garinnaima du vaira fullamma du mitaþ vahstaus fullons xristaus;* Luc. II, 11 *gagg du garda þeinamma;* Thess. I, III, 11 *frauja unsar garaihtjai vig unsarana du izvis;* Luc. I, 16 *managans sunive israelis gavandeiþ du fraugin;* vid. gloss. v. *Du*. Hinc etiam *du* scopum indicat; adhibetur insuper ubi aliquis ad alium loquitur, quia ad eum quem interpellat, verti censetur (quo in casu sæpe etiam dativus simpliciter usurpari videmus § 224, 2), significat itaque obviam, sive in sensu hostili, contra, sive in sensu amico, ad, vid. gloss., h. v. Sequitur verba *qiman, briggan* et alia, quæ in cum dativo regunt (vid. annot. 1); attamen hic etiam *at* cum dativo (apud [ad] aliquem venire) poni potest : Mth. VII, 15 *liugnapraufeteis qimand at izvis in vastjom lambe;* Mc. IX, 19 *bairiþ ina du mis. jah brahtedun ina at imma* (ubi post *bairan* semper *du*, post autem *briggan*, *at* poni videre est), vid. gloss. *Ana* B) 1) *b*).

Prope, juxta vertitur *new* cum accusativo : Luc. XV, 15 *atiddja new razn;* post *qiman* autem *newa* dativum regit (coll. annot. 1) : Joan. VI, 19 *gasaiwand iesu newa skipa qimandan;* 23. Usque ad dicitur *und* cum accusativo : Luc. IV, 42 *manageins sokidedun iesu jah qemun und ina;* 29 *brahtedun iesu und uhmiste þis fairgunjis;* Mc. XIII, 27 *sunus mans galisid gavalidans seinans af fidvor vindam fram andjam airþos und andi himinis;* vid. gloss. *Und*. I. A) 1).

Obviam, *viþra* cum accusativo : Mth. VIII, 34 *alla so baurgs usiddja viþra iesu;* hinc sicut *in* (vid. supra *a*) contra, versus, adversus sive in bonam sive in malam partem, vid. gloss. v. *Viþra b*).

c) Circum, *bi* cum accusativo : Mc. III, 32 *setun bi ina managei;* Mth. VIII, 18 *gasaw iesus managans hiuhmans bi sik;* vid. gloss. *Bi* I. A) 1). Hinc in metaphorico sensu, de, super, circa (περί cum accusativo) significat post verba dicendi, necnon et in (περί cum genitivo et accusativo) et secundum (κατά cum accusativo), vid. gloss. h. v.; in ultimo sensu dativum communiter regit.

d) Per, *þairh* cum accusativo : Mc. IX, 30 *iddjedun þairh galeilaian;* Luc. VI, 1 *varþ gaggan imma þairh atisk;* Mc. XI, 16 *ni lailot ei was þairhberi kas þairh þo alk;* Cor. II, XI, 33 *þairh augadauro in snorjon athahans vas;* I, XIII, 12 *saiwam nu þairh skuggvan;* vid. gloss. *þairh* I. 1).

Super, ultra, *ufar* cum accusativo : Luc. IV, 39 *atstandands iesus ufar ija gasok þizai brinnon;* Eph. IV, 10 *usstaig ufar allans himinans;* Joan. VI, 1 *iesus galaiþ ufar marein;* 17; X, 40; XVIII, 1. Coll. *f*).

Contrarium præcedentis sub, infra, *undar* et *uf* cum accusativo, quorum discrimen vid. § 244 2) *d*) : Mc. IV, 21 *ibai lukarn qimiþ duþe ei uf melan satjaidau aiþþau undar ligr?* Mth. VIII, 8 *ni im vairþs ei uf krot mein innqaggais;* Cor. I, XV, 25 *skal is þiudanon und þatei galagjiþ guþ allans fijands is uf fotuns sma;* vid. gloss. v. *Uf* A) 1).

f) Post, retrorsum, *hindar* cum accusativo : Mc. VIII, 33 *gagg hindar mik.* Hoc idem vocabulum etiam trans, ultra, significat : Mc. VIII, 13 *galeiþands in skip uslaiþ hindar* (εἰς τὸ πέραν) *marein;* Mth. VIII, 34 *bedun iesu ei usliþi hindar* (ἀπό) *markos ize;* vid. gloss. v. *Hindar* I. Coll. supra *e*).

H. Determinatio temporis.

§ 247. Quemadmodum ad spatium, ita et ad tempus triplici modo objectum referri potest, et utræque relationes sibi invicem respondent. Itaque quæstionibus de loco ubi? unde? quo? æquivalent quæstiones de tempore quando? quamdudum? quamdiu? Jam vero respectus proprie temporalis in gothica lingua genitivo et dativo, quorum casuum diversam significationem difficile percipies, designatur. Huc insuper veniunt præpositiones, quibus tempus strictius determinatur. Quamdiu accusativo exprimitur, et strictius præpositionibus; quamdudum autem, semper mediantibus præpositionibus exhibetur.

I. In quæstione QUANDO?

1) Hic adverbia temporis sunt præcipue animadvertenda : Mth. XXVII, 38 *wan* (quando) *þuk sewum gast?* VII, 23 *þan* (tunc) *andhaita im;* VIII, 26 *þanuh* (tunc) *urreisands gasok vindam jah marein;* XXVI, 65 *nu* (nunc) *gahausideduþ þo vajamerein;* XXVII, 57 *seiþu* (sero) *varþ.* Item *air* mane, *faurþis* prius, *suns* statim, *anaks* confestim, *simle* olim, *suman* quadam die, *ufta* sæpe, *aftra* rursus, etc.

2) Temporalis qui pene exclusive ad *nahts* et *dagis* restringitur

a) Raro per genitivum exponitur : Luc. II, 8 *hairdjos vesun vitandans nahts* (τῆς νυκτός); Thess. I, V, 7 *nahts* (νυκτός) *drugkanai vairþand;* Neh. V, 17 *vas fraquman dagis wizuh* (εἰς ἡμέραν μίαν) *stiur ains;* Mth. VI, 30 *havi haiþjos himma daga visando jah gistradagis in auhn galagiþ* (ubi *gistradagis* [αὔρων] probabiliter adverbium est, ut *framvigis*); Mc. XVI, 2 *filu air þis dagis afarsabbate atiddjedun du hlaiva;* Luc. XVIII, 12 *fasta tvaim sinþam sabbataus* (τοῦ σαββάτου). Potius vero partitivus est genitivus in Neh. VI, 15 *usþauhuna vaurþ baurgsvaddjus ·n· dage jah ·b·;* et nominalis rectionis vicem gerit in Luc. I, 7 *zakarias jah aileisabaiþ framaldra dage seinaize* (ἐν ταῖς ἡμέραις) *vesun.* De *invisandin* (*s*) *sabbate dagis* vid. infra annot. 4.

« Annotatio 1. — Etiam cum temporali usurpantur præpositiones : Luc. XVII, 4 *sibun sinþam ana dag* (τῆς ἡμέρας); I, 18 *ijens meina framaldrozei in dagam seinaim ist.* »

b) Sæpius vero per dativum :

aa) Mc. XIII, 18 *bidjaiþ ei ni vairþai þlauhs izvar vintrau* (χειμῶνος); I, 35 *air uhtvon* (crepusculo, ἔννυχον) *usstandands usiddja;* II, 24 *wa taujand siponjos þeinai sabbatim* (τοῖς σάββασι) et Luc. VI, 9 *wa skuld ist sabbato dagam.* Adde formulas *naht jah daga* et *nahtam jah dagam* noctu diuque (νύκτα καὶ ἡμέραν vel νυκτὸς καὶ ἡμέρας) Mc. IV, 27; Thess. II,

Digitized by Google

III, 8; Tim. II, 1, 3; Mc. V, 5; Luc. II, 37; Tim. I, V, 5.

« Annotatio 2. — In Luc. XVIII, 7 tantum adest *dagam jah nahtam*. In ordinando utroque vocabulo Gothus præeuntem Græcum habuit, unde saltem ex prioritate noctis præ die non concludi potest, veteres Germanos a noctibus tempus unquam numerasse. »

bb) Frequenter cum attributo determinativo, ubi Græcus etiam dativus usurpat : Luc. XVII, 34 *þizai nahti;* contra non dicitur *þamma daga*, sed semper *himma daga* (pro σήμερον, hodie) Mth. VI, 11 etc., vid. gloss. ; relative autem *þammei daga* Luc. XVII, 29; Mc. XIV, 12 *frumistin daga;* IX, 31; Mth. XXVII, 62 *ïstumin daga;* Mc. XI, 12; Joan. VI, 22; XII, 12 *þridjin daga;* Mc. X, 34; Luc. IX, 22; 18, 33; Neh. VI, 15 *·e· jah ·k· daga menoþs ailulis;* Mc. XIV, 49 *daga wammeh* (καθ' ἡμέραν); Luc. XVI, 19; XVII, 49; cujus loco *daga jah daga* Cor. II, IV, 16, præunte græco ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, legitur; Luc. II, 41 *jera wammeh* (κατ' ἔτος). Præsertim cum *mela* (tempus) et *weilai* (hora) : Mc. VI, 21 *herodes mela gabaurþais seinaizos nahtamat vaurhta;* Cor. II, VI, 2 *mela andanemjamma andhausida þus;* Tit. I, 3 *atbairhtida mela svesamma vaurd sein;* Tim. I, II, 6 *gaf sik silban audabaht faur allans veitvodein melam svesaim;* Luc. I, 10 *hiukma vas beidandans uta weilai þymiamins;* XIV, 17 *insandida skalk weilai nahtamahtis;* II, 38 *anna þizai weilai atstandandei andhaitait fraujin.*

cc) Cum participio, quæ constructio ablativo absoluto Latinorum vel genitivo Græcorum respondet : Mc. I, 32 *andanahtja vaurþanamma* (ὀψίας γενομένης) *berun du imma allans þans ubil habandans;* Joan. VI, 18 *marei vinda mikilamma vaiandin* (ἀνέμου—πνέοντος) *urraisida vas;* Luc. III, 1 *raginondin puntiau peilatau* (ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου) *iudaia varþ vaurd guþs at iohannen;* Mc. XIV, 66 *visandin paitrau in rohsnai dalaþa jah atiddja aina þiujo;* Luc. VIII, 4 *gaqumanaim hiuhmam managaim qaþ iesus þairh gajukon;* VII, 42 *ni habandam* (scilicet *im*) *waþro usgebeina baim fragaf;* Mc. V, 35 *nauhþan imma rodjandin qemun framþamma synagogaſada;* Rom. IX, 1 *ni vaihi liuga miþveitvodjandeis mis miþvissein meinai;* et insuper Mc. V, 35; VI, 54; X, 17, 46; XI, 12, 27; Luc. II, 42, 43; VII, 6, 42; VIII, 4, 45, 49; IX, 34, 37, 57; XIV, 32; XVII, 12; XIX, 33, 36; Joan. VIII, 30; XII, 37; XVIII, 22; Cor. I, V, 4; II, VII, 4. Quemadmodum apud Luc. VII, 42 *in* supplendum est, ita, præunte Græco, in Cor. II, IV, 17 *unsis*, nisi Gothus *fairveitjandam* in constructione incluserit et ut participium ad *unsis* retulerit.

« Annotatio 3. — Nec non et frequenter apud Matthæum, in skeireins vero semper, communiter autem in paulinis epistolis dativo adjungitur præpositio *at* : Mth. VIII, 16 *at andanahtja vaurþanamma* (ὀψίας γενομένης) *atberun du imma daimonarjans;* Mc. IV, 6 *at sunnin urrinnandin* (ἡλίου ἀνατείλαντος) *ufbrann;* Luc. IV, 2 *at ustauhanaim þaim dagam* (συντελεσθεισῶν τῶν ἡμερῶν) *qaþ du imma diabulus;* VI, 48, *at garunjon vaurþanei bistagq awa bi razna;* II, 2 *so gilstrameleins frumista varþ at raginoþndin saurim kyreinaiu;* Mc. XIV, 43 *nauhþan atimma rodjandin qam iudas;* et insuper Mth. XI, 7; Mc IV, 35; VIII 1; XI, 11; XV, 42; XVI, 2; Luc. III, 15, 21; VII, 24; IX, 43; XIX, 11; XX, 1, 45; Rom. VII, 2, 3, 9; Cor. II, I, 11; V, 20; X, 15; Eph. II, 20 ; Thess. I, III, 6; Skeir. II, d; III, a; VII, b; VIII, a, c. Coll. infra *c*) *cc*).

« Annotatio 4. — Semel adhibetur accusativus Mth. XXVII, 1 *at maurgin vaurþanana* (πρωΐας γενομένης) *runa nemun gudjans;* in Mc. XVI, 1 est *invisandin sabbate dagis* (διαγενομένου τοῦ σαββάτου) *usbauhtedun aromata*, quod sine dubio mendosa est lectio, pro *invisandins* (vid. ad h. l.), *s* finali omisso propter sequentem eamdem litteram; hic enim genitivus temporalis est (vid. supra 2); si accusativo uti vellet Gothus, *invisandin daga* saltem ponere debuisset. Quod hæc participalis constructio etiam per *biþe*, *miþþanei*, *sve* circumscribi possit, vid. infra ubi de sententia composita dicemus. »

c) Frequentissime etiam cum præpositionibus, præsertim

aa) Ad determinandum temporis punctum, quo fit aliquid, *in* cum dativo, ubique simplex dativus stare posset : Joan. VII, 40 *nikaudemus atiddja du iesua in naht* (νυκτός); Mc. III, 4 *in sabbatim* (τοῖς σάββασι) *þiuþ taujan;* Luc. IV, 16; ubi præcipue adest determinatio attributiva : Mth. VII, 22 *in jainamma daga;* VIII, 13 *in jainai weilai;* Luc. I, 59 *in daga ahtudin;* 25 *in menoþ saihstin;* Joan. VI, 40 *in spedistin daga;* Skeir. VI, c *in missaleikaim melam;* II a *in mela þulainais;* Mth. XI, 22 *in daga stauos;* Luc. I, 5 *in dagam herodis.* Alia exempla vid. gloss. v. *Dags* 2) *a*). Illic conspicuus est accusativus : Mc. XIII, 24 *in jainuns dagans* (ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις) *sauil riqizeiþ ;* Eph. VI, 18 *þairh allos tidos aihtrondans in alla mela* (παντὶ καιρῷ), hic tamen interpres ad durationem temporis (vid. § 249) cogitavisse videtur (per illos dies sol tenebratur), ut Luc. II, 1 *varþ in dagans jainans urrann gagreſts* et Joan. XI, 9 *jabai was gaggiþ in dag* (ἐν ἡμέρᾳ) *ni gastiggiþ*, verbis motus forsan influentibus. Etiam πρωΐ mane, semper *in maurgin* dicitur Mc. XI, 20; XV, 1; XVI, 9, cui constructioni etiam Cor. I, XV, 32 *du maurgina* (ἄνοιον) *gasviltam* respondet.

Rarius vero hic usurpantur :

Ana cum dativo et equidem ubi absolutus genitivus Græcorum circumscribitur : Joan. VII, 14 *ana midjai dulþ* (τῆς ἑορτῆς μεσούσης) *usstaig iesus in alh;* VI, 23 *matidedun hlaif ana þammei avilindda frauja* (εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου) ;

At cum accusativo : Mth. XII, 2 *insandida du þaim vaurstvam at mel* (τῷ καιρῷ) *skalk;* Luc. II, 41 *vratodedun' berusjos iesuis jera wammeh in iairusalem at dulþ paska* (τῇ ἑορτῇ τοῦ π.); Gal. VI, 9 *at mel svesata* (καιρῷ ἰδίῳ) *sneiþam;*

And cum accusativo : Mth. XXVII, 15 *and dulþ warjanoh* (κατ' ἑορτήν) *biuhts vas sa kindins fraletan ainana bandjan ;* Mc. XV, 6 :

Digitized by Google

Bi cum accusativo : Tim. II, IV, 1 *Iesus skal stojan qivans jah dauþans bi qum* (κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν) *is.*

« Annotatio 5. — Conspicuus est in Cor. I, XVI, 2 *ainwarjanoh* (κατὰ μίαν) *sabbato warjizuh izvara fram sis silbin taujai* accusativus pro *and* cum accusativo vel simplici dativo (vid. supra *b*) *bb*); sed hic forsan *and warjanoh* legendum est, licet tamen apud Luc. IX, 23 *dag wanoh* (καθ' ἡμέραν) stet. »

bb) Per, *bi* cum accusativo : Mc. XV, 29 *o sa gatairands þo alh jah bi þrins dagans* (ἐν τρισὶν ἡμέραις) *gatimrjands þo ;* XIV, 58 *alh bi þrins dagans* (διὰ τριῶν ἡμερῶν) *gatimrja ;* Gal. II, 1 *bi fidvortaihun jera usiddja aftra in Iairusaulyma ;* Neh. V, 18 *bi* (ἀνὰ μέσον) *·i· dagans gaf sein allai þizai filusnai.*

cc) Sub, inter, *bi* cum dativo : Calend. goth. *gaminþi marytre þize bi* (sub) *verekan papan ana gutþiudai gabrannidaize ; at* cum dativo : Luc. III, 2 *at auhmistam gudjam* (ἐπὶ ἀρχιερέων, sub summis pontificibus) *annin jah kajafin varþ vaurd guþs at iohannen ; uf* cum dativo : Mc. II, 26 *daveid gulaiþ in gard guþs uf abjaþara gudjin* (ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως); Luc. IV, 27; Tim. I, VI, 15, coll. Luc. III, 23.

dd) Circa, versus, *bi* cum accusativo : Mth. XXVII, 45, *bi weila niundon* (περὶ τὴν ἐνάτην ὥραν) *ufhropida iesus stibnai mikilai.*

cc) Ante, *faur* cum accusativo : Mth. VIII, 29 *qamt her faur mel* (πρὸ καιροῦ) *balvjan unsis ;* XXVI, 75 *faur hanins hruk þrim sinþam afaikis mik ;* Tim. II, I, 9 *ansts guþs gibana ist unsis faur mela aiveina*, etc., vid. gloss. v. *Faur* I.

Contrarium præcedentis, post, *afar* cum dativo in genere, et in particulari cum accusativo : Joan. XIII, 2 *afar þamma hlaiba* (μετὰ τὸ ψωμίον) *galaiþ in iudan satana* ; Mth. XXVII, 63 *afar þrins dagans* (μετὰ τρεῖς ἡμέρας) *urreisa ;* XXVI, 2 *afar tvans dagans paska vairþiþ ;* Cor. I, II, 25 *nam sa kl afar nahtamat*, etc., additis formulis *afar leitil* et *afar ni filu* post paululum tempus, *afar þata* postquam, vid. gloss. v. *Afar* I, A).

§ 248 II. Quam diudum?

Hic tantummodo respectum temporis, a, ex quo, animadvertendum habemus ; atqui

1) Ex adverbiis temporalibus huc venit *unpana* denuo : Gal. IV, 9 *stabim in þana skalkinon vileiþ.*

2) Ex præpositionibus autem : *af* cum dativo : Mc. X, 6 *af anastodeinai* (ἀπ' ἀρχῆς) *gaskaftais gumein jah qinein gatavida guþ ;* Cor. II, VIII, 10 *taujan dugunnuþ af fairnin jera ;* communius autem *fram* cum dativo : Mth. IX, 22 *ganas qino fram þizai weilai jainai* (ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης); Col. I, 9 *fram þamma daga ei hausidedum in weilaidedum faur izvis bidjandans ;* Cor. II, IX, 2 *axaja gamanvida ist fram fairnin jera ;* Luc, I, 48 *fram himma nu audagjand mik alla kunja ;* Mc. XIII, 19 *fram anastodeinai ;* Luc. II, 35 *fram mayaþein*, etc., vid. gloss. h. v. 2) ; *us* cum dativo : Joan. VI, 66 *us þamma mela* (ἐκ τούτου) *managai galiþun siponje is ibukai ;* 64 *vissa us frumistja iesus, was ist saei galeveiþ ina ;* Skeir I, c *us anastodeinai ;* Joan. IX, 1 *us gabaurþai ;* Mc. IX, 21 *us barniskja ;* Tim. II, III, 15 ; *us jundai* Mc. X, 20 ; Luc. XVIII, 21.

§ 249 III. Quamdiu?

1) Hæc temporis determinatio, quæ a præcedenti in eo discriminatur, quod tempus in quo vel a quo actio contigit, non solum indicet, sed certum temporis spatium certamque epocham exhibeat, per accusativum exprimitur : Cor. II, XI, 25 *naht jah dag* (νυχθήμερον) *in diupiþai vas mareins ;* I, XVI, 6 *at izvis vaitei salja aiþþau vintru visa* (παραχειμάσω); Joan. XI, 6 *salida in þammei vas stada dagans tvans* (δύο ἡμέρας) ; Mc. VIII, 2 ; Luc. IV, 2 *tauhans vas in auþidai dage fidvortiguns* (ἡμέρας τεσσαράκοντα, vid. § 198, 5) *b*) *fraisans fram diabulau ;* I, 24 *aileisabaiþ galaugnida sik menoþs fimf* (μῆνας πέντε) ; 56 ; II, 36 *anna vas framaldra dage magaize libandei miþ abin jera sibun* (ἔτη ἑπτά) *fram magaþeim seinai ;* VIII, 43 ; Mc. V, 25 ; Mth. IX, 20 *qino bloþarinnandei ·ib· vintruns* (δώδεκα ἔτη) *attaitok skauta vastjos iesuis ;* Luc. V, 5 *alla naht þairharbaidjandans* (δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες) *vaiht ni nemum ;* Rom. X, 21 *allana dag* (ὅλην τὴν ἡμέραν) *usbraidida handuns meinos du managein ungalaubjandein ;* Luc. I, 75 ; XX, 9 *aflaiþ jera ganoha* (χρόνους ἱκανούς) ; VIII, 29 *manag mel* (πολλοῖς χρόνοις) *fravalv ina ;* Joan. 13, 33, *nauh leitil mel* (μικρὸν) *miþ izvis im ;* VII, 33 *leitila weila* (μικρὸν χρόνον) ; XIV, 9 *svalaud melis* (τοσοῦτον χρόνον, vid. § 202, IV, 1) *miþ izvis vas ;* Luc. VIII, 27 *vair habaida unhulþons mela lagga* (ἐκ χρόνων ἱκανῶν) ; Rom. VII, 1 *vitoþ fraujinoþ mann sva lagga weila sve* (ἐφ' ὅσον χρόνον) *libaiþ ;* Cor. I, XVI, 7 *venja mik wo weilo* (χρόνον τινά) *saljan at izvis :* VII, 5 ; XV, 30 *duwe bireikjai sijum weilo woh* (πᾶσαν ὥραν).

2) Ad exprimendum quam longum tempus sit duraturum, et præsertim intra quos limites restringendum, adhibentur præpositiones :

a) *Du* cum dativo : Luc. IV, 25 *galuknoda himins du jeram þrim* (ἐπὶ ἔτη τρία) ; imprimis in formulis *du aiva* (Joan. XII, 34 ; XIV, 16 ; XV, 16 ; Cor. II, IX, 9) et *du aivam* (Rom. XI, 36 ; Cor. II, XI, 31 ; Gal. I, 5) in æternum (εἰς αἰῶνα et εἰς αἰῶνας), *du weilai* (Joan. V, 35 ; Philem. 15) ad horam (πρὸς ὥραν), *du mela* (Luc. VIII, 13) ad tempus (πρὸς καιρόν) et *du leitilai weilai* (Cor. II, VII, 8 ; Skeir. VI, a), *du leitilamma mela* (Skeir, IV, b), *du mela weilos* Thess. I, II, 17.

« Annotatio. — Pro *du* cum dativo, hic etiam ponitur simplex dativus : Luc. XVIII, 4 *ni vilda laggai weilai* (ἐπὶ χρόνον) ; vel accusativus ; sic Luc. IV, 25 *du jeram þrim* et *menoþs saihs* promiscue commutantur. »

b) *In* cum accusativo : Joan. XII, 7 *in dag* (εἰς τὴν ἡμέραν) *gafilhis meinis fastaida þata ;* Tim. II, I, 12 ; Luc. I, 33 *guþ þiudanoþ ufar garda iakobis in ajukduþ* (in æternum, εἰς τοὺς αἰῶνας); Joan. VI, 51, 58 ; item *in aivins* in æternum Mth. VI, 13 et *in aldins alde* vel *aive* Luc. I, 50 ; Eph. III, 21 ; Tim. I, I, 17. Attamen hic etiam *in* cum dativo reperitur : Eph. IV, 30 *ahmin veihamma gasiglidai sijuþ in dage*

Digitized by Google

(εἰς ἡμέραν) *uslauseinais*; Thess. I, IV, 15 *þai bilaibidans in quma* (εἰς τὴν παρουσίαν) *fraujins*, Coll. Joan. XII, 25.

c) *Und* cum accusativo : Cor. I, XVI, 8 *visa in aifaisun und paintekusten* (ἕως τῆς πεντηκοστῆς); Luc. IV, 13 *ustiuhands all fraistobnjo diabulus afstoþ þairra Iesua und mel* (ἄχρι καιροῦ); Cor. II, I, 13 *nauja ei und andi* (ἕως τέλους) *ufkunnaiþ*; Luc. I, 55 *svasve rodida du attam unsaraim und aiv* (ἕως αἰῶνος); Tim. I, VI, 14 *fastai þo anabusn und qum* (μέχρι τῆς ἐπιφανείας) *fraujins*; Mth. XXVII, 45 *fram saihston weilai varþ riqis ufar allai airþai und weila niundon*; 64 *hait vitan hlaiva und þridjan dag*; 8 *haitans varþ akrs jains akrs bloþis und hina dag*, etc., vid. gloss. v. *Und* 2).

I. Determinatio mensuræ.

§ 250. 1) Relative ad tempus et in quæstione QUAM SENEX? ponitur

a) Post *visan*, senem esse, genitivus : Mc. V, 42 *mavi was jere tvalibe* (ἐτῶν δώδεκα); Luc. VIII, 42 *vintrice tvalibe*; III, 23 *was Iesus sve jere þrijetigive uf gakunþai*. Hinc Luc. I, 7 *ba framaldra dage seinaize vesun*, cujus loco tamen vs. 18 *in dagam seinaim* invenitur;

b) Post *vairþan*, senem fieri, senescere, accusativus : Luc. II, 42 *varþ tvalib vintruns* (ἐτῶν [ἔτη] δώδεκα).

« Annotatio 1. — Ex loco Luc. III, 23 patet, quod circa, circiter, versus, per *sve* gothice exponatur, constructione non mutata, Coll. Luc. IX, 14 *vesun sve fimf þusundjos vaire*, vel Joan. VI, 10 *þaruh anakumbidedun vairos raþjon* (numero) *sve fimf þusundjos.* »

2) Relative ad locum in quæstione QUAM SPATIOSUS, adhibetur

a) Accusativus : Mth. V, 41 *jabai was þuk ananauþjai rasta aina* (μίλιον ἕν), *gaggais miþ imma tvos*; Luc. II, 44 *qemun dagis vig* (ἡμέρας ὁδόν);

b) *Ana* cum dativo : Joan. XI, 18 *beþania newa Iairusalaymiam svasve ana spaurdim fimftaihunim* (ἐγγὺς σταδίων δεκάπεντε).

3) Pretium, quanti venit aliquid, redditur

a) Per dativum : Cor. I, VII, 23 *vairþa galaubamma* (pretio magno, τιμῆς) *usbauhtai sijuþ*; Mth. X, 29 *niu tvai sparvans assarjau* (ἀσσαρίου) *bugjanda?* Joan. VI, 7 *tvaimhundam skatte* (διακοσίων δηναρίων) *hlaibos ni ganohai sind*;

b) Per *in* cum accusativo : Mc. XIV, 5 *maht vesi þata balsan frabugjan in managizo* (multi, ἐπάνω) *þau þrijahunda skatte*; Joan. XII, 5 *duve þata balsan ni frabauht vas in ·t· skatte* (trecentorum denariorum, τριακοσίων δηναρίων).

Econtra pretium exhibere AD acquirendum aliquid, ἀντί (germ. *um*, *für*, *gegen*, gall. pour, contre) gothice est *und* cum dativo : Mth. XXVII, 10 *algebun þrinstiguns silubreinaize und akra kasjins*. Hinc Rom. XII, 17 *ubil und ubilamma usgiban* et Mth. V, 38 *augo und augin jah tunþu und tunþau*.

4) In comparativis

a) Quantitas, QUA objectum aliud superat, exprimitur

aa) Per dativum : Cor. II, XI, 5 *man ni vaihtai* (quoquam, μηδέν) *minnizo gataujan þaim ufar mikil visandam apaustaulum*; XII, 11; Mth. V, 47 *we managizo taujiþ*; Mc. VII, 36 *wan filu is im anabauþ, mais þamma meridedun*. Hinc etiam expressio quadraginta, uno sublato : *fidvortigjus ainamma vanai* = 39, vid. § 198, 3; vel

bb) Per *filu*, *filaus* et etiam *und* cum accusativo, vid. § 197, 5.

b) Objectum cum quo aliud comparatur et quorum relatio reciproca germanice per *als*, latine autem per quam redditur, Gothus exponit sive cum *þau* in constructione, vid. § 197, 4; sive, *þau* prætermisso, in dativo (quemadmodum Græcus in genitivo et Latinus in ablativo); Mth. V, 37 *sijai vaurd izvar ja ja, ne ne, iþ þata managizo þaim* (quam hoc, τούτων) *us þamma ubilin ist*; VI, 25 *niu saivala mais ist fodeinai* (τῆς τροφῆς) *jah leik vastjom* (τοῦ ἐνδύματος)? 26 *niu jus mais vulþrizans sijuþ þaim?* X, 31 *managaim sparvam batizans sijuþ*; Joan. XV, 18 *so manaseds mik fruman izvis fijaida*, Luc. XVI, 8 *þai sunjus þis aivis frodozans sunum liuhadis* (φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱούς); Joan. V, 36 *ik haba veitvodiþa maizein þamma iohanne* (hoc Joanne, proprie esse deberet *þizai iohannes*, quamvis hæc brevitas sermonis etiam Græcis non aliena sit, Matthiæ Gr. gr. § 453). Sic insuper Mth. III, 11; X, 31; XI, 9, 11; XXVII, 64; Mc. I, 7; XII, 31, 33; Luc. III, 16; VII, 26; IX, 13; Joan. VII, 31; VIII, 53; X, 29; XIII, 16; XIV, 12; XV, 13; Cor. I, X, 22; XV, 10; II, XI, 5; XII, 11; Tim. I, V, 8.

« Annotatio 2. — Ut objectum, cum quo aliud comparatur, in dativo poni possit, in nominativo prius vel accusativo construi queat necesse est; præter hos enim casus hæc constructio non adhibenda est, sed *þau* advocandum, ut Mth. V, 20 *managizo vairþai izvaraizos garaihteins þau þize bokarje*; Luc. X, 14, etc. »

Animadversiones in præpositiones.

« § 251. Annotatio 1. — Præpositiones ex natura sua præcedunt, et equidem immediate, casus quos gubernant; neque hæc regula ullas patitur exceptiones, nisi ubi præpositiones initio sententiæ positæ, a suis casibus præcipue per enclitica separari possunt : Joan. XVIII, 34 *abu* (pro *af-u*) *þus*; XIX, 12 *framuh þamma*; Luc. X, 21 *in uh þizai weilai*; necnon et per particulas, quæ a fronte sententiæ præesse nequeunt, ut *þan*, *raihtis*, *auk* : Skeir. II, d *at raihtis mann*; Mth. VIII, 5 *afaruh þan þata*; Mc. XVI, 12; Luc. I, 24; X, 1; XVIII, 4; VII, 21 *in uh þan þizai weilai*; X, 7; VI, 45 *us uh* (pro *us-uh*) *allis ufarfullein*; Cor. II, X, 13 *und jah* (etiam) *izvis*. Quod autem *du* cum infinitivo eodem modo se habeat, vid. § 254, annot. 1. Imo a verbis compositis etiam præpositio separari potest : Luc. XVIII, 8 *biugitai*; Mth. IX, 28 *ga u laubjats*; Mc. VIII, 23 *gau wa sevi*, vid. ad Mth. IX, 28; Joan. XVI, 28 *usuhiddja*; XI, 41 *uzuhhof*; VI, 22 *miþ si gam*;

Digitized by Google

Luc. xx, 25 *ƿs nu gibiþ*; Mc. xiv, 44 *atuh þan gaf*; xvi, 8 *dizuh þan sat.*

« Econtra dicitur etiam : Joan. v, 46 *bi mik auk*, licet Græcus περὶ γὰρ ἐμοῦ ferat ; Cor. I, ix, 9 *ïƿ nitoda auk mosezis*; Skeir. II, d *ƿs saivalai raihtis jah leikƍ*; Cor. II, x, 14 *unƍ jah und ïzwis*; coll. § 213, annot. 1.

« Annotatio 2. — Ubi præpositio eadem ad duo vel plura objecta refertur, semel tantum ponitur : Mc. III, 8 *þai bi tyra jah seidona* (οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα); Skeir. II, d *manna ussatiþs ist us saivalai jah leika*; Cor. I, xiv, 21 *in anþaraim razdom jah vairilom anþaraim rodja*, Græco contra ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις habente ; Rom. vii, 6 *skalkinom in niujiþai ahmins jah ni fairniþai bokos*; Tim. II, ii, 14 *vaurdam veihan du ni vaihtai daug niba usvalteinai* etc. ; necnon et in appositione prætermittitur præpositio : Rom. xiii, 9 *jabai wo anþaraize unabusne in þamma vaurda usfulljanda, þamma* (scilicet in hoc, gr. ἐν τῷ) *frijos newundjan þeinana sve þuk silban*. Hinc probabiliter ratio est quare, ubi vocabulum ex præpositione compositum bis in sententia ponendum est, gothice altera vice simpliciter inducitur : Rom. xv, 4 *sva þla sve faura*gameliþ *varþ* (προεγράφη), *du unsarai laiseinai* gameliþ *varþ* (προεγράφη); Cor. I, xv, 48, 49 *þai uf*arkiminakundans (ἐπουράνιοι) — *þis himinakundins* (τοῦ ἐπουρανίου) etc., vid. ad Tim. I, vi, 6.

« Aliquando tamen præpositio, quemadmodum in græco textu, ita et in gothico repetitur : Luc. ii, 44 *sokidedun ina in ganiþjam jah in kunþam*, ubi Gothus probabiliter in suo codice ἐν alterum legit, ut Mc. vi, 25 *in þize aiþe jah in þize miþanakumbjandane ni vilda izai ufbrikan*; Luc. viii, 34 *gataihun in baurg jah in veihsa*; Col. i, 26 *runa gafulgina vas fram aivam jah fram aldim*; iii, 17 *in vaurda aiþþau in vaurstva*; Thess. I, ii, 4, 9; Tim. I, iv, 16; etiam non præeunte Græco : Mc. v, 16 *spillodedun waiva varþ bi þana vodan jah bi þo sveina* etc.; Cor. II, v, 12 codex A fert *þai in andvairþja wopandaus jah-ni in hairtin*, ubi codex B alterum ἐν prætermittit. In appositione : Skeir. II, d *manna us missaleikom vistim usnutiþs ist, us saivalai raihtis jah leika*. Solemniter autem repetitur, ubi præpositio pluribus quam duobus objectis refertur : Joan. xvi, 8 *gasakiþ þo manaseþ bi fravaurht jah bi garaihtiþa jah bi staua*; Col. ii, 16 *ni manna izwis bidomjai in mota aiþ þau in dƍgka aiþþau in dailai dagis*; Tim. I, ii, 1, 2. Attamen in hoc etiam casu præpositio secunda vice prætermittitur quidem, tertia autem repetitur : Mth. viii, 9 *qiþa du þamma—jah anþaramma—jah du skalka* (græce dativus simplex ubique usurpatur), sic etiam in parallelo loco Luc. vii, 8 ; Mc. vi, 56 *iddja in haimos aiþþau baurgs aiþþau in veihsa*, græco textu communiter εἰς semel tantum habente ; Mth. v, 45 *guþ sunnon seina urranneiþ ana ubilans jah godans, jah rigneiþ ana garaihtans jah ana ungaraihtans* (gr. ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους).

« In hoc casu suo Gothus modo præpositiones synonymas alibi usurpat : Col. iv, 13 *aipaſras habaiþ manag aljan bi ïzvis jah du þans* (ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν) *þaiei sind in laudeikaia jah lƍisaraupaulein* ; Thess. I, v, 9 *ni satida uns guþ in hatis ak du gafreideinai* (εἰς ὀργήν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν) *ganistais*; Cor. II, viii, 7 *in allamma managniþ, galaubeinai jah vaurda jah kunþja jah in allai usdaudein jah ana þizai us ïzvis in uns friaþvai* (Græco semel tantum ἐν habente)

« Annotatio 3. — Dum ex una parte Gothus aliquando cavere videtur, ne cum ea præpositione quæ objectum præcedit, verbum, more græco, componat, dicitque simpliciter Cor. II, vi, 16 *baua in ïm* pro ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς ; Tim. II, i, 5 ; Mc. vi, 14 *vaurkjand in ïmma* pro ἐνέργουσιν ἐν αὐτῷ, vel Cor. II, viii, 18 *miþsandidedun ïmma* pro συνεπέμψαμεν μετ' αὐτοῦ, ex altera autem in eumdem pleonasmum sæpissime incidit : Mth. xxvii, 53 *us gaggan us hlaivasnom* (ἐξελθεῖν ἐκ τῶν μνημείων); Mc. i, 29; v, 2, 30 ; ix, 25; Luc. iv, 22; Joan. viii, 59; x, 39; Cor. I, v, 10; II, v, 8; vi, 17; Eph. iv, 29; Col. iii, 8; Mth. ix, 15 *bruþfaþs afnimada af ïm* (ἀπάρθῃ ἀπ' αὐτῶν) ; Luc. v, 2, 13, 35 ; ix, 5 ; xvi, 3; Rom. xi, 26 ; Cor. II, xii, 8; Luc. xviii, 11 *þairhïddja þairh midja samarian*; iv, 30; xviii, 35 (ubi Gothus διελθεῖν legit); Mc. xi, 16; Col. ii, 13 *miþgaqirida miþ ïmma*; Joan. xiii, 25 *anakumbida ana barma ïesuis*; Eph. ii, 20; Luc. iv, 14 *all gavi bisitande bi ïna* ; Cor. I, xv, 27 *ufhnaivida uf fotuns*; Eph. i, 21; Luc. i, 76 *fauragaggis faur andvairþja*. Et item de adverbiis ejusdem significationis, ut *ïnatgaggan in* — (Mth. viii, 25), *usvairpan us* — (Mth. xxvi, 75), *usgaggan ut us* — (Mc. i, 25), etc.

« Sed hunc pleonasmum, quem Græcus sæpius præsefert, Gothus etiam sæpissime nullo præeunte usurpat, ubi scilicet Græcus vel præpositione semel utitur, vel simplex verbum et præpositionem adhibet : Rom. xi, 26 *urrinniþ us sion* (gr. simpliciter ἥξει ἐκ Σιών) ; Joan. xvii, 15 *ni bidja ei usnimais* (ἄρῃς) *ïns us þamma fairwau* ; Gal. v, 4 *us anstai usdrusuþ* (χάριτος ἐξεπέσατε); Luc. viii, 18 *afnimada af ïmma* (ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ) ; Mc. ii, 23 *þairhïddja þairh atisk* (παραπορεύεται διά —) ; Joan. xviii, 15 *miþïnngalaiþ miþ ïesua* (συνεισῆλθε τῷ —) ; sic etiam Mth. vii, 25 ; Mc. v, 10; Luc. iii, 20 ; vi, 48 ; viii, 2 ; ix ; 33 ; xiv, 10; xvii, 29 ; Joan. xii, 42 ; Rom. viii, 35, 39 ; Cor. II, xi, 25 ; Gal. i, 6 ; Eph. iv, 31 ; Phil. iii, 14 ; Col. ii, 14.

« Eo etiam modo usurpantur præpositiones diversæ, sed synonymæ : Mth. viii, 16 *atberun du ïmma* (προσήνεγκαν αὐτῷ) ; xxvii, 15 *atgaggand du þeilatau* (προσελθὼν τῷ Πιλάτῳ); Joan. viii, 42 *ik fram guþa urrann* (ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον); Mc. xvi, 8 *us gaggandeins af hlaiva* (ἐξελθοῦσαι ἀπὸ —) *gaþlauhun*; Luc. ii, 37 *ni afïddja fairra alh*

Digitized by Google

(ἀφίστατο ἀπό —); Cor. II, XII, 9. *ufarhleiþrjai una mis* (ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμέ) *mahts xristaus*, etc.

« Annotatio 4. — Præter nonnullas præpositiones, quæ, ut determinata, adverbiorum forma donantur, ut *inn*, *ut* ex *in*, *us*, sunt et aliæ quæ, illa forma carentes, ut adverbia tamen usurpantur : Mc. VIII, 23 *atlagida ana handuns* imponens (scilicet illi) manus *super* (ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας); XI, 7; Luc. XIX, 28 *iddja fram* (ἐπορεύετο ἔμπροσθεν); Mc. VIII, 6 *atgaf hlaibans siponjam ei atlagidedeina faur* (παραθῶσι); Luc. XIX, 4 *biþragjands faur* (προδραμὼν ἔμπροσθεν) *usstaig ana bagm*; VIII, 44 *qino atgaggandei du* (προσελθοῦσα) *attaitok skauta vastjos* pro *duatgaggandei* (sicut ex gr. Mth. IX, 20) vel *atgaggandei du imma* (sicut ex. gr. Luc. IX, 12); Mc. X, 13 *siponjôs sokun þaim bairandam du* (τοῖς προσφέρουσι); Cor. II, VIII, 11 *faura ist muns*; Phil. III, 14 *þoei faura sind*. »

2. OBJECTUM VERBALE.

§ 252. Cum infinitivus, qui abstractam ideam actionis vel habitus a verbo designati exprimit, naturæ sit nominalis (§ 189), ideo ut objectum inservire potest.

Itaque ponitur post verba :

1) Volendi : Mth. V, 42 *þamma viljandin af þus leiwan sis ni usvandjais*; Luc. XV, 28 *ni vilda inngaggan*; Tim. I, I, 6 sq. *sumai usvandidedun du lausavaurdein viljandans visan vitodalaisarjos*; Luc. X, 22; XX, 46; Joan. VI, 67; VIII, 44; Rom. IX, 22; Cor. II, XI, 32; Cor. I, VII, 12 *jabai qens gavilja ist bauan miþ imma, ni afletai þo qen*; Phil. I, 23 *lustu haba andletnan jah miþ xristau visan*; Luc. XV, 16 *gairnida sad itan haurne*; XVII, 22; Cor. II, V, 2; Thess. I, III, 6; Tim. II, I, 4; Luc. XIX, 4 *and þata munaida* (cogitavit) *gaggan*; X, 1; Joan. VI, 15; XIV, 22; Joan. VI, 6 *iesus vissa þatei iudas habaida* (habuit [in voluntate]) *taujan*; 71; XII, 26; Cor. II, XII, 14 *manvus im qiman at izvis*;

2) Quæ operationem voluntatis exprimunt, ut conari, quærere, concludere, dare, sinere, prohibere, cogere, rogare, imperare, adhortari, etc. : Gal. II, 10 *usdaudida þata silbo taujan*; Eph. IV, 3; Luc. VI, 19 *alla managei sokidedun attekan imma*; IX, 9; XVII, 33; XIX, 3, 47; Joan. VII, 1; XIX, 12; Rom. X, 3; Luc. VI, 42 *usvairp faurþis anza us augin þeinamma, jah þan gaumjais usvairpan gramsta þamma in augin broþrs þeinis*; Cor. I, V, 3 *gastauida þana sva þata taujandan atgiban unhulþin*; Mc. XV, 23 *gebun imma drigkan vein miþ smyrna*; Rom. XV, 5 *guþ gibai izvis þata samo fraþjan in izvis*; Eph. III, 16; Tim. II, I, 18; Mth. VIII, 21 *uslaubei mis galeiþan jah gafilhan attan meinana*; Luc. VIII, 32; IX, 59; Tim. I, II, 12; Luc. XVIII, 16 *letiþ þo barna gaggan du mis*; IV, 41; VIII, 51; Mth. VIII, 22; Joan. XI, 44; XVIII, 8; Gal. V, 7 *was izvis galatida sunjai ni ufhausjan?* Thess. I, II, 16 *iudaieis varjand uns du þiudom rodjan*; Gal. VI, 12 *sva managai sve vileina samjan sis in leika þai nauþjand izvis bimaitan*; Luc. XIV, 23; Gal. II, 14 *waiva þiudos baidis iudaiviskon*; Luc. VIII, 37 *bedun ina allans gaujans galeiþan fairra sis*; Cor. II, V, 20 *bidjam faur xristau gagavairþnan guþa*; Tim. I, II, 1 *bidja frumist taujan bidos*; Luc. VIII, 41; IX, 38; Rom. XII, 1; Cor. II, II, 8; Eph. IV, 1; Phil. IV, 2; Thess. I, IV, 10; V, 12; Tim. I, I, 3; Luc. VIII, 29 *iesus anabaud ahmin þamma unhrainjin usgaggan af þamma mann*; 55 *anabaud maujai giban mat*; 31; Cor. I, VII, 10; Mth. XXVII, 64 *hait vitan klaiva*; Tim. II, I, 6 *gamaudja þuk anaqiujan anst guþs*;

3) Post verba dicendi, et ea plura, quæ metaphysicam actionem exprimunt, ut cognoscere, negare, discere, docere, intelligere, credere, cogitare, etc., insuper sperare, timere, se pudere, tentare, etc. : Tim. II, II, 10 *þatei gadob ist qinom gahaitandeim guþ bletan þairh vaurstva goda*; Tit. I, 16 *guþ andhaitand kunnan*; Joan. XIII, 38 *mik afaikis kunnan*; Luc. III, 7 *was gataiknida izvis þfliuhan faura þamma anavairþin hatiza*; Skeir. V, d *ni ibnon ak galeika sveriþa usgiban uns laiseiþ*; Tim. I, V, 4 *jabai wo viduvono barna habai, galaisjaina sik* (doceant se, id est, discant) *faurþis svesana gard barusnjan*; 13; Tim. I, I, 19 *hymainaiu jah alaiksandru anafalh satanin ei gatalzjaindau ni vajamerjan*; Cor. I, IV, 6 *in ugkis ganimaiþ ni ufar þatei gameliþ ist fraþjan*; Phil. IV, 12 *lais jah kaunjan mik, lais jah ufarassu haban*; Thess. I, IV, 4 *viti warjizuh izvara gastaldan sein kas in veihiþai*; Rom. VII, 18 *gavaurkjan goþ ni bigita*; 10; Cor. II, X, 2 *trauainai man gadaursan ana sumans*; Joan. XVI, 2 *sawazuh izei usqimiþ izvis, þuggkeiþ hunsla saljan guþa*; Phil. III, 4; Rom. XIV, 2 *sums galaubeiþ matjan allata*;

Luc. VI, 34 *jabai leiwid, fram þaimei veneid andniman, wa izvis laune ist?* Phil. II, 23; Tim. I, III, 14; Cor. II, X, 15 *ven habam in izvis mikilnan*, Luc. IX, 45 *ohtedun fraihnan ina bi þata vaurd*; XVI, 3 *bidjan skamamik*; Cor. II, I, 8; Luc. XX, 40 *ni þanaseiþs gadaurstedun fraihnan ina*; Cor. I, VI, 1; II, X, 12; Skeir. IV, d *ainans ananan þidedun qiþan attan jah sunu*;

4) Post incipere, pergere, amare (id est, solitum habere), cessare, perficere : Luc. XIV, 29, 30 *jabai was gasatida grunduvaddju jah ni mahta ustiuhan, allai þai gasaiwandans duginnand bilaikan ina qiþandans þatei sa manna dustôdida timbrjan jah ni mahta ustiuhan*; Mc. XIV, 65; Luc. IX, 12, 18; Cor. II, III, 1; VIII, 10; Luc. XX, 11 *anaaiauk sandjan anþarana skalk*; 12; Mth. VI, 5 *liutans frijond in gaqumþim standandans bidjan*; Luc. VII, 45 *fram þammei innatiddja ni svaif bikudjan fotuns meinans*; Cor. II, VIII, 11 *nu jah taujan ustiuhaiþ*;

5) Post debere, oportere, opus habere, licere : Joan. III, 30 *jains skal vahsjan iþ ik minznan*; VII, 35, 39, etc., vid. gloss. v. *Skulan*; Gal. V, 3

Digitized by Google

wasuh manne bimaitanaize skula ist all vitoþ taujan; ad passive significandum ponitur *skulds im:* Mc. VIII, 31 *sunus mans skulds ist uskiusan* (rejici debet) *fram þaim sinistam*, vid. § 177, annot. 4 *d*); et ubi de rebus agitur, *skuld ist:* Luc. VI, 2 *wa taujid, þatei ni skuld ist taujan in sabbato dagam?* IV, 9; XV, 32; XX, 22; Cor. II, XI, 30; Thess. II, III, 7; Tim. I, III, 15; et etiam impersonaliter: Luc. VI, 2 *hlaibans faurlageinais ni skuld ist* (non licet) *matjan nibai ainaim gudjam*; Luc. XIV, 18 *land bauhta jah þarf galeiþan jah saiwan þata*; Thess. I, IV, 9; Phil. II, 25 *þarb munda aipafraudeitu sandjan du izvis*; Cor. II, IX, 5 *naudiþaurft man bidjan broþruns ei galeiþaina du izvis*; XII, 1 *wopan binah akei ni batizo ist*; Cor. I, VII, 26 *goþ ist mann sva visan*; Mc. IX, 45 *goþ þus ist galeiþan in libain haltamma þau tvans fotuns habandin gavairpan in gaiainnan*; 47; Luc. XVIII, 25; Luc. III, 16 *gaggiþ winþoza mis, þizei ik ni im vairþs andbindan skaudaraip skohis is*; XX, 35; Cor. II, III, 5; Tim. II, II, 2;

« Annotatio 7. — Pro ἀλλά *a*) significanti *sed* ponitur etiam *aþþan*: Phil. III, 8 *akei* (ἀλλά) *þatei vas mis gavaurki, þatuh rahnida in xristaus sleiþa visan. aþþan* (ἀλλά) *sveþauh all domja sleiþa visan in usfarassaus xristaus*, et sæpius coll. § 281; *b*) significante *sed tantummodo* usurpatur etiam *alja* (præterea): Mc. X, 40 *þata du sitan af taihsvon meinai aiþþau af hleidumein nist mein du giban alja* (ἀλλά) *þaimei man viþ ist*; Joan. VII, 48 *sai jau ainshun þize reike galaubidedi* (unus crederet ei; id est nemo credit) *alja* (ἀλλά) *so managei* (sed tantummodo hæc turba).

« Annotatio 8. — Pro δέ *akei* subditur tantummodo Cor. I, XIV, 20; sæpe autem *ak* pro *akei* usurpatur: Mc. XI, 31 *jabai qiþam · us himina, qiþiþ · aþþan duwe ni galaubideduþ imma? ak* (ἀλλά) *qiþam · us mannam, uhtedun þo managein*; XIV, 49; Joan. VIII, 56; sed Eph. IV, 28, Tim. I, I, 9 *ak* ponitur pro δέ, qui præeunte negatione, tantummodo, sed significat. »

3. SENTENTIA DISJUNCTIVA.

§ 261. 1) Membra sententiæ disjuncta indicantur per simplex *aiþþau* vel, vel per *jabai — aiþþau, andisuh — aiþþau* vel — vel: Mth. V, 17 *ni qam gatairan viloþ aiþþau praufetuns*; 18 *jota ains aiþþau ains striks ni usleiþiþ af vitoda*; VI, 31 *ni maurnaiþ nu qiþandans · wa matjam aiþþau wa drigkam aiþþau we vasjaima*; XXV, 38 *wanuh þan þuk sewum gast jah galaþodedum aiþþau naqadana jah vasidedum?* Mc. VIII, 36 *wa boteiþ mannan, jabai gageigaiþ þana fairwu allana jah gasleiþeiþ sik saivalai seinai. aiþþau wa gibiþ manna inmaidein saivalos seinaizos?* Rom. XI, 34 *was ufkunþa fraþi fraujins aiþþau was imma ragineis vas aiþþau was imma fruma gaf?* Mth. VI, 24 *ni manna mag twaim fraujam skalkinon, unte jabai* (ἤ, vel) *fijaiþ ainana jah anþarana frijoþ, aiþþau* (ἤ, vel) *ainamma ufhauseiþ, iþ anþaramma frakann*, cujus loco legitur in parallelo Luc. XVI, 13 *andizuh ainana fijaiþ — aiþþau ainamma andtiloþ —*. In priori membro etiam deficit particula: Cor. II, I, 13 *ni alja meljam izvis alja þoei* (ἢ ἃ) *anakunnaiþ, aiþþau jah ufkunnaiþ*. Alia exempla pro simplici *aiþþau* vid. gloss. h. v.

2) In disjunctivis interrogationibus priori membro nulla particula præponitur, ubi præcipue vocabulum interrogativum adest, vel encliticum *-u* (§ 214, 1)

Digitized by Google

a) et *b*), vel ubi negative interrogatur *ibai* (vid. ibid. 2) *c*); posteriori autem membro *þau*, raro *aiþþau*, præmittitur, necnon et aliquando etiam particula interrogativa -*u* (etiam -*uh* scripta) ad primum post *þau* vocabulum affigitur: Mth. IX, 5 *waþar ist raihtis asetiza qiþan· afletanda þus fravaurhtois, þau qiþan· urreis;* XXVII, 17 *wana vileiþ ei fraletau izvis, barabban þau iesu?* Cor. I, XI, 22 *ibai gardins ni habaiþ du matjan jah drigkan, þau aikklesjon guþs fraqiuiþ;* Joan. IX, 5 *was fravaurhta. sau þau fadrein is?* hicne an parentes ejus? XVIII, 34 *ab u þus silbis þu þata qiþis þau anparai þus qeþun bi mik?* Mc. III, 4 *skuldu ist in sabbatim þiuþ taujan aiþ þau unþiuþ taujan* (ubi in parallelo loco Luc. VI, 9 *þau* adest)? Mc. XII, 14 *skuldu ist kaisaragild giban kaisara þau niu gibaima?* Luc. XX, 22; Gal. III, 5 *vaurkeiþ mahtins in izvis uzu vaurstvam vitodis þau uzu gahauseinai galaubeinais?* Mc. XI, 30 *daupeins iohannis uzuh himina was þau uzuh mannam?* Luc. XX, 4; Mth. XI, 3 *þu is qimanda þau anþarizuh beidaima?* vel in loco parallelo Luc. VII, 19 *þau anþaranu venjaima.* Alia exempla vid. gloss. v. *þau* 3).

4. SENTENTIA CAUSALIS ET CONSECUTIVA.

§ 262. 1) Sententia causalis vel propositionem præcedentem probat, et tunc usurpatur *unte* nam, *auk* enim (γάρ) prius in prima sede, posterius in secunda positum; vel tantummodo explicat, et tunc adhibetur *raihtis* et *allis*, scilicet, nempe, utrumque a fronte sententiæ præiens, necnon et *auk*: Luc. I, 30 *ni ogs þus, mariam, bigast auk* (γάρ) *anst fram guþa;* 76 *barnilo praufetus hauhistins haitaza, faura gaggis auk faura andvairþja fraujins manvjan vigans imma;* Mc. I, 16 *gasaw seimonu jah andraian vairpandans nati in marein, vesun auk fiskjans;* Mth. VII, 25 *runn ni gadraus, unte* (γάρ) *gasuliþ vas ana staina;* IX, 24 *afleiliþ, unte ni gasvalt so mavi, ak slepiþ;* VI, 14 *unte jabai afletiþ mannam missadedins ize, afletiþ jah izvis atta izvar sa ufar himinam,* ad vs. 12 relatum; Rom. XIII, 3 *þai auk* (γάρ) *reiks ni sind agis godamma vaurstva ak ubilamma. aþþan vileis, ei ni ogeis valdufni, þiuþ taujais jah habais hazein us þamma, unte* (γάρ) *guþs andbahts ist þus in godamma, iþ jabai ubil taujis, ogs, unte* (γάρ) *ni svare þana hairu bairiþ, guþs ank* (γάρ) *andbahts ist;* Mc. VI, 7 *vaila praufetida esaias bi izvis þans liutans, sve gameliþ ist so managai vatritom mik sveraiþ, iþ hairto ize fairra habuiþ sik mis. afletandans raihtis* (γάρ) *anabusn guþs habaiþ þatei anafulhin mannans;* 23 *ni vilda vitan mannan jah ni mahta galaugnjan· gahausjandei raihtis qino bi ina — qimandei drauh du fotum is;* VIII, 3 *jabai fraleta ins lausqiþrans du garda ize, usligand ana viga, sumai raihtis ize fairraþro qemun;* Luc. III, 34 *sai, aiþei meina jah þei broþrjus meinai. saei allis* (γάρ) *vaurkeiþ viljan guþs, sa jah broþar meins jah svistar jah aiþei ist;* Luc. I, 43 *unþro mis þata ei qemi aiþei fraujins meinis at mis. sai allis, sunsei varþ stibna goleinais þeinaizos in ausam meinaim, laiłuik þata barn in vambai meinai.* Alia exempla vid. gloss. vv. *Auk*, *Unte* 2) *a*), *Raihtis* et *Allis*.

Quandoque loco causalium particularum adversativæ adhibentur: Mc. VII, 3 *iþ fareisaieis* (οἱ γὰρ Φαρισαῖοι) *niba usta þvahand handuns, ni matjand,* vid. gloss. v. *Iþ* 4); Tim. I, IV, 7 *broþei þuk silban du gagudein, aþþan* (γάρ) *leikeina usbroþeins du favamma ist bruks,* vid. gloss. v. *Aþþan* 3), hoc in epistolis tantum occurrente; Mth. VI, 32 *all auk þata þiudos sokjand, vait uh þan* (γάρ) *atta izvar þatei þaurbuþ,* vid. gloss. v. *þan* III, 5), semper præeunte -*uh*; etiam *nu*: Cor. I, VII, 16 *wa nu* (γάρ) *kannt, ei aban ganasjais?* II, XI, 4; Gal. V, 17; et *þannu*: Mc. XIV, 6 *letiþ þo, duwe izai usþriutiþ, þannu goþ vaurstv vaurhta bi mis,* profecto bonum opus fecit in me.

« Annotatio 1. — *Auk* quandoque ponitur post duo vocabula stricte inter se conjuncta, ut Luc. XVI, 2 *ni magt auk;* Rom. IX, 15 *du mose auk,* etc. Quod autem in ordine ad significationem *unte* et *auk* inter se non aliter differant, patet ex loco supra laudato Rom. XIII, 3 et variantibus lectionibus utriusque codicis Cor. II, VII, 8 ubi A *unte gasaiwa*, B *gasaiwa auk* habet.

« Annotatio 2. — καὶ γὰρ ordinario dicitur ad litteram *jah auk* Mth. VIII, 9; XXVI, 73 etc., vid. gloss. v. *Auk* 5 *a*) et *jah þan auk* Luc. VII, 8; aliquando etiam adhibetur simpliciter *unte* (Cor. II, III, 10) et *aþþan* (Cor. II, XII, 4), quemadmodum *jah auk* simplici γάρ etiam respondet Rom. VII, 2; Cor. I, XV, 18 et -*uh þan auk* pro δέ Joan. XII, 10 usurpatur. Econtrario — *auk jah* — δέ καὶ valet: Cor. I, I, 16 *ik daupida auk jaþ-þans staifanaus gadaukans;* Cor. II, XIII, 9. Redundanter autem ponuntur *auk raihtis* (γάρ) Mc. VI, 17; VII, 16 et *auk allis* Mc. IX, 41.

« Annotatio 3. — Eph. V, 6 *ni manna izvis uslusto lausaim vaurdam, þairh þoei qimiþ hatis guþs* respondet *þairh þoei* (per quæ) græco διὰ ταῦτα γάρ (per quæ enim).

« Annotatio 4. — Mc. IX, 34 *eis slavaidedun, du sis misso* (πρὸς ἀλλήλους γάρ) *andrunnun* deest particula causalis *auk*, quia probabiliter longius ab initio (*du sis misso auk*) stetisset.

2) Particulæ consecutivæ proprie sunt *nu* sic, igitur, οὖν, *þannu* itaque, propterea, ἄρα, quarum prior in prima sententiæ sede, posterior in secunda ponitur: Mth. V, 48 *sijaiþ nu* (οὖν) *jus fullatojai svasve atta izvar sa in himinam fullatojis ist;* VI, 1 sq. *alsaiwiþ armaion izvara ni taujan in andvairþja manne du 'saiwan im. þan nu taujais armaion, ni haurnjais faura þus;* VI, 9 *bidjandans ni filuvaurdjaiþ svasve þai þiudo; sva nu bidjaiþ jus;* Luc. XX, 25 *wis habaiþ skatts manleikan jah ufarmeli? andhafjandans þan qeþun· kaisaris. iþ is qaþ du im· usnu-* (τοίνυν) *gibiþ þo kaisaris kaisara, þo guþs guþa* etc., vid. Gloss. *Nu* 2); Rom. X, 16 *esaias qiþiþ· frauja, was galaubida hauseinai unsarai? þannu* (ἄρα, consequenter) *galaubeins us gahausei-*

Digitized by Google

nai; Cor. II, v, 15 *aomjam þata þatei ains faur allans gasvalt, þannu allai gasvultun*; Cor. I, iv, 7 *ushraineiþ þata fairnjo beist, ei sijaiþ niujis daigs. þannu* (sic, ita ut, ὥστε) *dulþjam ni in beista fairnjamma ak in unbeistein sunjos*; alia exempla vid. gloss. v. *þannu*.

Præterea ut particulæ consecutivæ etiam occurrunt : *eiþan* : Joan. IX, 41 *iþ blindai veseiþ, ni þau habaidedeiþ fravaurhtais. iþ nu qiþiþ · þatei gasewum, eiþan* (οὖν) *fravaurhts izvara þairhvisiþ*; Cor. I, XI, 26 *sva ufta sve matjaiþ þana hlaif jaþ-þana stikl drigkaiþ, dauþau fraujins gakannjaiþ, unte qimai. eiþan* (ὥστε) *wazuh saei matjiþ — aiþþau drigkai — unvairþaba fraujins, skula vairþiþ leikis jah bloþis fraujins*; Skeir. III, b; IV, a; V, d; VI, a;

Aþþan : Cor. II, VII, 12 *aþþan* (ἄρα) *jabai melida, ni in þis anamahtjandins ni in þis anamahtidins, ak du gabairhtjan usdaudein unsara*; Mc. XI, 31 *jabai qiþam · us himina, qiþiþ · aþþan* (οὖν) *duwe ni galaubideduþ imma?* alia exempla vid. gloss. v. *Aþþan* 5) :

þanuh : Cor. I, XV, 17 *jabai xristus ni urrais, svare jah so galaubeins izvara ist jan-nauh sijuþ in fravaurhtim izvaraim . þanuh* (ἄρα) *jaþ-þai gaslepandans in xristau fraqistnodedun*; Mc. XII, 6 *afslohun skalkans managans . þanuh* (οὖν) *nauhþanuh ainana sunu aigands liubana sis insandida jah þana du im* etc., vid gloss. v. *þanuh* 4).

« Annotatio 5. — Geminatum *nn* (*nunu*) ponitur, ubi sententia fit prohibitiva : Mth. X, 26 *ni nunu ogeiþ izvis*; 31; Rom. XIV, 15, 20; Tim. II, I, 8, atque negationem inter et imperativum semper interjicitur, dum simplex *nu* imperativum subsequitur : Mth. VI, 8 *ni galeikoþ nu*. Aliquando etiam *nu* tertiam sententiæ sedem obtinet, ut Rom. IX, 19 *qiþis mi nu* etc., vid. gloss. v. *Nu* 2).

« Annotatio 6. — In interrogando *nuh* loco *nu* ponitur : Mc. XII, 9 *wa nuh taujai fraujа?* Joan. XVIII, 37 *an nuh* (οὐκοῦν) *þiudans is þu?* Cor. I, VII, 16 cum *h* assimilato *wa nuk-kannt?*

« Annotatio 7. — Ἄρα οὖν gothice dicitur *þannu þan* Rom. VII, 5; *þannu nu* Rom., IX, 6, etc., vid. Gloss. v. *þannu*; *þannu nu jai* Rom. IX, 18; *sai nu* Eph. II, 19. Hi tamen particularum connexus etiam pro unica græca usurpantur : *aþþan nu* Rom. VII, 12 (ὥστε); Cor. I, IX, 26 (τοίνυν); *þannu nu* Cor. I, IV, 5 (ὥστε); *þannu nu jai* Rom. IX, 20 (μενοῦνγε); *iþ nu* Skeir. I, d.

« Annotatio 8. — Ubi οὖν mera est transitionis particula (nunc vero, gall. *et maintenant*), gothice etiam per *þaþroh þan* (Joan. III, 25; XVIII, 7), *þan* (Mc. III, 31) et *-uh* (Joan. XVI, 18) redditur; ubi ἄρα particula est affirmationis (profecto, certe), gothice vertitur per *þau* (Cor. I, XV, 14) vel *aiþþau* (Gal. II, 21). Incorrecte autem Gothus Gal. II, 17 ἄρα per *þannu* interpretatus est, quod hic cum ἆρα confudit; ἄρα in interrogatione τί ἄρα (quid ergo) Luc. I, 66 non conversum est.

II. SUBORDINATÆ SENTENTIÆ.

§ 263. Hæc compositarum sententiarum species ad simplicem reduci potest, modo secundaria seu subordinata sententia, ut circumscriptio attributi vel objecti simplicis sententiæ spectetur. Jamvero ad circumscriptionem attributi refertur sententia cum relativo (sententia relativa); ad circumscriptionem vero objecti, objectiva sententia præcipue, et causalis, necnon modalis et temporalis sententia.

1. ATTRIBUTIVA SENTENTIA, RELATIVA SENTENTIA.

§ 264. 1) Pronomen relativum *saei* (ὅς, ὅστις, ὅς ἄν, ὅσος) substantivo, quod stricte determinat, in numero et genere congruit; excipiuntur tamen collectiva de quibus § 209 3) dictum est, et ubi relativum ad plura substantiva refertur, valet quod § 209 4) *b*) præcepimus; quoad autem casum, is adhiberi debet, quem verbum sententiæ relativæ regit (excepto casu attractionis § 266): Skeir. VII, a *ist magula her, saei habaiþ · e· hlaibans barizeinans jah tvans fiskans*; Luc. VIII, 2 *vesun miþ iesua qinons, þozei vesun galeikinodos sauhts, jah marja, sei haitana vas magdalene, us þizuei usiddjedun unhulþons sibun*; Mc. XI, 21 *smakkabagms þanei fraqast, gaþaursnoda*; XII, 20 *in þize gavalidane, þanzei gavalida, gamaurgida þans dagans*; VII, 13 *ni blauþjaiþ vaurd guþs anabusnai izvarai, þoei anafulhuþ*; Skeir. IV, d *afguda haifsts sabailliaus jah markailliaus, þatei ainana ananaþidedun qiþan attan jah sunu*; Col. II, 23 *bi anabusnim jah laiseinim manne þoei sind sveþauh vaurd habandona handugeins*; Cor. I, XVI, 19 *goleiþ izvis akvila jah priska, at þaimei jah salja*; Rom. IX, 23 *gakannida guþ gabein vulþaus seinis bi kasam armaions, þoei* (grammatice relatum) *fauragamanvida du vulþau, þanzei* (ad synesim relatum) *jah laþoda uns*; Skeir VIII, c *so managei þatei ni kunnun vitod*; Thess. II, III, 17 *so goleins meinai handau, þatei* (scilicet salutatio mea manu Pauli, qui) *ist bandvo ana allaim aipistauleim meinaim*; Luc. V, 3 *galaiþ in ain þize skipe, þatei* (πλοῖον ὅ) *vas seimonis*; IX, 50 *ni ainshun ist manne, saei* (Vulg. nemo est qui) etc.

« Annotatio 1. — Aliquando relativum non equidem substantivo, ad quod refertur, sed prædicato relativæ sententiæ in genere congruit : Mc. XV, 42 *vas paraskaive, saei ist fruma* (scilicet *dags*) *sabbato*; Eph. VI, 17 *nimaiþ meki ahmins, þatei ist vaurd guþs*. Quamvis Gothus Joan. XV, 26 *þan qimiþ parakletus, þanei ik sandja izvis, ahman sunjos*, etc., correcte interpretatus fuerit, attamen dubium est, an *ahman* ut appositionem ad relativam senten-

Digitized by Google

tiam, loco ad *parakletus* habuerit, græco neutro πνεῦμα occasionem præbente. In conspicuo loco Tim. I, III, 16 Gothus *unsahtaba mikils* (?) *ist gagudeins runa, saei gabairhtiþs varþ in leika*, cum optimis codicibus (probabiliter, vid. ad h. l.) legit. Si autem aliquando neutrum sing. ad plura præcedentia objecta refertur, ut Col. II, 16 sq. *ni manna izvis bidomjai in mata aiþþau in dragka, aiþþau in dailai dagis dulþais aiþþau fulliþe aiþþau sabbaþum, þatei ist skadus þize anavairþane*, hoc fit more græco, neutro singulari loco pluralis usurpato, vid. § 196, annot. 7.

« Annotatio 2. — Sententia relativa inter attributum et substantivum includitur: Luc. I, 4 *melja þus ei gakunnais þize, bi þoei galaisiþs is, vaurde astaþ*. Quandoque etiam sententia relativa nomini, ad quod refertur, præmittitur: Joan XVIII, 9 *þanzei atgaf mis alla, ni fraqistida ize ainummehun;* Rom. VII, 15 *þatei haija, þata tauja;* et tum oppositio, si qua est, in casu relativi flectitur: Mc. VI, 16 *þammei ik haubid afmaimait, iohanne, sa ist, sah urrais us dauþaim;* Joan. V, 37 *saei sandida mik, atta, sah veitvodeiþ bi mik;* XII, 49; vel hoc deficit: Joan. XVII, 3 *so ist so aiveino libains, ei kunneina þuk ainana sunja guþ jah þane insandides, iesu xristn;* vel ex præcedentibus supplendum est: Col. IV, 16 *soei* (vid. ad h. l.) *is us laudeikaion, jus ussiggvaid*, scilicet epistolam; vel post relativam sententiam etiam demonstrativum adducendum est: Joan. X, 25 *vaurstva, þoei ik tauja in namin attins meinis, þo veitvodjand bi mik;* Cor. I, VII, 20 *warjizuh in laþonai, in þizaiei laþoþs vas, in þizai sijai;* Joan. XII, 48; XIV, 10; XVIII, 11; coll. § 202 II, 2) *a*).

« Annotatio 3. — Necnon subjectum et objectum ut relativa sententia exprimi possunt: Mc. IX, 31 *saei allis* (ὃς ἄν) *gadragkjai izvis stikla vatins in namin meinamma ni fraqisteiþ mizdon seinai*, vid. § 203 1) *b*) et § 205 annot. 10, ubi peculiariter doc tur, quomodo ὃς ἄν gothice vertatur.

« Annotatio 4. — Post relativum communiter indicativus usurpatur, conjunctivus autem tantummodo *a*) in sententiis negativis: Mc. IV, 22 *nih allis ist wa fulginis, þatei ni gabairhtjaidau*; Luc. IX, 50 *ni ainshun ist manne, saei ni gavaurkjai maht in namin meinamma;* XVIII, 29 etc.; vel *b*) post interrogativum: Cor. II, XII, 13 *wa ist, þize vanai veseiþ?* etc.; vel *c*) ubi sententia relativa subjectum est sententiæ principalis (annot. 3), ut Mc. IV, 9 *saei habai* (ὁ ἔχων) *ausona hausjandona, gahausjai;* Luc. III, 11, 13; Cor. II, II, 2. Sed haud illegitime indicativus et conjunctivus promiscue usurpantur, ut Mth. V, 31 sq. *wazuh saei afletai qen — wazuh saei afletiþ qen —*; Thess. II, III, 3 *triggvs frauja, saei gatulgeiþ izvis jah galausjai izvis af þamma ubilin*, in posteriori autem loco conjunctivus eo magis decet, quod Græcus futurum adhibuerit, quod per indicativum et conjunctivum verti posse jam vidimus, § 182, I. In circumscriptione Col. II, 22 *þairh þatei is brukjaidau* (quo id adhibeatur) pro τῇ ἀποχρήσει, de romano influxu conjiciendum est; item etiam Col. I, 10 *all þatei galeikai* (πᾶσα ἀρίσκεια). »

2) Præter relativum supradictum *saei* occurrunt etiam ut relativa:

a) *Sah*, quod, quemadmodum *saei* ex pronomine demonstrativo *sa* et particula relativa *ei*, ita ex *sa* et enclitico -*uh* (isque) formatur, vid. § 202, II, 1) *b*);

b) Particula relativa *ei* et *izei*, vid. § 203 3) *b*);

c) Ubi relativum ad pronomem personale refertur, loco hujus relativi personale repetitur cum *ei* affixo ex. gr. *ik, ikei* etc., vid. § 203, 2,

« Annotatio 5.— Dicitur econtra Joan. VIII, 40 *sokeiþ mik usqiman, mannan izei sunja izvis rodida*, ubi *izei* ad appositionem *mannan* refertur, cum, propter primam personam *rodida* (λελάληκα), proprie *ikei*, ad *mik* relatum, adesse deberet. »

d) Cum *saei* commutantur etiam *ei* et *þei* post indefinitum *wazuh* et ipsius composita, vid. § 205, annot. 10;

e) Relativum adverbium *sve* (sicut): Mc. 4, 72 *gamunda þaitrus þata vaurd, sve* (ὡς) *qaþ imma iesus*

f) Huc adducenda sunt etiam correlativa: *wileiks — svaleiks* qualis — talis et ordinario absolute occurrens *svaleiks* quidam — *svaleiks sve* qualis; *svalauds* tam, tantum — *svalauds sve* quam, quantum; *sva filu* tantum — *sva filu sve* quantum; *sva manags — sva manags sve* tam — quam, vid. Gloss. hh. vv.; ὁσάκις, ὅσος et οἷος complete semper cum demonstrativo præcedente: *sva ufta ves* (tam sæpe quam), *sva laggs sve* (tam longum, quam, tantum, quantum), *sva managai sve* (tot, quot), *sva filu sve, svaleiks sve* (οἷος): Cor. I, XI, 25 *þata vaurkjaiþ, sva ufta sve drigkaiþ, du meinai gamundai;* Mc. II, 19 *sva lagga weila sve* (ὅσον χρόνον) *miþ sis haband bruþfad, ni magun fastan;* III, 10 *sva managai sve* (ὅσοι) *habaidedun vunduſnjos, þaih þan ina gasewun, drusun du imma;* 28; VI, 11, 30, 36; IX, 3, 13; X, 21; XIII, 19; Luc. IV, 20; IX, 5, 10; Joan. VI, 11, etc.

§ 205. Quemadmodum germanice (gallice, latine, etc.) participium Græcum in verbum finitum cum relativo aliquando resolvi potest, ita et gothice quandoque contingit, sæpe præsertim cum *saei*: Mth. VI, 4 *atta þeins saei saiwiþ* (ὁ βλέπων) *in fulhsnja usgibiþ þus in bairhtein;* XXVII, 17 *wana vileiþ ei fraletau izvis, barraban þau iesu saei haitada* (Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον) *xristus?* Mc. V, 15, *gasaiwand fraþjandan þana saei habaida* (τὸν ἐσχηκότα) *laigaion;* XV, 41 *anþaros managos þozei miþiddjedun* (αἱ συναναβᾶσαι) *imma in iairusalem;* Col. I, 23 *ni afvagidai af venai aivaggeljons sei merida ist* (τοῦ κηρυχθέντος) *in alla gaskaft;* Thess. I, II, 14 *þata samo vunnuþ fram izvaraim inkunjam svasve jah veis fram iudaium þaiei jah fraujin usqemun* (τῶν ἀποκτεινάντων) *iesua* etc.; apud Joannem et in epistolis etiam alia relativa adhibentur: Joan. XVIII, 26 *qaþ sums þize skalke þis maistins gudjins, sah niþjis vas* (συγγενὴς ὤν), *þammei afmaimait paitrus auso;* XII, 4 *qaþ iudas simonis iskariotes, izei skaftida sik* (ὁ μέλλων)

Digitized by Google

du galevjan ïna; XI, 37; XVI, 2; XIX, 12; Cor. I, XV, 27, 57; II, V, 21; VIII, 16; Gal. I, 1; VI, 13; Eph. I, 3; Tim. I, I, 16; et ubi ad personalia pronomina modo § 264, 2) *c)* descripto refertur : Rom. XIV, 4 *þu was ïs þuei stojis* (ὁ κρίνων) *framaþjana skalk?* Eph. II, 13 *nu sai ïn xristau ïesu jus juzei simle vesuþ* (ὑμεῖς οἱ — ὄντες) *fairra vaurþuþ newa ïn bloþa xristaus;* Thess. I, II, 13 *vaurd guþs vaurkeiþ ïn ïzvis juzei galaubeiþ* (ὑμῖν τοῖς πιστεύουσι); Tim. I, I, 13 *galaubjandan mik gahugida xristus gasatjands ïn andbahtja ïkei faura vas* (τὸν — ὄντα) *vajamerjands.* Circumscriptione utitur etiam Gothus, ubi participium subjectum est vel objectum, ut Mc. V, 16 *spillodedun ïm þaiei gasewun* (οἱ ἰδόντες); X, 32 *ïesus dugann þaim twalif siponjam qiþan þoei habaidedun* (τὰ μέλλοντα) *ïnq gadaban.*

« Annotatio 1. — Eo etiam modo nomina circumscribuntur, ut Col. I, 10, *πᾶσα ἀρίσκεια all þatei galeikai.* Hic etiam interrogativum loco relativi ponitur : Col. IV, 8 *ïnsandida ïna du ïzvis ei kannjai wa bi ïzvis ïst* (τὰ περὶ ὑμῶν); Eph. VI, 21, 22.

« Annotatio 2. — Vice versa participium et circumscriptio inter se commutantur : Joan. VI, 45 *wasuh sa gahausjands* (ὁ ἀκούσας) *at attin jah ganam* (μαθών) *gaggiþ du mis;* Cor. II, II, 2 *was ïst saei gailjai mik niba sa gaurida us mis?* Luc. III, 11; Joan. X, 1, 2; Cor. II, X, 17, 18.

« Annotatio 3. — Rom. IX, 20 *þu was ïs ei andvaurdjais* (ὁ ἀνταποκρινόμενος) *guþa* simplex *ei* adest pro *þuei.* »

ATTRACTIO.

§ 266. Attractio in eo consistit, quod sive vocabulum e sententia subordinata in principalem efficaciter retroferatur, sive vocabulum sententiæ subordinatæ eodem modo ac aliud principalis sententiæ construatur, sive tandem vocabulum sententiæ principalis ab alio subordinatæ sententiæ absorbeatur, hoc absorpti constructionem tunc assumente. Jam vero his constructionibus, quas primitive forsan e Græco mutuatus est, Gothus etiam sponte sua utitur.

1) Subjectum subordinatæ sententiæ fit objectum principalis : Mc. XI, 32 *allai habaidedun ïohannen þatei bi sunjai praufetes vas,* de Joanne credebant, quod prophetа esset, pro credebant Joannem esse —; Joan. VII, 27 *þana kunnum, waþro ïst;* IX, 8, 29; XIV, 19; XVIII, 2; Mc. XII, 34; Cor. I, XVI, 15; II, XIII, 5; Cor. II, VII, 11 *saiw þata bi guþ saurgan ïzvis, welauda gatavida ïzvis usdaudein.* Coll. Joan. IX, 19 *sau ïst sunus ïzvar, þanei qiþiþ þatei blindis gabaurans vaurþi;* VIII, 54.

2) Relativum vocabulo, ad quod refertur, in casu convenit : Luc. II, 20 *hazidedun guþ ïn allaize, þizeei* (ἐπὶ πᾶσιν οἷς) *gahausidedun* de omnibus, quæ (quibus *þoei*) audiebant; XIX, 37 *hazidedun guþ ïn allaize þoze sewun mahte* (περὶ πασῶν ὧν εἶδον δυνάμεων), ut III, 19; Cor. II, XIII, 10 *þata aljaþro melja ei andvairþs harduba ni taujau bi valdufnja, þammei* (κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν) *frauja fragaf mis.*

3) Demonstrativum omnino deficit et relativum, quod ad illud refertur, ejus casum assumit et substantivum demonstrativi sibi postponi jubet : Mc. VI, 22 *bidei mik þiswizuh þei* (ὃ ἐάν) *vileis jah giba þus,* ora me quod tu vis, pro : hoc, quod vis; XV, 12 *wa vileiþ ei taujau þammei* (ὅν) *qiþiþ þiudan ïudaie;* Luc. IX, 36 *mann ni gataihun ni vaiht þizei* (ὧν) *gasewun;* Joan. VI, 29 *þat-ïst vaurstw guþs ei galaubjaiþ þammei* (εἰς ὃν) *ïnsandida jains;* Cor. II, XII, 17 *ïþai þairh wann þizeei* (ὧν) *ïnsandida du ïzvis, bifaihoda ïzvis?* Col. III, 2 *þaimei ïupa sind* (τὰ ἄνω) *fraþjaiþ ni þaim þoei ana airþai sind* (ubi attractio et regularis constructio commutantur); Mc. VII, 7 *duwe þai siponjos þeinai ni gaggand bi þammei anafulhun þai sinistans* (κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων); Luc. III, 13 *ni vaiht ufarþatei garaid sijai* (παρὰ τὸ διατεταγμένον) *ïzvis lausjaiþ;* VI, 34 *leiwid fram þaimei* (παρ' ὧν) *veneid andniman;* XVII, 27 *ïtun jah drugkan und þanei dag* (ἀχρὶ ἧς ἡμέρας) *galaiþ nauel ïn arka;* Joan. XI, 6 *salida ïn þammei vas stada* (ἐν ᾧ ἦν τόπῳ); Cor. I, IV, 6; XI, 23; II, II, 3; VIII, 11; XII, 6; Tim. II, III, 14; Philem. 21.

« Annotatio 1. — Gothus tamen attractionem quandoque non imitatur : *a)* Mc. XIII, 19 *fram anastodeinai gaskaftais, þoei* (κτίσεως ἧς) *gaskop guþ;* Luc. XV, 16 *gairnida sad ïtan haurne, þoei* (κεράτιον ὧν) *matidedun sveina;* Joan. XV, 20 *gamuneiþ þis vaurdis, þatei* (τοῦ λόγου οὗ) *ïk qaþ du ïzvis;* XVII, 5 *hauhei mik þamma vulþau, þanei* (τῇ δόξῃ ᾗ) *habaida at þus faurþizei sa fairwus vesi;* Cor. II, I, 4 *gaþrafstjam þans þairh þo gaþlaiht, þizaiei* (διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς) *gaþrafstidai sijum silbans fram guþa;* Eph. II, 4, 10; Col. I, 23; Thess. II, I, 4; Tim. II, I, 13; Neh. V, 14 *fram þamma daga ei* (ἀπὸ ἡμέρας ἧς); *b)* Joan. XVII, 9 *bidja bi þans, þanzei* (περὶ ὧν) *atgaft mis;* Luc. I, 20 *stjais þahands jah ni magands rodjan und þaña dag ei* (ἄχρι ἧς ἡμέρας) *vairþai þata, duþe ei* (propter quod, ἀνθ' ὧν) *ni galaubides vaurdam meinaim;* XVII, 30 *þamma daga ei* (ᾗ ἡμέρᾳ):

« Annotatio 2. — Nec nisi raro attractionem *in versam* dictam imitatur, ubi scilicet subjectum sententiæ principalis in casu relativi ponitur : Mc. XII, 10 et Luc. XVII, 20 λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν—οὗτος vertit per *stains þammei usvaurpun þai timrjans, sah varþ du haubida vaihstins* : Cor. I, X, 16 τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν οὐχὶ κοινωνία, per *hlaifs þanei brikam, niu gamainduþs leikis?* Eo etiam modo nonnulli (*Winer* p. 485) locum Luc. I, 72 sq. explicant, ubi Gothus μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ, ὅρκον ὃν ὤμοσε κτλ. vertit : *gamunan triggvos veihaizos seinaizos. aiþis þanei svor,* attractione iterum vitata.

« Annotatio 3. — Hæc species attractionis, qua impersonale principalis sententiæ, ut cum subjecto subordinatæ sententiæ concordet, in personale commutatur, præcipue φάνερον et δῆλον εἶναι, etiam gothice usurpari potest, licet constructio cum impersonali linguæ propria sit; sic Cor. II, III, 3 φανερού-

Digitized by Google

μενοι ὅτι ἐστὶ ἐπιστολὴ Χριστοῦ, dum evidens est, quod estis —, gothice vertitur more germanico, *svikunþ þatei sijuþ aipistaule xristaus*, codice tamen A *svikunþai þatei sijuþ*, secundum græcum legente. Hæc autem attractio frequentior est pro δοναῖν reddendo, ut Cor. I subscript. *du kaurinþium frumei þugkeiþ meliþa visan us asiai* pro videtur, quod prior ad Corinthios ex Asia scripta fuerit (prior ad Corinthios scripta fuisse videtur etc.), item Cor. II, x, 9; Gal. II, 9; Skeir. I, c; IV, c; VI, a, dum hic sæpe impersonale, videtur mihi, pro videor, adhibetur (ut Mth. VI, 7; Luc. XIX, 11, Cor. II, XII, 19; Gal. II, 2), quod tamen huc non pertinet. Sic etiam Luc. III, 23 *svaei sunus munds vas iosefis* ex fonte latino (ut putatus est) redditur. Econtra hæc attractionis species regulariter usurpatur ut linguæ gothicæ idiotismus cum *skulds visan* et *mahts visan*, ita ut pro oportet ut ego, possibile est, ut tu etc., dicatur: cogor ad —, potes etc., vid. § 176, annot. 4 *d*). »

2. OBJECTIVA SENTENTIA.

§ 267. Quatuor objectivæ determinationes simplicis sententiæ per sententias proprias principaliter circumscribuntur: scilicet propriam objectum, quod casibus obliquis exprimitur, causalis, modalis et temporalis.

A. OBJECTIVA SENTENTIA in stricto sensu seu ACCUSATIVA (etiam DATIVA et GENITIVA) SENTENTIA.

§ 268. Hic tres discriminandi sunt casus pro variis respectibus actionis principalis ad objectum subordinatæ sententiæ. Vel enim hoc objectum nullam fere intimam connexionem (relationem) habet, ita ut sit simpliciter objectum actionis verbo principalis sententiæ expressæ; vel in actione ipsa verbi principalis sententiæ rationem sumit, qua existat, unde est *effectus;* vel objectum de quo quæstio est, nondum existit, sed actione principalis sententiæ producendum est, et ab agente intenditur (finis) [1]. Jam vero ad effectum referendus est casus, ubi objectum ut consequentia cujusdam gradus, mensuræ, extensionisque actionis exhibetur (consecutio), ad finem vero casus, ubi peculiariter exprimitur, quod agens intendit (*scopus*). Ubi autem verba principalis sententiæ in passivo construuntur, objectiva sententia evadit subjectiva

§ 269. Quod ad *consecutionem temporum* in illis sententiis spectat, hoc animadvertendum est:

1) Tempus subordinatæ sententiæ ita cum tempore principalis sententiæ concordat, ut ubi præsens vel præteritum in principali usurpatur, conjunctivus præsentis vel præteriti in subordinata adhibeantur: Joan. XVII, 15 *ni bidja þuk, ei usnimais ins us þamma fairweu, ak ei bairgais im faura þamma unsleiþin;* Luc. VII, 30 *baþ ina sums fareisaie, ei matidedi miþ imma;* Mc. VI, 25 *viljau, ei mis gibais haubid iohannis;* IX, 30 *ni vilda, ei weis vissedi;* Joan. XI, 31 *gagyiþ du klaiwa, ei greitai jainar;* 19 *gaqemun bi marþan jah marjan, ei gaþrafstidedeina izos bi broþar izo;* Tim. I, v, 20 *fravaurhtans in andvairþja allaize gasak, ei jah þai anþarai agis habaina;* Phil. I, 22 *wa þau valjau, ni kann;* Luc. XVIII, 36 *frah, wa vesi þata.*

2) Cum passivo nullum sit præteritum, vel in hujus locum præsens subditur, vel forma periphrastica in præterito ponitur: Rom. VIII, 4 *gavargida fravaurht in leika, ei garaihtei vitodis us fulljaidau in uns;* Cor. I, I, 17 *ni insandida mik xristus daupjan ak vailamerjan, ni in sunjreins vaurdis, ei ni lausjaidau galga xristaus;* II, VII, 9; XI, 7 etc.; Luc. II, 3 *iddjedun allai, ei melidai vesaina* (ἀπογράφεσθαι) *warjizuh in seinai baurg;* Eph. III, 10 *mis aigibana varþ ansts so in þiudom vailamerjan gabein xristaus, ei kanniþ vesi* (γνωρισθῇ) *reikjam jah valdufnjau handugei guþs;* Thess. I, III, 1 etc.

3) Cum Gothus unicum habeat præteritum, hoc in sententia subordinata etiam ut perfectum adhibet, ubi præsens adest in principali: Joan. IX, 19 *sa ist sa sunus izwar þanei qiþiþ, þatei blinds gabaurans vaurþi* (natus sit)? Cor. II, XI, 21 *bi unsveriþai qiþa sve þatei veis siukai veseima* (infirmus); Gal. IV, 11 *eg, ibai swaer arbaididedjau* (laboraverim) in izwis.

4) Ubi præteritum in sententia principali perfecti significationem præ se fert, sequitur in subordinata præsens, cum rem venturam esse enuntiatur: Mc. IX, 12 *gameliþ-ist bi sunu mans, ei manag sinnai jah frakunþs vairþai;* XII, 19 *moses gamelida* (scripsit, scriptum adhuc valet) *þatei jabai wis broþar gadauþnai jah bileiþai qenai jah barne ni bileiþai, ei nimai broþar is þo qen is;* Cor. I, IX, 27 *allaim vas* (γέγονα) *all, ei waiva sumans ganasjau;* II, I, 9; XII, 7 etc.

Alias autem, in versione epistolarum præsertim, post præteritum in principali sententia præsens in subordinata usurpatur, ubi sensus objectivus est (quando scilicet aliquid faciendum esse declaratur), præterito eum subjectivum efficiente (cum dicitur, rem evenire posse, potuisse); in græco autem textu, cum in N. T. non nisi rarissime occurrat optativus, hic semper conjunctivus apparet: Joan. IX, 22 *gaqeþun sis iudaieis, ei jabai was ina andhaihaiti xristu, utana synagogais vairþai* extra synagogam fiat, expellatur (γένηται); Luc. XVI, 4 *andþahta mik wa taujau* (ποιήσω, quod ego facturus sim); Col. I, 9 *ni weilaidedum faur izwis bidjandans ei fullnaiþ* (πληρωθῆτε) *kunþjis viljins is;* Luc. I, 4 *galeikaida mis þus meljan, ei gakunnais* (ἐπιγνῷς discas, docendus sis) *þize vaurde astaþ;* Skeir. I, d *leik man andnam, ei laisereis uns vairþai þizos du guþa garaihteins;* Thess.

[1] Aliis verbis vel objectum est simpliciter *regimen* verbi principalis sententiæ, vel *effectus* actionis vel *finis* actionis. *Interpr.*

Digitized by Google

I, III, 2 *insandidedum teimauþaiu ei izvis gatulgjai jah bidjai* (εἰς τὸ στηρίξαι καὶ παρακαλέσαι) *bi galaubein izvara*; Rom. IX, 11; XI, 32; Cor. II, I, 4; II, 3-5, 9; IV, 4; V, 15; Gal. II, 5, 10, 16, 19; Eph. I, 4; II, 7, 9, 10; VI, 22; Phil. II, 28; Col. IV, 8[1]; Thess. I, II, 16; V, 10; Tim. I, I, 5; Philem. 15; Skeir. V, a.

Econtra Cor. II, I, 13 *þizai trauainai vilda faurþis qiman at izvis, ei anþara anst habaidedeiþ* (ἔχητε, habeatis, habere possitis); III, 13 *moses tagida hulistr ana andavleizn duþe ei ni fairveitidedeina* (videre possint) *sunjus israelis in andi þis galaurnandins*; Thess. II, III, 8 *ni arvjo hlaiþ matidedum at wamma ak vinnandans arbaidai naht jah dag vaurkjandans, ei ni kauridedeima* (gravare possimus) *wana izwara*; Eph. IV, 10 *usstaig ufar allans himinans, ei usfullidedi allata*; Cor. II, IX, 3; Gal. I, 4; II, 4; IV, 3, 4; Eph. II, 15, 16; V, 26, 27; Phil. II, 30; Tim. I, I, 16; Philem. 13 etc. Hinc alterius ad Corinthios epistolæ interpres dixit V, 21 *xristus faur uns gatavida fravaurht, ei veis vaurþeima* (fieri possent) *garaihtei guþs in imma*; econtra 8, 9 *in izvara gaunledida sik, ei jus þamma is unledja gabeigai vairþaiþ* (fieri deberent). Hinc Cor. I, IX, 21 *varþ iudaium sve judaius ei judaiuns gageigaidedjau — ei gageiggau vitodalausans — gageiggau* incorrectum est, ut partim præterita præcedentia et sequentia, partim glossa marginalis (*gavandidedjau*) probant.

5) Græcum vero tantummodo imitatur Gothus, cum in oratione obliqua et in indirecta interrogatione post præteritum principalis sententiæ præsens subordinatæ hic in conjunctivo, illic in indicativo usurpat: Mc. I, 27 *sokidedun miþ sis misso qiþandans, wa sijai* (ἐστί) *þata*; Luc. VIII, 9 *frehun ina siponjos is qiþandans, wo sijai* (εἴη? ἦν?) *so gajuko*; Mc. II, 1 *gafrehun, þatei in garda ist* (ἐστί, esset); Joan. XII, 9; Mc. XVI, 4 *insaiwandeins gaunidedun þammei afvalviþs ist* (ἀποκεκύλισται) *sa stains*; Joan. XVIII, 14 *kajafa garaginoda iudaium, þatei batizo ist ainana mannan fraqistjan faur managein.*

§ 270. 1. 1) Ubi subordinata sententia intimam connexionem cum actione principalis non habet, sed cum eo non nisi exterius conjungitur, ut res ita se habet post verba sensuum, dicendi, cogitandi, eorum RELATIO communiter per *þatei*, raro autem per *ei* et *þei* vel *unte* cum indicativo ostenditur: Mth. V, 21 *hausideduþ þatei qiþan ist þaim airizam· ni maurþrjais*; Skeir. II, c *nasjands þana anavairþan dom is gasaw jah þatei in galaubeinai þeihan habaida*; Mc. XII, 33 *waiva qiþand þai bokarjos, þatei xristus sunus ist daveidis?* Tim. I, I, 15 *triggv þata vaurd þatei xristus qam in þamma fairwau, fravaurhtans nasjan*; Cor. II, I, 12 *woftuli unsara so ist veitvodei miþvisseins unsaraisos, þatei in ainfalþein jah hlutrein guþs usmetum in þamma fairwau*; Thess. I, III, 6 *teimauþaius gatgih uns galaubein izvara jah þatei gāminþi unsar habaiþ goþ*; Luc. XX, 37 *þatei urreisand dauþans jah moses bandvida ana ainastundjai*; Gal. IV, 22 *gameliþ ist þatei abraham tvans aihta sununs*; Cor. I, XI, 23 *andnam at fraujin þatei, in þizaiei naht galevīþs vas, nam hlaif jah aviliudonds gabrak*; Rom. VII, 16 *jabai þatei ni viljau þata tauja, gaqiss im vitoda, þatei goþ* (scilicet ist); Luc. XIX, 42 *gafulgin ist faura augam þeinaim, þatei qimand dagos ana þus jah bigraband fijands þeinai grabai þuk*; Cor. I, XV, 27 *biþe qiþiþ alla ufhnaivida sind, bairht* (scilicet ist) *þatei inu þana ize ufhnaivida uf ina þo alla*; II, III, 3 *svi kunþ* (ist) *þatei sijuþ aipistaule xristaus*; Tim. I, VI, 7 *ni vaiht brahtedum in þamma fairwau, bi sunjai þatei ni usbairan we magum*; Mc. XIII, 28 *þan smakkabagmis asts þlaqus vairþiþ, kunnuþ þatei newa ist asans*; V, 29 *ufkunþa ana leika þatei gahailnoda*; Mth. XXVI, 2 *vituþ þatei afar tvans dagans paska vairþiþ*; Joan. XII, 16 *gamundedun þatei þata was du þamma gameliþ*; VIII, 45 *þatei sunja rodida, ni galaubeiþ mis.* Item post *gatrauan* (Rom. VIII, 38), *ahjan* (Mth. X, 34), *haban* (habere ut, Mth. XI, 32), *domjan* (Cor. II, V. 15), etc., vid. Gloss. v. *þatei a*).

Joan. XIV, 28 *hausideduþ ei ik gaþ izvis*; IX, 17 *þu wa qiþis bi þana ei uslauk þus augona?* XV, 18 *jabai so manaseds izvis fijai, kunneiþ ei mik fruman izvis fijaida*; XVII, 7 *nu ufkunþa ei alla, þoei atgaft mis, at þus sind*; XI, 23 *vait ei þiwah þai bidjis guþ, gibiþ þus guþ*; Thess. II, III, 4 *gatrauam in fraujin ei, þatei anabudum izvis, jah taujiþ*; Cor. II, I, 13 *venja ei und andi ufkunnaiþ*; X, 7 *jabai was gatrauaiþ sik silbun xristaus visan, þata þagkjai aftra af sis silbin ei svasve is xristaus* (scilicet ist), *sva jah veis*; Mc. XI, 23 *þiwazuh ei galaubjai* [*þata*] *ei þatei qiþiþ gagaggiþ, veirþiþ imma.* Hinc ellipticæ formæ: Cor. II, I, 18 *triggs guþ, ei þata vaurd nist ja jah ne*; Gal. I, 20 *sei in andvairþja guþs, ei ni liuga.*

Joan. XIII, 38 *amen qiþa þus, þei hana ni hrukeiþ, unte þu mik afaikis kunnau þrim sinþam*; Mth. VI, 26 *insaiwiþ du fuglam himinis, þei ni saiand nih sneiþand*; Joan. XIII, 35 *bi þamma ufkunnanda allai, þei meinei siponjos sijuþ*; Cor. I, IV, 9 *man þei guþ uns apaustauluns ustaihnida svasve daupubljans*; Luc. I, 58 *hausidedun ganiþjos, unte gamikilida fraujo armahairtein seina bi izai.*

2) *Subjectivam* sententiam formant *þatei* et *ei*, intransitivis in principali existentibus: Mc. II, 16 *wa ist, þatei miþ motarjam jah fravaurhtaim*

[1] Hic menda in textum irrepsit, cum *kunnjai* non sit correcta forma; si levissime emendaveris in *kunniau*, facile supponi potest, Gothum γνῶ (cognoscam) pro γνῷ (cognoscat, novit) legisse, salvo aliunde sensu: ut cognoscam, quid de vobis est, ut vice versa Eph. VI, 22 *ei kunneiþ wa bi ugk ist.*

Digitized by Google

matjiþ jah driggkiþ? elliptice Luc. II, 49 *wa þatei sokideduþ mik?* Joan. IX, 30 *sildaleik ïst, þatei jus ni vituþ, waþro ïst;* Mc. IX, 21 *wan lagg mel ïst, ei þata varþ ïmma?*

« Annotatio 1. — Quod autem in hac subjunctiva sententia Gothus non obliviscatur, *þatei* pronomen esse relativum, ex eo patet, quod, ubi verbum principalis sententiæ dativum regit, *þammei* loco *þatei* adhibeat : Phil. II, 24 *gatraua þammei* (ὅτι) *jah silba sprauto qima;* Mc. XVI, 4 *ïnsaiwandeins gaumidedun þammei afvalviþs ïst sa stains ;* VII, 18 *ni fraþjiþ þammei all þata utaþro ïnngaggando ïn mannan ni mag ïna gamainjan?* Luc. I, 32; XVII, 5 ; Joan. VI, 5; Tim. II, I, 12, necnon etiam post *faginon þammei* Luc. XV, 6 et *niu kara þuk þizei* Mc. IV, 38. Verumtamen, in posteriori præsertim tempore, haud raro *þatei* post *gaumjan* et *fraþjan :* Skeir. VII, d *anþarans gamaudida gaumjan þatei ïs vas sa sama, saei ïn auþidai · mjere attans ïze fodida;* Mc. XII, 12 *froþun þatei du ïm þo gajukon qaþ;* Luc. XX, 19; Joan. VIII, 27; Skeir. VIII; d.

« Annotatio 2. — Suo etiam modo Gothus supradictas particulas commiscet, ubi simul in eadem phrasi occurrunt : Joan. IX, 24, 25 *veis vitum, þatei sa manna fravaurhts ïst. þanuh andhof jains· jabai fravaurhts ïst, ik ni vait, þatain vait, ei blinds vas, ïþ nu saiwa;* Cor. I, XV, 3, 4 *andnam ei xristus gasvalt faur fravaurhtins unsaros jaþ-þatei ganavistroþs vas jaþ-þatei urrais þridjin duga jaþ-þatei ataugids ïst þaim ainlibim;* etiam post diversa verba : Cor. II, XIII, 6 *venja ei* (ὅτι) *kunneiþ, þatei* (ὅτι) *veis ni sijum ungakusanai*, cujus loco cod. B *venja þatei kunneiþ ei* etc., vice versa legit.

« Annotatio 3. — Quod hic quandoque post *þatei* et *ei* etiam conjunctivus usurpetur, vid. § 271; quod autem etiam post hæc verba, loco particularum *þatei* et *ei* infinitivus sequatur, vid. §§ 252, 253. »

§ 271. In *oratione obliqua*, ubi scilicet loquens verba alterius non tanquam sua, sed tanquam suæ cogitationis objectum refert, *þatei* et *ei* cum conjunctivo adhibentur, quo in casu Græcus indicativum usurpat : Joan. IX, 19 *sau ïst sa sunus ïzvar, þanei jus qiþiþ þatei blinds gabaurans vaurþi* (ἐγεννήθη)? X, 36 *qiþiþ þatei vajamerjau* (βλασφημεῖς), *unte qaþ· sunus guþs ïm;* Cor. I, I, 15 *aviliudo guþa ei ainnohun ïzvara ni daupida, ei was ni qiþai, þatei ïn meinamma namin daupidedjau* (ἐβάπτισα); X, 19 *wa nu qiþam? þatei þo galiugaguda wa sijaina* (ἐστιν) *aiþþau þatei galiugan saljada wa sijai?* Skeir. VIII, c *liugandans bigitanda, ei ni ainshun reike aiþþau faureisaie galaubidedi ïmma.*

Hinc etiam Luc. XVI, 1 *manna gabeigs aihta fauragaggjan, jah sa fravrohiþs varþ du ïmma, ei distahtedi* (ὡς διασκορπίζων) *aigin ïs;* Joan. VIII, 56 *abraham siſaida, ei gasewi dag meinana;* Joan. IX, 18 *ni galaubidedun ïudaieis bi ïna, þatei ïs blinds vesi* (ἄν) *jah ussewi* (ἀνέβλεψεν); Skeir. I, b *kunnands þatei svaleikamma valduſnja mahtais nauþs ustaiknida vesi;* Mc. VI, 55 *berun þans ubil habandans, þadei hausidedun ei ïs vesi* (ἐστίν); Luc. XVIII, 9 *trauaidedun sis ei veseina* (εἰσὶν) *garaihtai;* Mth. VI, 7 *þugkeiþ þaim þiudo ei ïn filuvaurdein seinai andhausjaindau* (εἰσακουσθήσονται); V, 17 *ni hugjaiþ ei ïk qemjau* (ἦλθον) *gatairan vitoþ;* Luc. XIX, 11 ; Joan. XI, 13; XII, 18, 34 ; Cor. II, XII, 19 etc.

« Annotatio 1. — Nonnisi præeunte Græco, Gothus præsens indicativi etiam post præteritum principalis sententiæ usurpat, vid. § 269, 5.

« Annotatio 2. — Etiam in oratione recta *þatei* et *ei* adhibentur, sed cum indicativo, præeunte Græco : Mth. XXVII, 43 *qaþ þatei sunus guþs ïm;* Mc. I, 40 *qaþ du ïmma þatei jabai vileis, magt mik gahrainjan;* VI, 16 *herodes qaþ þatei, þammei ïk haubid afmaimait, sa ïst, sah urrais us dauþaim ;* X, 33 *ïesus dugann ïm qiþan, þoei habaidedun ïna gadaban · þatei sai usgaggam ïn ïairusaulyma;* Joan. IX, 9 *sumaih qeþun þatei sa ïst, sumaih þatei galeiks þamma ïst, ïþ ïs qaþ þatei ïk ïm;* Luc. VIII, 20 *gataihan varþ ïmma þatei aiþei þeina jah broþrjus þeinai standand uta;* Joan. XIII, 33 *qaþ du ïudaium, ei, þadei ïk gagga, jus ni maguþ qiman;* Mth. VII, 23; XXVI, 72; Mc. II, 1; XII, 7; XIV, 72; Luc. IV, 21 ; XV, 27 ; XIX, 42 etc. In Mth. V, 31 *qiþan ïst þatei, wazuh saei qen afletai, gibai ïzai afstassais bokos*, conjunctivus pro imperativo (δότω) ponitur.

« Annotatio 3. — Huic constructioni τοῦ *þatei* conferri possunt casus, ubi loca Veteris Testamenti similibus particulis mediantibus citantur : Rom. IX, 17 *qiþiþ þata gamelido du faraoni, unte* (ὅτι) *raisida þuk;* X, 9.

« Annotatio 4. — Quandoque Gothus hic etiam constructionem immutat, *þatei* ante orationem priori vice adhibito, altera prætermisso : Luc. IX, 8 *qeþun sumai þatei ïohannes urrais us dauþaim, sumai þan qeþun· helias ataugida sik. sumaiþ-þan þatei praufetus sums usstoþ;* Joan. VII, 12 *sumaih qeþun þatei sunjeins ïst, anþarai qeþun· ne, ak airzeiþ þo managein.*

« Annotatio 5. — Ubi sententia incidens (parenthetica) inter particulam citationis et principalem sententiam orationis inducitur, particula respondens post parenthesim repetitur : Joan. XIII, 29 *sumai mundedun ei, unte arka habaida ïudas, þatei qeþi ïmma ïesus· bugei;* Cor. II, V, 1 *vitum þatei, jabai airþeina unsara gards þisos hleiþros gatairada, ei gatimrjon us guþa habam gard.* »

§ 272. Quemadmodum hæ sententiæ cum *þatei, ei* etc., ut objectum vel subjectum, ita etiam ut appositio in sententiis *explicativis* seu *epexegeticis* usurpari possunt : Luc. II, 10 *spillo ïzvis faheid mikila, sei vairþiþ allai managein, þatei* (quod scilicet) *gabaurans ïst ïzvis himma daga nasjands;* Joan. V, 36 *þo vaurstva, þoei ïk tauja, veitvodjand bi mik, þatei atta mik sandida ;* Cor. II, VIII, 2 *kannja ïzvis anst guþs þo gibanon ïn aikklesjon makidonais, þatei þata diupo unledi ïze*

Digitized by Google

usmanagnoda du gabein ainfalþeins ize; 9; x, 11 *þata þagkjai sa svaleiks, þatei wileikai sium saurda svaleikai jah vaurstva*; Luc. vii, 39 *sa iþ vesi praufetus, uſkunþedi þau, wo jah wileika so qino, sei tekiþ imma, þatei fravaurhta ist*; Rom. x, 9 *vaurd galaubeinais, þatei merjam, þei — ganisis*. Pro *þatei* occurrit etiam *unte* (coll. § 278) : Cor. II, xi, 7 *ibai fravaurhi tavida mik silban haunjands, ei jus ushauhjaindau, unte arvjo guþs aivaggeljon merida izvis*; Luc. viii, 30 *wa ist namo þsin? þaruh qaþ· harjis, unte unhulþons managos galiþun in ina*.

Joan. xvi, 17 *wa ist þata þatei qiþiþ unsis?* Mc. I, 27 *sokidedun miþ sis, wa sijai þata, wo so laiseino so niujo, ei jah ahmam þaim unhrainjam anabiudiþ jah uſhausjand imma*; vi, 2; Luc. iv, 36; Luc. i, 43 *waþro mis þata, ei qemi aiþei fraujins meinis at mis*, ubi *ei qemi* pro *ei* vel *þatei qimiþ*, ob nimiam imitationem græci ἵνα ἔλθῃ, quod etiam nonnisi pro τὸ ἐλθεῖν vel ὅτι ἦλθε stare potest, dicitur, sicut etiam Joan. vi, 29 *þat-ist vaurstv guþs, ei galaubjaiþ þammei insandida guþ*; 50 *sa ist hlaifs, saei us himina atstaig, ei saei þis matjai ni gadauþnai*; xv, 13; xvii, 3.

§ 273. 1) Huc pertinent etiam *indirectæ interrogationes*, quæ verbum in conjunctivo communiter, in indicativo quoque, ubi scilicet per præteritum interrogatur, habere possunt: Mth. vi, 25 *ni maurnaiþ saivalai izvarai, wa matjaiþ* (φάγητε) *jah wa drigkaiþ* (πίνητε), *nih leika izvaramma, we vasjaiþ* (ἐνδύσησθε); Luc. viii, 9 *frehun siponjos, wa sijai* (εἴη) *so gajuko*; Mc. i. 27; Joan. xvi, 18; Luc. xv, 26 *frah, wa vesi þata*; xix, 48 *ni bigetun, wa gatavidedeina* (ποιήσωσιν); xix, 15; Luc. i, 29 *þahta sis mariam, weleika vesi* (εἴη) *so goleins*; ix, 46 *galaiþ mitons in ins, warjis þau ize maists vesi* (εἴη); Col. iv, 6 *vaurd izvar sinteino in anstai salta gasuqoþ siai, ei viteiþ, waiva skuleiþ* (δεῖ ὑμᾶς) *aiwarjammeh andhafjan*; Mth. viii, 20 *sunus mans ni habaiþ, war haubiþ sein anaknaivjai* (κλίνῃ); Cor. II, xiii, 5 *izvis silbans fraisiþ, sijaidu* (ἐστέ) *in galaubeinai*; ii, 9; Mc. x, 2; xv, 36; Luc. xiv, 28; xv, 44 *peilatus hundafaþ frah, ei iesus juþan gadauþnodedi* (ἀπέθανε); Phil. iii, 12 *afargagga ei gafahau* (καταλάβω), *in þammei gafahans varþ fram xristau*; Luc. vi, 7 *vitaidedun, jau in sabbato daga leikinodedi* (θεραπεύει); iii, 15 *þuhtedun allai in hairtam seinaim bi iohannein, niu auſto sa vesi* (εἴη) *xristus*; Phil. i, 22 *wa þau* (quo alias gr. ἄν vertitur) *valjau, ni kann*.

Joan. viii, 14 *vait, waþro qam* (ἦλθον) *jah waþ galeiþa* (ὑπάγω), *iþ jus ni vitu þ, waþro qima* (ἔρχομαι) *jah waþ galeiþa*; Eph. i, 18 *guþ gibai izvis ahman handugeins, ei viteiþ, wa ist* (ἐστίν) *vens laþonais*; Joan. vi, 64 *vissa iesus, warjai sind* (εἰσίν) *þai ni galaubjandans jah was ist saei galeiveiþ ina*; ix, 15 *frehun ina, waiva ussaw* (ἀνέβλεψεν); 21 *waiva nu saiwiþ, ni vitum, aiþþau was uslauk imma þo augona, veis ni vitum*; Cor. II, i, 17 *mito ibai auſto leihtis bruhta* (ἐχρησάμην); Gal. iii, 2; Eph. vi, 22. Indicativus et conjunctivus promiscue usurpantur apud Joan. vii, 17 *uſkunnaiþ bi þo laisein, framuh guþa sijai* (ἐστίν) *þau iku fram mis silbin rodja* (λαλῶ).

« Annotatio. — Particula interrogativa etiam prætermitti potest : Mc. iii, 2 *vitaidedun, hailidedi* (*εἰ θεραπεύσει*) *sabbato daga*; vel in principali sententia supplenda est : Mc. xi, 13 *atiddja* (scilicet quæsivit, inspexit) *ei auſto bigeti* (*εἰ ἄρα εὑρήσει*, ut forte inveniret) *wa ana ina*. Econtrario Luc. xviii, 8 *sunus mans qimands biugitai galaubein* directam interrogationem præbet, an forte inveniet. — Pro *ei* adhibetur etiam *jabai*; Joan, ix, 25 *jabai fravaurhts ist, ik ni vait*. »

2) Inter casus interrogationis indirectæ illi gothice memorandi sunt, in quibus est *vereor ne*, quippe cum subordinata sententia per interrogativum *ibai* vel *ibai auſto* cum conjunctivo ad principalem connectatur : Cor. II, xii, 20 *og ibai auſto* (μήπως) *qimands ni svaleikans sve viljau bigitau izvis jah ik bigitaidau izvis svaleiks sve ni vileiþ mik. ibai* (μή) *aftra qimandan mik guþ gahaunjai at izvis jah qaino managans þize faura fravaurkjandane*; Gal. iv, 11 *og izvis, ibai svare arbaididedjau in izvis*; Cor. II, xi, 3 *og ibai auſto riurja vairþaina, fraþja izvara af ainfalþein*.

Cum *ogan* subaudito : Mth. xxvii, 64 *hait vitan hlaiva* (timemus enim) *ibai auſto* (μήποτε) *siponjos is binimaina imma jah qiþaina· urrais*; Mc. ii, 21 *ni manna plat fanins niujis siujiþ ana snagan fairnjana* (timere debet), *ibai afnimai fullon af þamma sa niuja*; 22; Luc. xiv, 29; Rom. xi, 21; Cor. II, xii, 6; Tim. I, iii, 6 etc.

Hinc etiam Cor. II, viii, 20 *gateviþs miþ gasinþam uns bivandjandam þata, ibai was uns fairinodedi*; Gal. ii, 2 *þuhta im, ibai svare rinnau aiþþau runnjau*; vi, 1 *atsaiw þuk silban, ibai jah þu fraisaizau*; v, 15 *saiwiþ, ibai fram izvis misso fraqimaindau*.

§ 274. II. Effectus, qui per accusativum cum infinitivo alias redditur (§ 253, 4; coll. § 252, 6), etiam per *ei* exprimi potest, scilicet :

1) Cum conjunctivo post *taujan, galaujan* et *biuhti ist* : Joan. xi, 37 *niu mahta iesus galaujan, ei jah sa ni gaþaudnodedi?* Col. iv, 16 *taujaiþ, ei so aipistaule in laudeikaion aikklesjon usasigyvaidau jah þoei ist us laudeikaion jus ussigvaid*; Joan. xviii, 39 *ist biuhti izvis, ei ainana izvis fraletau in pasxa*.

2) Cum indicativo post *varþ*; Joan. xiv, 22 *wa varþ ei unsis munais gabairhtjan þuk silban, iþ þizai manasedai ni?* Luc. vi, 12 *varþ in dagam þaim, ei usiddja iesus in fairguni bidjan*; viii, 1 *varþ biþe, ei jah is vratoda and baurgs jah haimos*.

« Annotatio 1. — Post *varþ* loco subordinatæ sententiæ etiam copulativa, apud Lucam præsertim, sequitur : v, 17 *varþ in ainamma daga jah* (καί) *is vas laisjands*; viii, 22 *varþ in ainamma þize dage*

Digitized by Google

jah is galaiþ; II, 15 *varþ biþe galiþun fairra im þai aggiljus, jah þai hairþjos qeþun du sis misso;* V, 12, 35; IX, 51; XVII, 11, et etiam Neh. VI, 16 et Mth. IX, 10. Vel subordinata sententia sine particula connectitur principali : Mth. XXVI, 1 *varþ, biþe ustauh Iesus alla þo vaurda, qaþ siponjam seinaim;* Mc. I, 9; Luc. I, 59.

« Annotatio 2. — Mc. X, 38 habet *magutsu driggkan stikl, þauei ik driggka, jah daupeinai, þizaiei ik daupjada, ei daupjaindau*, sive quia Gothus constructionem aliam adhibere voluit, sive forsan quia infinitivo passivi indigebat. »

§ 275. Consecutio, *ita ut* exprimitur

1) Per simplex *ei* cum indicativo præteriti vel conjunctivo præsentis : Joan. IX, 2 *was fravaurhta? sa þau fadrein is, ei blinds gabaurans varþ;* Rom. VII, 3 *jabai gasviltiþ vair, qens frija ist þis vitodis, ei ni sijai* (τοῦ μὴ εἶναι) *harinaudei vaurþana abin anþaramma;* Cor. I, IX, 24 *sva rinnaiþ, ei garinnaiþ,*

2) Ordinario per *swaei*, vel *swe* (ὥστε), et equidem

a) Cum indicativo : Gal. II, 13 *miþlitidedun imma Iudaieis, swaei barnabes miþgatauhans varþ þizai likai ize;* Thess. II, I, 5 *managniþ friaþva in izwis wisso, swaei weis silbans in izwis wopam;* Mc. I, 27; II, 28; Rom. XIII, 2; Cor. II, V, 16, 17; Gal. IV, 7 etc., ubi sæpius in coordinans *inde, hinc* significatione transit; Luc. V, 6, 7 *galukun managein fiske filu swe natja dishnaupnodedun ize. jah gafulidedun ba þo skipa swe suggqun;*

« Annotatio. — In Gal. IV, 16 ὥστε per *iþ swe* redditur, unde Gothum ὡς τε legisse conjicitur; *iþ* etiam Joan. VI, 18 pro τε usurpat. »

2) *Formæ* commutantur : Luc. I, 1, 2 *managai dugunnun meljan insaht bi þos gafullaveisidons in uns vaihtins, svasve anafulhun unsis, þaiei silbasiunjos vesun ;* Cor. I, XIII, 7 *allata þulaiþ, allata galaubeiþ, all veneiþ, all gabeidiþ ;* Mc. XI, 29 sq. *fraihna izvis ainis vaurdis jah andhafjiþ mis · daupeins iohannis uzuh himina vas þau uzuh mannam ? andhafeiþ mis ?* Imo etiam vocalica et consonantica formæ adjectivi et participii passivi, quarum tamen quæque ex certis tantum regulis alias occurrit, ut Rom. IX, 2 *saurga mis ist mikila jah unweilo aglo ;* Luc. I, 28 *fagino anstai audahafta, frauja miþ þus, þiuþido þu in qinom ;* V, 31 *ni þaurbun hailai leikeis ak þai unhailans;* Skeir. I, a *nasjands ni ibna nih galeiks unsarai garaihteiñ vas ;* V, d *ni ibnon ak galeika sveriþa usgiban,* coll. tamen de ultimis locis § 196, annot. 3.

« Annotatio 2. — Huc vero non adducendi sunt casus ut Mth. VI, 30 *þata havi haiþjos himma daga visando jah gistradagis in auhn galagiþ guþ vasjiþ,* sum participium activi, ubi neutrum est, non aliam nisi consonanticam formam inducre potest, vid. § 103. »

3) *Vocabula diversæ declinationis, formationis* et *speciei :* Joan. XVIII, 28 *tauhun iesu fram kajafin in praitorianin* (πραιτώριον), *þanuh vas maurgins, iþ eis ni iddjedun in praitoria* (πραιτώριον); 16, sq. *qaþ dauravardai* (θυρωρῷ, a *dauravarda*) *jah attauh inn paitru . þaruh qaþ jaina þivi, so dauravardo* (θυρωρός) etc.; Mth. X, 41 *sa andnimands praufetu in namin praufetaus* (προφήτου) *mizdon praufetis* (προφήτου) *nimiþ ;* Luc. VI, 38 *mitads* (μέτρου) *goda jah ufarfulla gibada in barm izvarana . þizai auk samon mitadjon* (μέτρῳ, a *mitadjo*) etc.; Joan. XIX, 2, 5 *gadrauhteis usvundun vippja* (στέφανον, a *vippja*) *us þaurnum. — usiddja iesus bairands þana þaurneinan vaip* (στέφανον, a *vaips*); Cor. II, III, 7, 13 *ni mahtedun fairveitjan du vlitis* (πρόςωπον, a *vlits*) *mosezis. — moses tagida hulistr ana andavleizn* (πρόςωπον, ab *andavleizns*); Joan. XV, 6 sq. *niba saei visiþ* (μείνῃ) *— aþþan jabai sijuþ* (μείνητε, casus animadversu dignissimus, quippe cum ambobus verbis infinitivum *visan* commune sit, utrisque vero diverso flexis forma anomala proprie tantum copula evadit, vid. § 134, 5 et annot.); Luc. II, 12, 16 *bigitid barn galagid* (κείμενον, jam positum) *in uzetin ;* Cor. I, XIII, 8 *friaþva aiv ni gadriusiþ iþ jaþþe praufetja gatairanda* (καταργηθήσονται), *jaþþe razdos gaweiland, jaþþe kunþi gataurniþ* (καταργηθήσεται); Luc. X, 9, 11 *atnewida ana iwis þiudangardi guþs. — atnewida sik* etc.; Cor. I, X, 23 *all binah* (ἔξεστιν), *akei ni all daug . all mis binauht ist* (ἔξεστιν), *akei ni all timreiþ*; Luc. VI, 36 *vairþaid bleiþjandans* (οἰκτίρμονες), *svasve jah atta izvar bleiþs* (οἰκτίρμων) *ist ;* Joan. VII, 4, 10 *ni manna in analaugnein* (ἐν κρυπτῷ), coll. § 242, annot. 1) *a*); Luc. XIX, 17, 19 *sijais valdufni habands ufar* (ἐπάνω, præpos.) *taihun baurgim. — sijais ufaro* (ἐπάνω, adverb.) *fimf baurgim ;* Mth. V, 18 *und þatei* (ἕως ἄν) *allata vairþiþ ;*

Digitized by Google

VII, 29 *vas ïesus laisjands sve* (ὡς) *valdufni haband-jah ni svasve* (ὡς) *bokarjos*; Mc. I, 22; coll. Mc. V, *h ufta eisarnam bi fotuns gabugganaim* (πέδαις) *jah naudibandjom eisarnaihaim gabundans vas jah galausida af is þos naudibandjos jah þo ana fotum eisarna* (πέδας) *gabrak*; Luc. VII, 41 simul leguntur *dulgis skuld* (debitor) et *dulgahaitja* (creditor.).

4) *a*) *Composita* et *simplicia* promiscue usurpantur: Joan. XVII, 25 *manaseþs þuk ni ufkunþa* (ἔγνω) *iþ ik þuk kunþa* (ἔγνων) *jah þai ufkunþedun* (ἔγνωσαν), *þatei þu mik insandides*; IX, 31 *vitum, þatei guþ fravaurhtaim ni andhauseiþ* (ἀκούει), *ak jabai was guþhlostreis ist, þamma hauseiþ* (ἀκούει); XIX, 6; Rom. XV, 4; Cor. I, XV, 48 sq.; Luc. X, 24 *managai vildedum saiwan, þatei jus saiwiþ, jah ni gasewun, jah hausjan, þatei gahausidedun, jah ni hausidedun*; Joan. IX, 7 *qaþ du þamma blindin gagg þvahan* (νίψαι) *in swumsl siloamis, galaiþ jah afþvoh* (ἐνίψατο); Mth. V, 23 sq., 27 sq.; Mc. III, 24 sqq.; Luc. XIV, 11; XIX, 24 et 26; Cor. I, IV, 7.

« Annotatio 3. — Adest tamen apud Mth. V, 17, 19 *galairan* pro λύειν et καταλεύειν etc. »

b) *Diversa composita* inter se mutantur: pro ἀπογράφεσθαι Luc. II, 1, 3, 5 *gameljan — meljan — anameljan*; pro εὐφραίνεσθαι Luc. XV, 23, 24, 29, 32 *vaila visan — visum — bivisan — vaila visan*; pro καρεστάναι Mc. XIV, 69 sq. *faurastandan* et *atstandan*; pro ἀφιέναι Luc. VII, 47 *fraletan* et *afletan*.

5) *Synonyma* vocabula commutantur, nempe:

a) Nomina: Joan. IX, 22 sq. *þata qeþun þai fadrein* (γονεῖς) *is — duh þe þai berusjos* (γονεῖς) *is qeþun*; Luc. IX, 60 *let þans dauþans* (νεκρούς) *usfilhan seinans navins* (νεκρούς); XVII, 33 *saei sokeiþ saivala seina ganasjan, fraqisteiþ izai* (αὐτήν), *jah saei fraqisteiþ izai in meina, ganasjiþ þo* (αὐτήν); X, 26 *þaruh* (ὁ δέ) *qaþ du imma in vitoda wa gameliþ ist? iþ is* (ὁ δέ) *andhafjands qaþ* etc.; Mc. IX, 37 *saei* (ὃς ἐάν) *ain þize svaleikaize barne andnimiþ ana namin meinamma, mik andnimiþ, jah sawazuh saei* (ὃς ἐάν) etc.; X, 43 sq. *sawazuh saei vili vairþan mikils in izvis, sijai izwar andbahts, jah saei vili* etc.; Mth. V, 32 *wazuh saei — sa ize*; Joan. VI, 64 *vissa ïesus, warjai sind þai ni galaubjandans* (τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες) *jah was ist saei galeiveiþ* (τίς ἐστὶν ὁ παραδώσων) *ina*; Eph. I, 18 *ei viteiþ, wa* (τίς) *ist vens laþonais is, wileika* (τίς) *gabei vulþaus arbjis is*. Coll. § 203, annot. 2.

« Annotatio 4. — Mth. IX, 32 sq. *atberun imma mannan baudana daimonari, jah biþe usdribans varþ unhulþo; rodida sa dumba*, quamvis Græcus bis κωφόν habeat, *bauds* tamen hic de muto intelligi nequit, sed probabiliter Gothus cum pluribus versionibus surdum vel mutum et surdum in suo codice legit. »

b) Verba: Mth. VI, 2, 5 *andnemun* (receperunt, ἀπέχουσι) *mizdon seina. — haband iz* (habent, ἀπέχουσι) *mizdon seina*; Luc. XIX, 31, 34 *frauja þis gairneiþ* (χρείαν ἔχει). — *fraujin þaurfts þis ist* (χρείαν ἔχει); Joan. VII, 28 *mik kunnuþ* (οἴδατε) *jah viteiþ* (οἴδατε), *waþro im*; IX, 29; XVI, 27 sq. *galaubideduþ, þatei ik fram guþa urrann* (ἐξῆλθον). *uzuhiddja* (ἐξῆλθον) *fram attin*; Rom. X, 13 sq. *wazuh saei anahaitiþ bidui* (ἐπικαλέσηται) *namo fraujins, gamisiþ. waiva nu bidjand* (ἐπικαλέσωνται), *þammei ni galaubjand?* XI, 22 sq. *ana þu stibin, jabai þairhvisis* (ἐπιμενῃς), *aþþan* (? *aiþþau*) *jah þu usmaitaza. jah jainai niba gatulgjand eis* (ἐπιμείνωσι), *in ungalaubeinai intrusgjanda*; Cor. I, XV, 5 sq. *xristus ataugids ist* (ὤφθη) *kefin, þaþroh þan gasaiwans ist* (ὤφθη) *managizam þan fiskundam þaþroh þan ataugida sik* (ὤφθη) *iakobau*; 50 *leik jah bloþ þiudinassu guþs ganiman* (κληρονομῆσαι) *ni magun nih riurei unriureins arbjo vairþiþ* (κληρονομεῖ); II, VII, 9 *fagino, ni unte gavridai vesuþ* (ἐλυπήθητε), *ak unte gavridai vesuþ du idreigai, saurgaidedun* (ἐλυπήθητε) *auk bi guþ* etc.; Mth. XXVI, 70, 72, 75 *paitrus laugnida* (ἠρνήσατο) — *jah aftra laugnida* (ἠρνήσατο) — *faur þamma hruk þrim sinþam afaikis* (ἀπαρνήσῃ) *mik*; pro ista codicis ambrosiani lectione codex argentens in utroque loco (deficit enim prius) legit *afaitaik — afaikis*; Luc. V, 27, 28 *laistei afar mis* (ἀκολούθει μοι) — *iddja afar imma* (ἠκολούθησεν αὐτῷ), ubi de *iddja* in margine *laistida* glossatur.

c) Particulæ: Luc. IX, 51. 53 *gatulgida gaggan in* (εἰς) *iairusalem. — andvairþi is vas gaggando du* (εἰς) *iairusalem*; Cor. II, IX, 13 *mikiljan guþ ana ufhauseinai* (ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ) *andahaitis in aivaggeljon jah in ainfalþein* (ἁπλότητι) etc.; Skeir. VII, c *ni ana þaim hlaibam ainaim mahtals filusna ustaiknida ak jah in þaim fiskam*; Mc. IV, 21 *ibai lukarn qimiþ, duþe ei uf* (ὑπό) *melan satjaidau aiþþau undar* (ὑπό) *ligr?* Joan. VII, 22 *moses atgaf izvis bimaiþ, ni þatei fram* (ἐκ) *mose sijai, ak us* (ἐκ) *attam*; Mc. IX, 19 sq. *bairiþ ina du* (πρός) *mis. jah brahtedun ina at* (πρός) *imma*; Luc. XV, 29 *sva filu jere skalkinoda þus jah ni wanhun* (οὐδέποτε) *anabusn þeina ufariddja, jah mis ni aiv* (οὐδέποτε) *atgaft gaitein*; Cor. I, VII, 16 *wa nu kannt, ei* (ὅτι) *aban ganasjais, aiþþau wa kannt, þatei* (ὅτι) *qen þeina ganasjais?* Mc. IX, 11 *qeþun, unte* (ὅτι) *qiþand bokarjos, þatei* (ὅτι) *helias skuli qiman*; Joan. X, 36; Luc. XV, 6, 9 *faginoþ þammei* (ὅτι) — *faginoþ unte* (ὅτι); Mc. IV, 5, 6 *in þizei ni habaida* (διὰ τὸ μὴ ἔχειν) *diupaizos airþos. — unte ni habaida* (διὰ τὸ μὴ ἔχειν) *vaurtins*; Luc. X, 20 *þamma ni faginoþ, ei* (ὅτι) *ahmans izvis ufhausjand, iþ faginod, in þammei* (ὅτι) *namna izvara gamelida sind in himinam*; Joan. XIV, 28 *jabai frijodedeiþ mik, aiþþau jus faginodeiþ, ei* (ὅτι) *ik gagga du attin, unte* (ὅτι) etc.; XIII, 34 *anabusn niuja giba izvis, ei* (ἵνα) *frijoþ izvis misso sve ik frijoda izvis. þei* (ἵνα) *jah jus friþoþ misso izvis*; Luc. XIV, 10 *þan* (ὅταν) *haitaizau, anakumbei ana þamma aftumistin stada, ei biþe* (ὅταν) *qimai* etc.; Joan. XVI, 21; Joan. VIII, 21 — 25 pro οὖν *þanuh — þan — nu — þaruh* leguntur.

« Annotatio 5. — E contrario, quò concinnitas

Digitized by Google

major efficiatur, eadem pothica vocabula, licet alia synonyma præsto sint, usurpantur, non solum ubi eadem vocabula Græcus adhibuit, ex gr. Mth. v, 25 *sijais vaila hugjands andastauīn þeinamma sprauto, und þatei* is *in viga miþ imma, ibai wan atgibai þuk sa andastaua stauīn jah sa staua þuk atgibai andbahta* etc.; sed etiam ubi diversa admisit: Mth. vii, 17 *sa ubila* (σαπρὸν) *bagms akrana ubila* (πονηρούς) *gataujiþ*; Sic etiam contraria ἀγαθόν — κακόν gothice *þiuþ* — *unþiuþ* redduntur: Rom. ix, 11; xii, 21; Cor. II, v, 11, et consequenter Mc. iii, 4 ἀγαθοποιεῖν — κακοποιεῖν *þiuþ taujan* — *unþiuþ taujan*. Item Mth. vii, 25, 27 *bistigqan* pro προσπίπτειν et προσκόπτειν; xi, 7 sq. *saiwan* pro θεάσασθαι et ἰδεῖν; Luc. vii, 24 sq.; Mc. i, 20 sq. *galeiþan* pro ἀπέρχεσθαι et εἰσπορεύεσθαι; Luc. viii, 22 pro διέρχεσθαι et ἀναφέρεσθαι; Mc. v, 4 sq. *urreisan* pro ἐγείρεσθαι et ἀνιστάναι; xii, 19 *bileiþan* pro καταλείπειν et ἀφιέναι; xiv, 68, 71 *afaikan* pro ἀρνεῖσθαι et ἀναθεματίζειν; Luc. vi, 41 *gaumjan* pro βλέπειν et κατανοεῖν; vii, 41 *qaþ* et *qiþ* pro φησί et εἰπέ; Joan. vi, 53 sq. *matjan* pro φαγεῖν et τρώγειν; xii, 40, 47 *ganasjan* pro ἰᾶσθαι et σώζειν; Rom. vii, 15 *taujan* pro πράττειν et ποιεῖν; xiii, 4 (sed vii, 19 adest *vaurkjan — taujan*); Cor. I, iv, 5 *galiuhtjan* pro φωτίζειν et φανεροῦν; II, v, 16 *kunnan* pro εἰδέναι et γινώσκειν; xiii, 7 *þugkjan* pro φαίνεσθαι et εἶναι; Mc. i, 2 *faura* pro πρὸ προσώπου et ἔμπροσθεν; 9 *qam* ïesus *fram* (ἀπό) *nazaraiþ jah daupiþs vas fram* (ὑπό) ïohanne; v, 19 *gagg du* (εἰς) *garda þeinamma du* (πρός) *þeinaim*; xii, 26 *niu gakunnaideduþ ana* (ἐν) *bokom mosezis ana* (ἐπί) *aiwatundjai?* Joan. vi, 21 *ana* pro ἐπί et εἰς; vii, 42 *us* pro ἐκ et ἀπό; Cor. II, x, 13 sq. *und* pro ἄχρι et εἰς; vi, 14 sqq. *wo dailo garaihtein miþ ungaraihtein* (ἀνομίᾳ scilicet μετὰ ἀνομίας), *aiþþau wo gamainduþe liuhada miþ riqiza* (πρὸς σκότος), *wouh þan samaqisse xristau miþ* (πρός) *bailiama*, *aiþþau wo daile galaubjandin miþ* (μετὰ) *ungalaubjandin*, *wouh þan samaqisse alhs guþs miþ* (μετά) *galiugam?* Cor. II, iv, 10 sq. *sinteino* pro πάντοτε et ἀεί; Joan xvi, 30 *ni vitum, ei* (ὅτι) *þu kant alla jah ni þarft, ei* (ἵνα) *þuk was fraihnai*; vii, 39 *ahman skuldedun niman þai galaubjandans du* im. *unte* (γάρ) *ni nauhþanuh vas ahma sa veiha ana* im. *unte* (ὅτι) ïesus *nauhþanuh ni hauhiþs vas*; Cor. II, ix, 2. Item Cor. II, xi, 18 sq. *unte* pro ἐπεί et γάρ; Mc. x, 42 ïþ pro δέ et καί; Joan. ix, 41 pro εἰ et δέ; xi, 20 pro οὖν et δέ; xii, 8 pro γάρ et δέ; Luc. xviii, 11 *svasve* pro ὥσπερ et ὡς; Joan. vi, 20 sq. *þaruh* pro δέ et οὖν; Mc. i, 32 *þan* pro δέ et ὅτε, etc. »

6) Mutatio proprie grammaticalis, seu *variatio sermonis* in constructione mutanda consistit. Jam vero duplici modo sermo variatur, prout scilicet constructionis mutatio ad nomen vel ad verbum refertur.

a) Mutatio constructionis ad nomen relata. Sic

aa) *Genus* substantivi mutatur, ut Cor. II, v, 1 *jabai airþeina unsara gards* (fem. ἡ οἰκία) *þizos hleiþros gataurada, ei gatimrjon us gupa habam gard unhanduvaurhtana aiveinana* (masc. οἰκίαν) *in himinam*, et hæc mutatio cum collectivis solemnis est, ut Mth. ix, 8 *gasaiwandeins þan manageins ohtedun sildalēikjandans*;

bb) *Numerus* substantivi mutatur: Mth. viii, 14 *svaihro paitraus lag in keitom — jah aflailot ija so keito* (coll. tamen § 192, 2); Luc. x, 25 sq. *audaga augona, þoei saiwand, þoei* (plur., ἅ) *jus saiwiþ. — managai vildedun saiwan, þatei* (sing., ἅ) *jus saiwiþ, jah ni gasewun*; Mc. xiv, 13, 15 *gaggats in þo baurg jah gamoteiþ igqis* (dual., ὑμῖν) *manna. — jah sa izvis* (plur., ὑμῖν) *taikneiþ kelikn*; præcipue autem

cc) *Casus* substantivi mutantur: Luc. xvii, 27, 29 *midjasveipains fraqistida allans. — rignida svibla jah sunin jah fraqistida allaim*; Cor. I, vii, 10 sq. *þaim liugom haftam anabiuda, qenai* sairra *abin ni skaidan — jah aban qen ni fraletan*; Luc. ii, 46 sq. *bigetun ina hausjandan im — usgeisnodedun allai þai hausjandans is*; Joan. xv, 19 *jabai þis fairwaus veseiþ, aiþþau so manaseds svesans frijodedi. aþþan unte us þamma fairwau ni sijuþ* etc.; Cor. II, ii, 16; Cor. II, vi, 15 *wo samaqisse xristau* (χριστῷ) *miþ bailiama — wo samaqisse alhs* (ναῷ) *guþs miþ galiugam?* Mc. i, 6 ïohannes *gavasiþs vas taglam* (τρίχας) *ulbandaus jah gairda* (ζώνην) *filleina bi hup seinana*; Eph. vi, 14 sq. *standaiþ usgaurdanai hupins* (τὴν ὀσφῦν) *izvarans sunjai — gaskohai fotum* (τοὺς πόδας) *in manviþai aivaggeljons*. Item commutantur Luc. vii, 21 post *gahailjan* genitivus et *af* cum dativo, Luc. iii, 16 post *daupjan* instrumentalis et *in* cum dativo, Cor. II, xii, 21 post *idreigon* causalis (genitivus) et *ana* cum dativo, partitivus et alii pro constructione casus Mc. xii, 28; iv, 5 sq.; xiv, 17; Luc. x, 4; x, 5 et 8; i, 7 et 18 post *framaldrs* genitivus et *in* cum dativo, iv, 25 ad determinandum tempus accusativus et *du* cum dativo, etc.

« Annotatio 6. — Econtra Luc. i, 55 *rodida du abrahama jah fraiv is*, hoc *fraiv* falsum est pro *fraiva*, quippe cum neque *du* eo modo, neque *rodjan* cum accusativo construatur. »

b) Mutatio constructionis ad verbum relata. Hic mutata occurrunt

aa) *Numerus*, ex. gr.: Luc. xix, 30 *gaggats — bigitats* (dual.) — *attiuhiþ* (plur.); Mc. xiv, 14 sq.; Joan. vii, 20 *andhof so managei jah qeþun*; insuper

bb) *Tempus*, ex. gr.: Cor. I, vii, 22 *saei in fraujin haitans ist* (κληθείς) *skalks, fraletsfraujins ist, samaleiko saei freis haitada* (κληθείς), et præcipue præteritum et præsens historicum, vid. § 180, 3). Huc etiam referendus est Cor. I, ix, 20 et 22 ubi *varþ* et *vas* pro ἐγενόμην ponitur; de *hauhiþs varþ* et *hauhiþs ist* Joan. xiii, 21 pro ἐδοξάσθη vid. § 181, annot.; præsertim

cc) *Modus*, nempe a) Imperativus et conjunctivus: Mc. vii, 14 *hauseiþ* (ἀκούστε) *mis allai jah fraþjaiþ* (συνίετε); Joan. x, 37; β) Indicativus et con-

Digitized by Google

junctivus pro futuro : Luc. I, 31 *ganimis* (συλλήψῃ) *in kilþein jah gabairis* (τέξῃ) *sunu jah haitais* (καλέσεις) *namo is iesu*, vid. § 182, annot. 1; in indirectis interrogationibus : Joan. XII, 5 *duwe þata balsan ni frabauht vas* (ἐπράθη) *jah fradiliþ vesi* (ἐδόθη) *þarbam?* Cor. I, IX, 7; post *jabai* : Joan. XII, 26 *jabai mis was andbahtjai* (διακονῇ), *mik laistjai.—jah jabai was mis andbahtiþ* (διακονῇ), *sveraiþ ina atta;* VIII, 51 sq.; post *ibai :* Mc. II, 22 *ni manna giutiþ vein juggata in balgins fairnjans, ibai aufto distairai* (ῥήσσει) *vein þata niujo þans balgins jah vein usgut-niþ* (ἐκχεῖται) *jah þai balgeis fraqistnand* (ἀπολοῦνται); Mth. V, 25; Luc. XIV, 12; Joan. III, 4; post *ei waiva :* Rom. XI, 14 *andbahti mein mikilja, ei waiva in aljana brigga* (παραζηλώσω) *leik mein jah ganasjau* (σώσω) *sumans us im;* post relativum : Mc. V, 19 *saei gatairiþ* (ὃς ἐὰν λύσῃ) *aina anabusne þizo minnistono jah laisjai* (διδάξῃ) *sva, sah mikils haitada in þiudangardjai himine*, vs. 31 et 32; γ) Imperativus et infinitivus post mandatum : Luc. IX, 3 *qaþ du im· ni vaiht nimaiþ in vig, nih valuns nih matibalg, nih hlaib nih skattans, nih þan tveihnos paidos haban*, coll. Cor. I, IV, 9, 11 et etiam sæpe ubi ex oratione recta in obliquam transitur, vid. § 271, annot. 3; δ) Infinitivus et participium post verba dicendi, vid. § 253, annot. 3; ε) Participium cum *sa* et verbum finitum cum *saei* : Joan. X, 1 *saei inn ni atgaggiþ* (ὁ μὴ εἰσερχόμενος) *þairh daur—iþ sa inngaggands* (ὁ εἰσερχόμενος) etc.: Luc. III, 11 *sa habands* (ὁ ἔχων) *tvos paidos, gibai þamma unhabandin, jah saei habai* (ὁ ἔχων) *matins samaleiko taujai* etc.;

αά) *Genus* verbi mutatur : Rom. X, 10 *hairto galaubeiþ* (gr. καρδίᾳ πιστεύεται) *du garaihtiþai, iþ munda andhaitada* (gr. στόματι ὁμολογεῖται) *du ganistai.*

7) Necnon et oratio ex finali sententia in copulativam transit : Luc. VI, 36 *ni stojid, ei ni stojaindau, ni afdomjaid jah ni afdomjanda;* Joan. XVI, 17 *leitil ei ni saiwiþ mik jah aftra leitil jah saiwiþ mik;* ex infinitivo et gerundio in finalem sententiam : Mc. X, 38 *magutsu driggkan stikl, þanei ik driggka, jah daupeinai, þizaiei ik daupjada, ei daupjaindau* (ita probabiliter, quia Gotho infinitivus passivi non erat, hinc etiam Joan. III, 4 *ibai mag manna in vamba aiþeins aftra galeiþan jag-gabairaidau?*); Mc. III, 14 *iesus gavaurhta tvalif du visan miþ sis jah ei insandidedi ins merjan*, vid §§ 276, annot. 7 et 274, annot. 2; vel infinitivus (ut supinum) cum præpositione respondente commutatur : Mc. X, 45 *sunus mans ni qam at andbahtjam ak andbahtjan* (διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι), penuria infinitivi pass. hoc forsan exigente.

8) Necnon et vocabulorum positio etiam mutatur, ex. gr. : Joan. VIII, 32 et 36 *sunja frijans izvis briggiþ—jabai nu sunus izvis frijans briggiþ;* reflexivi cum *silba :* Cor. II, XIII, 5 *izvis silbans fraisiþ. silbans izvis kauseiþ* (§ 200, annot. 4); pronominis demonstrativi ante et post substantivum, ut Mc. VIII, 12 *þata kuni taikn sokeiþ — jabai gibaidau kunja þamma taikne.*

CONJUGATIO VOCABULORUM.

§ 287. Dum Gothus ne similia vocabula proxime concurrant, diligenter cavere studet (§ 286), amat tamen in eadem sententia, quod vocabulum ejusdem est stirpis atque verbum regens, ut objectum usurpare. Atqui vocabula e simili radice orta, dicuntur *conjugata*, et iste loquendi modus, *conjugatio verborum* [1].

Jam vero hanc loquendi rationem Gothus cum Græco aliquando communem habet : Mth. VI, 19 *huzdjaiþ huzda* (θησαυρίζετε θησαυρούς); Mc. IV, 41 *ohtedun sis agis mikil* vel Luc. II, 9 *ohtedun agisa* (φοβεῖσθαι φόβον); Mc. VII, 7 *svare mik blotand laisjandans laiseinins* (διδάσκοντες διδασκαλίας); XIV, 6 *goþ vaurstv vaurhta* (ἔργον εἰργάσατο) *bi mis*, Joan. VI, 28; Mc. XV, 26 *vas ufarmeli ufarmeliþ* (ἐπιγραφὴ ἐπιγεγραμμένη); Joan. VII, 24 *þo garaihton staua stojaiþ* (κρίσιν κρίνατε); Cor. II, VIII, 24 *ustaiknein friaþvos ustaiknjan* (ἔνδειξιν ἐνδείκνυσθαι); Eph. IV, 8 *usstêigands in hauhiþa ushanþ hunþ* (ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν); Mc. IX, 49 *warjatoh hunsle salta saltada* (ἁλὶ ἁλισθήσεται); Luc. VII, 29 *miotarjôs garaihtana domideaun guþ ufdaupidai daupeinai* (βαπτισθέντες βάπτισμα) *iohannis;* Joan. XII, 33 *þata qaþ bandvjanas, wileikamma daupau skulda gadauþnan* (θανάτῳ ἀποθνήσκειν); Eph. V, 19 *fullnaiþ in ahmin saggvim ahmeinaim siggvandans* (ᾠδαῖς ᾄδοντες); Col. II, 19 *leik vakseiþ du vahstau* (αὐξάνει αὔξησιν) *guþs*, vid. insuper Joan. VI, 28; Rom. IX, 32; Cor. I, XVI, 10; II, VII, 13; XI, 2; Eph. I, 3; Tim. I, I, 18; II, I, 9; Skeir. IV, d. Coll. Eph. I, 21 *gasatida ina ufaro allaize namne namnidaize* ὀνόματος ὀνομαζομένου); Mth. V, 35 *fotubaurd fotive* (ὑποπόδιον ποδῶν); Eph. I, 23 *fullo þis ufarfulljandins* (πλήρωμα πληρουμένου).

Sæpe etiam hanc conjugationem sponte sua adhibet : Mth. V, 43 *fiais fiand* (μισήσεις ἐχθρόν) *þeinana;* IX, 35 *bitauh iesus baurgs allos jah haimos hailjands alla unhailja* (θεραπεύων μαλακίαν); Mc. VII, 35 *andbundnoda bandi* (ἐλύθη δεσμός) *tuggons is;* Joan. VIII, 41 *taujiþ toja* (ποιεῖτε ἔργα) *attins izvaris;* Tim. II, IV, 5 *vaurstv vaurkei* (ἔργον ποίησον) *aivaggelistins;* Cor. I, X, 3 *allai þana saman mat ahmeinan matidedun* (βρῶμα — ἔφαγον) *jah þata samo dragk ahmeino drugkun* (πόμα — ἔπιον); Gal. II, 8 cod. A marg. *vaurstveig vaurkta;* Eph. III, 4 *mageiþ fraþjan frodein* (νοῆσαι σύνεσιν) *meinai in runai xristaus;* Mc. VII, 10 *saei ubil qiþai attin seinamma, daupau afdauþjaidau* θανάτῳ τελευτάτω); Luc. IV, 40 *siukans sauhtim*

[1] Cic. Top. 3. *Conjugata* dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem, ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia, hæc verborum conjugatio συζυγία dicitur.

Digitized by Google

(ἀσθενοῦντας νόσοις) *missaleikaim brahtedun at imma*; Cor. II, x,. 2 *bidjam ei ni andvairþs gatrauau trauainai* (θαρρῆσαι τῇ πεποιθήσει); Luc. XIX, 43 *bigraband fijands þeinai grabai* (περιβαλοῦσι χάρακα) *þuk*; Joan. XIX, 2 *vastjai paurpurodai gavasidedun* (ἱμάτιον — περιβαλον) *ina*; Luc. VII, 25; VIII, 27; Mc. VII, 30 *bigat þo dauhtar ligandein ana ligra* (βεβλημένην ἐπὶ κλίνης); Tim. I, II, 9 *qinons in gafeteinai hrainjai fetjandans sik* (ἐν καταστολῇ κοσμεῖν). Coll. Cor. I, XIII, 1 *klismo klismjandei* (κύμβαλον ἀλαλάζον); Joan. VII, 31 *managai þizos manageins* (πολλοὶ τοῦ ὄχλου); Luc. XVIII, 12 *afdailja taihundon dail* (ἀποδεκατῶ).

Item in relativa sententia, ubi relativum objectum est: Mc. XIII, 19 sq. *vairþand dagos jainai aglo svaleika sve ni vas fram anastodeinai gaskafstais, þoei gaskop* (κτίσεως ἧς ἔκτισε) *guþ. in þize gavalidane, þanzei gavalida* (ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο) *gamaurgida þans dagans*; Joan. XVII, 26 *kannja, ei friaþva, þoei frijodes* (ἀγάπη ἣν ἀγάπησας) *mik*, in *im sijai*, pro quo Eph. II, 4 *in þizai frijoda* ponitur; Eph. I, 6 *du hazeinai anstais seinaizos, in þizaiei ansteigs vas* (χάριτος ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν) *uns*, vid. insuper Cor. II, X, 13; Eph. IV, 1; Coll. Mc. XII, 23 *in þizai usstassai, þan usstandand* (ἐν τῇ ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι).

« Annotatio. — Quandoque tamen hæc loquendi ratio etiam non adhibetur, ubi Græcus eam usurpavit: Mc. II, 4 *andhulidedun hrot* (ἀπεστέγασαν στέγην); Luc. II, 8 *vitan vahtvom* (φυλάττειν φυλακάς); VI, 48 *timrjan razn* (οἰκοδομεῖν οἰκίαν); Cor. II, XII, 4 *unqeþja vaurda* (ἄῤῥητα ῥήματα); Mc. IV, 30 *in wileikai gajukon gabairam* (ἐν τίνι παραβολῇ παραβάλλομεν)? ubi conjugatio non erat linguæ possibilis; erat vero apud Mc. III, 28 ubi tamen *naiteinos sva managos sve vajamerjand*; Cor. I, X, 16 *þiuþiqissais þanei gaveiham*; XI, 2 *svasve anafalh, anabusnins*; II, VII, 7 *gaþlaihtai þizaiei gaþrafstiþs vas*, ubi *vajamereins* pro *naiteinos*, *gaþiuþjam* pro *gaveiham*, *anafilha* pro *auabusnins*, *gaþrafsteinai* pro *gaþlaihtai* dici potuissent. »

VOCABULORUM CONSTRUCTIO[1].

§ 288. Relative ad *constructionem vocabulorum*, gothicus sermo ea gaudet licentia, qua in genere gaudent linguæ, quarum nomina flecti potestatem habent; hinc Gothus adeo Græcum subsequi potest, ut, si ex. gr. Mc. XII, 1 ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος *veinagard ussatida manna* vertat, Luc. vero XX, 9 ἄνθρωπος ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα etiam *manna ussatida veinagard* amussim construat. Hinc etiam pro libitu suo æque dicit Luc. XX, 6 *alla sa managei stainam afvairpiþ* (καταλιθάσει) *unsis* et etiam Joan. XI, 8 *nu sokidodun þuk afvairpan stainam* (λιθάσει) *iudaieis*. Attamen nonnulli occurrunt casus, ubi constructione Græca prætermissa vel propria in circumscribendo usurpata, nonnulla constructionis propriæ Germanicæ vestigia innotescunt.

1) Jam vero hoc de *substantivo* animadvertas, quod genitivus dependens post substantivum regens communiter veniat; si enim, præeunte Græco, etiam præponi potest (§ 216, annot. 3) et equidem in circumscribendis compositis præponitur, ubi pars compositi genitivo expressa primam tenet vocabuli partem, ut *barne gabaurþs* pro τεκτογονία (vid. § 173, 2) *a*) *bb*), tamen sequitur, ubi simplicia vocabula eo modo circumscribuntur, ut *mel gabaurþais* pro γενίσια, coll. *slahs lofin* (ῥάπισμα). Ubi autem in circumscriptione substantivum utpote objectum verbo prope stat, præmittitur, objecti idea in radice jacente, ex. gr.: *naht þairhvakan* (διανυκτερεύειν), *mat giban* (ψωμίζειν). *aivaggeljon merjan* (εὐαγγελίζεσθαι), *lofam slahan* (ῥαπίζειν), *vandum usbliggvan* (ῥαβδίζειν), *ana armins niman* (ἐναγκαλίζεσθαι), in *aljana briggan* (παραζηλοῦν) etc. (vid. § 175 1) 2). Attamen dicitur etiam: Luc. XVIII, 12 *afdailja taihundon dail* (ἀποδεκατῶ); XVII, 6 *uslausei þuk us vaurtim* (ἐκριζώθητι) et sic sæpe. Necnon et accusativus ad verbum communiter proxime accedit, aliis objectis ab eo longe remotis: Luc. XIX, 34 *airþai þuk gaibnjand* (ἐδαφιοῦσί σε); Rom. X, 19 *in aljana izvis briggа* (παραζηλώσω ὑμᾶς); Col. III, 21 *ni gramjaiþ barna izvara du þvairheln* (μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν); Luc. XIX, 34 *fraujin þaurfts þis ist* (ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει); Joan. VIII, 32 *sunja frijans izvis briggiþ* (ἐλευθερώσει ὑμᾶς) (cujus loco vs. 36 aliquid magis germanicum præbet: *jabai nu sunus izvis frijans briggiþ*); Luc. X, 29 *is viljands usvaurhtana sik domjan* (δικαιοῦν ἑαυτόν). Optime etiam dicitur Luc. VII, 7 *mik silban vairþana rahnida* (ἐμαυτὸν ἠξίωσα); Gal. V, 4 *juzei in vitoda garaihtans qiþiþ izvis* (δικαιοῦσθε).

2) *Adjectivum* et *participium* modo, more Græco, post vocabulum regens ponuntur (vid. § 215 I, 1), modo, sed rarius, præcedere possunt, hinc ex. gr. Joan. XVII, 2, 3 *libain aiveinon — so aive'no libains*; Luc. VIII, 8 et 15 *ana airþai godai — ana þizai godon airþai*; IX, 10 et 12 *ana staþ auþjana — in auþjamma stada* etc. In circumscribendis compositis regulariter præponuntur: *vilþeis alevabagms*, *gods alevabagms*, *lausa hauheins*, *auhumists gudja*, quo in casu partes compositi adjectivi expressæ primam tenent vocabuli sedem, licet reperiatur etiam *iftumin daga* (τῇ ἐπαύριον), et dum *manageins filu* et *filu manageins*, prout Græcus ὄχλος πολύς (Mc. IV, 1; Luc. IX, 37; Joan. VI, 2 etc.), vel πολὺς ὄχλος (Mc. III, 7) habet, legitur, tamen Mc. IX, 14 *filu manageins*, invito Græco, occurrit.

3) De constructione *numeralis* sive simplicis relative ad substantivum, sive compositi, vid. § 198 II, 3) et 4).

4) *Pronomen personale* quamlibet sedem obtinere potest, ita ut Gothus etiam *þatei gaþeihis þn* Tim. I, IV, 15 pro ἡ προκοπή σου construat. *Reflexivum* autem verbo præponitur (§ 176, 4) et, quemadmodum pronomina personalia, *silba* præcedit, ubi cum eo

[1] Constructio scilicet physica, non grammatica vocabulorum. *Interpr.*

Digitized by Google

connectitur (§ 200 II, 3). Quoad *possessivum*, sive ante sive post substantivum poni potest (§ 201), sed gothicæ indoli magis congruit postica sedes, quam interpres non solum sponte sua eligit (ex. gr. Cor. I, XI, 6 *gahuljai haubiþ seïn*, κατακαλυπτέσθω), sed etiam invito Græco (Mth. VI, 7 *salbo haubiþ þein*, σου τὴν κεφαλήν; VII, 24, 26; VIII, 8 etc.); vertit tamen ex. gr. Cor. II, X, 4 ὅπλα τῆς στρατείας ἡμῶν *wepna unsaris drauhtinassaus*. E demonstrativis *sa* et *his* ante, *jains* post substantivum ponuntur (§ 202 IV, *b*). Quam sedem *sa* ut demonstrativum habet (ante substantivum), eam etiam ut *articulus* obtinet; sed usurpatur germanice Luc. XVI, 15 *þata hauho in mannam* pro τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλόν, et consequenter etiam Tim. I, V, 6 *so ïzondei* ἡ σπαταλῶσα. *Relativum* primam semper sententiæ sedem occupat, nisi a præpositione dependeat. *Interrogativum* denique etiam postponi potest (ut Luc. XIV, 28 *ïzvara was*).

5) In *verbo* modi subordinati, ubi Gothus indoli propriæ indulget, regentes sequuntur, hinc Joan. XII, 18 *ïddjedun gamotjan*; XIII, 38 *afaikis kunnan*; sed XII, 26 adest *visan habaiþ*, quia hoc *habaiþ* hic simpliciter est auxiliare, quemadmodum in *gameliþs ist*, *hauhiþs vas*, *gadomiþs varþ* etc.; imo non nisi raro auxiliare, nulla suadente ratione (§ 213, 2) præponitur, ut Joan. VI, 45 et XII, 14 *ist gameliþ*, hoc X, 34 in responsione usurpato; quod si Cor. I, IX, 25 *haifstjan sniviþ* occurit, hoc fit influente relativo sententiæ, cum etiam dicatur Mc. VI, 16 *þammei ïk haubiþ afmaimait* (licet tamen vs. 27 *afmaimait ïmma haubiþ* reperiatur); Col. II, 22 *þairh þatei ïs brukjaidau* et Tim. I, V, 5 *soei bi sunjai viduvo ïst*. Si autem vs. 3 *þozei bi sunjai sijaina viduvons*, construitur, ratio est, quia conjunctivus ex consulto a fine removeri videtur, uti etiam Joan. XVI, 24 *ei faheds ïzvara sijai usfullida*; Luc. XIV, 31 *siaiu mahteigs* (εἰ δυνατός ἐστι); attamen reperitur etiam Mth. VI, 12 *þatei skulans sijaima*. Invita autem germanica constructione, qua scilicet verbum in relativis sententiis ad finem rejicitur, occurrit apud Luc. VIII, 2 *us þisaiei usïddjedun unhulþons sibun*, ubi etiam Græcus verbum ad finem remisit. De cætero vide supra 1).

6) *Adverbia* verbo quod determinant, communiter præponuntur, licet, præeunte Græco etiam postmitti possint: Tim. I, III, 14 *qiman at þus sprauto*; Mth. XXVII, 54 *ohtedun abraba*; VIII, 28 *sleidjai filu*; Mc. XVI, 4 *mikils abraba*. Quoad *negationis* constructionem, quæ in gothico sermone tanti est momenti adeoque a Græca dissimilis, vid. § 213.

7) De constructione *conjunctionum*, prout vel primam vel secundam sententiæ sedem obtinent, vid. tertiam majorum divisionum, de sententia composita, § 256 sqq.

GRAMMATICA GOTHICÆ LINGUÆ ABSOLVITUR.

GLOSSARIUM
GOTHICÆ LINGUÆ,
H. C. Gabelentz, and H. J. Loebe
E GERMANICO SERMONE IN LATINUM VERSUM,
INTERPRETE F. TEMPESTINI.

PRÆFATIO.

Quo plura atque diversiora e glossario exiguntur, eo plures atque diversoriores sunt rationes, quibus suscipi potest. Officium igitur nostrum esse censuimus principia, quæ in hoc opere elucubrando secuti sumus, paucis verbis exponere.

Quoad materiam, in hoc equidem omnes conveniunt, quod lexicon thesaurum totius linguæ integrum, quantum potest, continere debeat[3]; sed in casu præsenti quantus sit hic thesaurus, hæc quæstio resolvenda. Jamvero, præter vocabula quæ in ulfilana versione invenire est, ea etiam in reliquis gothicæ linguæ

[3] Glossaria gothica hos usque hodiernos dies confecta ad id tantum extendi potuerunt, quod auctoribus suis notum erat, ut Junii *Gothicum glossarium quo pleraque argentei codicis vocabula explicantur*, Dortrechi 1664, Amstelæd. 1684; Stiernheilm *Glossarium Ulfila-gothicum*, Holmiæ 1670; *Dictionarium saxonico- et gothico-latinum*, auct. Ed. Lye, ed. Owen Manning. Land. 1772; Fulda's von Reinwald *umgearbeitetes Glossar hinter Zahn's Ausgabe des Ulfilas*; vel ad quædam loca tantum relata sunt, ut, ne parva quædam glossaria memoremus, *Castillionæum glossarium in epistolas ad Corinthios*, et *Masmannense glossarium in Skeireins*.

Digitized by Google

monumentis occurrentia, *Skeireins* [1] scilicet, necnon *Calendario gothico* [2], *neapolitano* et *aretino documentis* [3] (non autem in hoc Γοτθικόν, quod gothicum non est) [4], admittere curavimus: hic enim nullo scrupulo locus. Quin imo, habita ratione scopi, quem intendimus, ea insuper vocabula, quæ e græcis latinisve auctoribus desumpta, habitu gothico donata sunt, ut *Azdiggs*, *Ans*, *Gepanta*, *Bilageineis* (*Strava*, *Sikora*) non negligenda esse duximus, sed inserenda, eo tamen discrimine, quod quæ parum gothica vel dubiæ auctoritatis nobis visa sunt, ea signo crucis (†) notaverimus. Sed hic stetimus: longius enim æquo essemus progressi, etiam vocabula admittentes, quæ alii sermones primitus mutuati sunt, ut ex. gr. recens Hispanorum lingua aut Taurorum idiomata, in quibus nonnulli auctores (in hispanica lingua, Adelung [*Mithridates* II, 535] et Keil [*Span. Sprachlehre* 103, coll. Mascov, *Geschichte der Deutschen* II, annot. XXVI, 4, pag. 176 sq.]; in Taurica, inter plurimos viatores recentius Busbeck [vid. apud Knittel, in editione fragmentorum latinæ epistolæ, pag. 429, coll. Zahn, *Ulfilas Einleitung*, pag. 14 sqq.; Zeuss, *die Deutschen*, pag. 45 sqq.]) gothica vocabula jam agnoverunt. Similiter hoc glossarium nimis protractum fore duximus, acceptis *propriis nominibus*, quæ, ut *Friþareiks*, *Sunjaifriþas*, *Gudilubs* [5], *Vereka*, *Merila* [6], *Ufitahari*, *Viljariþ*, *Alamod*, *Batvins*, non equidem in cognitis linguæ gothicæ monumentis, sed solummodo apud alienigenas auctores occurrunt; si enim quædam, ut *Gudila*, *Eisarna* (Isarna), *Alareiks* (Alarich [Alaric]), *þiudareiks* (Theoderich [Theodoric]), etc. gothicam formam evidenter præ se ferunt, hæc forma in aliis plurimis, ut *Ermanarich* (*Airmanareiks* secundum Grimm. DM. 89) *Amala* [7] (Jornandes, p. 95 Lindenbr.), *Thorismund* (Jornandes, p. 195, ubi et alia reperies), etc., valde dubia est, addito quod eorum nominum significatio adeo remanet incerta, ut, nisi per latum campum conjecturarum aberrare velis, gothico glossario minimum afferret commodum, eoque minus, quod, judice ipso Jornandi, Gothi sua nomina ab Hunnis frequenter mutuati sint [8]. Quoad vero nomina propria, quæ, licet gothica reipsa non sint, in gothicis tamen scriptis, in versione præsertim bibliorum occurrunt, ea, non aliter atque nomina ex alieno sermone desumpta, ut *aikklesjo*, *aivaggeljo*, *aiffaþa*, *apaustaulus*, *kavtsjo*, *laiktjo*, *praitoriaun*, *praufetus*, etc., minime prætermittenda esse putavimus, his enim mediantibus, jam potentia rectaque gothicarum, nec non et vice versa græcarum litterarum illius temporis prolatio nosci potest et systema sonorum adstrui (coll. gramm. goth. § 19). His præterea inter se collatis, jam grammatica habet, quo certas regulas de eorum sæpe propria declinatione præcipiat. Vocabula autem, quæ in prioribus quidem editionibus Ulfilanæ versionis occurrentia, falsa tamen lectione nituntur, cum in nostro textu ea sollicite emendavimus, ea etiam in glossario expungere curavimus, ut, v. gr. *frajaiþan*, *taihundonda*, *þrussaba*, *blisson*, *fairainan*, *gahiv*; quæ vero ex mera conjectura correximus, ut *hauiþ*, *ligīnon*, ea equidem accepimus, remittentes tamen explicanda ad locum, ubi legitima lectio invenitur.

Quod in *ordinandis* vocabulis eum ordinem quem præbet *series alphabeti gothici*, e græco mutuati (gramm. goth. § 11 col. 898 sq.), secuti erimus, nemo sane laudator non erit. Sed præter ordinem alphabeticum, præsens scientiæ status hoc a nobis exigebat, quod vocabula singula *suis radicibus* subjicerentur, quo melius inde cognatio eorum et derivatio simul innotesceret. Hic autem nimium et parum erant evitanda, ne scilicet cognatio vel sine auctoritate admitteretur, vel sine ratione negaretur. Jam vero si ex una parte periculosius futurum esse duximus, simplices et omnino ficticias radices evocare, quemadmodum, Indorum more, fecit Graff in suo Thesauro, ex altera autem parte non potuimus nec producere quædam, præsertim verba conjugationis fortis dictæ (gramm. goth. § 114 col. 980), quæ, licet in plurimis casibus sint radices nobis deperditæ, eo tamen facilius concipi possunt, quod ex his plurima vocabula originem ducere videntur, nec simplicia quædam admittere, in *compositis* tantum occurrentia: ea asterisco (*) indicavimus. Composita autem ultimo componentium vocabulo, ut quod regulariter significatione princeps, subjecimus, ea sub aliis repetentes quidem, sed tantum nota reduce munita. Quasdam tamen particulas, ut *ei*, *uh*, *hun*, *tigus*, quæ separatis compositi vocabulis mediæ intersunt et syllabæ formativæ, ex consulto excepimus, vocabula ex illis composita etiam priori componentium subjicientes.

[1] *Skeireins Aivaggeljons þairh Iohannen, Auslegung des Evangelii Joannis in gothischer Sprache, aus römischen und mayländischen Handschriften herausg.* v. H. F. Massmann, München 1834, 4°. Pars sextæ paginæ jam fuerat edita in *Specimine* (vid. not. [3]) conjunctis curis Maji et Castillionæi; collecta sunt fragmenta et castigate edita in 871-878 coll. nostræ editionis.

[2] Calendarium gothicum in codice mediolanensi (cod. A) reperitur, et publicatum est in *Ulfilæ partium ineditarum specimine*, conjunctis curis Maji et Castillionæi edito, Mediolani 1819, 4, recentius revisum et castigatum a Massmanno, qui iterum in lucem edidit juxta revisionem suam. Vid. coll. 877 sqq nostræ editionis.

[3] Zahn, *Versuch einer Erläuterung der Gothischen Sprachüberreste in Neapel et Arezzo*, Braunschweig 1804; ibid. præf. pag. 76 sqq; Massmann *Frabauhtabokos vel die gothischen Urkunden von Neapel und Arezzo*, *Wien* 1838, fol.

[4] Vid. gramm. introd. § 7, coll. 892 sq. *Interpr.*

[5] Massmann propter lectionem *Gudilebus*, quam in parte latina aretini documenti occurrit, legendum præfert *Gudilaibs*: genuinam vero lectionem nosse nequimus, gothico ipso deperdito.

[6] Hoc nomen in neapolitano documento occurrens in glossario suo loco supplendum est.

[7] Hoc *Amala* Jornandes non explicat; qui ergo (Schlegel *Indische Bibl.* tom. I, pag. 2, n° 5; Manso *Gesch. der Ostgothen*, pag. 11; Aschbach *Gesch. der Westgothen*, pag. 22) illud e sanskrita lingua deducere et *flectendi nescius* vel *secretus* convertere conati sunt, arbitrio animi sui indulserunt.

[8] Jornandes, p. 90: *Gothi plerumque mutuantur nomina Hunnorum.* Coll. gramm. goth. § 5, col. 886. *Interpr.*

Digitized by Google

Quamvis *gothicæ linguæ* affinitas cum aliis ejusdem familiæ jamdiu ab omnibus fere probata sit, tamen eo minus in hoc opere negligenda esse nobis visa est, quod gothici thesauri melior pars, in his hodiernis temporibus nota, hac affinitate opus habet, ut in dominio germanicarum linguarum civitate donetur. Singulis igitur radicibus, imo et derivatis quibusdam, ubicumque necessum fuit, cognata vocabula aliarum germanicæ familiæ linguarum induximus, et, ne collatio ista nimium spatii obtineret illustrata, ad auctores scholari fama gaudentes, lectorem remisimus, nempe ad Bopp (*vergleichende Grammatik*), Grimmium (*deutsche Grammatik* [Gr.], *Mytologie* [DM.], *Rechtsalterthümer* [DRA.]), Graff (*althochdeutsche Præposition* et *Sprachschatz* [Gf.]), Schmellerium (*bayerisches Wörterbuch*, *Glossar zum Helvand*), Richthofenium (*altfriesisches Wörterbuch* [Rchth.]), in quibusdam tantum et raris casibus affinitatem vel derivationem vocabuli brevi illustratione notantes.

Hæc eadem ratio, parcendi scilicet spatii, causa est cur in nostra collatione nonnullas stirpis indogermanicæ linguas non invocaverimus, ut sanskritam, persicam, slavicam, celticam, quarum de cætero affinitas cum germanicis ex conspicuis operibus Boppii, Pottii, etc. jam dudum indubia est. Hic tamen lectorem admonitum volumus, quod scilicet nonnulla gothica vocabula, quibus originem aut explanationem in germanico dominio quærentes frustra circumspiceremus, e *slavico* vel *lithuanico* sermone omnino illustrentur (coll. Grimmium præfat. ad versionem servicæ grammaticæ, auctore Wuk Stephanowitsch, pag. II; Schafarik *Slawische Alterthümer*, I, 429), ut *dulgs* slav. dolg, dluh; *hnuto*, slav. knota, knut; *mota*, slav. myto, mytar; *plinsjan*, slav. pląsać, plęsati; *smakka*, slav. smokva; *tekan*, slav. tykati, *staurran*, litth. *storawoti*; *faþs*, litth. *pats* (sanskr. *patis*). Conspicuum est, quod Gothi pro *debito*, *tributo*, *saltatione*, *flagello*, propria vocabula non habuerint, sed ea e Slavis mutuati sint, quod etiam facultates non aliter exprimere potuerint, nisi per suum *faihu* (pecus?), in hac re convenientes Latinis, qui *pecuniam* ex pecude deduxerunt. Ubi autem Gothus de moneta loqui opus habet, vel expressione aliena utitur, ut *drakma*, *unkja*, *sikls*, vel generalem usurpat, nempe *skatts* thesaurus, *silubrein* argenteus (nummus); vocabulum tamen unicum, origine obscurius, *kintus* in propriis Gothorum monetis inscribi videtur, nisi ex alieno nobis prorsus ignoto sermone derivetur. Recentioribus tantum temporibus primo exorta est expressio *skilliggs*, quæ adhuc hodie in omnibus germanicis linguis usurpatur. Sed hoc obiter dictum sit. Longius enim a proposito declinaremus, si totum gothicæ linguæ thesaurum eo modo discutere vellemus, et, v. gr. vocabula, quæ ad agrorum culturam, vestes, arma, chronologiam, etc. referuntur, hic colligere, ut jam fecit Grimmius (*deutsche Gramm.* III, 314 sqq.). Gradum vero culturæ et urbanitatis (gall. *degré de civilisation*), quem gothica gens sive ante sive per emigrationis tempus asecuta est, investigantes, hunc laborem non infructuose suscipient.

Cæterum licet affinitas gothicæ cum aliis germanicæ familiæ linguis sit indubia, hoc tamen e glossario patet, quod pars vocabulorum non mediocris sine analogia in sermonibus cognatis remaneat. Exceptis quibusdam vocabulis, qui ex latino græcove illustrentur, ut *aistan*, *akeits*, *aurali*, *aurkeis*, vel *hlifan*, *þragjan*, *liteins*, alia sunt numero plurima, de quibus mens suspensa dubitat, utrum ad hanc familiam prorsus alienam pertineant, necne, cum imprimis eorum derivatio e monosyllaba radice nullomodo fieri possit, ut *ahaks*, *astaþs*, *biari*, *ibuks*, *inilo*, *riqiz*, *siponeis*, vel cum eorum facies alienum fontem sapiat, ut *bnauan*, *gards*, *daddjan*, *qrammis*, *plapja*, *snaga*, etc. Enim vero utrum hæc vocabula et quæ, sint reipsa gothica, an ad quamnam referenda omnigenarum gentium, quibus Gothi et ante et per emigrationem commisti fuerunt, quadam certitudine dijudicare arduum est.

Ad quamnam *grammaticæ* (orationis) *partem* singula vocabula pertineant, accurate notavimus, addito quod pro substantivis genus tantum dedimus, non autem declinationem, quia ex una parte grammaticam sub hoc respectu anticipare[1] noluimus, et ex altera, quia, genere et terminatione cognitis, jam regulariter innotescit declinatio. Masculinorum tamen, quæ in nom. sing. per *s* et in nom. plur. per *eis* desinunt, declinatio indicari debuit, ut ab aliis pluralem in *os* efformantibus sedulo discernerentur. Item nonnullorum irregularium substantivorum deflexionem a regula breviter describi curavimus. Sed et adjectivorum declinationes notare negleximus, cum grammatica eas singulatim exponat. Præterea a Grimmio deflectentes (de quo in grammatica rationem exhibuimus [§§ 114]), tres in verbis conjugationes agnovimus. Prima ea verba continet, quæ Grimmius in conjugatione forti dicta ordinavit, id est, quæ præteritum partim reduplicatione, partim circumscriptione, partim denique utraque via efformant; quibus verbis subjicienda esse duximus cum infinitivo etiam 3 personam præteriti sing. et plur., necnon et participium præt., cum aliæ formæ derivataque vocabula ex illis deducantur. Nostra secunda grimmianæ conjugationi debili respondet, tertia tandem amplectitur verba in *nan* finita, quæ passiva vel media significatione gaudent, ortumque ducunt e verbis primæ secundæve conjugationum, et inter anomala gothicæ conjugationis a Grimmio adscribuntur.

E contrario superfluum fuisset, si singulis vocabulis formas omnes et inflexiones quas induere possunt, ut Graff et Richtofen fecerunt, subjecissemus; etenim non solum orthographia gothica certior est simul et

[1] Glossarium in editione germanica grammaticam præcedere jam monuimus, col. 884, not. [2] *Interpr.*

Digitized by Google

regularior, quam in veteri Frisonum lingua et imprimis veteri germanica, quibus immoderata libido lex unica fuisse videtur, sed etiam ad evolvendas grammaticales formas grammatica nobis remanet, locus, ut vidimus, longe accommodatior.

Quoad vocabulorum interpretationem, hoc approbandum fore nobis visum est, si cum brevi illustratione etiam omnia vocabula græca gothico in ulfilana versione respondentia, huic adjecerimus. Cum enim Ulfilas textus sacros e græca in gothicam linguam sine dubio convertit, meliorem certo Gothi interpretem alium quam græcum offerre non poteramus. Hinc, eadem ratione moti, glossarium græco-gothicum potius quam latino-gothicum ad calcem hujus glossarii gothico-latino-græci apposuimus. Jam vero præter quod ex hac conjunctione non exigua exurget utilitas ad discutiendum gothicum textum sive qui cognoscitur, sive qui olim felici casu detegetur (et hanc utilitatem nosmetipsi in discernendis veris lectionibus haud semel experti sumus), ex ea insuper et quasi uno conspectu evolventur gothica synonyma, probabiturque quantus vocabulorum thesaurus interpreti obvius fuerit, ut græca vocabula, quibus in proprio idiomate perfecte et in omnibus casibus æquivalentia non inveniebat, habita potius ratione sensus quam verbi, diversis vocabulis convertere atque circumscribere posset. Qua de re, lector studiose, mentem præsertim advertas ad vocabula, ut δικαιοῦν, ἡσυχία, περισσεύειν, etc.

Denique ut hoc glossarium quam perfectissimum exhibeamus, nos non tæduit singulis vocabulis subjicere *loca omnia*, in quibus occurrunt. Ex hoc enim labore manifestum erit, quod nullam uniuscujusque vocabuli significationem pertermiserimus, et magnum insuper adjumentum eis offertur, qui formas et connexus vocabuli uno intuitu forsan conspicere vellent. Hoc vero præcipue fecimus pro præpositionibus et conjunctionibus, quas eo modo in grammatica tractare non potuimus. Excepimus tamen nonnulla vocabula, ut *qiþan*, *is*, *jah*, quibus selecta tantum loca, salva tamen significatione, excerpsimus, ea potisssimum eligentes, quæ formas diversas remotasque significationes exhibere videntur. Et sane neminem vituperatorem habebimus, quod, ad parcendum spatio et lectorem nimis exercendum, quibusdam vocabulis centum circiter loca non subjecerimus.

A.

GLOSSARIUM GOTHICO-LATINUM.

A

AAI, nom. propr. indecl., Ἀΐ : Esdr. II, 28.

ABA (coll. vet. norv. *afi*, Gr. II, 43; DRA. 418, 949), masc. vir, imprimis in ordine ad matrimonium, ἀνήρ : Mc. X, 12; Luc. I, 27, 34; II, 36; Rom. VII, 2, 3; Cor. I, VII, 10, 11, 13, 14, 16; XI, 3, 4; Gal. IV, 27; Eph. V, 22, 24; Tim. I, III, 2, 12; V, 9; Tit. I, 6.

ABBA (voc. hebr.), ἀββᾶ : Gal. IV, 6.

ABEILENI, nom. propr. indecl., Ἀβιληνή : Luc. III, 1.

ABIA, nom. propr. masc., Ἀβιά : Luc. I, 5.

ABIAÞAR, nom. propr. masc., Ἀβιάθαρ : Mc. II, 26.

ABU, vid. sub *Af*.

ABRAHAM, nom. propr. masc., Ἀβραάμ : Mth. VIII, 11; Mc. XII, 26; Luc. I, 55, 73; III, 8, 34; XVI, 23; Joan. VIII, 37, 39, 52, 53, 56, 57; Cor. II, XI, 22; Gal. III, 6.

ABRS (vet. norv. *afl*, *abl*, angl. sax. *abal*, Gr. II, 43, coll. Gf. I, 99) adj. fortis, robustus, ἰσχυρός : Luc. XV, 14.

ABRABA, adv., valde, nimis, σφόδρα : Mth. XXVII, 54; Mc. XVI, 4; Neh. VI, 16.

BI-ABRJAN, tremere, ἐκπλήττεσθαι : Mth. VII, 28.

AGAN (vet. norv. *ægia*, *ógn*, *óga*, vet. sax. *egiso*, angl. sax. *oga*, vet. sup. germ. *ekiso*, angl. *awe*, Gr. II, 11; Gf. I, 103), conj. I : *og*, *ogun*, *agans*, pavescere.

UN-AGANDS, particip., impavidus, timore vacuus, ἄφοβος : Cor. I, XVI, 10; Phlpp. I, 14.

AGIS, neutr., timor, φόβος; Mc. IV, 41; Luc. I, 12, 65; II, 9; V, 26; VII, 16; VIII, 37; Joan. VII, 13; Rom. XIII, 3, 7; Cor. II, V, 11; VII, 1, 5, 11, 15; Eph. V, 21; Tim. I, V, 20; Neh. V, 15; VI, 16.

AF-AGJAN, conj. II, deterrere, πτύρειν : Phlpp. I, 28; σαίνειν : Thess. I, III, 3.

IN-AGJAN, increpare, comminari, ἐμβριμᾶσθαι : Mth. IX, 30.

US-AGJAN, perterrere; *usagiþs*, partic. pass., perterritus, ἔκφοβος : Mc. IX, 6.

UN-AGEI, fem., intrepiditas; dat. *unagein*, in intrepiditate, securiter, ἀφόβως : Luc. I, 74.

OGAN, anomalum : *og*, *ohta*, *ohtedun* (*uhtedun* Mc. XI, 32), timere, pavescere, c. accus. (de —) φοβεῖσθαι : Mth. IX, 8; X, 28, 31; XXVII, 54; Mc. V, 15, 33; IX, 32; XI, 18, 32; XII, 12; Luc. I, 50; II, 9, 10; VIII, 25, 35; IX, 45; XVIII, 2, 4; XX, 19; Rom. XI, 20; XIII, 3, 4; Cor. II, XI, 3; XII, 20; Gal. II, 12; IV, 11; Col. III, 22; Neh. VI, 16; VII, 2; *ogan sis* : Mth. X, 26, 28; Mc. IV, 41; VI, 20; XVI, 8; Luc. I, 13, 30; V, 10; XIX, 21; Joan. VI, 19, 20; IX, 22; XII, 15; XIX, 8.

OGJAN, conj. II, metum inculere, perterrere, φοβερίζειν : Neh. VI, 19.

AGAR, nom. propr., Ἄγαρ : Gal. IV, 24.

AGGA (vet. sup. germ. *ancha*, rec. sup. germ.

Digitized by Google

anke, ankel, gr. ἄγκη, ἄγκος; Gf. I, 344, 345; Gr. II, 348; III, 399; Schmld Schwäb. Wörterb. v. *Anke*; Schm. I, 83. Anm. zu [*annot. ad*] Mc. IX, 42) masc., flexio, cervix.

BALS-AGGA, cervix, τράχηλος : Mc. IX, 42, h. l.

AGGILUS (*aggelus* Luc. IX, 26; XV, 10; Rom. VIII, 38; Gal. IV, 14; *aggillus* : Cor. II, XI, 14, h. l.) voc. gr. (vet. norv. *engill*, vet. sax. *engil*, angl. sax. *engel, ængel*, vet. fr. *angl*, vet. sup. germ. *angil*), masc. angelus, ἄγγελος : Mth. XI, 10; XXV, 41; Mc. I, 2, 13; VIII, 38; XII, 25; XIII, 27; Luc. I, 11, 13, 18, 26, 28, 30, 34, 35, 58; II, 9, 10, 13, 15, 21; IV, 10; VII, 27; IX, 26; XV, 10; XVI, 22; XX, 35; Joan. XII, 29; Rom. VIII, 38; Cor. II, XI, 14; XII, 7; Gal. IV, 14; Thess. II, I, 7; Tim. I, III, 16; V, 21.

ARK-AGGILUS, archangelus, ἀρχάγγελος : Thess. I, IV, 16.

AGGVUS (vet. norv. *angr*, vet. sax. *engi*, angl. sax. *ange*, vet. sup. germ. *angi*, batav., rec. sup. germ. *eng*, gr. ἄγγω, lat. *angustus*; Gf. I, 340; Schm. I, 79) adj., arctus, angustus, στενός : Mth. VII, 13, 14.

GA-AGGVO, adv., accurate, ἀκριβῶς : Thess. I, V, 2.

AGGVIÞA, fem., angustia, angor, anxietas, στενοχωρία : Cor. II, VI, 4; Rom. VIII, 35; συνοχή : Cor. II, II, 4; θλῖψις : Thess. I, III, 3; II, I, 6.

GA-AGGVJAN, conj. II, coarctare, στενοχωρεῖν : Cor. II, IV, 8.

GA-AGGVEI (*gaagvei* Skeir. I, c.), fem., coarctatio, restrictio, Skeir. I, c. d.

AGLS (vet. sax. *agleto*, vet. sup. germ. *agaleizi*; coll. angl. sax. *eglian*, angl. *ail*; Gf. I, 134; Schmitth. D. E. I, 138), adj., turpis, indecens, impudicus, αἰσχρός : Cor. I, XI, 6.

AGLAITEI, fem., indecentia, impudicitia, ἀσέλγεια : Mc. VII, 22; Cor. II, XII, 21 h. l.; Gal. V, 19; Eph. IV, 19.

AGLAITI-VAURDEI, vid. sub *Vaurd*.

AGLAITI, neutr.; i. q. *aglaitei* : Rom. XIII, 13; Cor. II, XII, 21.

AGLAIT-GASTALDS, vid. sub *Staldan*.

US-AGLJAN, conj. II, molestare, torquere, ὑποπιάζειν : Luc. XVIII, 5.

AGLIÞA, fem., dolor, afflictio; *agliþos vinnan*, affligi, dolorem pati, θλίβεσθαι; Thess. I, III, 4.

BI-STIGQAN, procidere, irruere, προσπίπτειν : Mth. VII, 25, 27; προσρηγνύναι : Luc. VI, 48, 49; προσκόπτειν : Rom. IX, 32.

GA-STIGQAN, offendere, προσκόπτειν : Joan. XI, 9, 10.

GA-STAGQJAN, conj. II, id., Luc. IV, 11.

BI-STUGQS (*bistuggqs* Rom. IX, 32, 33; Cor. II, VI, 3), fem. (?), offensio, πρόσκομμα : Rom. IX, 32, 33; XIV, 13; προσκοπή : Cor. II, VI, 3 vid. ad h. l.

* STIKAN (vet. norv. *stika*, vet. sax. *stican*, angl. sax. *stician*, vet. sup. germ. *stehhan*, vet. fr. *steka*, angl. *stick*, suec. *sticka*, dan. *stikke*, rec. sup. germ. *stechen*, *stecken*; gr. στίζειν; coll. *Stiggan*, *Stigqan*; Gr. II, 27; Rchth. 1047), conj. I, *stak*, *stekun*, *stukans*, figere.

STIKS, masc., punctum, momentum, στιγμή : Luc. IV, 5.

STAKS, fem. (?), stigma, στίγμα : Gal. VI, 17.

* STAKJAN, conj. II, pungere, figere.

HLEÞRA-STAKEINS, fem., scenopegia, σκηνοπηγία : Joan. VII, 2.

STIKLS (ad *Stikan*? coll. vet. norv. *stikill*; Gr. II, 27; III, 381), masc., calix, poculus, ποτήριον : Mth. X, 42; Mc. VII, 4; IX, 41; X, 38; Joan. XVIII, 11; Cor. I, X, 16, 17, 21; XI, 25, 26, 27, 28.

STILAN (vet. norv., vet. fr. *stela*, angl. sax., vet. sax. *stelan*, angl. *steal*, suec. *stjäla*, dan. *stjele*, batav. *stelen*, rec. sup. germ. *stehlen*; Gr. II, 29; DRA. 635; Rchth. 1047), conj. I, *stal*, *stelun*, *stulans*, furari, κλέπτειν : Mth. VI, 20; Joan. X, 10.

STIUR (angl. sax. *steor*, vet. sax. *stier*, vet. sup. germ. *stior*, angl. *steer*, rec. sup. germ. *stier*; coll. lat. *taurus*, gr. ταῦρος, vet. norv. *tiur*, suec. *tjur*, dan. *tyr*; Gr. II, 48; III, 325, 330), masc., calvus, taurus juvenis, μόσχος : Luc. XV, 23, 27, 30; Neh. V, 18.

* STIURS (vet. norv. *styra*, angl. sax. *steore*, *styran*, vet. sax. *storian*, vet. sup. germ. *stiura*, vet. fr. *stiora*, angl. *stear*, suec. *styra*, dan. *styre*, batav. *stieren*, rec. sup. germ. *steuern*; Gr. II, 48; Rchth. 1050), adject., determinatus, statutus.

US-STIURIBA, adverb., effrenate, ἀσώτως : Luc. XV, 13.

US-STIUREI, fem., licentia, luxuria, ἀσωτία : Eph. V, 18; Tit. I, 6.

STIURJAN, conj. II, 1) constituere, ἱστάναι : Rom. X, 3; 2) affirmare, διαβεβαιοῦσθαι : Tim. I, I, 7.

STIVITI, neutr., patientia, ὑπομονή : Cor. II, I, 6; VI, 4; Thess. II, I, 4.

STUBJUS (vet. sup. germ. *stuppi*, suec. *stoft*, dan. *stov*, batav. *stof*, rec. sup. germ. *staub*; Gr. II, 19; III, 379), masc., pulvis, κονιορτός : Luc. X, 11.

STUGQS, vid. sub *Stigqan*.

STRAUJAN (vet. norv. *stra*, angl. *streovian*, vet. sax. *strewian*, vet. fr. *strewa*, angl. sax. *straw*, suec. *strå*, dan. *stree*, batav. *strooijen*, rec. sup. germ. *streuen*; lat. *sternere*, gr. στρωννύναι; coll. *strava* apud Jornand. *de reb. Get.* p. 132 Lindenbr. [Postquam lamentis est defletus Attila, *stravam* super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comessatione concelebrant], *straba* apud scholiastem ad Stat. *Theb.* 12, 64 [Exuviis hostium exstruebatur regibus mortuis pyra, quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem *strabas* dicunt lingua sua]; Rchth. 1053), conj. II, sternere, στρωννύναι : Mc. XI, 8; XIV, 15.

UF-STRAUJAN, supersternere, ὑποστρωννύναι : Luc. XIX, 36.

STRIKS (vet. norv., vet. fr. *strik*, vet. sup. germ. *strih*, angl. sax. *strica*, vet. sax. *stric*, angl. *stroke*, suec. *strek*, dan. *streg*, batav. *streke*, rec. sup. germ. *strich*; Gr. II, 17, 53; Rchth. 1054), masc., linea, γραμμή : Mth. V, 18.

STODJAN, vid. sub *Standan*.

STOÞANS, vid. sub *Standan*.

STOLS (vet. norv. *stoll*, angl. sax., vet. sax., vet. fr. *stol*, vet. sup. germ. *stuol*, angl. *stool*, suec., dan. *stol*, batav. *stoel*, rec. sup. germ. *stuhl*; coll. gr. στήλη, στύλος; Gr. II, 41; III, 433; Rchth. 1051), masc., gradus, tronus, θρόνος : Mth. V, 34; Luc. I, 32, 52.

STAUA-STOLS, tribunal, βῆμα : Mth. XXVII, 19; Rom. XIV, 10; Cor. II, V, 10.

STOMA (coll. rec. sup. germ. *stamm*), masc., confirmatio, ὑπόστασις : Cor. II, IX, 4; XI, 17.

STOJAN, vid. sub *Staua*.

SVA (vet. norv. *sva*, *svo*, *so*, angl. sax. *sva*, vet. sax., vet. sup. germ., angl., rec. sup. germ. *so*, vet. fr. *sa*, *so*, suec. *så*, dan. *saa*, batav. *zo*; gr. ὥς, lat. *sic*; Bopp 190; Gr. VI, 11; Rchth. 998); adverb., ita, sic, οὕτω : Mth. V, 16, 19; VI, 9, 30; VII, 12, 17; IX, 33; Mc. II, 7, 8, 12; IV, 26, 40; VII, 18; X, 43; XIV, 59; XV, 39; Luc. I, 25, 29; II, 48; IX, 15; X, 21; XV, 7, 10; XVII, 10, 24, 26; Joan. V, 21; VIII, 59; XIII, 15, 25; XIV, 31; XV, 4, 5; XVIII, 22; Rom. IX, 20; X, 6; XI, 26, 31; XII, 5; Cor. I, V, 3; VII, 7, 17, 26; IX, 24, 26; XI, 28; XIV, 21; XV, 11; Cor. II, I, 5; VII, 14; VIII, 11; X, 7; Gal. (I, 6) III, 3; IV, 3; VI, 1; Eph. IV, 20; Philpp. III, 17; IV, 1; Col. III, 13; Thess. I, IV, 14; V, 2; Thess. II, III, 17; Tim. I, III, 10; Tim. II, III, 8; Skeir. I, d; V, c; VII, b; ὡσαύτως : Tim. I, III, 8; καί : Joan. XIII, 15; XV, 9; XVII, 18; *sva jah*, sic etiam, οὕτω καί : Cor. I, XII, 12; XVI, 1; Cor. II, I, 5; VII, 14; VIII, 11; X, 7; οὕτω : Eph. V, 28; *sva samaleiko*, sicut, ὡσαύτως : Cor. I, XI, 25.

SVAH (coll. ..*uh*), ordinario correlativum ad *sve* vel *svasve*, sic etiam, οὕτω καί : Cor. I, XV, 22; Cor. II, VIII, 6; Eph. V, 24; οὕτω : Luc. XIV, 33; καί : Joan. XV, 9; XVII, 8; *svah jah*, ita, οὕτω καί : Mc.

Digitized by Google

XIII, 29; Luc. XVII, 26; Gal. IV, 29; *svah nih*, sic non, οὕτως οὐδέ : Joan. XV, 4.

SVAU (coll. ..u), in interrogatione, siccine? οὕτω : Joan. XVIII, 22.

SVAEI (etiam divisim *sva-ei*, Cor. II, VIII, 13 vid. ad h. l.), conjunctio, 1) sicut, ὡς : Luc. III, 23; 2) ita ut, ὥστε : Mc. I, 27; Cor. II, III, 7; VII, 2; VIII, 5; Gal. II, 13; Thess. II, I, 4; II, 4; Skeir. III, d (εἰς τό : Cor. II, VIII, 5); ἵνα : Cor. II, VIII, 13; Gal. II, 9; 3) ita ut, unde, ὥστε : Mc. II, 28; Rom. VII, 6; XIII, 2; Cor. I, XIV, 22; Cor. II, II, 7; IV, 12; V, 16, 17; Gal. IV, 7; pleonastice *svaei nu*, id., Rom. VII, 4; Cor. I, XIV, 22; XV, 58; Cor. II, IV, 12; Phlpp. IV, 1; Thess. I, IV, 18.

SVA-LAUDS, vid. sub *Lauds*.

SVA-LEIKS, vid. sub *Leiks*.

SVE (Bopp 189; Gr. III, 43; IV, 707), correlativum ad *sva*, 1) quemadmodum, sicut, ὡς : Mth. VI, 10, 12, 29; VII, 29; X, 25; Mc. I, 2, 22; IV, 27, 30, 36; VI, 15; VII, 6; VIII, 24; IX, 3; X, 1, 15; XII, 25, 31; XIV, 48, 72; Luc. VI, 22, 36, 40; IX, 54; X, 3, 18, 27; XIV, 22; XV, 19; XVII, 6, 28; XVIII, 17; XX, 37; Joan. VII, 10; Rom. VIII, 36; IX, 29; XIII, 9, 13; Cor. I, IV, 7; V, 3; VII, 25; IX, 20, 22; XIII, 11; Cor. II, II, 17; III, 1; V, 20; VI, 4. 8, 9, 13; VII, 15; VIII, 7; X, 2, 9; XI, 15, 16, 17; Gal. IV, 12, 14; V, 14, 21; Eph. V, 1, 8, 28; VI, 20; Phlpp. I, 20; II, 7, 22; Col. II, 20; III, 12, 18; Thess. I, II, 11; V, 2, 4, 6; Tim. I, V, 1; Tim. II, II, 3, 8, 17; Skeir. II, c; VI, d; VII, a, b; ὡς καί : Cor. I, VII, 7, 8; IX, 5; ὡς ἄν : Cor. II, X, 9; ὡς εἰ (Mth. IX, 36; Mc. I, 10) : Mth. IX, 26; Luc. III, 22; καθώς : Joan. XIII, 34; XV, 4; Eph. III, 3; Thess. II, III, 1; καθὼς καί : Thess. I, IV, 13; καθάπερ : Cor. I, XII, 12; καί : Tim. I, IV, 7 (ubi Gothus comparative reddit quod græcus conjunctive exhibet); *sve raihtis*, ὥσπερ : Cor. II, VIII, 7; 2) circiter, ὡς : Mc. V, 13; VIII, 9; Luc. VIII, 42; Joan. VI, 19; ὡσεί : Luc. I, 56; III, 23; IX, 14, 28; 3) ita, cum, ὡς : Luc. I, 41; IV, 25; Joan. VI, 16; XI, 6; XVIII, 6; ἡνίκα : Neh. VI, 16; XVII, 1; pro græco genitivo absoluto : Luc. VIII, 23 *sve faridedun* (πλεόντων αὐτῶν); 4) ut, quandoque cum infinitivo, ὥστε : Luc. V, 6, 7; IX, 52; * 5) Gal. IV, 16 adest ïþ *nu sve* pro ὥστε, quod prorsus est inexplicabile. *Sva layga sve*, tam longum quam, *svaleiks sve*, *sva manags sve*, *sva ufta sve*, *sva filu sve*, vid. sub *Laggs*, *Leiks*, *Manags*, *Ufta*, *Filu*.

SVASVE, 1) sicut, οὕτως ὡς : Joan. VII, 46; Cor. II, IX, 5; ὡς : Mth. VI, 12; VII, 29; VIII, 13; XXVII, 65; Mc. I, 22; IV, 26; Luc. III, 4; Rom. IX, 25, 27; XII, 3; Cor. I, VII, 17; XVI, 10; Cor. II, II, 17; III, 5; VII, 14; X, 14; XI, 3 (23 vid. ad h. l.); XIII, 2; Eph. II, 3, III, 5; V, 22; Thess. II, III, 15; Tim. II, III, 9; Skeir. III, c; ὥσπερ : Mth. V, 48; VI, 2, 5, 7, 16; Luc. XVII, 24; XVIII, 11; Joan. V, 21; Rom. XI, 30 (XII, 4); Cor. I, IV, 9; XV, 22; XVI, 1; Cor. II, I, 7; IX, 5; Gal. IV, 29; Eph. V, 24; Thess. I, V, 3; ὡσπερεί : Cor. I, XV, 8; καθώς : Mc. IV, 33; IX, 13; XI, 6; XV, 8; XVI, 7; Luc. I, 2, 55, 70; II, 20, 23; VI, 10, 31; XVII, 26; XVIII, 11; XIX, 32; Joan. V, 23; VI, 31, 57, 58; VII, 38; VIII, 28; X, 15, 26; XII, 14; XIII, 15, 33; XIV, 27, 31; XV, 9, 10, 12; XVII, 2, 11, 14, 16, 18, 21, 22, 23; Rom. VIII, 36; IX, 12, 29, 32; X, 15; XI, 26; XV, 7, 9; Cor. I, V, 7; XI, 2; XII, 11, 18; XV, 49; Cor. II, I, 5; IV, 1; VIII, 5, 6, 15; IX, 3, 7, 9; X, 7; XI, 12; Gal. II, 7; III, 6; Eph. I, 4; IV, 4, 17, 21; V, 2; Phlpp. III, 17; Col. I, 7; III, 13; Thess. I, II, 13, 14; III, 4; IV, 1, 6, 11 (*svasve jah*); V, 11; Thess. II, I, 3; Tim. I, I, 3; καθώς καί : Cor. I, X, 33; XI, 1; Cor. II, I, 14; καθά : Mth. XXVII, 10; καθάπερ : Rom. XII, 4; Cor. II, I, 14; III, 13, 18; VIII, 11; Thess. I, II, 11; III, 6, 12; IV, 5; Luc. II, 24 *svasve qiþan ist*, κατὰ τὸ εἰρημένον; 2) postquam, καθὸ ἐάν : Cor. II, VIII, 12; 3) circiter, versus, ὡς : Joan. VI, 19; XI, 18; ὡσεί : Joan. VI, 10; 4) ita ut, etiam cum infinitivo, ὥστε : Mth. VIII, 24, 28; XXVII, 14; Mc. I, 45; II, 2, 12; III, 10, 20; IV, 1, 32, 37; IX, 26; X, 8; XV, 5; Cor. I, XIII, 2; Cor. II, I, 8.

SVAGGVJAN, vid. sub *Sviggvan*.

SVAIHRA (vet. norv. *svara*, angl. sax. *sveor*, *sveger*, vet. sax. *suiri*, vet. sup. germ. *suehor*, suec. *svär*, dan. *svoger*, batav. *swager*, rec. sup. germ. *schwager*, *schwieger*; lat. *socer*, gr. ἑκυρός; Bopp 81; Gr. II, 53; III, 335), masc., socer, πενθερός : Joan. XVIII, 13.

SVAIHRO, fem., socrus, πενθερά : Mth. VIII, 14; X, 35; Mc. I, 30; Luc. IV, 38.

SVAIRBAN (vet. norv. *sverfa*, vet. sax. *suerban*; lat. *sorbere*; Gr. II, 38), conj. I, *svarf*, *svaurbun*, *svaurbans*, delere.

AF-SVAIRBAN, obliterare, ἐξαλείφειν : Col. II, 14.

BI-SVAIRBAN, id., ἐκμάσσειν : Luc. VII, 38, 44; Joan. XI, 2; XII, 3.

SVALLEINS, vid. sub *Svillan*.

SVAMMS (*svams* Mc. XV, 36; vet. norv. *svampr*, angl. sax. *svam*, vet. sup. germ. *swam*, suec., dan. *svamp*, batav. *swamme*, rec. sup. germ. *schwamm*; coll. *Svimman*; Gr. II, 33; III, 372), masc., spongia, σπόγγος : Mth. XXVII, 48; Mc. XV, 36.

SVARAN (vet. norv. *svara*, *sveria*, angl. sax. *sverian*, vet. sax. *suerian*, vet. sup. germ. *swerjan*, vet. fr. *swera*, angl. *swear*, suec. *svärja*, dan. *sværge*, batav. *sweeren*, rec. sup. germ. *schwören*; Gr. II, 9; DRA. 892; Rchth. 1038), conj. I, *svor*, *svorun*, *svarans*, jurare, ὀμνύειν, ὀμνύναι : Mth. V, 34, 36; XXVI, 74; Mc. VI, 23; XIV, 71; Luc. I, 73.

BI-SVARAN, adjurare, ὁρκίζειν : Mc. V, 7; Thess. I, V, 27.

UFAR-SVARAN, pejerare, ἐπιορκεῖν : Mth. V, 33.

UFAR-SVARA (*ufar-svars?*), masc., perjurus, ἐπίορκος : Tim. I, I, 10.

SVARE (*svarei* Cor. II, VI, 1; coll. rec. sup. germ. *schwer*), adverb., frustra, gratis, 1) sine ratione, εἰκῇ : Mth. V, 22; Rom. XIII, 4; Cor. I, XV, 2; Gal. III, 4; IV, 11; Col. II, 18; Skeir. IV, b; 2) in vanum, μάτην : Mc. VII, 7; μάταιος : Cor. I, XV, 17; εἰς κενόν : Cor. II, VI, 1; Gal. II, 2; Thess. I, III, 5; κενός : Cor. I, XV, 14 (ubi adverbium ut adjectivum usurpatur); δωρεάν : Gal. II, 21.

SVARTS (vet. norv. *svartr*, angl. sax. *sveart*, vet. sax. *suart*, vet. fr. *swart*, angl., suec., batav. *svart*, dan. *sort*, rec. sup. germ. *schwarz*; Rchth. 1057), adject., niger, μέλας : Mth. V, 36.

SVARTIZL, neutr., nigredo, μέλαν : Cor. II, III, 3.

SVARTIZLA, fem., id., Cor. II, III, 3 h. l.

SVE, vid. sub *Sva*.

SVEGNJAN (*svignjan* Joan. V, 35; Col. III, 15; coll. angl. sax. *svegian*, vet. sax. *suogan*), conj. II, gaudere, exsultare, ἀγαλλιάζειν : Luc. I, 47; X, 21; Joan. V, 35; βραβεύειν : Col. III, 15.

SVEGNIÞA (*svigniþa* Luc. I, 44), fem., gaudium, lætitia, exsultatio, ἀγαλλίασις : Luc. I, 14, 44.

SVEIBAN (vet. norv. *svefia*), conj. I, *svaif*, *svibun*, *svibans*, relinquere, cessare, διαλείπειν : Luc. VII, 45.

UN-SVEIBANDS, part. præs., incessans, inquietus, οὐ πανόμενος : Eph. I, 16; ἀδιάλειπτος : Thess. I, II, 13; V, 17; Tim. II, I, 3.

SVEIN (vet. norv., angl. sax., suec. *svin*, vet. sup. germ. *suu*, *swin*, vet. sax. *suin*, vet. fr. *swin*, angl. *swine*, dan. *svin*, batav. *zwijn*, rec. sup. germ. *schwein*; lat. *sus*, gr. ὗς : Gr. III, 329; Gf. VI, 63; Rchth. 1062), neutr., porcus, χοῖρος : Mth. VIII, 30; Mc. V, 11, 12, 13, 14, 16; Luc. VIII, 32, 33; XV, 15, 16.

* SVEIPAN (vet. norv. *svipa*, *sopa*, angl. sax. *svapan*, angl. *sweep*, rec. sup. germ. *schweppern*; Gr. II, 13; DM. 472), conj. II, inundare.

MIDJA-SVEIPAINS, fem., inundatio, κατακλυσμός : Luc. XII, 27.

SVERAN (angl. sax. *syrvan*), conj. I, *saisvor*, *sverans*, insidiari, ἐνέχειν : Mc. VI, 19 vid. ad h. l.

SVERS (angl. sax. *svær*, rec. sup. germ. *schwer*),

Digitized by Google

adject., honoratus, ἔντιμος : Luc. VII, 2; Philpp. II, 29.

UN-SVERS, inhonoratus, ἄτιμος : Mc. VI, 4; Cor. I, IV, 10.

SVERIÞA, fem., honor, τιμή : Col. II, 23; Thess. I, IV, 4; Tim. I, I, 17; VI, 1; Tim. II, II, 21; Skeir. V, a, c, d.

UN-SVERIÞA, dedecus, ignominia, ἀτιμία : Cor. II, XI, 21.

ALL-SVEREI, fem., rectitudo, simplicitas, ἁπλότης : Rom. XII, 8.

UN-SVEREI, infamia, ἀτιμία : Cor. II, VI, 8.

SVERAN, conj. II, 1) honorare, τιμᾶν : Mc. VII, 6, 10; X, 19; Luc. XVIII, 20; Joan. V, 23; VIII, 49; XII, 23, 26; Tim. I, V, 3; ἡγεῖσθαι : Thess. I, V, 13; 2) glorificare, δοξάζειν : Joan. XII, 23.

GA-SVERAN, glorificare, δοξάζειν : Joan. XII, 16; XIII, 31.

UN-SVERAN, inhonorare, ἀτιμάζειν : Luc. XX, 11; Joan. VIII, 49.

SVERAINS, fem., honor, τιμή : Tim. II, II, 20.

UN-SVERAINS, dedecus, infamia, ἀτιμία : Tim. II, II, 20.

SVES (angl. sax. *sves*, vet. sax., vet. sup. germ. *suas*, vet. fr. *swes*; Gr. II, 52; DRA. 491; Rchth. 1060), neutr., proprietas, facultas, οὐσία : Luc. XV, 13; βίος : Luc. XII, 12, 30.

SVES, adject., proprius, pertinens, ἴδιος : Mc. XV, 20; Luc. VI, 44; Joan. X, 3, 12; XV, 19; Rom. XI, 24; Cor. I, VII, 7; IX, 7; Cor. II, V, 10 (vid. ad h. l.); Gal. VI, 5, 9; Eph. IV, 28; Thess. I, II, 15; IV, 11; Tim. I, II, 6; IV, 2; V, 4, 8; VI, 15; Tit. I, 3, 12; Skeir. I, c; V, b; οἰκεῖος : Gal. VI, 10.

* SVI, præposit. inseparab.

SVI-KUNÞS, vid. sub *Kunnan*.

SVIBLS (angl. sax. *svefel*, vet. sup. germ. *sueful*, suec. *svafvel*, dan. *svovel*, rec. sup. germ. *schwefel*; Gr. III, 381), masc., sulfur, θεῖον : Luc. XVII, 29.

* SVIGGVAN (vet. norv. *svigna*, angl. sax. *svengan*, vet. sax. *suingan*, vet. fr. *swinga*, angl. *swing*, suec. *svinga*, dan. *svinge*, rec. sup. germ. *schwingen*; Gr. II, 37; Rchth. 1062), conj. I, *svaggv*, *svuggvun*, *svuggvans*, nutare, fluctuari.

* SVAGGVJAN, conj. II, vibrare.

AF-SVAGGVJAN, 1) vibrare; 2) incertum, fluctuantem reddere, in passivo, hæsitare, ἐξαπορεῖσθαι : Cor. II, 4, 8 h. l.

SVIGLON (vet. norv. *svig*? angl. sax. *sveg*, vet. sup. germ. *suekala*; Gr. III, 468), conj. II, tibicinare, αὐλεῖν : Mth. XI, 17; Luc. VII, 32.

SVIGNJAN, i. q. *Svegnjan*.

SVIGLJA, masc., tibicen, αὐλητής : Mth. IX, 23.

SVIKNS (vet. norv. *sykn*; coll. vet. sax. *suigli*, Schm. *Glosæ Hel.* 105), adject., innocens, innoxius, ἀθῷος : Mth. XXVII, 4; ἁγνός : Cor. II, XI, 2; Tim. I, V, 23, ὅσιος : Tim. I, II, 8.

SVIKNABA, adverb., sincere, ἁγνῶς : Philpp. I, 16.

SVIKNEI, fem., puritas, castitas, ἁγνεία : Gal. V, 23: Tim. I, V, 2; ἁπλότης : Cor. II, XI, 3.

SVIKNÞA, fem., id., ἁγνότης : Cor. II, VI, 6; ἁγνεία : Tim. I, IV, 12.

* SVIKNJAN, conj. II, purificare.

SVIKNEINS, fem., purificatio, καθαρισμός : Joan. III, 25; Skeir. III, b; IV, a.

SVIKUNÞS, vid. sub *Kunnan*.

* SVILLAN (vet. norv. *svella*, angl. sax. *svellan*, vet. sax. *suellan*, vet. fr. *swella*, angl. *swell*, suec. *svälla*, dan. *svulme*, rec. sup. germ. *schwellen*; Rchth. 1058), conj. I, *svall*, *svullun*, *svullans*, tumescere.

* SVALLJAN, conj. II, tumefacere.

UF-SVALLEINS, fem., inflatio, superbia, φυσίωσις : Cor. II, XII, 20.

SVILTAN (vet. norv. *svelta*, *sulta*, angl. sax. *sveltan*, vet. sax. *suellan*, dan. *sulte*; Gr. II, 52); conj. I, *svalt*, *svultun*, *svultans*, mori, ἀποθνήσκειν : Luc. VIII, 42.

GA-SVILTAN, id., ἀποθνήσκειν : Mth. IX, 24; Mc. V, 35; IX, 26; XII, 20, 22; Luc. VIII, 52, 53, XVI, 22; XX, 30, 31, 36; Joan. VI, 49; XI, 14, 16, 32; XII, 24; XVIII, 32; XIX, 7; Rom. VII, 2, 3; XIV, 15; Cor. I, XV, 5, 31, 32, 51; Cor. II, V, 15; VI, 9; Gal. II, 19, 21; Philpp. I, 21; Col. II, 20; Thess. I, IV, 14; V, 10; θνήσκειν : Mc. XV, 44; τελευτᾶν : Mth. IX, 18; Mc. IX, 44, 46; κοιμᾶσθαι : Cor. I, XV, 51.

MIÞGA-SVILTAN, commori, συναποθνήσκειν : Cor. II, VII, 3.

SVULTA-VAIRÞJA, vid. sub *Vairþs*.

* SVIMMAN (vet. norv. *sveima*, *svæmla*, angl. sax. *svimman*, vet. sup. germ. *suimman*, angl. *svim*, *swamp*, suec. *simma*, *sump*, dan. *svimme*, *svømme*, rec. sup. germ. *schwimmen*, *schwemmen*, *sumpf*; Gr. II, 33), conj. I, *svam*, *svummun*, *svummans*, natare.

SVUMSL (*svumfsl* Joan. IX, 11), neutr., natatorium, κολυμβήθρα : Joan. IX, 7, 11.

SVINÞS (vet. norv. *svinnr*, angl. sax. *svið*, vet. sax. *suith*, batav. *sviidig*, rec. sup. germ. *geschwind*; Gr. II, 60), adject., compar. *svinþoza*, fortis, robustus, sanus, ἰσχυρός : Mth. III, 11; Mc. I, 7; III, 27; Luc. III, 16; Cor. I, IV, 10; X, 22; Cor. II, X, 10; ἰσχύων : Mc. II, 17; δυνατός : Cor. II, XIII, 9.

SVINÞEI, fem., potentia, ἰσχύς : Eph. I, 19; VI, 10; κράτος : Luc. I, 51.

SVINÞJAN, conj. II, prohibere, κρατεῖν : Neh. V, 16.

GA-SVINÞJAN, corroborare, δυναμοῦν : Col. I, 11.

IN-SVINÞJAN, id., κραταιοῦν : Eph. III, 16 h. l.; ἐνδυναμοῦν : Eph. VI, 10; Philpp. IV, 13; Tim. I, I, 12; Tim. II, II, 1.

SVINÞNAN, conj. III, potens fieri, corroborari, κραταιοῦσθαι : Luc. I, 80; II, 40.

GA-SVINÞNAN, id., Eph. III, 16.

SVISTAR (vet. norv. *syster*, angl. sax. *svuster*, vet. sax., vet. sup. germ. *suestar*, vet. fr. *suster*, *swester*, angl. *sister*, suec. *syster*, dan. *søster*, batav. *suster*, rec. sup. germ. *schwester*; lat. *soror*; Gr. II, 52; III, 322; Rchth. 1061), fem. anom., soror, ἀδελφή : Mc. III, 32, 35; VI, 3; X, 30; Luc. XIV, 26; Joan. XI, 1, 3, 5, 28, 39; Cor. I, VII, 15; IX, 5; Tim. I, V, 2.

SVULTA, vid. sub *Sviltan*.

SVUMSL, vid. sub *Svimman*.

SYMAION, nom. propr. masc., Συμεών : Luc. II, 25, 34; III, 30.

SYNAGOGE (voc. gr.), fem., synagoga, συναγωγή : Mc. I, 21, 23, 29, 39; VI, 2; Luc. IV, 16, 20, 28, 33, 44; VI, 6; VII, 5; VIII, 41, 49; Joan. VI, 59; IX, 22; XII, 42.

SYNAGOGA-FAÞS, vid. sub *Faþs*.

SYNTYKE, nom. propr. fem., Συντύχη : Philpp. IV, 2.

SYRIA, nom. propr. fem., Συρία : Luc. II, 2.

* SVOGJAN (angl. sax. *sican*, *siccettan*, angl. *sigh*, *sob*, suec. *sucka*, dan. *sukke*, vet. sup. germ. *suæfton*, rec. sup. germ. *seufzen*; Gf. VI, 173), conj. II, suspirare.

GA-SVOGJAN, id., στενάζειν : Mc. VII, 43.

UF-SVOGJAN, id., ἀναστενάζειν : Mc. VIII, 12.

SVOGATJAN, id., στενάζειν : Cor. II, V, 2, 4.

SO, vid. sub *þata*.

SOþ, vid. sub *Saþan*.

SOKJAN, vid. sub *Sakan*.

SOSEIPATRUS, nom. propr. masc., Σωσίπατρος : Rom. XVI, 21.

T

TAGL (vet. norv. *tagl*, angl. sax. *tægel*, vet. sup. germ. *zakal*, angl. *tail*, suec. *tagel*; Gr. II, 52; III, 408; DRA. 283), neutr., capillus, θρίξ : Mth. V, 36; X, 30; Mc. I, 6.

TAGR (vet. fr., vet. norv. *tar*, vet. sup. germ. *zahar*, angl. sax., angl. *tear*, suec. *tår*, dan. *taare*, rec. sup. germ. *zähre*; gr. δάκρυ; Bopp 81; Gr. II, 53; Gf. V, 631; Rchth. 1065), neutr., lacryma, δάκρυ et

Digitized by Google

δάκρυον : Mc. IX, 24; Luc. VII, 38, 44; Cor. II, II, 4; Tim. II, I, 4.

TAGRJAN, conj. II, lacrymari, δακρύειν : Joan. XI, 35.

TAHJAN (angl. sax. *teahhian*, vet. fr. *tia*, vet. sup. germ. *zah*; coll. vet. norv. *taka*, angl. *take*, suec. *taga*, dan. *tage*; Gf. V, 583; Rchth. 1082), conj. II, 1) lacerare, σπαράττειν : Mc. I, 26; IX, 20, 26; Luc. IX, 39; συσπαράττειν : Luc. IX, 42; 2) dispergere, diffundere, σκορπίζειν : Cor. II, IX, 9.

DIS-TAHJAN, 1) dilacerare, διασκορπίζειν : Luc. I, 51; σκορπίζειν : Joan. X, 12; XVI, 32; 2) dispergere, διασκορπίζειν : Luc. XV, 13; XVI, 1.

DIS-TAHEINS, fem., dispersio, διασπορά : Joan. VII, 35.

TAIHUN (vet. norv. *tiu*, vet. sax. *tehan*, angl. sax. *tyn*, vet. sup. germ. *zehan*, vet. fr. *tian*, *tien*, angl. *ten*, suec. *tio*, dan. *ti*, batav. *tien*, rec. sup. germ. *zehn*; lat. *decem*, gr. δέκα; Bopp 81, 84; Gr. I, 762; II, 17; Gf. V, 627; Rchth. 1083), numerale, decem, δέκα : Mc. X, 41; Luc. XIV, 31; XV, 8; XVII, 12, 17; XIX, 13, 16, 17, 24, 25; Cor. I, XV, 6.

FIDVOR-TAIHUN, quatuordecim, δεκατέσσαρα : Cor. II, XII, 2; Gal. II, 1.

FIMF-TAIHUN, quindecim, δεκαπέντε : Joan. XI, 18.

TAIHUNDA, ordinale, decimus : Luc. XVIII, 12.

FIMFTA-TAIHUNDA, decimus quintus, πεντεκαιδέκατος : Luc. III, 1.

TAIHUN-TAIHUND (*taihuntehund* Luc. XV, 4), numerale indecl., centum, ἑκατόν : Luc. XV, 4; XVI, 6, 7.

TAIHUNTAIHUND-FALÞS, vide sub *FalÞan*.

TAIHSVS (gr. δεξιός, lat. *dexter*; coll. *Teihan*; Gr. III, 629), adject. (in debili tantum forma occurrens), dexter, δεξιός : Mth. V, 29, 30, 39; Mc. XIV, 47; Luc. VI, 6; Joan. XVIII, 10; Cor. II, VI, 7; fem., *taihsvo*; ut subst., dextera, δεξιά : Mth. VI, 3; Mc. X, 37, 40; XII, 36; XV, 27; Luc. I, 11; XX, 42; Rom. VIII, 34; Gal. II, 9; Eph. I, 20.

TAIHSVA, fem., dextera, δεξιά : Mc. XVI, 5; Col. III, 1.

TAIKNS (vet. norv. *takn*, angl. sax. *tacen*, vet. sax. *tecan*, vet. sup. germ. *zeihhan*, vet. fr. *teken*, angl. *token*, suec. *tecken*, dan. *tegn*, batav. *teeken*, rec. sup. germ. *zeichen*; lat. *signum*; coll. *Teihan*; Bopp 128; Gf. V, 591; Rchth. 1066), fem., signum, prodigium, σημεῖον : Mc. VIII, 11, 12; XIII, 22; Luc. II, 12, 34; Joan. VI, 2, 14, 26, 30; VII, 31; IX, 16; X, 41; XI, 18, 37; Cor. I, I, 22; Cor. II, XII, 12; ἔνδειγμα : Thess. II, I, 5; Skeir. VI, c.

TAIKNJAN, conj. II, ostendere, δεικνύναι : Mc. XIV, 15; Tim. I, VI, 15; Skeir. V, a; *us liutein sik taiknan*, se simulare, ὑποκρίνεσθαι ἑαυτόν : Luc. XX, 20.

GA-TAIKNJAN, ostendere, ὑποδεικνύναι : Luc. III, 7.

US-TAIKNJAN, 1) designare : Skeir. VJH, d; 2) ostendere, proponere, exponere, ἐνδείκνυσθαι : Rom. IX, 22; Cor. II, VIII, 24; Tim. II, IV, 14; συνιστᾶν : Cor. II, IV, 2; VI, 4; VII, 11; Gal. II, 18; ἀποδεικνύναι : Cor. I, IV, 9; Skeir. I, b; VII, c; 3) designare, ἀναδεικνύναι : Luc. X, 1; Skeir. II, a; V, d; *hrÞeigana ustaiknjan*, victorem reddere, efficere, victoriam largiri, θριαμβεύειν : Cor. II, II, 14.

US-TAIKNEINS, fem., ostensio, ἀνάδειξις : Luc. I, 80; ἔνδειξις : Cor. II, VIII, 4; Philpp. I, 28; Skeir. V, c.

TAINS (vet. norv. *teinn*, angl. sax. *tan*, vet. sup. germ. *zein*, vet. fr. *ten*, batav. *teene*, rec. sup. germ. *zain*; Gr. II, 45; III, 347, 411, 460; Gf. V, 673; Rchth. 1066), masc., ramus, κλῆμα : Joan. XV, 2.

VEINA-TAINS, palmes, κλῆμα : Joan. XV, 4, 5, 6.

TAINJO, fem., cophinus, κόφινος : Mc. VIII, 19; Luc. IX, 17; Joan. VI, 13; Skeir. VII, c.

* TAIRAN (vet. sup. germ. *zeran*, vet. sax. *terian*, angl. sax. *terun*, angl. *tear*, suec. *tära*, dan. *tære*, rec. sup. germ. *zehren*; gr. τείρειν, lat. *terere*; Gr. II, 31; Gf. V, 691), conj. I, *tar*, *terun*, *taurans*, dissolvere, abrogare.

GA-TAIRAN, id., λύειν : Mth. V, 19; Joan. VII, 23; X, 35; Eph. II, 14; καταλύειν : Mth. V, 17; Mc. XIV, 58; XV, 29; Rom. XIV, 20; Cor. II, V, 1; Gal. II, 18; καθαιρεῖν : Cor. II, X, 5; καταργεῖν : Cor. I, XIII, 8; XV, 24; Cor. II, III, 14; Gal. V, 11; Eph. II, 15; Tim. II, I, 10.

DIS-TAIRAN, 1) scindere, disrumpere, ῥήσσειν : Mc. II, 22; Luc. V, 37; 2) corrumpere, δολοῦν : Gal. V, 9.

GA-TAURA, masc., fissura, σχίσμα : Mth. IX, 16; Mc. II, 21.

GA-TAURÞS, fem., eversio, καθαίρεσις : Cor II, X, 4, 8; XIII, 10.

AF-TAURNAN, conj. III, scindi, rumpi, σχίζειν : Luc. V, 36.

GA-TAURNAN, destrui, καταργεῖσθαι : Cor. I, XIII, 8, 10; Cor. II, III, 7, 11, 13.

DIS-TAURNAN, disrumpi, ῥηγνυσθαι : Mth. IX, 17.

TAITRARKES (voc. gr.), tetrarchus, τετράρχης : Luc. III, 19; IX, 7.

TALEÞA KUMEI (voc. hebr.) ταλιθὰ κουμί : Mc. V, 41.

TALZJAN, vid. sub *Tilan*.

TALS, vid. sub *Tilan*.

TAMJAN, vid. sub *Timan*.

TANDJAN, vid. sub *Tindan*.

* TANI (DM. 639), neutr., signum

FAURA-TANI, prodigium, τέρας : Mc. XIII, 22; Joan. VI, 26; Cor. II, XII, 12.

TAUHTS, vid. sub *Tiuhan*.

TAUJAN, vid. sub *Tivan*.

TAURA, vid. sub *Tairan*.

* TARHJAN, conj. II, defamare.

GA-TARHJAN, id. δειγματίζειν : Col. II, 15; σημειοῦσθαι : Thess. II, III, 14; Skeir. IV, d; partic. pass. *gatarhids*, reprehensus, κατεγνωσμένος : Gal. II, 11; ἐπίσημος : Mth. XXVII, 16; ἔνοχλος : Tim. II, III, 9 h. l.

TARMJAN (a *Tairan?*), conj. II, errumpere, ῥήσσειν : Gal. IV, 27.

* TARNJAN (vet. sup. germ. *tarnjan*, angl. sax. *dearn*, vet. sax. *dernian*, *darno*, vet. fr. *dern*, med. sup. germ. *tarnen*, rec. sup. germ. *tarnkappe*; Gf. V, 457; Rchth. 684), conj. II, occultare.

GA-TARNJAN, id., *at þaimei gatarniþ ist sunja*, ἀποστερημένοι τῆς ἀληθείας : Tim. I, VI, 5.

* TASS (gr. τάσσειν?), adject., determinatus, ordinatus.

UNGA-TASS, inordinatus, ἄτακτος : Thess. I, V, 14.

UNGA-TASSABA, adverb., id., ἀτάκτως : Thess. II, III, 6, 11.

* TEHUND (coll. *Taihun*), numerale, decem, —decim.

SIBUN-TEHUND, vid. sub *Sibun*.

AHTAU-TEHUND, vid. sub *Ahtau*.

NIUN-TEHUND, vid. sub *Niun*.

TAIHUN-TAIHUND, vid. sub. *Taihun*.

TEIBAIRIUS, nom. propr. masc., Τεβέριος : Luc. III, 1.

* TEIHAN (angl. sax. *tæcan*, vet. sax. *tihan*, vet. fr. *tigia*, vet. sup. germ. *zihan*, angl. *teach*, rec. sup. germ. *zeihen*, *zeigen*; lat. *dicere*, *dicare*, gr. δεικνύναι; coll. *Taikns*; Gr. II, 17; DRA. 855; Gf. V, 585; Rchth. 1085), conj. I, *taih*, *taihun*, *taihans*, commemorare, prædicare.

GA-TEIHAN, prædicare, annuntiare, evangelizare, ἀπαγγέλλειν : Mth. VIII, 33; XI, 4; Mc. VI, XVI, 10; Luc. VII, 18, 22; VIII, 20; XXXIV, 36, 47; IX, 36; XIV, 21; XVIII, 37; Cor. I, XIV, 25; ἀναγγέλλειν : Mc. V, 14, 19; Joan. XVI, 13, 25; Cor. II, VII, 7; διαγγέλλειν : Rom. IX, 17; καταγγέλλειν : Col. I, 28; χρηματίζειν : Luc. II, 26; εὐαγγελίζεσθαι : Thess. I, III, 6; *garaihtana gateihan*, vid. sub *Raihts*; *sunja gateihan*, vid. sub *Sunja*.

FAURAGA-TEIHAN, prædicere, προειπεῖν : Mc. XIII, 23; Cor. II, XIII, 2.

TEIKAN, i. q. *Tekan*.

TEIMAIUS, nom. propr. masc., Τιμαῖος : Mc. X, 46.

TEIMAUÞAIUS (*þeimauþaius* Tim. I, inscr.; I, 2),

Digitized by Google

nom. propr. masc., Τιμόθεος : Cor. I, XVI, 10; Cor. II, I, 1, 19; Thess. I, III, 2, 6; Thess. II, I, 1; Tim. I, inscr.; I, II, 18; Tim. II, I, 2.

TEITUS, nom. propr. masc., Τίτος : Cor. II, II, 13; VII, 6, 13, 14; VIII, 6, 23; Gal. II, 1, 3; Tim. II, IV, 10; Tit. I, 4.

TEKAN (*teikan* Col. II, 21; gr. ΤΑΓΩ, τεταγών, lat. *tangere*), conj. I, *taitok, taitokun, tekans*, tangere, ἅπτεσθαι : Mc. V, 30, 31; Luc. VII, 39; VIII, 45, 46; Col. II, 21.

AT-TEKAN, id., Mth. VIII, 3, 15; IX, 20, 21, 29; Mc. III, 10; V, 27, 28; VI, 56; VII, 33; VIII, 22; X, 13; Luc. V, 13; VI, 19; VII, 14; VIII, 44, 47; XVIII, 15; Cor. II, VI, 17.

TEMS, vid. sub *Timan*.

TERTIUS, nom. propr. masc., Τέρτιος : Rom. XVI, 22.

TEVA, vid. sub *Tivan*.

TIBAIRIADUS, nom. propr. masc., Τιβεριάς : Joan. VI, 1, 23.

* TIGUS (vet. norv. — *tiu*,—*tigi*, angl. sax.—*teg, tig*, vet. sax. — *tig*, — vet. fr. — *tich*, — *tech*, vet. sup. germ. — *zic*, — *zug*, angl. — *ty*, rec. sup. germ. — *sig*; coll. *Taihun*; Gr. I, 765; II, 17; DRA. 216; Gf. V, 624; Rchth. 1083), numerale masc., decem —decim.

TVAI-TIGJUS, vid. sub *Tvai*.

ÞREIS-TIGJUS, vid. sub *þreis*.

FIDVOR-TIGJUS, vid. sub *Fidvor*.

FIMF-TIGJUS, vid. sub *Fimf*.

SAIHS-TIGJUS, vid. sub *Saihs*.

* TILAN (vet. norv. *til, tal, tala, telia*, angl. sax. *til, tilian, tale, tellan*, vet. fr. *til*, vet. sup. germ. *zil, zal, zala*, angl. *till, tale, tell*, suec. *til, tala*, dan. *til, tale*, rec. sup. germ. *ziell, zahl*; Gr. II, 54; III, 602; Gf. V, 656; Rchth. 1085), conj. I, *tal, telun, tulans*, convenire, accommodari.

TILS, adject., aptus, opportunus; *til du vrohjan*, quod ad accusandum inservit, ratio incriminandi, κατηγορία : Luc. VI, 7.

GA-TILS, id., εὔκαιρος : Mc. VI, 21; εὐθετος : Luc. IX, 62.

GA-TILABA, adverb., opportune, εὐκαίρως : Mc. XIV, 11.

UN-TILA-MALSKS, vid. sub *Malsks*.

AND-TILON, conj. II, servire, auxiliari, ἀντέχεσθαι : Luc. XVI, 13; Skeir. VII, a.

GA-TILON, assequi, τυγχάνειν : Tim. II, II, 10.

GAGA-TILON, componere, συναρμολογεῖν : Eph. II, 21; IV, 16.

* TALS, adject. aptus, doctus.

UN-TALS, 1) stultus, indoctus, ineptus, ἀπαίδευτος : Tim. II, II, 23; 2) inordinatus, ἀνυπότακτος : Tim. I, I, 9; 3) incredulus, ἀπειθής : Luc. I, 17.

TALZJAN, conj. II, adaptare, instruere, edocere, παιδεύειν : Cor. II, VI, 9; Tim. II, II, 25; νουθετεῖν : Col. I, 28; III, 16; Thess. I, V, 14; Thess. II, III, 15.

TALZJANDS, partic. ut subst., magister, ἐπιστάτης : Luc. V, 5; VIII, 24, 45; IX, 33, 49; XVII, 13.

GA-TALZJAN, docere, παιδεύειν : Tim. I, I, 20.

TALZEINS, fem., doctrina, disciplina, παιδεία : Tim. II, III, 16.

* TIMAN (vet. norv. *tamr, temia*, vet. sup. germ. *zemen, zam, zemjan*, vet. sax. *teman*, vet. fr. *tima, tam, tema*, angl. sax. *tam, tamian*, angl. *tame*, suec. *tam, tamja*, dan. *tam, tæmme*, batav. *tam, temmen*, rec. sup. germ. *ziemen, zahm*; gr. δαμᾶν, lat. *domare*; Gr. II, 30; Gf. V, 661; Rchth. 1064, 1066, 1086), conj. I, *tam, temun, tumans*, convenire.

GA-TIMAN, id., συμφωνεῖν : Luc. V, 36.

GA-TAMJAN, conj. II, domare, δαμᾶν : Mc. V, 4.

GA-TEMIBA, adverb., decens, conveniens : Skeir. II, d.

TIMRJAN (*timbrjan* Luc. XIV, 28, 30; vet. norv. *timbra*, angl. sax. *timbrian*, vet. sax. *timbrian, timbron*, vet. sup. germ. *zimbaron*, vet. fr. *timbra, timmera*, angl. *timber*, suec. *timbra*, dan. *tømre*, batav. *timmeren*, rec. sup. germ. *zimmern*; Gf. V, 669, Rchth. 1086) conj. II, ædificare, οἰκοδομεῖν : Luc. VI, 48, 49; XIV, 28, 30; XVII, 28; Cor. I, VIII, 10; X, 23; Gal. II, 18; Thess. I, V, 11.

ANA-TIMRJAN, superædificare, ἐποικοδομεῖν : Eph. II, 20.

GA-TIMRJAN, ædificare, οἰκοδομεῖν : Mth. VII, 24, 26; Mc. XII, 1; XIV, 58; XV, 29; Luc. IV, 29; VII, 5; Neh. VII, 1.

MIÞGA-TIMRJAN, coædificare, συνοικοδομεῖν : Eph. II, 22.

TIMRJA, masc., faber, ædificans, οἰκοδομῶν : Mc. XII, 10; Luc. XX, 17; τέκτων : Mc. VI, 3.

TIMREINS, fem., ædificium, ædificatio, οἰκοδομή : Rom. XIV, 19; Cor. I, XIV, 26; Cor. II, X, 8; Eph. IV, 12, 16, 29; Tim. I, I, 4.

GA-TIMREINS, id., Cor. II, XII, 19; XIII, 10.

GA-TIMRJO, fem., id., Cor. II, V, 1; Eph. II, 21.

* TINDAN (vet. norv. *tândra*, angl. sax. *tendan*, vet. sup. germ. *zuntjan*, angl. *tind*, suec. *tända*, dan. *tænde*, rec. sup. germ. *zünden*; Gr. II, 59; Gf. V, 686), conj. I, *tand, tundun, tundans*, urere.

TANDJAN, conj. II, accendere, ἅπτειν : Luc. VIII, 16; XV, 8.

GA-TANDJAN, cauteriare, καυτηριάζειν : Tim. I, IV, 2.

IN-TANDJAN, accendere, incendere, καταιθειν : Luc. III, 17.

TUNDNAN, conj. III, accendi, πυροῦσθαι : Cor. II, XI, 29.

IN-TUNDNAN, id., Cor. I, VII, 9.

TIUHAN (vet. norv. *toga*, angl. sax. *teon*, vet. sax. *tiohan*, vet. fr. *tia, toga*, vet. sup. germ. *ziuhan*, angl. *tug*, rec. sup. germ. *ziehen*; lat. *ducere*; Gr. II, 24; Gf. V, 600; Rchth. 1082, 1090), conj. I, *tauh, tauhun, tauhans*, trahere, ducere, ἄγειν : Luc. IV, 1; XVIII, 40; Joan. XVIII, 28; Cor. II, X, 5; Gal. V, 18; Thess. I, IV, 14; Tim. II, III, 6; ἀπάγειν : Mc. XIV, 44; ὁδηγεῖν : Luc. VI, 39; Skeir. IV, b; *frakunþanana tiuhan*, vid. sub *Hinþan*; *gafahanana tiuhan*, vid. sub *Fahan*.

AT-TIUHAN, attrahere, adducere, προσάγειν : Luc. IX, 41; εἰσάγειν : Luc. XIV, 21; Joan. XVIII, 16; ἄγειν : Mc. XI, 2; XV, 22; Luc. XIX, 30, 35; Joan. VII, 45; XIX, 4; Skeir. VIII, b; *dalaþ attiuhan*, vid. sub *Dal*.

INNAT-TIUHAN, inducere, εἰσάγειν : Luc. II, 27.

AF-TIUHAN, reducere, ἐπανάγειν : Luc. V, 3; προσλαμβάνεσθαι : Mc. VIII, 32.

BI-TIUHAN, 1) circumducere, περιάγειν : Cor. I, IX, 5; 2) circumire, quærere, c. accus., περιάγειν : Mth. IX, 35; Mc. VI, 6.

GA-TIUHAN, ducere, abducere, ἄγειν : Luc. IV, 9; Joan. IX, 13; ἀπάγειν : Mth. XXVII, 2; Mc. XIV, 53; XV, 16; Joan. XVIII, 13; κατάγειν : Luc. V, 11; *du staua gatiuhan*, vid. sub *Staua*.

MIÞGA-TIUHAN, simul abripere, συναπάγειν : Gal. II, 13.

US-TIUHAN, 1) educere, expellere, ἐξάγειν : Mc. VIII, 23; XV, 20; Joan. X, 3; ἐκβάλλειν : Mc. I, 12; Joan. X, 4; ἀνάγειν : Luc. IV, 5; ἀναφέρειν : Mc. IX, 2; *ïup ustiuhan*, sursum educere, ἀνάγειν : Rom. X, 7; 2) absolvere, terminare, finire, τελεῖν : Mth. X, 23; XXVI, 1; Luc. II, 39; XVIII, 31; Cor. II, XII, 9; Gal. V, 6, 16; Tim. II, IV, 7; Neh. VI, 15; τελειοῦν : Luc. II, 43; Joan. XVII, 4, 23; ἐκτελεῖν : Luc. XIV, 29, 30; συντελεῖν : Mth. VII, 28; Luc. IV, 2, 13; Rom. IX, 28; ἐπιτελεῖν : Cor. II, VII, 1; VIII, 6, 11; Gal. III, 3; καταρτίζειν : Luc. VI, 40 h. l.; Cor. II, XIII, 11; Thess. I, III, 10; παριστάναι : Eph. V, 27; κατεργάζεσθαι : Cor. II, VII, 10; *du ustiuhan*, πρὸς ἀπαρτισμόν : Luc. XIV, 28; hinc part. pass. *ustauhans*, consummatus, perfectus, τέλειος : Rom. XII, 2; Cor. I, XIII, 10; ἄρτιος : Tim. II, III, 17; Skeir. I, a; 3) neutraliter, absolvere, in solis subscriptionibus epistolarum ad Rom., Cor. I et II, Gal., Eph., Col., Thess. II; 4) exsolvere, τελεῖν : Rom. XIII, 6.

US-TAUHTS, fem., consummatio, perfectio, τελειώτης :

Digitized by Google

Col. III, 14; τελείωσις: Luc. I, 45; τέλος: Rom. X, 4; κατάρτισις: Cor. II, XIII, 9.

US-TAUHEI, fem., id., καταρτισμός: Eph. IV, 12.

* TIVAN (vet. norv. *tivaskr*, vet. sup. germ. *zawian*, *gizawa*, angl. sax. *tavian*, angl. *taw*, batav. *touwen*; Gf. V, 713; Schm. IV, 209) conj. I, *tau*, *tevun*, *tivans*, paratum esse.

TAUJAN, conj. II, 1) facere, ποιεῖν: Mth. V, 46; VIII, 9; IX, 28; Mc. II, 24; III, 8; V, 32; VII, 8, 13; X, 17; XI, 3, 5, 28, 33; XII, 9; Luc. III, 10, 11, 12, 14; IV, 23; V, 6; VI, 2, 46, 49; VII, 8; X, 25, 28; XVI, 3, 4; XVIII, 18; XX, 2, 13; Joan. VI, 6, 28, 39; VII, 4, 51; VIII, 28, 38, 40; IX, 33; XIII, 15, 17, 27; XIV, 13, 14, 31; XV, 5, 14, 15; XVI, 3; Rom. VII, 15, 16, 20; XII, 20; Cor. I, IX, 23; X, 31; XVI, 1; Cor. II, VIII, 10, 11; XI, 12; XIII, 7; Gal. II, 10; V, 17; VI, 9; Eph. III, 20; VI, 8; Col. III, 13, 17, 23; Thess. I, V, 11; Thess. II, III, 4; Tim. I, IV, 16; V, 21; Philem. 14; πράττειν: Rom. VII, 15, 19; IX, 11; XIII, 4; Gal. V, 21; Eph. VI, 21; Phlpp. IV, 9; Thess. I, IV, 11; τελειοῦν: Joan. V, 36; etiam in plurimis formulis, ubi Græcus ποιεῖν quoque usurpat, ut: *viljan taujan* Joan. VI, 38; VII, 17; IX, 31; Eph. II, 3; *lustuns taujan* Joan. VIII, 44; *fravaurht taujan* Cor. II, XI, 7; *vaurstv taujan* Joan. V, 36; VII, 3; VIII, 39, 41; X, 37, 38; XIV, 10, 12; *taikn taujan* Joan. VI, 30; VII, 31; IX, 16; *anabusn taujan* Mth. V, 19; *þo anabudanona taujan* Luc. XVII, 10; *vitoþ taujan* Joan. VII, 19; Gal. V, 3; *vaurd taujan* Mth. VII, 24, 26; Luc. VI, 47; VIII, 21; *armahairtiþa taujan* Luc. I, 72; *garaihtein taujan* Rom. X, 5; *sunja taujan* Eph. IV, 15; *gavairþi taujan*, vid. sub *Vairþan*; *usrahst taujan* Eph. IV, 16; *akran taujan* Luc. VI, 43; VIII, 8; *staua taujan* Skeir. V, c; *garuni taujan* Mc. XV, 1; *bidos taujan* Luc. V, 33; Tim. I, II, 1; *armaion taujan* Mth. VI, 1, 2, 3; et subauditis similibus vocabulis Cor. I, XVI, 2 *warjizuh izvara fram sis silbin taujai* (τιθέτω); *freihals taujan* (ἐλευθερίαν διδόναι?) Gal. V, 13; *vaila taujan*, benefacere, εὖ ποιεῖν: Mc. XIV, 7; καλῶς ποιεῖν: Mth. V, 44; Luc. VI, 27; καλοποιεῖν: Thess. II, III, 13; *harduba taujan*, dure facere, agere, ἀποτόμως χρῆσθαι: Cor. II, XIII, 10; *vairaleiko taujan*, vid. sub *Leiks*; *þiuþ taujan*, vid. sub *þiuþ*; *galiug taujan*, vid. sub *Liugan*; præter accusativum rei, quæ agitur, vel adverbium, quomodo res agitur, adest etiam dativus hujus, cui res agitur, vel cum quo fit aliquid, etc., hinc: Mth. VII, 12 (*sva jah taujaiþ im*); XXV, 40, 45; Mc. VII, 12; X, 35, 36, 51; XV, 8, 12; Luc. VI, 11, 23, 26, 31; XVIII, 41; XX, 15; Joan. XV, 21; etiam *bi* (c. accus.) Luc. II, 27; *viþra* Eph. VI, 9; *in* (c. accus.) Thess. I, IV, 10; 2) facere, a) cum duplici accusativo: *wana þuk silban tuujis?* (χίνα σεαυτὸν ποιεῖς?) Joan. XV, 8; XIX, 12; Luc. XVI, 9 (ubi accusativus objecti subaudiendus est); Rom. IX, 28; etiam prædicatum cum *du* exhibetur: *taujis þuk silban du guþa* (ποιεῖς σεαυτὸν θεόν) Joan. X, 33; VI, 15; Rom. IX, 21; Gal. V, 13; vel b) cum sequenti accusativo c. infinit.: *taujiþ þo horinon*, facit eam mœchari (ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι) Mth. V, 32; item *liban taujan*, vid. sub *Liban*; c) cum sequenti *ei*: *taujaiþ ei* (ἵνα) *jah in laudekaion aikklesjon ussiggvaidau* Col. IV, 16.

GA-TAUJAN, 1) facere, ποιεῖν: Mc. II, 25; V, 19; VI, 20, 30; IX, 13; XIV, 8, 9; XV, 14; Luc. VI, 3; IX, 10, 15, 43; XVII, 9, 10; XIX, 48; Joan. XI, 43, 46; XVIII, 35; Tim. I, I, 13; Skeir. VII, c; πράττειν: Cor. II, V, 10; XII, 21; κατεργάζεσθαι: Cor. I, V, 3; Cor. II, VII, 11; XII, 12; in plurimis locutionibus, ubi græco ποιεῖν respondet, ut: *saliþva gataujan* Joan. XIV, 23; *vaurstv gataujan* Joan. VII, 21; XV, 24; *maht gataujan* Mth. VII, 22; Mc. VI, 5; *taikn gataujan* Joan. VI, 2, 14; X, 41; XII, 18, 37; *mun gataujan* Eph. III, 11; *mikilein gataujan* Luc. I, 49; *svinþein gataujan* Luc. I, 51; *garuni gataujan* Mc. III, 6; *maurþr gataujan* Mc. XV, 7; *akrana gataujan* Mth. VII, 17; *sinapi gataujiþ astans mikilans* Mc. IV, 32; *þaurft sis gataujan*, vid. sub *þaurban*; *vaurstveig gataujan*, vid. sub *Vaurstv*; *minnizo gataujan*, vid. sub *Mins*; *vaila gataujan* Mc. VII, 37; Phlpp. IV, 14; *froduba gataujan*, φρονίμως ποιεῖν: Luc. XVI, 8; quemadmodum post *taujan* (vid. supra), ita etiam dativus hic adhibetur Mc. V, 19 (*wan þlu þus frauja gatavida*), 20; IX, 13; Luc. I, 25, 49; II, 48; VIII, 39; Joan. IX, 26; XII, 16; XIII, 12, 15; *taikn gataujan bi siukamma* Joan. VI, 2; 2) facere, ποιεῖν, a) cum duplici accus.: Mth. V, 36; Mc. X, 6 (ubi accusativus objecti subaudiendus est); Joan. VII, 23; XIX, 7; Rom. IX, 20 (ubi *sva* loco *svaleik* adest); hinc *dvalana gataujan*, vid. sub *Dvals*; *vanana gataujan*, vid. sub *Vans*; nec non prædicatum cum *du* redditur: Luc. XIX, 46 (*gard meinana gatavideduþ du filegrja þiube*); Eph. II, 14; vel cum *sve* circumscribitur: Luc. XV, 19 (*gatavei mik sve ainana aanje*); b) cum sequenti accusativo c. infinit.: Mc. I, 17; VII, 37; VIII, 25; Luc. V, 34; IX, 15; Skeir. VII, c; sic *ganohnan gataujan*, vid. sub *Nahan*; *vahsjan gataujan*, vid. sub *Vahsjan*; *anakumbjan gataujan*, vid. sub *Kumbjan*; *liban gataujan*, vid. sub *Liban*; c) cum sequenti *ei*: Joan. XI, 37.

MISSA-TAUJANDS, partic., maleficus, malefaciens, παραβάτης: Gal. II, 18.

TAUÏ, neutr., gen. *tojis*, opus, factum, ἔργον: Joan. VIII, 41; πρᾶξις: Rom. XII, 4; Col. III, 9; πρᾶγμα: Cor. II, VII, 11; ποίημα: Eph. II, 10; ἐνέργεια: Eph. III, 7.

UBIL-TOJIS, adject., maleficus, κακοποιός: Joan. XVIII, 30; κακοῦργος: Tim. II, II, 9.

FULLA-TOJIS, perfectus, τέλειος: Mth. V, 48.

TEVA, fem., ordo, series, τάγμα: Cor. I, XV, 23.

TEVI, neutr., cohors: Cor. I, XV, 6 h. l.

GA-TEVJAN, conj. II, ordinare, constituere, χειροτονεῖν: Cor. II, VIII, 19.

UNGA-TEVIþS, non ordinatus; *ungateviþs visan*, ἀτακτεῖν: Thess. II, III, 8.

TUGGL (vet. norv. *tungl*, angl. sax. *tungel*, vet. sax. *tungal*, vet. sup. germ. *zungal*, suec. *tungel*; Gr. II, 61; III, 392; DM. 399; Gf. V, 683), neutr. (?), astrum: Gal. IV, 3 h. l.

TUGGO (vet. norv. *tunga*, angl. sax. *tunge*, vet. sax. *tunga*, vet. fr. *tunge*, *tonge*, vet. sup. germ. *zunka*, angl. *tongue*, suec. *tunga*, dan. *tunge*, batav. *tonge*, rec. sup. germ. *zunge*; lat. *lingua*; Bopp 165; Gr. II, 61; III, 400; Gf. V, 681; Rchth. 1094), fem., lingua, γλῶσσα: Mc. VII, 33, 35; Luc. I, 64.

TUZ, vid. sub *Tvai*.

TUKEIKUS, i. q. *Tykeikus*.

TULGUS (angl. sax. *tulgo*, angl. *tall*; Gr. II, 58) adject., stabilis, ἑδραῖος: Cor. I, XV, 58; στερεός: Tim. II, II, 19.

TULGJAN, conj. II, stabilire, firmare, κυροῦν: Cor. II, II, 8; στηρίζειν: Thess. I, III, 13.

GA-TULGJAN, id., στηρίζειν: Luc. IX, 51; Thess. I, III, 2; Tess. II, II, 17; III, 3; βεβαιοῦν: Rom. XV, 8; *gatulgjan sik*, confirmare, ἐπιμένειν: Rom. XI, 23; *gatulgids*, partic. pass., firmatus, confirmatus, ἑδραῖος: Col. I, 23; βέβαιος: Cor. II, I, 6; ἀμεταμέλητος: Cor. II, VII, 10.

TULGIþA, fem., confirmatio, ὀχύρωμα: Cor. II, X, 4; ἀσφάλεια: Thess. I, V, 3; ἑδραίωμα: Tim. I, III, 15.

TUNDNAN, vid. sub *Tindan*.

TUNþUS (vet. norv. *tönn*, angl. sax. *toð*, vet. sup. germ. *zand*, *zan*, vet. fr. *tond*, *toth*, angl. *tooth*, vet. sax., suec., dan., batav. *tand*, rec. sup. germ. *zahn*; lat. *dens*, gr. ὀδούς; Bopp 80; Gr. II, 60; III, 400; Gf. V, 683; Rchth. 1092), masc., dens, ὀδούς: Mth. V, 38; VIII, 12; Mc. IX, 18.

TRAKAUNEITIDUS, nom. propr. masc., Τραχωνῖτις: Luc. III, 1.

TRAUADA, nom. propr. fem., Τρωάς: Cor. II, II, 12; Tim. II, IV, 13.

TRAUAN (vet. norv. *trua*, angl. sax. *treovian*, vet sax. *truon*, vet. fr. *triuwe*, *trouwa*, rec. sup. germ. *truen*, *triu*, angl. *true*, *trust*, sueo. *tro*, dan. *troe*, batav. *trouw*, rec. sup. germ. *trauen*, *treu*;

Digitized by Google

Bopp 65; Gf. V, 464; Rchth. 1094), conj. II, fidere, confidere, πεποιθέναι, cum *du* vel *in* : Mth. XXVII, 43; Luc. XVIII, 9; Cor. II, I, 9; Philpp. III, 4; πεπεῖσθαι : Tim. II, I, 5.

GA-TRAUAN, 1) id., c. dat. vel *in*, πεποιθέναι : Cor. II, II, 3; X, 7; Gal. V, 10; Philpp. I, 14; II, 24; III, 3; Thess. II, III, 4; Philem. 21; πεπεῖσθαι : Rom. VIII, 38; XIV, 14; Tim. II, I, 12; θαρρεῖν : Cor. II, V, 6, 8; VII, 16; X, 1; 2) credere, πιστεύειν : Gal. II, 7; Tim. I, I, 11; Tit. I, 3; πιστοῦν : Tim. II, III, 14.

TRAUAINS, fem., fiducia, πεποίθησις : Cor. II, I, 15; III, 4; VIII, 22; X, 2; Eph. III, 12; Philpp. III, 4; παῤῥησία : Cor. II, VII, 4; Philpp. I, 20.

TRAUSTI, neutr., testamentum, fœdus, διαθήκη : Eph. II, 12.

TRIGGVS (coll. *Trauan?*), adject., fidelis, πιστός : Luc. XVI, 10, 11, 12; XIX, 17; Cor. I, IV, 2; VII, 25; Cor. II, I, 18; Eph. I, 1; VI, 21; Philpp. I, 20; Col. I, 7; IV, 7, 9; Thess. II, III, 3; Tim. I, I, 15; III, 1, 11; IV, 9; Tim. II, II, 2, 11, 13; Tit. I, 9.

UN-TRIGGVS, infidelis, ἄδικος : Luc. XVI, 10.

TRIGGVABA, adverb., fideliter, cum fiducia; *triggvaba vitan*, πεποιθὼς εἰδέναι : Philpp. I, 25; *triggvaba galaubjan*, πεπεῖσθαι : Luc. XX, 6.

TRIGGVA, fem., fœdus, testamentum, διαθήκη : Luc. I, 72; Rom. IX, 4; XI, 27; Cor. I, XI, 25; Cor. II, III, 6, 14; Gal. IV, 24.

TRIGO (vet. norv. *tregi*, *tregr*, vet. sup. germ. *tragi*, vet. sax. *tregan*, vet. suec. *trãga*, rec. sup. germ. *trãg*; Gr. II, 53; Gf. V, 502), fem., luctus, λύπη : Cor. II, IX, 7.

* TRIMPAN (vet. norv. *trampa*, *trappa*, angl. *trip*, *trample*, suec. *trippa*, dan. *trampe*, batav. *trampen*, rec. sup. germ. *trampeln*, *trippeln*; coll. gr. τρέω, lat. *tremere*; Gr. II, 33), conj. I, *tramp*, *trumpus*, *trumpans*, ire, ruere.

ANA-TRIMPAN, irruere, comprimere, ἐπιπεῖσθαι : Luc. V, 1.

TRIU (vet. norv., vet. fr. *tre*, angl. sax. *treov*, vet. sax. *treo*, angl. *tree*, suec. *trä*, dan. *træ*, batav. *tere*; gr. δρῦς; Gr. III, 368; Rchth. 1093), neutr., genit. *trivis*, lignum, arbor, ξύλον : Mc. XIV, 43, 48.

WEINA-TRIU, vinea, ἄμπελος : Joan. XV, 1, 4; plur. vinetum, ἀμπελών : Cor. I, IX, 7.

TRIVEINS, adject., ligneus, ξύλινος : Tim. II, II, 20.

* TRISGAN (Gr. I, 43 [3. edit.]), conj. I, *trasg*, *trusgun*, *trusgans*, serere.

IN-TRISGAN, inserere, ἐγκεντρίζειν : Rom. XI, 24.

* TRUSGJAN, conj. II, serere.

IN-TRUSGJAN, inserere, ἐγκεντρίζειν : Rom. XI, 17, 19, 23.

TRUÞAN (vet. norv. *troda*, *tradka*, angl. sax., vet. sax. *tredan*, vet. fr. *treda*, vet. sup. germ. *tretan*, angl. *tread*, suec. *trãda*, dan. *træde*, batav. *troden*, rec. sup. germ. *treten*; lat. *trudere*; Gr. II, 25; Gf. V, 520; Rchth. 1093), conj. II (?), calcare, πατεῖν : Luc. X, 19; vindemiare, τρυγᾶν : Luc. VI, 44.

GA-TRUÞON, conj. II, calcare, καταπατεῖν : Luc. VIII, 5 vid. h. l.

* TRUSNJAN (coll. vet. norv. *trosna?*), conj. II.

UFAR-TRUSNJAN, supersalire : Skeir. III, c.

TVAI (vet. norv. *tvo*, angl. sax. *twa*, vet. sax. *tũe*, *tua*, vet. fr. *twa*, vet. sup. germ. *zuei*, angl. *two*, suec. *två*, dan. *to*, batav. *twee*, rec. sup. germ. *zwei*; lat. *duo*, gr. δύω; Gr. I, 761; Gf. V, 715; Rchth. 1095), numerale, fem., *tvos*, neutr., *tva*, genit. *tvaddje*, duo, δύω : Mth. VI, 24; XXVII, 51; Mc. V, 13; VI, 9; Luc. VII, 19, 41; IX, 13, 16, 30, 32; X, 1; XV, 11; XVI, 13; XVII, 34; XVIII, 10; XIX, 29; Joan. VIII, 17; Cor. I, XIV, 27; Cor. II, XIII, 1; Gal. IV, 22, 24; Eph. II, 15; Philpp. I, 23; Tim. I, V, 19; Skeir. II, d; III, d; V, c.

TVEIHNAI, distribut., ἀνὰ δύο : Luc. IX, 3; coll. Mc. VIII, 31 *miþ tveihnaim markom*, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων.

TVALIF (*tvalib* Luc. II, 42; VIII, 1; vet. norv., suec. *tolf*, angl. sax. *twelf*, vet. sax. *twelif*, vet. sup. germ. *zwelif*, angl. *twelve*, dan. *tolv*, batav. *twaelf*, rec. sup. germ. *zwölf*; Gr. I, 763; Gf. V, 729; Rchth. 1097), duodecim, δώδεκα : Mth. X, 1; XI, 1; Mc. III, 14; IV, 10; V, 42; VI, 7; VIII, 19; IX, 35; XIV, 10, 43; Luc. II, 42; VIII, 1, 42, 43; IX, 1, 12, 17; Joan. VI, 67, 71.

TVAI-TIGJUS, plur. masc., viginti, εἴκοσι : Luc. XIV, 31.

TVA-HUNDA, plur. neutr., ducenti, διακόσια : Joan. VI, 7.

* TVIS, adverb., tantummodo in *tvis-standan*, vid. *Standan*.

* TUZ (vet. norv. *tor*, vet. sup. germ. *zur*; Gf. V, 698), adverb., tantummodo in *tuz-verjan*, vid. sub *Verjan*.

TVEIFLS (vet. norv. *tuifli*, *tuiflian*, vet. fr. *twifil*, vet. sup. germ. *zwifal*, rec. sup. germ. *zweifel*; coll. *Tvai*; Gf. V, 724; Rchth. 1096), masc., dubium : Skeir. II, c.

TVEIFLJAN, conj. II, dubium movere, dubitare : Skeir. VI, b.

TVEIFLEINS, fem., dubium, διάκρισις : Rom. XIV, 1; διαλογισμός : Tim. I, II, 8.

TYKEIKUS (*Tykeikus* Col. IV, 7; *Tukeikus* Eph. VI, 21), nom. propr. masc., Τυχικός : Eph. VI, 21; Col. IV, 7 vid. ad h. l.; Tim. II, IV, 12.

TYRA, nom. propr. fem., Τύρος : Mc. III, 8; Luc. X, 14.

TYRUS, nom. propr. masc., Tyrus : Mth. XI, 21, 22; Mc. VII, 24, 31.

TOBEIAS, nom. propr. masc., Τωβίας : Neh. VI, 17.

TOJIS, vid. sub *Tiuan*.

V

VAGGARI (angl. sax. *vangere*; coll. vet. norv. *vangi*, vet. sax., vet. sup. germ. *wango*, rec. sup. germ. *wange*; Gr. III, 404; Gf. I, 894), neutr., cervicale, προςκεφάλαιον : Mc. IV, 38.

VAGGS (vet. norv. *vangr*, vet. sax. *wang*, angl. sax. *vang*, angl. *wang*, dan. *vænge*; Gr. III, 395; DM. 475; Gf. I, 894), masc. (?), paradisus, παράδεισος : Cor. II, XII, 4.

VAGJAN, vid. sub *Vigan*.

* VADDJUS (angl. sax. *vag*, suec. *vägg*, dan. *væg*; Gr. III, 429), fem., murus.

BAURGS-VADDJUS, mœnia, τεῖχος : Cor. II, XI, 33; Neh. V, 16; VI, 15; VII, 1.

MIÞGARDA-VADDJUS, medialis murus, μεσότοιχον : Eph. II, 14.

GRUNDU-VADDJUS, fundamentum, θεμέλιον : Luc. VI, 48, 49; XIV, 29; Eph. III, 20; θεμέλιος : Tim. II, II, 19.

VADI, vid. sub *Vidan*.

* VAIHS (vet. norv. *veikr*, vet. sax. *wak*, angl. sax. *vac*, angl. *weak*, dan. *væg*, suec. *vek*, batav. *week*, rec. sup. germ. *weich*, coll. *schwach*), adject., debilis, indigens.

UN-VAHS, irreprehensibilis, ἄμεμπτος : Luc. I, 6.

VAHSJAN (vet. norv. *vaxa*, vet. sax. *wahsan*, angl. sax. *veaxan*, vet. sup. germ. *wahsan*, vet. fr. *waxa*, angl. *wax*, suec. *vexa*, dan. *voxe*, batav. *wassen*, rec. sup. germ. *wachsen*; Bopp 116; Gr. II, 12; Gf. I, 682; Rchth. 1028), conj. I, *vohs*, *vohsun*, *vahsans*, crescere, αὐξάνειν : Mth. VI, 28; Luc. I, 80; II, 40; Joan. III, 30; Cor. II, X, 15; Eph. II, 21; IV, 15; Col. II, 19; *vahsjan galaubjan*, crescere facere, multiplicare, αὐξάνειν : Cor. II, IX, 10.

US-VAHSJAN, adolescere; *usvahsans wisan*, adultum esse, ἡλικίαν ἔχειν : Joan. IX, 21.

Digitized by Google

UFAR-VAHSJAN, supercrescere, ὑπεραυξάνειν : Thess. II, I, 3.

US-VAHSTS, fem., augmentum, αὔξησις ; Eph. IV, 16.

VAHSTUS, masc., 1) augmentum, αὔξησις : Col. II, 19; 2) statura, ἡλικία : Mth. VI, 27; Luc. II, 52; XIX, 3; Eph. IV, 13.

VAHTVÔ, vid. sub *Vakan*.

VAI (vet. sax. *we*, angl. sax. *vea*, vet. sup. germ. *we*, vet. fr. *wach*, angl. *woe*, suec. *ve*, dan. *væ*, batav. *wee*, rec. sup. germ. *wche*; lat. *væ*, gr. οὐαί; Gr. III, 292, 607; Gf. I, 632; Rchth. 1121), interject., wæ, οὐαί : Mth. XI, 21; Mc. XIII, 17; Luc. VI, 24, 26; X, 13.

VAI-DEDJA, vid. sub *Deds*.

VAI-FAIRWJAN, vid. sub *Fairwus*.

VAJA-MERJAN, vid. sub *Merjan*.

VAIAN (vet. sup. germ. *waian*, vet. fr. *waia*, dan. *væe*, rec. sup. germ. *wehen*; gr. ἄημι; Gf. I, 621; Rchth. 1122), conj. I, *vaivo*, *vaivoun*, *vaians*, flare, πνεῖν : Mth. VII, 25, 27; Joan. VI, 18.

VAIBJAN, vid. sub *Veiban*.

VAIHJÔ, vid. sub *Veihan*.

VAIHSTA (Gr. III, 429), masc., angulus, γωνία : Mth. VI, 5; Mc. XII, 10; Luc. XX, 17.

VAIHSTA-STAINS, vid. sub *Stains*.

VAIHTS (vet. norv. *vætt*, angl. sax. *viht*, *vuht*, vet. sax., vet. sup. germ. *wiht*, angl. *wight*, *ought*, rec. sup. germ. *wicht*, *n-icht*, *ichtwas*; DRA. 491; DM. 246; Gf. I, 730), fem. (etiam in nom. *vaiht* neutr. Mth. X, 26; XXVII, 19; Tit. I, 15; in plur. ut anom. Skeir. II, d), res, negotium, πρᾶγμα : Luc. I, 1; εἶδος : Thess. I, V, 22; Skeir. II, d; VII, b, c; *in þizosei vaihtais*, idcirco, τούτου χάριν : Eph. III, 1; Tit. I, 5; δι' ἣν αἰτίαν : Tim. II, I, 6; solemniter cum negatione *ni vaiht* vel *vaiht ni*, nequicquam, nihil, οὐδέν, μηδέν : Mth. X, 26; XXVII, 12, 19; Mc. I, 45; V, 26; VI, 8; VII, 12, 15; IX, 29; XI, 13; XIV, 60, 61; XV, 4; Luc. III, 13; IV, 2, 35; IX, 3, 36; X, 19; XVIII, 34; XX, 40; Joan. VI, 63; VIII, 28, 54; XIV, 30; XVI, 23; XVIII, 20; Rom. VIII, 1; XIII, 8; XIV, 14; Cor. I, IV, 4; VII, 19; X, 20, 25, 27; XIII, 2, 3; Cor. II, VI, 3, 10; VII, 5, 9; XI, 5; XII, 11; XIII, 7; Gal. II, 6; IV, 1, 12; V, 10; VI, 3, 14; Eph. III, 1; Philpp. I, 20, 28; II, 3; IV, 6; Thess. II, III, 11; Tim. I, IV, 4; V, 21; VI, 4, 7; Tit. I, 15; Philem. 14; μή τι : Joan. VI, 12; Gal. V, 6; VI, 15; οὐ : Rom. IX, 1; Cof. II, XII, 5.

